ESEGESI
BIBLICA
163
A
25.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
A
25
NAPOLI

III 15 III

[illegible]

ABRAHAMI GULICHII

צבא·העתים

Sive

THEOLOGIA PROPHETICA
De rebus Veteris Teſtamenti.

Accedit

Neceſſaria Præfatio, in eaque HERMENEU-
TICA Sacra bipertita, Artis Præceptiones
de Ratione interpretandi, tum S. Scriptu-
ram univerſè, tum ſpeciatim *Prophe-
tias*, ſummatim explicans.

B. R. NEAPOLI

AMSTELODAMI,

Apud JOHANNEM à SOMEREN, Bibliopolam. 1675.

BIBLIOTECA NAZIONALE

v.5#

B. R.
NEAPOLI

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D^n^. FRIDERICO GULIELMO,

MARCHIONI BRANDEBURGICO, S. ROMANI IMPERII ARCHICAMERARIO ET ELECTORI, MAGDEBURGI, BORUSSIÆ, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA CROSNÆ ET JAGERNDORPII DUCI, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI MINDÆ ET HALBERSTADII, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINII, ET TERRARUM LAUENBURG ET BÜTAW DOMINO &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

MAgnificum proculdubio quid eſt, *Sereniſſime Elector*, *Clementiſſime Domine*, & amplè ſonans, res futuras intelligere, & antequam gerantur, in longinquum diem pronunciare ac prædicere poſſe, ad excitandum verò ac fovendum Numinis reverentiam, & præſentem Dei curam & ſummum arbitrium rerum humanarum demonſtrandum, nihil effi-

cacius. Vocavi te nomine tuo, vocavi te, & non noſti me. Ego Jehovah, & non eſt alius, præter me non eſt Deus: cingo te, & non noſti me. Ut cognoſcant ab ortu Solis & occaſu ejus, quòd non ſit præter me; Ego Jehovah, & non ſit amplius. inquit ipſe, Cyrum integro ſæculo antequam naſceretur, nomine ſuo appellans, & ordinans rerum dominum, & vindicem populi ſui. Quamvis enim in operibus Dei inſignia Divinitatis non ſint minùs attendenti conſpicua, ac reliquæ veritates, quæ rectæ rationis dictamine ab omnibus cognoſcuntur; Quia tamen pleraque pars hominum eo, quo oportet, modo non attendunt, & rebus hujus ſœculi immerſa, neſcio quomodo, quæ ſenſibus præſentia non ſunt, non curant, neque timent, dum velut æſtu quodam ac torrente iis, quibus utuntur ac fruuntur, abripiuntur: Pauci eſſent, qui rectum utili præferrent, & vel de Deo, vel de aliâ vitâ cogitarent; omnium una eſſet vox, Vanum eſt ſervire Deo: & quid emolumenti, quòd obſervavimus obſervantiam ejus? & quòd ambulavimus atrati propter Jehovam Deum exercituum? Igitur nos beatos prædicamus feroces. &c. niſi Deus de cœlo quaſi per Prophetas loquens intercederet, & hoc velut ſigno ſenſibili præſentiæ ſuæ ipſos terreret, & cogeret reſpicere ad id, quod naturâ notum eſt in ipſis, & audaciam coërceret. Nam cujus eſſe putamus rerum omnium pandere vices, ortusque & incrementa & miras converſiones eodem ſignare ordine, tempore ac loco, quo exiſtunt, niſi ejus, qui fata orbis diſpenſat, & facit omnia hæc? Rurſus ſi ingens dignatio eſt ad Principes & rerum Dominos interiorem aliquem aditum habere, & coram alloqui, & parti intereſſe conſiliorum; Quantùm erit, Deum audire omnia, quæ facit, revelantem, quàm glorioſum, quàm memorabile? Abraham propterea Amicus Dei vocatus eſt; & Chriſtus ſuis diſcipulis, totique adeo Eccleſiæ Chriſtianæ dixit, Non dico vos ſervos, ſed amicos meos. Nam ſervus non novit ea, quæ facit Domi-

nus;

nus; at ego, quæcunque à Patre audivi, indicavi vobis. Ut nullum ſit præſentius ſignum favoris ac gratiæ cœleſtis, & Populi delecti, & veræ Eccleſiæ, quàm conſcientia eorum, Spiritu revelante, quæ facit ac molitur Dominus. Quemadmodum è contrario non poteſt Regis adverſarii & falſorum Doctorum, feliciùs deprehendi & confutari vanitas, quàm quòd conſilia Dei ignorent, nec valeant explicare. Ubinam illi ſunt, ubi ſunt ſapientes tui? & indicent, age, tibi, quid conſuluerit Jehovah Deus exercituum ſuper Ægypto. Igitur quum alia multa, tam in Naturâ, quàm in Verbo revelato, ſint Divinitatis & veræ fidei ac religionis præclara indicia ac documenta, tum hoc præcipuè, quod ducitur ab evidentiâ Prophetiarum, inter alia ſum ſemper admiratus. Et fecit amor publicus, ut ſpecimen quoddam illuſtris adeò argumenti in rebus à Condito Mundo ad finem Veteris Teſtamenti geſtis hoc ſcripto publicarem. Hunc qualemcunque conatum *Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ*, eâ, quâ par eſt, animi ſubmiſſione nunc offero: Non quod à me poſſe præſumam fieri aliquid, quod tam amplo nomine ſit dignum; vel quòd tanta mihi ad Te adeundum ſuperſit vel temeritas vel audacia: Sed quòd tùm rei ipſius hìc pertractatæ conditio ac natura, ut id facerem, non prohiberet, tum etiam officii ratio poſtularet. Nam ſi Reges & Principes olim è maximâ parte gloriæ & felicitatis id æſtimarunt, quòd cum Deo de fatis rerum & mutationibus poſtea eventuris loquerentur; Si cæteris etiam Principibus, ut Nebucadnezari, Viro, uti apparet, magnanimo & ſplendido, & qui dignus eſſet, ut conderet primam Monarchiam, fuerit magnificum cogitare de regnis antecedentibus & de ſuo regno & de temporibus futuris, ſi adeo fuere cordi factæ de his divinitùs revelationes, ut magnâ cura exquiſiverit earum interpretationem; Si Cyrus, ſi Alexander Magnus adeo viſis Propheciis fuere delectati, ut benignitate ac favore regio proſequerentur illos, qui

eas monſtrarent, & pro Amicis Dei venerarentur: Quid non facere Principes Chriſtianos, vel Conſiliarios eorum æquum putabimus; qui vident, quæ priſci illi non viderunt, audiunt, quæ non audiverunt, & maximas rerum mutationes, & vices interea populi Dei, & ortum ac fundationem Regni æterni & nunquam ceſſaturi, non, ut illi, eminùs, & per umbram, ſed in illuſtribus poſita rerum geſtarum monumentis recognoſcunt. Quum igitur hæc Principum aſpectu & cognitione non indigna viderentur, ad quem potiſſimùm irent, nemo niſi *Sereniſſima Celſitudo Tua* occurrebat. Tu feciſti, *Maxime Princeps*, tum ſemper aliàs, tum in præſenti adhuc communi incendio Orbis Europæi, arctiſſimâ cauſæ Tuæ ac defendendi communis belli ſocietate, ut unicus Patronus & Vindex, tum Germanicæ, tum Belgicæ libertatis, & Manus Populi Sancti, quem penè ad ultimas metas videbamus redactum, Tu ſolus dici mercrere. Et quamvis non pro voto afflictorum ac Tuo cum ipſis ab initio facere potueris, ut ſcilicet in Te quoque exemplum inveniret, quod prædictum, *Quum videbit, quòd abierit manus.* & Dei ſolius hæc gloria ſalutis eſſet: Tu tamen communi cauſæ nunquam defuiſti, atque omni tempore Te probaſti talem, qualis jam eſſe cœperas. Ut verum Parentem decet communis Patriæ, non metuiſti Te ipſum perdere, ut rei communi prodeſſes: Quum foris hoſtem propulſares, venientem domi procellam, nec proviſam valde, nec valde formidatam (tanta erat fiducia cauſæ) intrepidè excipiebas. Non paſſa eſt Divina clementia tam rari pietatem exempli diutiùs interpellari: Vix videbas hoſtem, ſic ditionibus Tuis, quaſi prædæ, incubantem, & quanquam copiis minor, & à peditatu planè deſtitutus; & loco inferior, ſic tamen fretus Divinâ Virtute illum inſtructum aggreſſus, unâ ſtrage quaſi manu rejeciſti, itàque deleviſti, ac ſi nunquam adfuiſſet. O felix Te duce Impe-

pe-

perium , Te Principe Patria , Te Socio & Amico Belgica ! Et nos quoque ſumus , queis hactenùs licuit , ut antea ſemper , ita inter hos tumultus , ut in altiſſimâ pace, requieſcere , & utut noſtros quoque paſſis manes , nihil tamen gravius accidit , quàm ut hoſtis acerrimi , tum maximè victoriarum curſu ferocis , præſidia & commeatus exiguo tempore ſuſtineremus. Quod ut felicitatis ex parte eſt merito habendum, ita eſt, cur poſt Deum *Sereniſſimo Nomini Tuo*, Monarchis etiam potentiſſimis ſuſpiciendo , ejuſque Glorioſo & Clementiſſimo regimini , gratâ animi recordatione imputemus, & hunc ipſum animum memorem hâc publicâ Inſcriptione profiteri , non alienum ducamus officio noſtro. Acceſſit, quòd quum Florentiſſimæ huic Civitati & Spectatiſſimo Senatui in hâc Urbe , tum ob ſingularem loci ſitum & commoditatem , utpote non ſolùm capite Comitatus Tui Markani , ſed & circumjacentibus totius Weſtphaliæ Provinciis , ita cinctâ , aut vicinâ , & inter Germaniam ſuperiorem & inferiorem quaſi in confinio ita collocata , ut communis utriuſque tranſitus , & facillimus ex omnibus ad eam commeatus eſſe videatur , tum ob aëris ſalubritatem agrique ubertatem & rerum copiam , ad Muſas hoſpitio excipiendas peropportunâ , ad penſandum , quod priſtino nitori atque opulentiæ detraxerant ſuperioris temporis diuturnæ calamitates , ad exemplum glorioſæ memoriæ Majorum Tuorum, memorandâ benignitate ac ſpeciali privilegio facultatem conceſſeris Scholæ Academicæ condendæ, verùm etiam primariarum Facultatum Artiumque Profeſſoribus è Germaniâ & Belgio accitis, ut commodè habeantur, non mediocri redituum annuorum proventu , gratioſâ donatione , liberaliter proſpexeris , ut , quod munere Tuo hîc agimus , primitias quoque illius otii, quas primus , quod ſciam , nunc conſecro , Glorioſum Nomen Tuum poſſideat , fas omninò eſſe crediderim. Quod ſupereſt, Deum ſupplex veneror , ut *Se-*

reniſſ-

reniſſimam Celſitudinem Tuam , & *Sereniſſimam Domum Brandeburgicam*, in Reip. atque Eccleſiæ maximum commodum & ſalutem, quàm diutiſſimè ſoſpitet, conſiliis præſideat, cœptis adſit, & ſemper felici exitu ac perenni omnigenæ ſalutis ac benedictionis fonte irrigare nunquam deſinat. Hammonæ Weſtphalorum a. d. xx. Octobris.

Anno CIↃ IↃC LXXV.

Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ

Humillimus Cliens
ABRAHAMUS GULICHIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Ad Benevolum & Prophetiarum Studioſum Lectorem.

QVum fore intelligerem pleroſque, qui in hoc Opere nudos legent rerum geſtarum Articulos, & his Oracula eodem ordine ſubjuncta, nullâ additâ ratione, cur hæc potiùs, quàm illa, eis applicari debeant; ac præterea animadvertent, id omninò agi, ut in unâ ſerie repræſententur omnia, quæ de rebus Veteris Teſtamenti cecinerunt iſtius ſæculi Prophetæ, & quàmplurima tamen eorum, quæ ad idem genus videntur pertinere, eſſe prætermiſſa, vel ad citeriora tempora reſervata; qui hanc rationem Prophetias tractandi, ut novam, & omni prorſus ratione ac demonſtratione deſtitutam admirentur, & minimè cenſeant admittendum: Operæ pretium eſſe putavi, in unum locum conferre, atque ipſi Operi præmittere, ea omnia, quibus hæc ratio prophetandi & Scripturas explicandi probaretur. Quod dum facio, & Hermeneuticam quandam Propheticam adorno, non potui quin inciderem in eam quoque partem Hermeneuticæ Sacræ, quæ ad reliquam Scripturam extendit ſeſe. Sic nata eſt mihi duplex Hermeneutica, una Generalis, quæ regulas continet univerſam Sacram Scripturam ſpectantes, altera ſpecialis de interpretandis Prophetiis. Eam utramque hîc ponam, poſtea ipſius rationem ac modum Operis, meumque inſtitutum, & alias appendices, quas Te ſcire, Benevole Lector, in anteceſſum volo, explanaturus. Sic præmiſſis ad inſtar Axiomatum quorundam communium Regulis ac principiis primis Propheticæ interpretationis, & habebunt, qui jam Prophetias didicerunt, quo admoneantur, & qui non didicerunt, quo inſtruantur; & hâc quoque parte morem ſcribendi Syntheticum, Geometris uſitatum, ut & in reliquo Opere factum eſt, quodammodo imitabor. Eſto itaque

HERMENEUTICÆ SACRÆ

Pars prior

De interpretandâ S. Scripturâ.

§. 1. Ratio

§. 1. RAtio generalis Scripturam Sacram interpretandi commodè explicabitur, ſervato hoc ordine, ut I. Definito, quid per Sacram Scripturam, de cujus interpretatione hîc eſt quæſtio, veniat intelligendum; externas ſermonis ſacri circumſtantias conſideremus, & quid faciant ad verum ejus ſenſum cognoſcendum, eâdem operâ oſtendamus. 2. Ad ipſum ſermonem ſacrum in ſe ſpectatum converſi, quomodo tùm vocum ejus ſingularum, tùm integrarum ſententiarum ſenſus ubique ſit inveſtigandus, demonſtremus.

§. 2. Primùm itaque per Sacram Scripturam intelligimus hoc loco ſcripta, non tantùm Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quæ hodie exſtant, & Novi Teſtamenti appellatione cenſentur, verùm etiam, & quidem ex uſu ſcriptorum N. T., potiſſimùm ſcripta Veteris Teſtamenti, Moſis ſcil. & Prophetarum, quæ tempore quoque Chriſti & Apoſtolorum in S. Canone habebantur. Ita Johannes Evang. cap. 5. vers 39. γραφὰς, *Scripturas*, appellat illos libros, in quibus Judæi vitam æternam quærebant. Paulus Rom. 1: 2. γραφαῖς ἁγίαις, *Scripturas Sacras*, appellat ſcripta Prophetarum. Idem ἱερὰ γράμματα, *ſacras literas*, vocat, quas ab infantia noverat Timotheus; non alias innuens, quàm Veteris Teſtamenti, quoniam non aliæ tum temporis exſtabant. 2 Tim. 3: 15. Idem ibidem verſ. 16. γραφὴν, *Scripturam*, abſolutè, easdem indigitat. Neque aliud per *Legem* Matth. 12: 5. Luc. 2: 23. 10: 26. 16: 17. & *Propheticum ſermonem* 2 Pet. 1: 19. Rom. 16: 26. intelligitur, quàm ſcripta Veteris Teſtamenti, quæ hinc modò in *Legem & Prophetas*, ut Matth. 22: 40. Act. 13: 15. &c. ita ut poſt Moſen primus Prophetarum, qui ſcripſerunt, Samuel indigitetur, Act. 3: 22. 24. modò in *legem*, *Prophetas*, & *Pſalmos*, ut Luc. 24: 44. diſtinguuntur.

§. 3. Quamvis autem ſic olim, ante revelationem, & ſub initium Novi Teſtamenti, ſcripta Moſis & Prophetarum ferè ſola Sacræ Scripturæ nomine celebrarentur, quia tamen etiam monumenta Evangeliſtarum & Apoſtolorum literis conſignata in eodem canone S. Literarum habemus, & hoc quoque axiomate ab ipſis ſcriptoribus N. T. Eccleſiæ commendantur, ut nominatim Epiſtolæ Pauli, 2 Pet. 3: 16. in hoc quoque genus dicta atque intellecta volumus, quæ de interpretatione Sacræ Scripturæ diſſeremus.

§. 4. Ad Scripturæ itaque Sacræ, id eſt Scriptorum utriusque Teſtamenti, ac Veteris potiſſimùm, claram, tutam, ac fidelem intelligentiam, notandæ ſunt 1. Externæ quædam hujus Scripturæ circumſtantiæ & veluti attributiones. In his ab initio occurrit Auctor ſermonis eâ explicati. Hunc facilè agnoſcemus ex iis, quæ de naturâ hujus ſermonis ipſæ produnt S. literæ. Hæc declarantur epitheto, quo *Sermo Propheticus* appellatur, 2 Pet. 1: 19. Quid autem ſit *prophetare*, conſtat partim ex 2 Petr. 1: 21. partim Exod.

Exod. cap. 7: verſ. 2. Nempe eſt propriè *actum à Spiritu alterius quid loqui*, ut in priore, atque ita *alterius interpretem eſſe*, ut in poſteriore loco accipitur. Qui enim à Spiritu alterius actus loquitur, cogitata ejus interpretatur, atque ita propriè loquendo prophetat. In ſpecie autem τὸ *prophetare* in Sacris accipitur pro φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου λαλεῖν, *actum à Spiritu Sancto loqui*. Ut ſic Propheta nihil aliud ſit, quàm conſilii Divini interpres; qualis nemo, niſi actus à Spiritu ſancto, vel cui Deus conſilium ſuum revelaverit per Spiritum ſuum, 1 Cor. 2: 10. eſſe poteſt. Eſt igitur *ſermo* Scripturæ *propheticus*, quia mentem ac conſilium Dei hominibus interpretatur. Idque non ſolùm ex naturâ vocis, colligitur, ſed etiam ex perpetuò ejus uſû. Sic Abraham *Propheta* appellatur Gen. 20: 7. quia ſcil. *non celabat eum Deus quicquam eorum, quæ agitabat*. Gen. 18: 17. Bileam de populo Iſraëlitico: *Statim dicitur Jacobo & Iſraeli*, מַה פָּעַל אֵל, *quid moliatur Deus*. Quia id dicebatur per Moſen & Prophetas. Hinc David *Summas cogitatuum Divinorum*, Pſalm. 139: 17. & alibi paſſim *Molitiones & conſilia Dei*, deprædicat, ſeſeque illorum fuiſſe participem, ut prophetam ſcil., hoc ipſo profitetur. Vid. Pſ. 46: 9. 64: 10. 66: 5. Solomon eorundem *conſiliorum*, ſeu decretorum Divinorum, facit mentionem, Prov. 8: 20. Habaccuc excitationem Chaldæorum, ut *molitionem* ſive præparationem & exordium majoris *operis* proponit, Hab. 1: 5. 6. Idem alibi telam *conſiliorum* operumque divinorum à reſurrectione Chriſti exorditur; ut Hab. 3: 2. Imò hinc Prophetæ dicuntur מַלְאֲכֵי יְהוָה *legati Jehovæ*, Eſ. 44: 25. & Hagg. 1: 13. & loqui בְּמַלְאֲכוּת יְיָ *in legatione Jehovæ*. Hagg. 1: 13. & *verba* eorum dicitur *Deus mandare in ſpiritu ſuo*. Zach. 7: 12. Ex quibus intelligitur, ſermonem Scripturæ non aliam ob cauſam *propheticum* appellari, quàm quòd conſilia ac decreta Dei hominibus interpretetur.

§. 5. Quia autem *Sermo* Scripturæ eſt *propheticus*, id eſt conſilia Dei hominibus interpretatur, hinc fit primò ut Scriptura ipſa ſit θεόπνευστος, *divinitus inſpirata*; & ſecundò ut non ſit ἰδίας ἐπιλύσεως, cujuſque *reſolutionis*, ſive interpretationis. Dico, 1. hinc ſequi, quòd ſit θεόπνευστος, *divinitus inſpirata*. Prophetare enim, id eſt conſilia Dei interpretari, nemo poteſt, niſi à Spiritu Dei actus, vel cui conſilia ſua Deus per Spiritum ſuum revelaverit; 1 Cor. 2: 10. *Spiritus* enim *Dei* omnia *ſcrutatur*, & intelligit ſolus, atque adeò ſolus omnia hominibus revelare poteſt, *etiam profunditates*, & interiora conſilia *Dei*. Adeo id eſt evidens, ut etiam in rebus humanis obtineat. *Quis enim hominum novit*, aliiſve interpretari poteſt, ea *quæ ſunt hominis*, quæque animo is volvit & agitat, *niſi Spiritus hominis, qui eſt in ipſo*, & cui is conſilia ſua revelârit? *Atque ita quæ ſunt Dei*, cogitationes mentis Divinæ, *nemo novit*, aliiſve, ut internuncius aut propheta interpretari poteſt, *niſi ſpiritus Dei*, & cui is mentem Divinam revelârit.

velârit. 1 Cor. 2: 10. 11. Cui autem Deus per ſpiritum ſuum conſilia ſua revelat, quique ita loquitur, loquitur ut θεόπνευστος, à *Deo inſpiratus*, Deo velut auctore ac dictatore eorum, quæ loquitur; & Scriptura, quæ ſermonem continet eorum qui ſic Divinitùs inſpirati conſilia Dei explicuerunt, merito ſuo θεόπνευστος, *divinitùs inſpirata*, appellatur. Quod idcirco elogium ei legitur attributum 2 Tim. 1: 16.

§. 6. Ex his jam evidens eſt, quid de Auctore S. Scripturæ ſit tenendum. Quemadmodum enim ſi quis hominum animi ſui conſilia alteri revelet, meritò hujus revelationis habetur auctor, quia, abſque eâ revelatione eſſet, conſilia illius nunquam huic in mentem veniſſent; ita ſe res habet cum iis, quæ divinitùs, uti dictum, revelantur. Talia enim ſunt, ut abſque eâ revelatione nec oculo videri, nec aure audiri, neque in ullius hominis cogitationem aſcendere poſſint; 1 Cor. 2: 9. & meritò adeo ad Deum iſta auctorem referantur. Quam divinam in S. Scripturâ auctoritatem adeo agnoverunt Apoſtoli, ut nihil humani; quodve voluntariâ meditatione inventum aut excogitatum foret, ei putaverint admixtum, & quicquid locuti ſunt & ſcripſerunt Prophetæ, in totum tribuerint Divinæ inſpirationi, & virtuti, quæ occupaverit & impleverit eorum mentem, eamque excitaverit ad hæc vel illa cogitandum, aut videndum, aut imaginandum, quæque cogitabant, videbant, aut imaginabantur, pronunciandum, ac literis conſignandum. In quam ſententiam Petrus 2 Pet. 1: 21. *Non enim*, inquit, *voluntate hominis*, quemadmodum ſolent, quæ pro arbitrio quis excogitat, *allata eſt olim prophetia*, ſermo explicans conſilia Dei; *ſed acti*, nec tantùm admoniti & impulſi, ſed quaſi abrepti, *à Spiritu ſancto*, ut ſui non eſſent ampliùs juris, ut proprio motu, quo vellent, dirigerent cogitationes ſuas, *locuti ſunt*, & ſcripſerunt, quæ loquebantur, (ex verſ. 20. Ibid.) *ſancti Dei homines. Locuti ſunt* ſcilicet καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι, *prout Spiritus ipſis dabat eloqui*; uti eſt Actor. 2.

§. 7. Ad eandem S. Scripturæ divinitatem reſpicit quoque Chriſtus, Luc. 16: 31. ubi aſſerit, auctoritatem Moſis & Prophetarum eſſe tantam, ut ne quidem ſi quis è mortuis reſurgat, atque ita irrefragabile ſignum divinæ potentiæ ac præſentiæ in ſuo corpore circumgeſtet, ſi quid loquatur in nomine Dei, poſſit habere ad fidem aliorum hominum obligandam, majorem. Idemque ubi docet, *Deum de ſe teſtatum*, Joh. 5: 37. & 32. nempe *in Scripturis*, ibid. verſ. 39. nominatim *Moſis*, ibidem verſ. 46. ſatis innuit, quem pro Auctore Scripturarum habeat. Unde etiam expreſſè illas appellat *verbum Dei*, Ibidem verſ. 38. Quod & ſenſit Apoſtolus, Rom. 1: 1. 2. affirmans, Deum *Euangelium ſuum ante promiſiſſe per Prophetas*

tas ſuos in Scripturis ſanctis. Et Rom. 3:2. quum ſcripta Judæis concredita vocat *eloquia Dei.* Et cap. 11:4. Significat enim, Deum ipſum Scripturarum Propheticarum eſſe Auctorem, ut qui promiſſionem de Euangelio ſuo per Prophetas ſuos in iis curaverit explicari, &c.

§. 8. Secundò dico, ex eo, quod ſermo Scripturæ ſit Propheticus, ſequi, Scripturam non eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως, *propriæ interpretationis*, ut ſcil. pro lubitu quiſque ſuo eam interpretetur, & ad hypotheſes aut præjudicia ſua eam flectat, & ſenſum, quem verba Scripturæ ſecundùm ea præjudicia fundunt, Spiritui S. affingat, in eoque acquieſcat. Nectit hanc conſequentiam Petrus, & pro regulâ hermeneuticâ proponit. 2 Pet. 1:19. 20. 21. Vult enim, ut *dum ſermoni prophetico attendimus, hoc primum ſciamus, nullam prophetiam Scripturæ eſſe propriæ interpretationis.* Ratio: *Non enim voluntate hominis prolata eſt olim prophetia, ſed acti à Spiritu Sancto locuti ſunt ſancti Dei homines.* Ponit ſcil. pro fundamento vitandæ propriæ ἐπιλύσεως, quia hoc eſt de naturâ prophetiæ ſcil. ſive prophetici ſermonis, ut non pro arbitrio cujuſque ſuo, ſed actu Spiritus S. proferatur. Non igitur ab arbitrio cujuſque pendet ſermonis prophetici interpretatio, ut pro lubitu & ſecùndùm hypotheſes aut præjudicia quiſque ſua eam interpretari præſumat; eo ipſo, quo is ſermo propheticus eſt. Vult itaque præceptum Apoſtolicum, ad ruminationem Scripturæ propheticæ accedentibus ante omnia cavendum eſſe, ne afferant conſilium proprium aut præjudicia ſua; ne ſcil., dum non ut voluit Spiritus S., ſed ut nos volumus, & prout præconceptis opinionibus noſtris conſentaneum videtur, Scripturam cogimus loqui, & mentem Spiritus S., & fructum Scripturæ omnem inutiliter prætervehamur. Concinit Apoſtolo Ezechiel, cap. 14: verſ. 3. de iis, qui adeunt Prophetam conſulendi Dei cauſâ, nomine Dei ita loquens: *Unuſquiſque de domo Iſraël, qui fecerit adſcendere ſtercora ſua in cor ſuum, & offendiculum pravitatis ſuum poſuerit coram facie ſuâ, & venerit ad prophetam; Ego Jehovah reſpondebo ipſi pro multitudine ſtercorum ſuorum.* Significat enim, quòd ſi quis præjudiciis occupatus, aut propriæ ſapientiæ opinione inflatus, acceſſerit ad Deum loquentem in verbo ſuo, ſive id verbum inciderit ori alicujus prophetæ, ſive Scripturæ mandaverit, fore ut hoc verbum ipſi reſpondeat, talemque ſenſum reddat, qualis præjudiciis ipſius conveniat, eumque ſenſum pro ſenſu ac mente Dei arripiat, ac putet eſſe verbum Dei.

§. 9. Unde porrò ſequitur, exuenda eſſe præjudicia ante omnia ei, qui S. Scripturas interpretari, & mentem Spiritus S. in iis indagare & percipere poſtulaverit ſeſe. Quo pertinet illud Chriſti, Matth. 18:3. *Niſi vos converteritis, & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cælorum.*

 Innuit

Innuit ſcil., deponendas eſſe opiniones ante habitas de diſcrimine boni & mali, veræ & falſæ religionis, ſapientiæ, juſtitiæ, &c. ſi quis particeps eſſe voluerit cognitionis myſteriorum regni cœlorum. Conf. Matth. 13: 11. Hinc glorificat Deum, quòd myſteria regni cœlorum *occultaviſſet à ſapientibus, & intelligentibus*, opinione ſapientiæ de rebus religionis jam præoccupatis; *& ea retexiſſet infantibus.* qui facti erant ut pueri ſcil., necdum ullum de diſcrimine boni & mali, veræ & falſæ juſtitiæ &c. judicium formâſſent. Vid. Jon. 4: 11. ubi pueri per periphraſin ſic deſcribuntur. Atque ita denique commendat Petrus 1 Pet. 2: 1. 2. *Depoſitâ omni malitiâ & omni dolo, & hypocriſibus*, ſimulatâ pietate ac juſtitiâ, *& invidiâ, omnibuſque obtrectationibus; ut modò geniti infantes, lac illud ſermonis ſincerum expetant, ut per illud augeſcant.* Vult enim, ut depoſitis omnis generis præjudicatis opinionibus, tum in doctrinâ, tum in moribus, animoque ſolius veritatis, veræque pietatis ac probitatis flagrante ac incenſo ad S. Scripturam, & initia doctrinæ, quæ eſt ſecundùm pietatem, ex eâ percipienda accedant, & per eâ ad corpus ſapientiæ ac prudentiæ proficiant. Neque alia mens eſt Salvatoris, nihil æque præſupponentis in eo, *qui ſit cogniturus de doctrinâ ipſius, ſitne ex Deo,* id eſt an verbo Dei conveniat nec ne, *quàm ut velit voluntatem Dei facere*, id eſt abdicatis propriis opinionibus, & agnito, ſolius Dei eſſe, quomodo velit coli, præſcribere atque indicare, nec à voluntate hominis hunc veri cultus ac religionis modum pendere, animum habeat à ſolo Deo diſcendi cupidum, quique obedire Deo in omnibus, quæ ſciverit ipſum velle, ſit paratus. Quibus convenit, quòd *timor Domini ſit initium ſapientiæ*, Pſalm. 111: 10. & Prov. 9: 10. imò *Theſaurus;* ſive conditorium ac receptaculum *ſapientiæ & ſcientiæ*, Eſai. 33: 6. appelletur. Add. Pſ. 25: 14.

§. 10. Ex his autem, quæ de Auctore S. Literarum demonſtrata ſunt, ad cognoſcendum verum earum ſenſum prima nobis iſta offertur interpretationis regula: Quòd quum Scriptura à Deo data ſit, ea demùm ſit vera ſolidaque ejus intelligentia, quæ Dei perfectiſſimæ naturæ ſit congrua, quæque conſcientiæ ita ſatisfaciat, ut nec in rebus revelatis quicquam poſſit ſtatuere juſtius, ſanctius, benignius, Deoque laudabilius, nec in modo loquendi venuſtius, pulchriuſque & convenientius. Adeò ut omnis interpretatio, quæ non ſatisfacit conſcientiæ eum in modum, ſed infra illud, quod dignum eſt Deo & majeſtate ac ſapientiâ ejus, deſidit, ſuſpecta meritò ſit habenda. Quod in comparatione diverſarum commentationum plurimùm afferat ponderis ad eam, quæ melior, Deoque dignior fuerit, approbandam.

§. 11. Quid autem ſit melius Deoque dignius, ex iis, quæ de Deo ejuſque decen-

decentiâ reliquisque attributis & operibus per naturam nota habemus, quæque conſcientia cuique ſua de his manifeſtat, eſt determinandum. Quod adeò verum eſt, ut etiam abſque hoc lumine ac teſtimonio conſcientiæ eſſet, Spiritus Sanctus per Scripturas non converteret fideles ad Deum. Tunc enim incipit credere homo, quando incipit amare virtutes & gloriam Dei, i. e. juſtitiam, & miſericordiam ejus, & ſalutem, quæ eſt in Chriſto, & reliqua, quæ in Scripturis revelantur. At hæc non amaret, niſi conſcientia dictaret, quod credendum proponitur de Deo, eſſe verum in ipſo & Deo dignum ac glorioſum, & conveniens eis, quæ Deus facit; quodque proponitur credendum de homine, eſſe verum in ipſo. Hinc Apoſtolus provocat ad φανερώσει τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, *manifeſtationem veritatis ad omnem conſcientiam hominum.* 2 Cor. 4: 2.

§. 12. Ex quibus & hoc infertur, eò longius ab erroris periculo abfuturum interpretem Divini ſermonis, quò majores in eo, quod de Deo ejuſque operibus per naturam notum eſt, fecerit progreſſus, neque admittendam eſſe ullam expoſitionem, quæ his naturâ notis ullâ ratione adverſetur. E contrario ubi neque horum eſt quicquam, quod repugnet, nec reliquæ interpretandi leges reclamant, non patitur conſideratio infinitæ Dei ſapientiæ, potentiæ & bonitatis, uti aliquid ſenſui verborum ejus detrahamus, & ne verba ejus ſignificent id omne, quod poſſunt ſignificare, i. e. quod valore atque uſu eorum continetur. Vid. inf. Art. XLVIII.

§. 13. Et hæc quidem ubique in Scripturâ Sacrâ, quatenùs eſt à Deo, ſed ibi tamen potiſſimùm, ubi Deus tanquam à ſe loquitur, poſſunt locum habere. Quum verò Spiritus S. non ſemper tanquam à ſe loquatur in Scripturâ, ſed & hominum quandoque piorum, vel etiam impiorum, cogitationes & affectus, verbis ipſorum exponat, non tam in his, quid Deo, quàm quid ejusmodi hominibus, ſecundùm varios ipſorum affectus loqui conveniat, conſiderandum eſt. De impiis nominatim id obſervatur, Spiritum Sanctum, quando in Scripturis ipſorum conſilia tanquam ipſorum verbis proponit, uti ſæpe μυκτηρισμῷ ac irriſione, dum non tam quod dicunt & jactant, quàm quod ſentiunt, aut convenienter ipſorum hypotheſibus ac conſiliis, atque ita ex vero dicere deberent, quodque ex re ipſâ vel eventu apparet, quaſi id apertè dicerent, ipſos loquentes producit. Vid. exempla. Pſal. 12. verſ. 5. Pſal. 49. verſ. 11. Pſal. 78. verſ. 17. & ſeqq. ubi inſignis eſt μυκτηρισμὸς de Iſraëlitis Deum in deſerto: *Et addiderunt ultrà peccare ipſi, ut exacerbarent Altiſſimum in deſerto: Et tentarunt Omnipotentem in corde ſuo, petendo cibum pro concupiſcentiâ ſuâ. Et locuti ſunt contra Deum: Dixerunt: Poteritne Deus adornare menſam in deſerto? Ecce percuſſit rupem, & fluxerunt aquæ, & torrentes exundabant. Nunquid etiam panem poterit dare? An præparabit* carnem

carnem populo ſuo? Quæ verba Iſraëlitis attribuuntur: non quòd ea expreſſè ac diſertè adverſus Deum fuerint prolocuti; ſed quòd oblivioſos homines & inconſideratos, ſi cogitare voluiſſent de Dei operibus, & nihilominùs in ſuâ cupiditate perſeverare, ſic loqui oportebat. Simile eſt in parabolâ illâ, in quâ Chriſtus Phariſæis ceu agri Dominici colonis, quàm indignis modis ipſe, quanquam nominatus ipſis unigenitus Dei filius, ab ipſis fuerit excipiendus, exprobrat ac prædicit. Namque in hunc modum loquentes ipſos introducit, Matth. 21: 38. *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt in ſe ipſis, Hic eſt hæres. Agite, occidamus illum, & retineamus hæreditatem ipſius.* Non quòd unquam Chriſtus à Phariſæis pro Domino ac hærede fuerit agnitus. *Si enim ipſum agnoviſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent*, 1 Cor. 2: 8. ſed quòd ita ipſos loqui oporteret, ſi ex rei veritate locuti fuiſſent. Eſt enim Scripturæ, uſitatum, verba impiorum ſic flectere in eum modum, qui rei ipſi convenit; ut ita pateſcat iis, conſilii humani abſurditas. Add. Matth. 25: 8. & 24.

§. 14. Secundùm Auctorem prophetici ſermonis, ſpectandi ſunt ii, ad quos ſermo habetur. In his, univerſam Scripturam quod attinet, duo potiſſimùm ſunt attendenda, quorum unum ad ingenium ſive captum illorum, quibus data eſt Scriptura, alterum ad ſtatum ſive conditionem ſpectat. Primò enim quia de rebus obviis & in ſenſus incurrentibus, ut cœlo, terrâ, aëre, aquâ, arboribus, plantis, animalibus, homine, animâ, Deo, &c. earumque rerum variis affectionibus, effectis atque attributis, ſæpe loquitur Scriptura, cùm vix aliter de his loquatur, quàm vulgo de iiſdem ſolet aut faceret unuſquisque; putandum eſt, in his Spiritum Sanctum captui communi accommodaſſe, & id ſignificare voluiſſe, quod vulgo de his ſentit & cogitat unusquisque, in quantum nimirum id convenienter rerum illarum naturis fieri poteſt. Neque enim vult Deus Auctor omnium rerum in eum ſenſum verba ſua accipi, qui naturæ rerum repugnet. Sic monent Theologi, ea quæ de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicuntur, θεοπρεπῶς eſſe intelligenda. Vid. ad Pſal. 44. 10. Et idem, quod de Deo, de rebus aliis judicium eſto.

§. 15. Huc pertinent hi loquendi modi, quibus Scriptura ſolet, tùm per ea, quæ evidentia ſunt, quæ latent, indigitare. Ut quum per *halitum* indigitat vitam, & vitæ cauſam, vid. Pſ. 104: 29. tùm interiora animi vel ſignis externis, vel ſimulachris, externæ conditionis, exprimere. Ut Pſ. 6: 4. & 9. aliisque locis, videre eſt.

§. 16. Hæcque conſideratio tam latè patet, ut non modò ad res vulgo notas, & ſenſui obvias, ſed etiam ad ſpirituales & à ſenſuum uſu & commercio remotas ſe extendat. Quemadmodum enim de rebus vulgo notis non aliter loquitur Scriptura, quàm fert ratio ingenii humani, & captus illorum,

ad

ad quos ſermo habetur, ita res ſpirituales & maxima quæque myſteria iſtis rerum quarumlibet obviarum & in ſenſus incurrentium ſimulachris, & modis loquendi de his vulgaribus, ſolet proponere & explicare. Quæ quamvis ſint αἰνιγματώδη & δυσνόητα iis, qui clavis cognitionis uſum non habent, hâc tamen adhibitâ, dum rem propoſitam variis rerum jam ante notarum imaginibus illuſtrant, dici non poteſt, quantopere delectent, & quantum afferant ad rem eo melius intelligendam adjumenti. Et in his omnibus perſpicuum eſt eo ampliorem, certiorem & faciliorem fore interpretationem, quo quis in hâc notitiâ communi, ſive propriâ experientiâ uſuque rerum, ſive conſuetudine & lectione auctorum, qui de ejuſmodi rebus ſcripſerunt, majores fecerit progreſſus.

§. 17. Nec tantùm ſic ratione habitâ captus & ingenii, ſed & conditionis ac ſtatus illorum, ad quos loquitur Scriptura, ſenſus illius eſt ſæpenumero determinandus. Hîc verò in univerſum occurrit, quòd Scriptura hominem ad ſalutem informans non aliter eum conſideret, quàm ut peccatorem. Ut hujus reſpectu veniant illa omnia intelligenda, quæ Spiritus Sanctus tanquam ad ſalutem neceſſaria revelat & præcipit nobis. Sic præceptum amoris Dei eſt præceptum fidei in ipſum; quia poſt peccatum nemo niſi fide Deum amare poteſt. Et quum quis dicitur ex toto corde amare Deum, excluditur claudicatio & hypocriſis. Item ubi de juſtitiâ nobis datâ ſermo eſt, intelligitur peccati purgatio in ſanguine Chriſti, & ſublatio reatus & accuſationis legis, ac conſequenter ſervitutis legis cerimonialis. Juſtitia enim reatui & accuſationi opponitur, ubi de peccatore ſermo eſt.

§. 18. Poſt circumſtantias perſonarum conſiderandus & ſcopus loquentis, & materia, de quâ loquitur. Scopus ſive intentio Spiritus Sancti communis ſive univerſalis, quem in totâ Scripturâ ſequitur, eſt, ut teſtimonium det D. Jeſu, proprius ſive particularis cujuſque pericopæ ex toto contextu & conformitate ſive harmoniâ omnium ejus partium elucet. Ubique autem obſervandum, ne verba præter ſcopum dicentis accipiamus.

§. 19. Nec minùs res, de quâ agitur, inſpicienda, quum verba, ut habet vulgatus Canon Hermeneuticus, ſint intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam. Exempli gratiâ, eſt ubi Scriptura de hominibus loquitur, eſt ubi de majore homine Chriſto, eſt ubi diverſo reſpectu de utriſque. Et fieri poteſt, ut eadem oratio conveniat homini דֶּרֶךְ הַפְלָגָה / ut loquuntur Rabbini i. e. καθ' ὑπερβολὴν, Chriſto autem דֶּרֶךְ אֵינוֹ הַפְלָגָה / ſine exceſſu & hyperbole. Ut Pſalmo 72, qui totus Chriſto attribui poteſt, ut τῇ εἰκόνι τῶν πραγμάτων, *imagini rerum*, ſecundùm Prophetias, poteſt etiam Solomoni, ſed vix ut tenui umbræ. In his ſicut cavendum eſt, ne illa, quæ & quatenùs de hominibus dicuntur, amplificemus nimiùm; ita ex alterâ parte æquè di-

ligenter cavendum eſt, ne ea, quæ de Chriſto & regno ejus dicuntur, in quo eſt gloria Dei, aliquo modo extenuemus.

§. 20. Etiam attendendum, quo animo & affectu auctor Scripturæ Spiritus, tùm ubique, tùm præcipuè in his illisve locis loquatur; utrum ex profeſſo & inſtituto, an per occaſionem & ex incidenti; ſub alienâ perſonâ, an ſuâ; ſerione & ex animi ſententiâ, nec ne; an per modum aſſertionis vel objectionis, an reſponſionis ad objectionem; utrum agat de rebus, ut reverâ ſunt in ſe ſpectatæ, an ſecundùm opinionem captumque hominum. Sic occurrunt in S. literis nonnulla, quæ non poſſunt intelligi, niſi ſupponantur tanquam ab impiis, vel ſaltem ab aliis, quàm à Spiritu S. vel à prophetis dicta eſſe, qualia ſunt Eccl. cap. 2. hæc verba: *Nonne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis, & hoc de manu Dei eſt. Quis ita devorabit, & divitiis affluet ut ego?* & in capite ſequenti: *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & aqua utriſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento ampliùs &c.* Non eſt credendum, ibi Spiritum Sanctum nos docere, ventri eſſe indulgendum, & affluendum deliciis, animaſque noſtras non magis eſſe immortales, quàm jumentorum. Item conſtat, eo conſilio datam eſſe Scripturam, ut nos erudiat ad ſalutem in Chriſto. De his ergo omnibus, quæ ad eum finem pertinent, putandum eſt, Spiritum Sanctum egiſſe ſeriò & ex profeſſo; de aliis non mirandum, ſi aliquando videatur egiſſe magis ex incidenti, & ſecundùm communem de his cogitandi & loquendi conſuetudinem potiùs, quam ex rerum ipſarum in ſe ſpectatarum conditione & naturâ.

§. 21. Porrò conſiderandum eſt, quâ linguâ Spiritus S. in Scripturis loquens utatur, & quum Scripturæ partim Hebraicè, partim Græcè ſint ab origine exaratæ, id firmiter ſtatuendum, eò faciliorem ad ſenſum earum fieri aditum, quò accuratiorem harum linguarum habueris cognitionem.

§. 22. Stylus quoque & forma elocutionis eſt probè obſervanda. Hanc agnoſces attendendo, ex quâ gente Scriptores ſacri ſint orti, quo ſœculo quâve ætate vixerint, quo vitæ genere aſſuefacti, ad quos, quo conſilio, ſcripſerint, an & quos præceptores antea habuerint, quos imitentur, & ſim.

23. Poſtremò in circumſtantiarum textus ſacri conſideratione attendere oportet, ubi & quando auctores loquantur, nam loci etiam ac temporis circumſtantiæ ad verum ſenſum inveſtigandum haud rarò adjuvant, præſertim ubi de rebus ad Geographiam aut Chronologiam pertinentibus ſermo habetur.

habetur. Huc facit illud Theologorum ex Auguſtino decantatum: *Diſtingue tempora & concordabit Scriptura.* Ita propter diverſitatem temporis non pugnant illa Chriſti, Matth. 10: 5. in viam gentium ne abieritis, & Matth. ult. euntes docete omnes gentes. Et quantum ad diſtinctionem temporum, & verum ſenſum prophetiarum explicandum interſit noſſe ætatem prophetarum, & conditionem temporum illorum, quibus prophetarunt, ex infra dicendis apparebit.

§. 24. Notatis iis, quæ ad externas circumſtantias ſermonis ſacri pertinent, ad ipſum ſermonem in ſe ſpectatum convertamur, ac doceamus 1. quid circa voces ſingulas. 2. quid circa conjunctas & integras ſententias notatu dignum occurrat, quo ſenſus earum illuſtretur. Vocum ſingularum ſenſus fit manifeſtus, 1. Conſulendo artes Philologicas, Grammaticam, Rhetoricam, & Lexica inprimis, quorum eſt ſignificationes & uſus vocum, partim ex etymologiâ, partim ex locis parallelis, aut ſubſidio linguarum affinium, &c. enucleare. Grammatica quot modis ad propoſitum finem adjuvet, vel pueris notum. Sic ſola ſæpe ſcriptio & orthographia nodum ſolvit, interdum quantitatis & accentus conſideratio dubitationem tollit, non rarò denique genus, caſus, inflexio, cæteræque vocum affectiones ſignificationem patefaciunt.

Rhetorica, ut notum, docet tropicam vocis acceptionem à propriâ diſcern ere. Ubi obſervanda hæc regula Hermeneutica: In ſenſu ſcrutando inprimis attendenda eſt verborum proprietas. Et: Quum ſenſus orationis proprius naturâ ſit prior tropico, tamdiu in illo eſt perſiſtendum, donec ad hunc amplectendum adigat neceſſitas. Et ſic S. Auguſtinus: Semper verborum proprietas eſt retinenda, niſi quædam bona ratio tropum ſuadeat. Ratio verò ſeu neceſſitas tropum ſtatuendi eſt 1. quando aliter non poteſt bonus & ſapiens auctor à contradictione liberari. 2. quando proprium ſignificatum reſpuit ipſa rei, de quâ agitur, natura. 3. quando hiſtoria vel eventus docet, verba tropicè eſſe vel fuiſſe intelligenda, quemadmodum in variis prophetiis uſu venit.

§. 25. De cœtero hîc notandum: 1. In S. Literis nomina permutari ob æquivalentiam, & analogum ſæpenumero pro analogo poni. Ita Pſal. 68: verſ. 15. 16. in emblemate duorum montium *Tſalmonis* & *Baſanis* poteſt ſubintelligi diviſio Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, quarum unaquæque analogo ſuo appelletur. Ita *Man* Pſalm. 78: 24. vocatur *frumentum* ab æquivalentiâ. Vid. Num. 11: 8. Cui ſimile eſt illud, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, hoc ſymbolum & ſacramentum vobis credentibus tantundem eſt ad certitudinem communionis mei & omnium bonorum meorum, atque ſi carnem meam ore veſtro manducaſſetis & in ſubſtantiam veſtram converiſſetis.

tiſſetis. Hoc enim ſignum ἀναμνηστικῶς pro corpore meo ſubſtituo ad certiores vos faciendos de eâ communione.

§. 26. 2. Obſervandum, cùm in aliis, tum in phraſibus amoris, odii, iræ, &c. loqui Scripturam humanitùs, quando notat effecta, h. e. beneficia & ſupplicia, boni amplificationem & imminutionem, & conſilium Dei, ſecundùm quod illa effecta hominibus evenerint. Vid. Pſalm. cap. 44: verſ. 10.

§. 27. 3. Solet Scriptura per ea, quæ evidentia ſunt, ea, quæ latent, exprimere. Vid. ſup. Art. xv.

§. 28. 4. Uſitatum eſt Scripturæ hieroglyphicè homines nominibus animalium appellare. Sic Iſaſchar *aſinus oſſeus*. *Taurus* pro principe. Deut. 33. *Onager* pro paupere ſolivago. Job. 24: 5. *Leo de tribu Juda* pro Chriſto. *Aquila* pro Nebucadnezare. *Vulpecula* pro Herode. *Canis* pro gentili homine. Pſalm. 22. Rurſus *Leo* pro Diabolo. Ibid. verſ. 22. & rurſus aliâ ſignificatione, Eſai. 21: 8. pro ſpeculatore à prophetâ conſtituto, propter fidei robur & conſtantiam.

§. 29. 5. Notandum, ſolere Scripturam ea, quæ ſunt Novi Teſtamenti, explicare vocabulis Vet. Teſtam. ſive figurarum. Ipſa enim analogia & ſubſtitutio ſigni pro re facit, ut nomina invicem permutentur. Ita legimus Zach. 14: 16. venturos populos quotquot feſtis tabernaculorum ad adorandum Dominum. Non quòd ſub Chriſto Sabbati & feſti obſervatio ſit, quæ eſt cum lege abrogata, Col. 2: 16. (neque enim poſſibile eſt ſingulis Sabbatis & feſtis menſibus ex omnibus gentibus Hieroſolymam venire) ſed ut locus cultus ſub regno Chriſti ubique eſt, Mal. 1: 11. Zach. 14: 20. 21. Eſai. 66: 1. & perſonæ, h. e. ſacerdotes & Levitæ, non tantùm ex ſtirpe Aharonis, Eſai. 66: 21. & cultus ipſe non carnalis, Eſai. 66: 3. ſed merè ſpiritualis: ita quoque tempus legale obſervationis Chriſtianæ non eſt. Accedit, quòd verum Sabbatum Eſai. 58: 13. ſatis manifeſtè non certus dies, ſed tempus omne gratiæ & libertatis, ſanctificationiſque deſcribitur. De quo etiam loquitur Epiſtola ad Hebræos, cap. 4: 9. quemadmodum etiam idem Apoſtolus 1 Cor. 5: 7. 8. quod verum Paſcha, quod verum & perpetuum feſtum noſtrum ſit, docet. Sic Pſalm. 81: 4. *novilunii feſtum* ponitur ceu typus & umbra illius temporis, quo nova & inſolita lux ſedentibus in caligine & umbrâ mortis exorta eſt. Atque ita Eſaias cap. 66: 23. de tempore ultimo, quod eſt regni Chriſti ſic vaticinatur: *venturam omnem carnem cum primo novilunio in novilunio, & cum primo Sabbato in Sabbato, ut adoret coram Deo.*

6. Deum non tantùm veteri populo ea, quæ fierent ſecundùm legem, putà cerimonias, ſed & reliqua, quæ fuerunt in veteri œconomiâ, imò & re-

& reliqua mundana, quæ extrinſecùs ſenſibus adveniebant, quouſque viſus penetrat, aſſumſiſſe, ut ſub iis ſpiritualia, & cœleſtia occultaret: Ut cùm Pſalm. 4:8. frumentum & muſtum, quæ inter præcipuas benedictiones Vet. Teſtam. erant, dicuntur de ſpirituali cibo & potu Novi Teſtam., doctrinâ ſcil. fidei & conſolatione Euangelicâ; cùm per terram, mare, arbores, montes, animalia, ſignificatur Eccleſia, populi extra Eccleſiam, poteſtates, regna, homines vivificati à Spiritu Dei, &c. idque ut haberent, in quo ſe exercerent ſapientes, offenderent autem improbi: Quem ſtylum etiam imitati ſunt Prophetæ ſub N. T. quia etiam hîc apparere debebant improbi, &c.

7. Imò & quæ acta ſunt ſub Vet. Teſtam. nominatim Gen. 7. & 8. ex 1 Pet. 3:21. Gen. 14. ex Heb. 7. & Pſalm. 110. Gen. 16. ex Eſai. 54. & Gal. 4. Jon. 1. & 2. ex Matth. 12:39. &c.. docemur fuiſſe ſigna & typos rerum futurarum, & ἀλληγορούμενα, id eſt ita dicta, ut de aliis ſimilibus rebus etiam dici poſſint. Vid. inf. Part. II. Art. LXX.

§. 30. 8. Item ſolere Spiritum Sanct. res futuras ac Nov. Teſtam. nominibus rerum, id eſt perſonarum, populorum, locorum, urbium, regnorum &c. præſentis temporis ac Vet. Teſtam. repræſentare. Nomina, *Ægypti* & *Babel* & *Juda* & *Iſraël* non ſinunt nos de eo dubitare. Sic in Apocalypſi *Iſabel* vocatur magna meretrix, cap. 2. Ipſa Iſabel Jehum vocat *Zimri*, quod ipſa judicaret eum ſimilia facere.

§. 31. 9. Scriptura alluſionibus & αἰνίξεσι ſæpe utitur. Sic רַהַב pro Ægypto, & alia. Sic Pſalm. 52:6. per בָּלַע poteſt eſſe alluſio ad בִּלְעָם / quæ ſi ſit, erit elegantiſſima παρονομασία. Ita in Apocalypſi qui habent doctrinam Bileam, νικολαΐται vocantur. Similis poteſt eſſe alluſio. Nam בִּלְעָם eſt בָּלַע עָם, & ὁ νικῶν τὸν λαόν. Scimus, in his omnibus, eis, qui allegoriis delectantur, materiam ludendi paratam eſſe. Sed, ſi rationem audire volumus, metaphoris ac ſimilitudinibus Scripturæ enucleandis quivis erit contentus, & novis fingendis, dum Scripturas explicat, abſtinebit.

§. 32. Regula enim ἑρμηνευτικὴ talium hieroglyphicorum certiſſima hæc eſt: Signa & emblemata Scripturæ ſignificant per omnem analogiam, quam habent cum rebus ſacris, quas Scriptura & hiſtoria ſecundùm Scripturam exhibet. Ideoque in applicatione horum emblematum non eſt cogitandum de aliis rebus, quàm de quibus agit Scriptura: & eæ res ſub iis debent intelligi, quæ in omnibus ſuis partibus habent analogiam cum partibus omnibus emblematis: analogia autem iſta cum rebus ipſis perſpicua eſt, tum etiam metaphoris & parabolis Scripturarum noſcitur. Judæi in applicatione horum emblematum non procedunt ultra Divinam providentiam, quâ omnia gubernantur in cœlo & in terrâ. Ex. gr. Eſai. 6. Sed 1. illi non ſatisfaciunt

 typis,

typis, quia emblemata & figuræ Vet. Teſtam. non erant typi cœli & terræ ſimpliciter, ſed ſtatus Eccleſiæ in cœlo & in terrâ. 2. Emblemata Scripturæ ſignificant id, quod ipſis in eâdem analogum eſt, uti diximus.

§. 33. Non poſſunt ergo ænigmata Scripturarum & parabolæ adduci tanquam argumenta ad probandum id omne, quod homo excogitat: Attamen tum in ſe ſenſum habent aliquem manifeſtum, nempe indefinitiorem & generaliorem; determinatiorem autem interpretationem habent ex analogiâ aliorum oraculorum. Certam verò & indubitatam lucem ex implemento. Vid. exemplum Eſ. 18: 5. 6. & conf. Part. II. Art. CXLVIII.

§. 34. Huic regulæ ſimilis eſt illa: Qui id loquitur, quod & propriè & metaphoricè intelligi poteſt, Lectorem vel auditorem facit judicem de ſuo ſenſu, utrum & propriè & metaphoricè, an vel propriè vel metaphoricè intellexerit, quod judicium in prophetiâ tutò ex reipſâ capitur. Si enim in hiſtoriâ, de quâ loquitur prophetia, reperiatur res geſta verbis prophetiæ in ſenſu metaphorico reſpondere, eam ſignificatam eſſe auditor dubitare non poteſt. Ita qui vellet celebrare opus Dei, quo imperium Romanum dedit Chriſtianis & barbaris, ſi uteretur phraſi Pſalm. cap. 74: verſ. 14. tum Deum *dediſſe balænam in cibum populo, eremicolis*, facilè ab omnibus intelligeretur.

§. 35. De figuris autem Scripturæ uſitatis cogitandum eſt 1. ut fontibus metaphorarum. 2. In contradiſtinctione veritatis. Vid. Pſalm. 45: verſ. 1.

§. 36. 10. Notandum, interdum veritatem typo miſceri, ut in illis, *Sacrifica confeſſionem, TU me expiabis hyſſopo*, &c. Pſal. 51. Sic quia Sal, qui in ſacrificiis adhibebatur, reſpondet ignis, ideo dicit Chriſtus. Marc. cap. 9: 49. *Igne ſalietur.* miſcens rem & figuram quanquam ipſa res nomine metaphorico *ignis* indigitetur. Et vice verſâ Prophetia ſæpe utitur vocabulis ſumptis à terreſtri & Levitico cultu ad ſignificandam λογικὴν λατρείαν gentium; ut Mal. 1: 11. Eſai. 66: 20. 21. His admonemur, Patres V. Teſtam. & bene intellexiſſe mentem Divinarum cerimoniarum, & per illas ad Chriſtum, tanquam unicum fidei ſcopum, deductos eſſe. Neque verò nimis argutum eſt, quando S. Patres nominibus figurarum utuntur, intelligere figuratum. Si tales metaphoræ coactæ ſunt, inſtitutio illa Dei coacta fuit. Add. P. II. Art. LXXXI. f.

§. 37. 11. Notandum, etiamſi ſic Scriptura vocibus legis cerimonialis utatur ad ſignificandum ea, quæ ſunt Novi Teſtam., tamen tum per ea, quæ apponuntur, tum per certa principia, ſatis conſtare, ea non in ſimilitudine terreſtris cultus fore verificanda. Tale principium eſt; Quemadmodum in V. Teſtam. erant umbræ, ita in N. Teſt. eſſe veritatem. Vid. Joh. 1: 17. & conf.

& Conf. Eſ. 16: 5. Zach. 8: 3. 19. Unde nobis naſcitur iſta regula certiſſima ἑρμηνευτικὴ. Nempe, Quæ de regno Chriſti dicuntur in veritate ſunt intelligenda; non de umbrâ, etiamſi phraſes & vocabula ſint aſſumta ab umbris & figuris præmonſtrantibus. Ex gr. Pſal. 51: 9. 21. Coll. Hoſ. 14: 3. Heb. 13: 10. 15. Item hoc; In pleriſque promiſſionibus N. T. eſt vox חֶסֶד χάρις. *Gratia* enim & *Lex* oppoſita ſunt. Joh. 1: 17.

§. 38. 12. Denique notandum, Scripturam etiam hyperbolis uti. Hebræi לְשׁוֹן הֲבַאי & ſpinoſum dicendi genus vocant. Dicunt, & aliter דֶּרֶךְ גּוּזְמָא וְהַפְלָגָה / quaſi dicas, orationem πελάγιον φέρεσθαι, *in altum provehi.* Exemplum vid. Pſal. 6: 7. 8. De his ita Quintilianus: *Mentitur hyperbole, nec ita, ut mendacio velit fallere.* Et: *Tum eſt hyperbole virtus, quum res ipſa naturalem modum excedit.*

§. 39. Si vocis etymologia ſit obſcurior licet referre ad eas, quæ ſono & literis ſunt proximæ. Ut Eſ. 44: 8. תִּרְהוּ poteſt eſſe pro תִּרְאוּ aut pro תִּירְאוּ / ſi alia radix eſt, ex contexto explicanda eſt.

§. 40. Deinde ſenſus vocum ſingularum innoteſcit, eas referendo ad omne id, cujus intuitu ullâ ratione ſignificatio illarum manifeſtari poteſt. Ubi primò & maximè attendenda eſt relatio inter ſubjectum & prædicatum, cùm juxta vulgarem regulam hermeneuticam tale ſit ſubjectum, quale permittitur eſſe à prædicato, & vice verſâ: Tum etiam connexio obſervanda cum antecedentibus & conſequentibus in eodem ſermone verbis, maximè cum proximis, ſubſtantivorum putà cum adjectivis, verborum cum adverbiis, &c. quæ etiam ſe mutuò declarandi vim habent. Ubi notandæ ſunt hæ regulæ:

§. 41. 1. Convenit, ut in diſtinctè dictis diſtinctus ſit ſenſus. Vel ſic: Semper expoſitio, quæ in diſtinctis vocibus diſtinctum quid intelligit, ſi id per analogiam fidei, & argumenti, ſive rei ſubjectæ, fieri poſſit, eſt præferenda, ſic Pſal. 43: 3. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam.* Poſſunt *lux* & *veritas* pro eodem capi, ut *vau* ſit ἐξηγητικόν. Nam veritas eſt lux. Sic erit, *lucem tuam, hoc eſt veritatem tuam.* Quale Zach. 9: 9. Melius tamen, ut quodque horum diſtinctè capiatur. Conf. inf. Part. 2. Art. 112. & 113.

§. 42. 2. Nomen generale accipit ſignificationem ſpecialiorem, quando nomina ſpecialiùs ſignificantia, quæ ſub eodem genere ſunt, apponuntur. Vel ſic: Quæ generaliùs dicuntur, ſi dicantur in comparatione ad ſpecialia, ſpecialem ſenſum habent, eum nempe, qui à ſenſu ſpeciali expreſſo diſtinguitur. Alioqui enim oritur confuſio & ταυτολογία. Exempli gratia, Deut. 7: 1. ſeptem populi, quos Deus voluit exſcindi à populo Iſraëlitico, ita nominantur; Chittæi, Girgaſæi, Emorræi, Cananæi, Perizzæi, Chivvæi, & Jebuſæi. Etiam ſolent hi omnes populi Cananæi dici. Unde intelligitur, hoc

hoc loco Cananæos intelligi diſtinctos à cæteris, illos nempe, qui erant maritimi, & in ripâ Jordanis. Vid. Num. 13:29. & Joſ. 5:1. Sic Pſal. 1:1. vox *improbus* complectitur omnes gradus. Sed hîc dum componitur cum *peccatoribus* & *irriſoribus*, in generalitate levior gradus eſt ſubaudiendus: nominatim ii, qui cùm ſint improbi, tamen conſilium capiunt de beatitudine. Sic Eſ. 14. verſ. 21. *filii* regis Babylonii poſſunt intelligi omnes, qui eum nominant patrem. Sed cur hîc filios tam latè non accipiamus, tres ſunt cauſæ, 1: quia indefinitè loquitur. Indefinita locutio poteſt exemplis quibuſdam nobilibus compleri & verificari. 2. quia videtur à *populo filios* diſtinguere. 3. quia de ſpeciali mactatione hîc agi videtur. Poſſunt itaque *filii* in iſtâ emphaſi accipi, ut ſignificent eos, qui non tantùm communiter Patrem appellant regem Babylonis, ſed etiam cum ipſo dominantur. Item Eſ. 19. quandoquidem verſu 22. agitur de percuſſione Ægypti, verſum 21. de plagis Ægypti, quibus ſe notificet Deus, & coërcitione perſequentium non interpretamur. Et talia exempla ſunt paſſim obvia; etiam in N. T. Vid. Matth. 24:23. coll. 26:

§. 43. Porro etiam prodeſt inter ſe conferre loca parallela, id eſt alia ejuſdem auctoris ſcripta illi ſcripto, quod manibus tractamus, reſpondentia. Sic ex collatione Jobi. 22:3. & Pſal. 5:5. cognoſcitur, quid voce רֶשַׁע *improbitas* veniat in Scripturis, nempe per μυκτηρισμὸν hâc voce ſignificari propriam *juſtitiam*, ſi pro merito habeatur, aut Deo imputetur; ſive quicquid homo poteſt facere ex ſe ipſo, ut Deo placeat. Idem quoque ex ipſâ verborum. Pſal. 5:5. connexione patet. Nam de eo, quod manifeſtam malitiam & turpitudinem habet, id an Deo placeat, ne dubitari quidem poteſt, neque ullus eò gloriabitur, ac ſi Deo placeat. Item quid ſit *mendacium* & *mendax ille*, quæ Scriptura paſſim traducit, videri poteſt 1 Johan. 2:22. quid פֶּשַׁע / Hoſ. 8:1. quid *juſtitia* & *judicium*, Eſ. 5:16. Johaan. 16:10. 11. Sic in pleriſque promiſſionibus Evangelii eſt vox חֶסֶד χάρις. Eam vocem non reſtrictè eſſe accipiendam pro Amore certi hominis, aut certi populi, ad bonum terrenum, circumſcriptum, & caducum, ſed abſolutè pro Amore illo Dei efficaci, ſive propoſito ſalvandi per Chriſtum, & ejus exſecutione, patet tum ex Joh. 1:14. ubi *Gratia* & *Lex* opponuntur, tum Eſ. 55:3. ubi *gratiæ Davidis fideles* appellantur, & ad omnem eſurientem, ad omnem gentem, ad ſalutem animæ, ad ſatietatem bonorum cœleſtium, ad gratuitam juſtificationem in Chriſto, planiſſimè extenduntur. Sic Pſal. 9:3. quem Pſalmum etiam R. David cum aliis ad tempora Chriſti refert, *fluvios* rectè per מַלְכוּת *regna* explicat R. D., aitque eſſe מָשָׁל *parabolam*, ad deſignandum Gogum & Magogum & Reges, qui cum illo. Hæc metaphora indicatur. Eſ. 8:17. Unde & hoc patet, quid in Apocalypſi ſit *Euphrates*, cap.

9:14. &

9: 14. & 16: 12. nim. regnum & potentia ſpiritualis Babyloniæ. Sic vim phraſeos, *ſibi benedicere in quoquam* explicat Eſaias cap. 65: 16. de gloriatione in aliquo ceu benedictionis auctore. Et Moſes Deut. 29: 19. ubi explicatur, *dicere*, *pax mihi erit*. Sic Pſal. 63: 11. *Vulpes*, aliæque beſtiæ, metaphoricè, ut in emblemate, capi poſſunt quod diſcimus ex Luc. 13: 23. *Dicite huic vulpi.* & Apoc. 18: 2. *avis impura.* & Eſ. 65: 4. *Edentes carnem porci.* & Pſal. 22. *Canes*, *Tauri*, *Monocerotes*, *Leo.* Sic Pſal. 66: 15. licet nobis τὸ *Arietes* in figurâ intelligere pro iis fidelium, qui generoſiores reliquis exemplo præeunt. Cujus metaphoræ fundamentum vide Jer. 50: 8.

§. 44. Et ſic quidem ſenſus vocum indagatur, ipſi ſermoni ſacro inhærendo. Utile etiam eſt interdum extra eum abire, & conferre voces cum omni bonorum auctorum eaſdem voces uſurpantium uſu, & vulgari loquendi conſuetudine; etiam cum linguis & dialectis affinibus: quod inprimis uſum habet in ἅπαξ λεγομένοις, & in vocabulis dialecti inſolentioris; nam & his aliquando auctores ſacros uti ac dictionem exornare videmus. In quibus nonnunquam prodeſt alias dialectos orientales in ſubſidium vocare. Exempla ſunto, in voce חֵלְכָה / quam interpretes *pauperem* vertunt, Pſal. 10: 8. In אֶשְׁכָּר / *Donum*, quod Arabicum eſt à שׁכר *gratias egit*, Pſal. 72: 10. in voce רֵעַ / quæ Pſalm. 139: 17. ut & Jobi 36: 33. ſignificat *cogitationem*. Sicut Chaldæis רְעָא eſt רְצָה / & רַעְיוֹן *cogitatio*, Dan. 2: 29. 30. & רְעוּת *voluntas*, Ezr. 5: 17. &c. Nec tantùm linguæ, ſed etiam artes ac diſciplinæ exoticæ ad verborum interpretationem poſſunt utiliter adhiberi, per collationem nim. vocabulorum Scripturæ cum definitione & uſu, quem habent in illis artibus, quæ agunt de rebus per illa vocabula denotatis. Nam terminos Geographicos, Aſtronomicos, Mechanicos, &c. ſi quos uſurpat Scriptura, ex his ſcientiis, merè Theologicos ex ipſâ Sacra Scripturâ, optimè intelligemus.

§. 45. Poſtremò variæ vocum acceptiones ſunt tenendæ ei, qui verum earum ſenſum ubique vult cognoſcere. Conſiderandum itaque eſt, utrum voces accipiantur materialiter, an formaliter; vox formaliter ſumta utrum ſit categorematica, an ſyncategorematica, an mixta; Collectivè ſumatur, an diſtributivè; in genera ſingulorum, an in ſingula generum; ſitne vox propria, an appellativa; propriè veniat, an abuſivè; ſitne finita, an infinita; ſingularis, an communis; univoca, an analoga, an æquivoca; latè an ſtrictè accipiatur.

§. 46. De voce infinitâ notandum, eam ſæpè æquivalere affirmationi contrarii; & quidem interdum nobilioris. Ut לֹא עֵץ *non-lignum*, eſt Deus, Eſai. 10: 15.

§. 47. De voce analogâ abſolutè poſitâ in oratione hæc eſt regula: *Analo-*

gum abſolutè poſitum accipitur pro principaliori ſignificato. Circa vocum ampliationem & reſtrictionem tenenda hæc cautela: *Ne verba alicujus orationis facilè reſtringas, ſi latiorem eis ſignificationem profunda auctoris ſapientia concedat; nec aliæ interpretandi leges abnuant.* Qui canon præcipuè locum habet in explicandis eloquiis Dei. Hujus enim, utpote ſummè ſapientis, ſumméque boni & potentis, & verba, & opera, auguſta potiùs & ampla, quàm anguſta & limitata ſunt animo cogitanda.

§. 48. Itaque in explicatione alicujus loci ſpectandus eſt uſus & valor verborum, & quicquid ſignificare poſſunt, illud ibi ſignificant, ſi omnes circumſtantiæ textus in illum ſenſum conſpirent, & alibi iſte ſenſus apertè prodatur. Nec enim tunc neceſſe eſt ſenſum verborum imminuere. E contrario vitium interpretationis eſt, ex iis quæ ſignificari poſſunt, leviſſimum ſumere, ad majorem fideique analogum ſenſum excludendum. Vel ſic: Emphaſis verborum Spiritus Sancti retinenda eſt, niſi evidenter conſtet, ea infra emphaſin & poteſtatem ſuam uſurpari, vel eo ipſo in loco, vel ſaltem alibi in ſimili compoſitione. Poteſt etiam aliter hoc modo: Non eſt minus in verbis Scripturæ exaudiendum, quàm illa per uſitatum eorum valorem ingerit animo rectè & prudenter ſecundùm analogiam fidei & intentionem Spiritus S. tùm communem & univerſalem, tùm proprium cujusque pericopæ, omnia examinanti & ponderanti. Vel enim hoc ſtatuendum, vel dicendum, Scripturam ſemper & ubique hyperbolicè loqui. Atqui abſurdum eſt, Scripturam ubique per meras hyperbolas paratragædiare, & inanes verborum formulas projicere; & Deo per Scripturam nos ad fidem informanti planè indecorum. Si enim Deus invitans ad fidem, hyperbolis uteretur, & quidem ubique conformiter, ſic fidem & ſpem noſtram inaniter inflando, deciperet.

§. 49. Nominatim 1. Verba abſolutè poſita accipienda ſunt in ſenſu auguſtiſſimo, quem analogia fidei docet. Ut, Beati, qui *lugent.* nempe propter id, quod luctum in filiis Dei concitare poteſt, putà diminutam gloriam Dei, peccata proximi ejuſque exitium. &c. *Qui habet dabitur ei.* Qui habet, ſcil. quod habendum eſt ab illo, qui verè aliquid habere dici poteſt, nempe Chriſtum & fidem in ipſum, &c. 2. Omnia nomina dignitatis, quæ Chriſto & hominibus ſunt communia, tanquam διαφορώτερα de Chriſto ſunt accipienda, ex Hebr. 1:4. Tale nomen eſt Meſſiæ, vel Uncti, ſ. Chriſti, Matth. 16:16. 3. Epitheton ſ. prædicatum, quod antonomaſticè, ſ. pro nomine alicui tribuitur, emphaticè accipiendam eſt. Per *nomen* enim diſtinguimur ab aliis. Ita Eſ 9:5. אֵל pro nomine ἐν δυνάμει accipiendum eſt. Nihil abſurdius eſt, quàm ſine emphaſi appropriare nomen in vulgari & tenuiori ſignificatu.

§. 50. Nec tamen abſolutè dicimus verba Spiritus S. ſemper ſignificare id omne, quod poſſunt ſignificare, ſed ubi nihil eſt, quod refragetur, & quatenus omnes circumſtantiæ textus, tùm reliquæ interpretandi leges id permittunt. Neque enim vocabula, quantumvis emphatica, ſemper capiuntur in ſuâ plenitudine atque efficaciâ, Sed à ſubjectâ materiâ, ſcopo, antecedentibus & conſequentibus, &c. varias accipiunt determinationes. Sic in Vet. Teſtam. ſunt accipienda, ut ſuadet analogia promiſſionis, in N. Teſt. Euangelii. Sic phraſis, *credere in Deum*, ut notum, hanc habet poteſtatem, ut fiduciam in Deo nixam Teſtamento ſignificet. Neque id tamen obſtat, quò minus etiam ibi adhibeatur, ubi hæc fiducia non ſignificatur. Sic Jon. cap. 3: 5. Cui ſimilis eſt locus, *Crediderunt in verba ejus.* Et *feſtinanter obliti ſunt*, &c. De quibus alibi dicitur, *Non crediderunt Deo, & non confiſi ſunt ſalute ipſius.* Ut phraſis illa Jon. 3. nihil aliud ſignificet, quàm vel ſimpliciter, crediderunt Deo, vel etiam, non deſperarunt de clementiâ Dei, & quovis modo ad eum, ad remiſſionem plagæ confugerunt. Add. ſup. Art. XIX.

§. 51. Porrò de latè & ſtrictè accipiendis hîc tenendum, quæ generaliter dicuntur in Scripturis, ea poſſe latè, ut multis analogicè vel æquivocè, & ſtrictè, ut paucis vel uni conveniunt, explicari; quæ autem expreſſiùs & ſpecialiùs dicuntur, ea minimè eſſe per generalem & latam explicationem, quæ oſtendat ſubjectum, cui dicta quovis modo & tantùm non competunt, extenuanda. In eo genere eſt Pſalmus 45. qui adeò eſt ἐμφαντικός, ut niſi contortè & coactè & cum multiplici extenuatione, ad alium regem, quàm Chriſtum, non poſſit accommodari.

§. 52. Denique notandum eſt, verba nominaque nonnunquam ita accipi, ut aliquid merum ſignificent, ſive cum excluſione contrarii. verbi gratiâ, Eſai. 1: 4. *peccans* eſt, *qui tantùm facit malum.* Sic ἁμαρτάνειν Heb. 10: verſ. 26. 1 Joh. 3: 9. Nam alioqui nemo eſt juſtus in terrâ, qui non peccet. Eccl. 7: 10. 1 Reg. 8: 46. Sic homo ψυχικὸς, in quo nihil eſt, niſi anima regens & movens. Sic *caro* ſimpliciter homo, in quo non eſt Spiritus Dei, ſed tantùm appetitus à membris excitatus.

§. 53. Vocum ſingularum ſignificatione perſpectâ, integer totius orationis ſenſus ſupereſt inveſtigandus. Hîc primò occurrit, ut omnis orationis ab auctore ſapiente & bono prolatæ, ſic *Spiritus Sanct. non niſi unum verum eſſe & ab ipſo intentum orationis ſacræ ſenſum.* Ratio eſt, quia ſapiens & bonus auctor abſtinet à mendacio & ambiguo, quorum alterutrum vel utrumque in oratione eſſet, ſi multiplicem ea ſenſum haberet.

§. 54. Nec tamen interim mirabimur, ad infinitam Dei ſapientiam reſpicientes, Deum ſæpenumero ſub unico ac ſimplici ſenſu literali verborum

rum occultâſſe allegoricum ac ſpiritualem rerum his verbis ſignificatarum.

§. 55. Quinetiam fieri interdum poteſt, ut Spiritus Sanctus plures ſenſus literales comprehenderit eodem circuitu verborum, & affectaverit ambiguitatem. Id factum agnoſcimus, ubi analogia fidei cœteris paribus omnes interpretationes admittit: Et fieri poſſe intelligimus, vel ad faciendum ænigma, vel ad amplificandum intellectum. Hujusmodi eſt ἀμφιβολία in locis 2 Sam. 23: 5. Pſalm. 110: 1. & 2. Eſai. 6: 9. 10. varios & congruos ſenſus lectori ſ. auditori ſuggerens. In his & ſimilibus locis ambiguis interpretatio non debet eſſe *contentioſa*, ſcil. ut ſic concludamus: Scriptura poteſt ſignificare hoc, quod mihi videtur; Ergo non ſignificat, quod tibi videtur. Potiùs conjungenda ſunt diverſa ſignificata, modò ne invicem pugnent. Quâ de re monet alicubi Auguſtinus, cujus hæc eſt regula: *Ambigua in S. Literis, ſi explicari non poſſunt, in utramque partem intelligi poſſunt, ſi fidei regula non obſtet.*

§. 56. Quamvis autem ſic ſit unicus unius orationis ſenſus, variæ tamen ejus differentiæ poſſunt notari, quatenùs aliquid intelligitur vel in actu ſignato vel in exercito, in ſenſu diviſo vel compoſito, identico vel formali, &c. de quibus apud Logicos abundè præcipitur.

§. 57. His igitur miſſis videamus, quomodo ille unicus cujuſque orationis ſenſus in textu ſacro ſit indagandus. Primò diſpiciendum, quomodo Spiritus S. ex verbis propriis & per ſemetipſum explicetur. Id faciemus 1. Si in eodem, qui oculis obverſatur, loco perſiſtendo, attendamus conſtructionem ſyntacticam, orthographiam ſermonis, & veram interpunctionem; ſi varias lectiones dignoſcamus; ac denique ſermonis ordinem & verborum cohærentiam ratione antecedentium & ſequentium probè obſervemus.

§. 58. Circa conſtructionem verborum notanda hæc regula: A ſimplici conſtructione non eſt diſcedendum, niſi ratio cogat. Nam & ellipſes, aliæque enallagæ, nec adhibentur, nec rationabiliter adhiberi poſſunt, ubi non ſenſus ſtatim vel ex evidentibus argumentis concipi poteſt, aut ubi naſcitur periculoſa ambiguitas. Ex. gr. Pſalm. 45: 7. verba illa, כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים / ne Meſſias ex his arguatur eſſe verus Deus, ita conſtruunt Judæi; Saadjah, ſupplendo verbum יָכִין *conſtabiliet.* Sed hoc ſupplementum frivolum eſt. R. Aben Eſra, ſubintelligendo nomen כִּסֵּא, hoc modo, כִּסְאֲךָ כִּסֵּא אֱלֹהִים, *Solium ſuum eſt ſolium Dei.* Sed ita naſcitur ambiguitas, quâ honor Dei incompetens adſcribitur mortali; quâ ambiguitate nihil eſt periculoſius.

§. 59. Hebraicè autem, nomen agentis ſ. ſubjecti, ſæpè omittitur; inprimis quando notum eſt, de quo ſit ſermo; vel quum imperſonaliter non indigitatur certum agens; vel quum certum agens ſub figurâ innuitur. Sæpè etiam

etiam prædicata indicant ſua ſubjecta. Primæ & tertiæ rationis exemplum eſt Pſalm. 7: 3. *Ne prædetur* vel, *laniet tanquam leo animam meam.* Ubi Saul ſub figurâ leonis ſignificatur; quem Æthiopem Benjaminitam jam in titulo, nominaverat. Ibidem rurſus verſ. 13. *Si non reſipiſcet*, tectè Saulem innuit. Sic Hoſ. 8: 1. *Ut aquila eſt ſuper domum Domini.* h. e. Babylonius ſimilis aquilæ domum Domini paſſis alis occupabit, vel imminet ei, ut tanquam lepuſculum auferat ex loco ſuo. Ita alibi ſæpiùs.

§. 60. De Hebraicis accentibus, ſeu notis interpunctionis, hîc obſervandum, quòd non reſpondeant diſtinctionibus Græcorum & Romanorum. Ita 1. Athnach non tantùm inter membra diſtinguit, ut colon, ſed aliquando finit periodum; aliquando, quæ uno membro includuntur, ut ſubjectum & prædicatum, vel deſcriptionem aut affectionem alterutrius, diſterminat. Ita Pſalm. 76: 7. *Ab increpatione tuâ, ô Deus Jacobi*, (hîc Athnach) *ſoporatur & currus & equus.* Vide etiam verſ. 10. Item Pſal. 77: verſ. 11. Inprimis id tùm fit, quando præceſſit Merka cum Jethif ſupra præcedentem ſyllabam poſito, ut Pſalm. 75: verſ. 9. 2. Ut Athnach nonnunquam finit periodum; ita Soph paſuk non ſemper eam finit. Sic Pſalm. 79: verſ. 9. 10. *Ex cælo feciſti audiri judicium.* (Hîc Athnach finiens periodum.) Terra extimuit & conquievit, (Hîc Soph paſuk) *quum ſurgeret ad judicium Deus*, (hîc iterùm Athnach) *ad ſalvandum omnes manſuetos terræ.* 3. In Pſalmis creberrimum eſt, ut ante vocem, quæ Silluk habet, ponatur accentus continuans Merca vel Munach, & cum antepenultimâ Tiphcha, etiamſi illæ voces, quæ præcedunt ultimam, magis ſenſu cohæreant, quàm ultima & penultima. Exemplum vid. Pſ. 9: 3. Hoc appellari poteſt metatheſis accentuum.

§. 61. De variis lectionibus eſt hæc regula, ut meliorem dignoſcamus, ita tamen, ut omnes admittantur tantiſper, dum cum veritate rei conſentiunt, neque contradictionis aut abſurditatis auctorem arguunt. Sic contingit etiam, diſtinctas lectiones nobis offerri à Judæis, per quorum & manum & ἀνάγνωσιν Deus voluit nobis tradi verbum ſuum. In his non putandum eſt, nos coarctari in eas anguſtias, ut non poſſimus eligere lectionem convenientem. Si quis tamen putet, utramque lectionem habere utilem ſententiam & commodam expoſitionem, nos quidem minimè intercedemus, quo minus utrâque liceat uti.

§. 62. 2. Senſum orationis Spiritus Sanct. ab ipſo Spir. S. cognoſcemus, ſi loca Scripturæ una cum aliis conferendo videamus, quomodo locus ſpecialior generaliorem, prolixior breviorem, ſimilis ſimilem, imò contrarius quandoque contrarium, atque in univerſum clarus obſcuriorem interpretetur. Sic multa in Vet. Teſtam. latent, ubi tantùm leviter adumbrata, quæ

in Novo patent, luculentiùs atque uberiùs expoſita. Unde Vetus Teſtamentum cum Novo conferre ſolemus. Sic loca Vet. Teſtamenti de ſacramentis Novi fœderis agentia declarantur ex locis Vet. Teſtamenti, quæ de ſacramentis antiqui fœderis tractant, & è contrario. In hâc potiſſimùm collatione conſiſtit *σύγκρισις πνευματικῶν*, laudata Apoſtolo, & ſuo exemplo ad intelligentiam eorum, quæ Deus eſt nobis gratificatus, commendata, 1 Corinth. 2: 12: 13. Et quoniam maxima pars interpretationis Scripturæ ab collatione iſtâ pendet, paulò diligentiùs eſt ratio illius hîc nobis explicanda.

§. 63. Hæc ratio tum commodè intelligetur, ubi priùs aliquid dixerimus de methodo Scripturæ, & habitudine ac reſpectu inter ſeſe partium ejus priorum & poſteriorum. Hîc verò opportunum eſt, quod obſervat Apoſtolus, *Moſen fuiſſe fidelem in totâ domo Dei*, *ut miniſtrum*: (Confer Num. 12: 7. ubi Deus Moſen hoc elogio inſignivit) quodque explicans ait, *fidelem ſervum* extitiſſe *in teſtimonium eorum*, *quæ in futurum dicenda* erant. Heb. 3: 5. Unde diſcimus, Moſen miniſterium ſuum in totâ domo Dei obiiſſe, 1. *teſtando* ea, quæ domui Dei, id eſt Eccleſiæ poſſent eſſe uſui. 2. quæ teſtatus erat, ad perpetuam memoriam literis tradendo. Hoc enim neceſſarium erat, ut in poſterum teſtimonium ejus poſſet audiri. 3. omnia teſtando, & ſcribendo, quæ Eccleſiæ omni tempore poſſent inſervire, utiliaque ac neceſſaria ſcitu & creditu ad ſalutem videri. Quippe aliter non potuit eſſe *ſervus*, nempe ut teſtis, *in totâ domo Dei.* Significatur enim his, Moſen teſtimonio ſuo miniſtrâſſe toti Eccleſiæ, præſenti, & futuræ omnium ſæculorum, uſque ad finem mundi. Nec de univerſalitate temporis id tantùm intelligendum, ſed etiam de univerſalitate ſubjecti, ſive toto corpore ipſius Eccleſiæ, ita ut nulli ejus parti defuerit, quam non convenienti ſibi perfectione inſtruxerit atque exornaverit. 4. diſcimus, Moſen conſtitutum eſſe *teſtem eorum*, *quæ ſupererant dicenda*, & audienda, in Eccleſiâ: ita ut, qui ipſum excepturi erant, ſive prophetæ, ſive doctores, nihil dicere potuerint novi, quod non Moſes antea teſtatus fuiſſet, & cujus non teſtimonium in ſcriptis ejus exſtaret. Quod quidem nobis conſideratu digniſſimum, & ad methodi ſcripturæ, & habitus partium ejus, cognitionem, ipſamque interpretationem Scripturæ, perutile videtur.

§. 64. Sequitur enim ex dicto loco quàm evidentiſſimè, *S. Scripturam in iis*, *quæ dicenda fuerunt*, *eſſe quodammodo & in ſuo genere demonſtrativam*, id eſt, ea, quæ in poſterioribus proponuntur, à prioribus ſcriptis, ac præſertim Moſis, ita ſuſpendi, ut nihil contineant, quod non teſtimonio Moſis fulciatur, ab eoque omnem vim & auctoritatem ad obedientiam fidei & aſſenſus mutuetur. Quemadmodum enim in ſcientiis demonſtrativis

vis ea, quæ primo loco ponuntur, nullâ ſequentium ope, ut intelligantur vel admittantur, indigent, ſi à ſe ipſis digna ſunt, quibus aſſenſus accommodetur, ſequentia autem ab his ſolis ita pendent, ut per & propter ea fidem mereantur; ita ſe res habet cum iis, quæ in S. literis dicenda fuerunt. Quæ enim in iis primo loco ponuntur, & per Moſen edita, Eccleſiæque commendata fuerunt talia ſunt, ut per ſe ſint ἀξιόπιστα, & auctoritatem Divinam ſe ſolis, utpote immediatè ex ipſo ore Dei, aſpectante & auſcultante toto populo, accepta, procul omni dubio habeant. Quæ autem ſequuntur omnia & ſingula, tam quæ à prophetis, quàm quæ à Chriſto & Apoſtolis dicta poſt Moſen & Scriptis tradita fuerunt, talia ſunt, ut auctoritatem divinam, niſi per & propter Moſis teſtimonium non habeant, adeoque non niſi hujus vi teſtimonii Moſaici ullam conſcientiam ad fidem aut obedientiam obligent. Id, inquam, ex verbis Apoſtoli tam eſt manifeſtum, ut nihil poſſit eſſe clarius. Qui enim conſtitutus eſt *in teſtimonium eorum, quæ poſt dicenda erant*, abſque ejus ſcil. teſtimonio hæc pro non dictis habenda ſunt. Ergo ſi ſint pro dictis habenda; utique per & propter teſtimonium illius fit, ut pro dictis habeantur; ipſum verò teſtimonium per ſe ſtat, fidemque & aſſenſum meretur. Ubi autem & quod fidem & auctoritatem conciliat alteri, per ſe eſt fide dignum, & quod ſequitur, ita ab eo ſuſpenditur, ut non niſi propter illud aſſenſum conſequatur, ibi imaginem quandam ac ſpeciem eſſe Methodi demonſtrativæ conſtat omnibus iis, qui naturam veræ ac ſcientificæ demonſtrationis cognitam habent.

§. 65. Nec id etiam à mente & ſtylo Apoſtolico abludit. Hinc ſermonem ſuum & prædicationem ſuam non fuiſſe factam ait perſuaſivis ſapientiæ humanæ verbis, ſed *demonſtratione ſpiritus* & potentiæ, 1 Cor. 2:4. innuens, ſe nihil prædicâſſe, quod non teſtimonio Moſis & Prophetarum confirmâſſet; & quod ſic confirmatur, vim habere *demonſtrationis*.

§. 66. Moſis verò hanc auctoritatem veluti primoprimam etiam commendant S. literæ, ipſaque adeo Scriptura Veteris Teſtamenti. Hinc ſi quis poſt Moſen propheta in populo exiſteret, ante omnia id, quod afferebat, cum lege Moſis erat conferendum, ac videndum, num ab eâ teſtimonium haberet. Ita enim diſertè Moſes Deut. 13:1. 2. 3. *Si extiterit in medio tui propheta, aut ſomnians ſomnium; & dederit tibi ſignum aut prodigium; & evenerit ſignum illud aut prodigium: Siquidem dixerit tibi: Eamus poſt Deos alienos, quos non noviſtis*, ſcil. ex inſtitutione Moſis, *& colamus eos: Non auſcultabis verbis prophetæ illius.* &c. Conf. Deuter. 18:20. Quòd ſi cum lege Moſis ei conveniret, nec alios Deos aliamve religionem propheta ille homines abduceret, ſiquidem boni quid promitteret, exſpectandus quidem erat eventus, Deut. 18:21. 22. Coll. Jer. 28:9. cum eo tamen, ut ſimul ac

divinas

divinas promiſſiones in lege Moſis exſtantes reſpiceretur: Quippe videndum erat, num Propheta ille conſueret culcitras ſuis prophetiis, quas ſupponeret ſcapulis hominum in peccatis confirmatorum, Ezech. 13: 28. Id verò non ſine reſpectu ad legem Moſis, & bona quidem, at non niſi piis, promittentem, cognoſci poteſt. Deinde conferendæ erant ſpeciales prophetiæ in libris Moſis exſtantes, ex quibus, num tale quid his temporum, ſubjectorum, locorum, &c. circumſtantiis conveniret, ſaltem ad ſpem faciendam, & exſpectationem adjuvandam, cognoſci potuit. Sic haud dubium eſt, Davidem Samuëli prophetanti de regno & bono Iſraëlis credidiſſe, quum exſtaret promiſſio de regno tribui Judæ dando, cum eâque promiſſione prophetiam Samuëlis contuliſſet. Ita Iſraëlitæ quum toto corde converſi eſſent ad Deum, & Haggæo ac Zachariæ prophetantibus de felici ſucceſſu ædificationis templi crederent, ſimiles conſolationes in ſcriptis Moſis invenire potuerunt.

§. 67. Nec abſimiliter judicandum, ſi quid mali peccatoribus impœnitentibus in nomine Dei prædicerent prophetæ. Nihil enim mali his denunciari poteſt, quod non in lege Moſis ſit prædeſcriptum, atque etiam in particularibus prophetiis ſuo ordine ac loco prædictum. Hinc Eſaias nos revocat ad *librum Dei*, eumque à nobis vult conſuli, quod attinet judicium Edomi, Eſ. 34: 16. & Moabi Eſ. 16: 13. David Pſalm. 149: 9. *judicium ſcriptum* commemorat, quod ſit *faciendum* de nationibus ac regibus, qui non obediverint Chriſto: Proculdubio ad ſcripturam Moſis reſpiciens. Ita & Daniel cap. 7: 10. vidit, *libros apertos* eſſe, *ut judicium exerceretur.* Jeremias ipſa verba Moſis repetit, ut ſcilicet vaticiniis ſuis hinc fides eſſet. Jerem. 22: 8. 9. *Et tranſibunt gentes multæ præter urbem hanc, & dicent quisque ad alterum; Propter quid fecit Jehovah ſic urbi magnæ huic: Et dicent: Propterea quòd dereliquerunt fœdus Jehovæ Dei ſui, & adorarunt Deos alios & ſervierunt illis.* quæ ſumta ſunt ex Deut. 29: 24—28. Imò obſervare eſt, Zachariam & alios Prophetas ſæpe alludere ad Moſis & aliorum Prophetarum oracula, & de iisdem rebus loquentes præſupponere ea, quæ ab illis dicta ſunt, ad quæ digitum intendere ſatis habent. Sic denique Chriſtus negat, ſe accuſaturum eſſe Judæos apud Patrem. Quum jam Moſes ipſos accuſaverit infidelitatis & rebellionis, & Moſes de ſe ſcripſerit. Joh. 5: 45. 46. Conf. inf. Part. II. Art. 5. & 9.

§. 68. Inprimis huc pertinet locus Deut. 4: 2. in quo monentur Iſraëlitæ, *ne adderent ad verbum illud, quod Moſes præceperat ipſis, neque detraherent de eo quicquam* Quo ipſo verbum Moſis proponitur ut regula & Canon omnis doctrinæ, adeò ut quicunque in nomine Dei veniret ad populum, quicquam locuturus, eum oporteret ea dicere, quæ dictis Moſis confirmarentur,

rentur, non autem illis derogarent quicquam, vel ſuperadderent. Hinc *Canticum*, Moſis, imò totus *liber legis* ab eo deſcriptus, *deponendus erat ad latus arcæ fœderis Jehovæ, ut eſſet ibi in Judæos* deficientes *in teſtem*; Deut. 31: 19. 21. 26. Ad quem locum non dubito Apoſtolum in l. c. Hebr. 3. reſpexiſſe. Neque aliam ob cauſam Malachias ultimus prophetarum velut obſignans prophetiam V. Teſtamenti, legem Moſis Iſraëli, ut perpetuam regulam fidei omnisque doctrinæ commendat, Mal. 4: 4. quàm quòd ſciret, omnem doctrinam, omnemque prophetiam ad præſcriptum legis Moſis exigendam eſſe atque æſtimandam.

§. 69. Et ſic quidem probatur, ſcripta Moſis in ordine ad reliquam Scripturam ſe habere ad inſtar primorum quorundam principiorum, reliqua verò ad inſtar πορισμάτων, doctrinarum, concluſionum, quæ ex iis deducuntur, ab eorumque conſenſu & teſtimonio omnem ad fidem obligandam vim & auctoritatem accipiant. Atque adeò elucet S. literas eſſe in ſuo genere demonſtrativas, ſive methodo gaudere ἀποδεικτικῇ, ſiquidem iis quæ dicta ſunt, habeant id omne, quod ad naturam demonſtrationis intelligimus pertinere.

§. 70. Jam verò cùm conſtet, non primùm ad Moſen ſermonem Dei factum eſſe, ſed jam multis ante ipſum ſœculis, imò ab hominis ipſius primo ortu & creatione viguiſſe in mundo; eumque ſermonem non ut ſibi primùm, ſed ut patribus revelatum, Moſes expoſuerit, antequam ad ea, quæ ſibi ſpeciatim ac toti populo revelata fuerunt, explicanda progrediatur; nec minor ſit ratio prioritatis ac poſterioritatis, nec minùs notabilis temporis intercapedo inter Moſen & Adamum, quam inter Moſen & Chriſtum; quæri poteſt, an, ut Scriptura Moſis in univerſum ſeſe habet reſpectu ſequentis, ita ſermo Dei, qui viguit ante Moſen, ſeſe habeat ad ſermonem in ſpecie Moſi revelatum; ita ut, quemadmodum Scriptura Moſis data eſt ad teſtimonium perhibendum iis, quæ in poſterum dicenda erant, ita ſermo, qui fuit ante Moſen, ſermoni Moſis atteſtari ac fidem facere debuerit? Occaſionem hoc quærendi ſuppeditat natura demonſtrationis & ἀποδείξεως. Cùm enim S. literas priores ac poſteriores inter ſeſe imaginem habere demonſtrationis jam ſit dictum, & natura demonſtrationis ea ſit, ut non tantùm libri libris, ſed etiam propoſitiones propoſitionibus atteſtentur ac fidem faciant; & hactenùs quidem conſtet de libris Moſis, quòd ſequentium demonſtrationi inſerviant, libri autem Moſis diverſos ſermones contineant, tam illos qui ante ipſum tanto tempore obtinuerunt, quàm qui ipſi ſpeciatim patefacti ac toti populo traditi fuerunt: Meritò de his etiam, ut ſuprà, quæri poteſt. Præſertim quia, cùm ſermones ante Moſen toto genere à ſermonibus Moſi factis diſcrepare videantur; illi enim promiſſiones continent merè gra-

tuitas, hi inſtar habent legis operum, vitam & omnia quidem felicia promittentis, ſed ſub conditione exactiſſimæ obedientiæ, cæteroquin inevitabili maledictioni transgreſſores ſubjicientis, unde & nominibus *promiſſionis* & *legis* ab Apoſtolo diſtinguuntur, Gal. 3: 17 – 21. absque hujus ſolutione quæſtionis incerti cogimur eſſe, fuerintne ſecundùm illos, an ſecundùm hos, quæ poſt Moſen dicenda erant, demonſtranda, & à quibusnam teſtimonium habere debuerint, cùm utrosque ſermones in libris Moſis explicatos, & Eccleſiæ demandatos videamus.

§. 71. Reſpondeo, idque iterùm, verbis Apoſtoli Gal. 3: 17 – 24. *Teſtamentum*, id eſt voluntatem Dei gratuitam verbo promiſſionis explicatam, *antè ratificatum*, fide acceptantium teſtamentum, *Lex, quæ poſt* 430 *annos lata eſt, non facit irritum, ut aboleat promiſſionem. Si enim ex lege eſſet hæreditas*, bona teſtamento decreta, *non ampliùs ex promiſſione. Abrahamo autem per promiſſionem*, teſtamenti indicem, *largitus eſt Deus. Quid igitur Lex? Propter transgreſſiones* nondum expiatas, ad eas damnandum & commemorandum ſcil., ad oſtendendum, quæ impoſſibilitas carnis ad ſeſe ſubjiciendum Deo, quæ vis peccati ad operandum iram &c. *addita eſt; donec veniret ſemen, cui promiſerat &c. Numquid igitur lex eſt contra promiſſiones Dei? Abſit. Si enim data eſſet Lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia*; atque ita lex eſſet contraria promiſſioni, eamque ſubverteret. *Sed concluſit Scriptura*, auctor Scripturæ ac legis Moſaicæ ſpiritus, *omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus. Antequam vero veniſſet fides, ſub legem cuſtodiebamur, concluſi in fidem, quam futurum erat revelari. Itaque lex pædagogus noſter exſtitit in Chriſtum, ut ex fide juſtificaremur.* Quo ex teſtimonio, quod ſanè luculentiſſimum eſt, diſcimus. Primò ſermonem legis Moſaicæ non fuiſſe contrarium ſermoni promiſſionis antehac à patribus audito. Sed ſecundò illi potiùs ſubordinatum fuiſſe, eique inſerviiſſe, efficiendo, ut magni fieret promiſſio, ejuſque repræſentandæ, & conſequenter fidei, quam exhibitâ re promiſſâ futurum erat revelari, ipſiusque Chriſti enixiore deſiderio fideles tenerentur: Quod faciebat ſermo legis commemoratione peccatorum, execrationis, &c. Et per conſequens Tertiò ſermonem legis juxta ſermonem promiſſionis intelligendum fuiſſe; ſive, quod idem eſt, ita fuiſſe intelligendum, ut ab eo teſtimonium haberet. Propter quod quid enim inſtitutum eſt, uſumque habet, id ab eo ut tale ſit, neque aliter ſe habeat, determinatur, & an ita ſe habeat, ut oportet, teſtimonium habet.

§. 72. Quæ cùm ita ſint; Cùm, inquam, Scriptura Moſis in univerſum ſit propoſita ad hoc, ut teſtimonium perhibeat reliquis Scripturis; cùm etiam Scriptura legis, quatenus per Moſen lata, & poſt verbum promiſſionis explicata eſt, ab illo verbo condignam fine ac ſcopo ſuo, in quem introducta

eſt,

eſt, intelligentiam & uſum mutuetur, colligitur. Primò verbum promiſſionis, ut à patribus auditum ante Moſen, toti S. Scripturæ vicem præſtare primorum quorundam ſcientiæ ac ſapientiæ ſacræ principiorum, & axiomatum, ſive ſententiarum per ſe fide dignarum, quæque nullâ ſequentium ope, ut pro certis ac divinitùs revelatis habeantur, indigeant, at contrà quibus reliqua omnia ita ſint accommodata, ut niſi ipſis conveniant, ab iiſque teſtimonium habeant, pro non dictis, nec revelatis, ſint habenda. Atque hinc, quod intendebamus, ſequitur. Secundò, Totam S. Scripturam, prout à principio ad finem decurrit, non ratione tantùm librorum, ſed etiam ratione veritatum ac ſententiarum, quatenùs unæ poſt alias revelatæ, & à patribus receptæ, vel toti populo traditæ, unæque poſt alias conſcriptæ fuerunt, eſſe in ſuo genere demonſtrativam, & præcedentia omnia & ſingula iis, quæ ſequuntur, lucem, auctoritatem, & veritatis teſtimonium conciliare.

§. 73. Nec repugnat, quòd multa poſt Moſen particularia & nova audita & cognita fuere in Eccleſiâ, quæque nullam in ſcriptis Moſis videntur teſtimonii auctoritatem habere: Item in N. Teſtam. fuiſſe multa revelata, quæ in Veteri ignorabantur. Nam 1. non tantùm id debet videri Moſes dixiſſe, quod apertiſſimis verbis ab ipſo pronunciatum eſt, ſed & omne id, quod cum iis, quæ ab ipſo pronunciata ſunt, neceſſariam connexionem habet; licet forte poſt illum hæc connexio demum ſit patefacta. 2. Quæ indefinitè, nec ſecundùm omnes circumſtantias, aut 3. in ænigmate dicta ſunt, poſſunt accedente poſtea uberiori explicatione declarari; non tamen idcirco vel nova dogmata, vel nova myſteria veteribus ſuperaddi. Nam ipſa myſteria uberiùs poſtea patefacta debuerunt habere teſtimonium in Moſe, licet ænigmaticum, ut ſuo tempore veritas ex teſtimonii Moſaici analogiâ deprehendi poſſet; & quæ indefinitè, aut ænigmaticè, dicta ſunt, accedente poſtmodum clariore expoſitione, ſuoque tempore hiſtoriâ verba implente, debent pro definitè, ſecundùm omnem modum hiſtoriæ, dictis haberi.

§. 74. Exemplis res illuſtretur. Moſes dicit ex ore Jacobi, Gen. 49: 8. *Judam adoraturos omnes filios patris ſui.* Quandoquidem adoratio eſt civilis, quæ regibus exhibetur: quis dubitet, eum locutum eſſe de regno Davidis & Solomonis, quibus duodecim tribus fuerunt ſubditæ? etiamſi non ſit dictum à Moſe, quot & qui reges eſſent ex Judâ prodituri. Item, quia aliqua *adoratio* eſt religioſa, & *filiatio* quædam ſpiritualis ac promiſſionis, quis dubitet intelligendum eſſe dictum hoc de Filio Judæ, qui ſit Filius Dei, auctor juſtitiæ & ſalutis, objectum fidei & obedientiæ omnium filiorum Dei? quæ à prophetis declarata ſunt. Item, quis dubitet, per *Siloh*, cui ſit *obedientia populorum*, intelligendum eſſe Meſſiam, cui dandum erat regnum in popu-

lo & in gentibus? Item, eum eſſe Jeſum, in quo hæc & omnia alia conſpiciuntur: etiamſi is nominatus non ſit? Item, obedientiam illam eſſe fidei non in ſervitute, quia is *Siloh*, Tranquillator? Item, quum dicit, *ſceptrum non abiturum à Juda*, eum prævidiſſe ſceptrum aliud in X. tribubus ortum & amotum? Et cum dicit: *Non recedet ſceptrum & legislator*: quod aliquam habet ambiguitatem, utrum ſcil. debeat intelligi, *Neutrum receſſurum ante adventum Siloh*; An verò, *Non utrumque ſimul receſſurum*: quis dubitet, quando aliis prophetiis id præſignificantibus, evenit, ut *ſceptrum*, quod apud Judam, poſt ablatum ſceptrum domus Iſraël, aliquamdiu manſerat, in captivitate Babylonicâ recederet, ſed *legis doctor* & exactor *non recederet ſimul*; eam mentem Spiritus S. per Jacobum & Moſen loquentis fuiſſe?

§. 75. Gen. 14. agitur de Melchiſedec ſacerdote, qui Abrahamo benedixit. Pſalmus 110. docet, eum, cujus *ſceptrum exiturum eſſet è Sione*, quique *dominaturus eſſet inter hoſtes ſuos*, & eos omnes ſubjecturus pedibus ſuis, quique eſſet exaltandus in cœlum *ad dextram Dei* (quod non de Abrahamo, ut vult auctor Nizzachon, ſed tantùm de Meſſiâ filio Abrahami & Davidis intelligi poteſt) fore *ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedec*. Quis dubitet, Spiritum ſanctum loquentem per Moſen in animo habuiſſe expoſitionem Davidis? & per Davidem innuiſſe expoſitionem Pauli in Epiſt. ad Hebræos cap. 7. typo accommodatiſſimam?

§. 76. Abraham pater benedicendorum ex duplici uxore filios habuit, ſervâ & liberâ: dictumque ei, *in Iſaaco*, filio liberæ *vocatum iri ſemen*. Eſaias cap. 54. prophetat *de ſterili plures filios habiturâ præ maritum habente*. Quis dubitet, in hiſtoriâ Abrahami eſſe typum *duplicis teſtamenti & duplicis Hieruſalem ac filiorum utriuſque*, ut eſt in Epiſtolâ ad Galatas explicatum?

§. 77. Manna, de cœlo deſcendens cibus, ad vitam corpori utilis, Iſraëlitis fuit faſtidio; puniti ſunt ſerpentibus: ſerpentis in furcâ erecti aſpectu ſervati ſunt. Num. 21: 5. 6. 8. Hæc nihil ſignificâſſe, dici non poteſt. Quid igitur ſignificarent, niſi unicum fidei & ſalutis myſterium? nempe de cœlo venturum in cujus communione vitam haberent homines. Eum Iſraëlitis faſtidio fore. Eo à Diabolo & angelis ejus vexatum iri: exceptis iis, qui ad eum in ſimilitudine carnis peccati exaltatum in cruce reſpicerent. Et quis dubitet, Moſen, accedente interpretatione Chriſti & hiſtoriâ, & præſuppoſitâ veritate myſterii, alibi ab ipſo Moſe explicatâ, quaſi tantundem, quoad vim & valorem typorum, dixiſſe? Atque ita veriſſimum eſſe, quòd Iſraëlitæ tentaverint Chriſtum ſe ipſum per manna adumbrantem? 1 Cor. 10: 9. De ſimilibus ſimile judicium eſt.

§. 78. Unum

§. 78. Unum jam memoratis adjungo. Eſaias cap. 16. judicium de Moabo prædicens partim veteri prophetiâ illud confirmat, partim novam veteri prophetiam ſuperaddit. Dicit enim, *Hoc eſt verbum, quod locutus eſt Jehovah ad Moabum olim.* verſ. 13. ad prægreſſas prophetias, verbi cauſâ Moſis, Davidis, reſpiciens. *Et nunc locutus eſt Jehovah, dicendo:* recentem prophetiam veteribus adjungens. Addita autem eſt tantùm temporis circumſtantia. Subjungit enim, *Tribus annis, quales ſunt anni mercenarii, vilis fiet gloria Moabi,* &c. verſ. 14. Quis dixerit, propterea aliquid novi ab Eſaiâ prædictum eſſe, quod non à Moſe teſtimonium haberet; quum nulla nova res, reveletur, ſed tantùm modus aliquis & circumſtantia rei jam olim prædictæ, in eâque latens, explicatur.

§. 79. Et quidem, cùm Prophetæ ſic viderentur afferre aliquid ſingulare, neque ordinariâ vel inſtitutione vel increpatione uterentur, dicuntur loqui ut *legati Dei in legatione Dei*, h. e. verbis Dei. Sic poſt capt. Bab. tempore Haggæi aliquid ſingulare erat, quum ſignificandum fuit populo, jam illud tempus eſſe, quo templum perfici deberet. Nam Daniel quidem ab edicto ante perfectionem templi numerat ſeptem ſeptimanas, & ſimul indicat, fore tempora in anguſtiâ ſubinnuens, lentè perfectum iri templum; & quidem ob culpam ipſorum Judæorum. Haggæus primus quum denunciaret, tempora illa anguſtiæ jam eſſe finita, quoad vaſtitatem templi, proſperiora jam eſſe exſpectanda, & templum perfectum iri, dicitur *legatus Jehovæ ad populum dixiſſe in legatione Jehovæ, Ego vobiſcum ſum, ait Jehovah.* Hagg. 1:13.

§. 80. Dices: Moſes amandavit ad Chriſtum. Reſp. Moſes non amandavit ad Chriſtum, ut locuturum alia, ſed ut locuturum eadem, quæ Moſes locutus erat; cum illo tantùm diſcrimine, quòd Moſes *ex terrâ*, ſine auctoritate propriâ, locutus eſt, ſed Chriſtus, ut *Dominus omnium ex cælo*, Verba Dei, ut ſua. Alioqui enim Chriſti doctrina non potuiſſet examinari ad Canonem Moſis, & Moſes ante Chriſtum non fuiſſet teſtis de illis, quæ loquenda erant.

§. 81. Ex his jam patet 1. Non poſſe quem feliciter verſari in interpretatione S. Scripturæ, niſi per jam dictam σύγκρισιν πνευματικῶν, *comparationem ſpiritualium*, id eſt, niſi verba & ſententiæ Spiritus S. priores & poſteriores inter ſe ſtudioſè ac diligenter comparentur. 2. Hanc σύγκρισιν ita inſtituendam eſſe, ut facto à primis veritatibus interpretationis initio, inde ad ſequentes ordine progrediamur; ita ſcil. ut ſemper & ubique priorum ratio habeatur, earumque luce, auctoritate, ac teſtimonio ad ſequentium tum ἐπίλυσιν & intelligentiam, tùm veritatis Divinæque auctoritatis confirmationem utamur. Talis enim comparatio & progreſſus convenit diſpoſitioni ſpiri-

tualium jam demonſtratæ. Ejus enim hæc eſt ratio, ut ea, quæ antecedunt, teſtimonium perhibere ſequentibus debeant. Quod non aliter, niſi modo & ordine jam explicato, fieri poſſe, per ſe eſt manifeſtum.

§. 82. Simul ex dictis intelligitur, quid ſit *clavis cognitionis*, Matth. quid *analogia fidei, ſecundùm quam prophetandum eſſe* monet Apoſtolus, Rom. 12:6. Nempe nihil aliud eſt *clavis cognitionis*, & *fidei analogia*, quàm primæ quædam veritates, admodum claræ & ſimplices, quas Deus ante reliquas revelavit, & voluit legi in S. literis, nominatim omnes, quæ continentur libris Moſis, ut eſſent reliquarum omnium, in poſterum vel revelandarum vel explicandarum, ut primum eſſentiæ & quaſi ſubſtantiæ principium, radix & fundamentum, ſic interpretationis & probationis certiſſimus modus, formula, canon & menſura. Tales ſunt ex. gr. Promiſſio prima, æternum Teſtamentum gratiæ explicans de poſitione inimicitiæ inter fœminam & ſerpentem & inter ſemen utriuſque; quæ promiſſio omnium prophetiarum matrix eſt, & ad quam omnis διδασκαλία eſt referenda; Præceptio amoris Dei, ſ. μετανοίας & converſionis ad Deum, toties iterata in Moſe & Prophetis, quâ omne præceptum contineri facilè intelligîmus, & ad illius vel explicationem vel ſuaſionem pertinere omnia, quæ in Diviniſſimis S. Literarum ſcriniis continentur.

Inprimis, quod capita doctrinæ attinet, notabile eſt dictum. Gen. 15:6. *Et credidit Abraham Deo, & reputavit hoc ipſi juſtitiam*, quod ſæpe citatur ab Apoſtolo, & reverâ eſt clavis cognitionis. Item quod nihil legimus de inſtitutione ſacrificiorum ante legem Moſis; quod etiam animadvertit Jer. 7:22. & prodeſt tum ad explicationem multorum locorum Scripturæ, ut Gen. 4:3.4. Gen. 7:2. & ſim. tùm ad confirmationem ejus, quod ſuprà obſervatum, ex Apoſtolo, Gal. 3:21. omnem Legem, quam repetivit vel tulit Moſes, imò & promiſſiones temporalium bonorum, eſſe ſubordinatas, & ſic accipiendas, ut ſubordinatas Teſtamento gratiæ, quo Deus præparavit vitam æternam filiis ſuis, quod Teſtamentum per promiſſionem patribus erat declaratum, non vero ei eſſe oppoſitam. Quæ obſervatio dici non poteſt quantam lucem afferat legi Moſis, & reliquæ Scripturæ. Nam quum inter Promiſſiones patribus factas etiam ſit promiſſio Chriſti, & ſeminis, in quo benedictio gentium, & ſic promiſſio hæreditatis gentium, & porrò filiatio, & effuſio Spiritus filiorum: Conſequitur, legem omnem ſic accipiendam eſſe, ut credamus, accuſationem ejus non valere contra benedictos, juſtificationem non eſſe niſi ex eo, in quo eſt benedictio; benedictionem obtingere in gradu nobiliori Iſraëlitis & gentibus ſimul, nim. ut filiis, non ut ſervis, ſine commemoratione peccati; in veritate, non ampliùs in umbrâ; ut uni, non ut duobus. Hinc patet, quid ſit reſpondendum Judæis, qui valde urgent æter-

nitatem

nitatem Legis. Nim. ſtipulationem fidei primò Promiſſionis, deinde Euangelii de promiſſione exhibitâ, æternam eſſe, à paradiſo uſque ad ultimum judicium: præcepta Decalogi eſſe perpetuam regulam ſanctitatis, & formulam pœnitentiæ; inſtituta cerimonialia quemadmodum Patribus impoſita non fuerunt, ita etiam non debere imponi illis, qui ſunt filii patrum, quos Deus liberavit, & quibus fœdus novum contrahit. Interim illa manere, ut doctrinam ænigmaticam ſive ſymbolicam de Chriſto & juſtitiâ ejus.

§.83. Talia multa particularia poſſunt uſu obſervari. Ut quòd ſemper Sp. S. in nuncupatione *Deus meus*, *noſter*, &c. docet reſpicere ad promiſſionem, *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* Quòd loco Moſis Deut. 33:5. ubi *Jehovah* dicitur *Rex factus*, fortaſſe ſoli, debet originem phraſis Prophetarum & Chriſti atque Apoſtolorum, per *Regnum Dei* intelligentium ſtatum Eccleſiæ ſub Chriſto exaltato, ſine accuſatione Legis & ſervitute elementorum mundi. Quòd multa dicuntur univerſaliter & indefinitè in reliquâ Scripturâ, quæ juxta legis mentem ſunt explicanda. Ut *pignore capta* improbantur univerſaliter Amoſ. 2: 8. quod tamen ſecundùm legem Exod. 22: 25. 26. Deut. 24: 12. 13. de pignore injuſto, & à pauperibus capto explicandum eſt. Non mirum igitur, ſi *jurare* dicatur, *qui juramentum non veretur*, & quodammodo juramentum omne vetetur, quod more ſœculi vix aliter, quàm temerè & ſine fide ac cum hypocriſi fiebat. Matth. 5. Jac. 5. ſimiliter quod Pſal. 15. & Ezech. 18. de *uſurâ* dicitur indefinitè, juxta legis ſenſum accipiendum eſt.

§. 84. Sic ad explicationem omnium locorum, quæ de *die Domini* agunt, notandum eſt, Prophetas reſpicere ad tempora gratiæ & judiciorum Dei deſignata jam ante à Moſe. Ideoque quemlibet Prophetam, *qui diem Domini* imminentem nominat, intelligendum eſſe, principaliter quidem de adventu Chriſti in carne; cum judicio in incredulos; ſed præterea etiam ante-ambulone illius diei proximo. Verbi cauſâ, Zophonias cap. 1. verſ. 7. loquitur poſt deportationem X tribuum. Igitur intelligendum eſt, approximare diem illum, quo Filius Dei apparriturus erat populo ſuo: atque ita jam inſtare præcurſorem aliquem tubicinem diem alium, nim. judicium in incredulos & deletionem ſcandalorum ex loco illo, in quo Salvator debeat apparere: quæ repurgatio per captivitatem Babylonicam erat facienda. Quod & Moſes & anteriores prophetæ præſignificaverant. Sic ubi prophetæ loquuntur de temporibus ſequentibus adventum Chriſti, ſi meminerint diei Domini, erit dies judicii noviſſimus vel in ſe, vel etiam ut in præcedentibus judiciis præobſignatus. Qualis dies antecedaneus eſt dies deletionis templi & reipubl. Judaicæ, Reformationis Eccleſiæ, Caſtigationis Eccleſiæ, Ruinæ Antichriſti. Qualia tempora, ceu tubæ præcedaneæ, adventum Domini ad regnum univer-

univerſale & ei connexum ultimum judicium denunciantes, deſcripta ſunt in Apocalypſi, poſt prophetias Moſis & Prophetarum.

§. 85. Neque obſtat, quòd multa ex iis, quæ tradit Moſes, ſint metaphorica & ænigmatibus involuta, & propterea claritatem principiorum non videantur poſſe habere. Nam de ænigmatibus Scripturæ notanda neceſſaria admonitio, ea neutiquam facere ad celandam veritatem, ſed magis ad eam declarandam; dummodo animus docilis memor ſit eorum, quæ didicit, & ἀναλογίαν ſervet ubique. Clara enim ſunt plurima, licet metaphorica & parabolica ſint. Quid clarius poteſt fieri prima promiſſione, quæ in Paradiſo propoſita eſt? Deum poſiturum inimicitiam inter fœminam & ſerpentem illum ſeductorem, h. e. Diabolum. Nam quæ poteſt eſſe poſitio inimicitiæ, inter fœminam & diabolum, niſi ſanctificatio ad libertatem à ſervitute Diaboli, quam peccato contraxerat, & odium peccati & amorem juſtitiæ? Rurſus, Semen ejuſdem ſanctificationis particeps Deum elegiſſe? Item, ſemen aliquod contriturum caput Serpentis, h. e. ipſius opera deſtructurum, & quidem patiendo morſum calcis. Itaque eum, qui poſiturus erat inimicitiam ſanctificando, etiam victurum eſſe Satanam merito & efficaciâ. Denique Deum ſanctificantem ſemen mulieris, h. e. hominem exſtiturum? Quid, inquam, clarius? licet nonnihil ænigmatis ſit in voce Serpentis, qui eſt Seductor. Accedat promiſſio Abrahami, Ero Deus tuus & ſeminis tui: In ſemine tuo benedicentur & benedicent ſibi omnes gentes: Patrem multitudinis gentium dedi te. Quæ promiſſiones tum ſingulæ pro ſe, tum inter ſe comparatæ clariſſimæ ſunt attendentibus: quamvis negligentibus aut vanas cogitationes ſomniantibus obſcuriſſimæ videri poſſint.

§. 86. Quamvis autem ſic veritates omnes, quæ libris Moſis continentur, in ordine ad ſequentes reliquâ Scripturâ, id tamen non obeſt, quo minus etiam inter eas, quæ ſequuntur hic ordo obſervetur, ut priores quæque ſint poſteriorum principia & clavis cognitionis. Hinc non tantùm Moſes, ſed etiam reliqui Prophetæ *teſtes* appellantur, quos in rebus dubiis & controverſis unusquiſque producere jubetur, Eſ. 43: 9. *Dent teſtes ſuos & juſti ſint.* Conf. Apoc. 11: 3. Et Deus profitetur apud Jeremiam, prædictionibus ejus ut canone judicii uſurum in terram Chaldæorum, & omnes gentes. *Et adducam ſuper terram, illam omnia verba mea, quæ locutus ſum ſuper eam, omne id quod ſcriptum eſt in libro hoc, quæ vaticinatus eſt Jeremias ſuper omnibus gentibus?* Jer. 25: 13. Conf. Act. 3: 21. 24. item Eſ. 16: 13. & add. inf. P. II. Art. 9. Sic locus Pſal. 2: 7. ubi Filius introducitur loquens in nomine Patris, eſt clavis interpretationis ſimilium. Ut Amoſ. 2: 8. ubi introducitur Dominus proferens ſententiam, cujus nominat auctorem Dominum Deum exercituum. Et ſic paulatim poteſt amplificari clavis cognitio-

nis,

nis, non tam novarum veritatum adjectione, quàm veterum indefinitiùs poſitarum arctiori deciſione, vel etiam per implementa hiſtorica deſcriptione. Quâ poſitâ deſcriptione ac determinatione ſententiarum per arctiores clauſulas vel per implementa non tantùm ſequentibus veritatibus, ſed etiam anterioribus & principalibus nova quaſi lux affunditur, atque interpretatio tanto proclivior, illuſtrior, ac plenior evadit. Atque ideo, quamvis eadem ſemper exſtat fidei analogia, ſi ſolæ antiquiſſimæ veritatis ſpectentur, ſi tamen cum ſecundis ac tertiis, facile intelligemus, nonnullas ex iis eſſe, quæ nunquam aliter ſe habent, alias, quæ varietatem aliquam recipiunt, prout nimirùm vel in ſuâ generalitate, vel, ut poſtea definitæ, conſiderantur. Unde ſemper quidem verba Spiritus Sancti ſunt accipienda ſecundùm analogiam fidei, ſed tamen aliter ſecundùm analogiam fidei Promiſſionis, aliter ſecundùm analogiam fidei Evangelii. Et de ſimilibus ſimile judicium eſto.

§. 87. Σύγκρισι πνευματικῶν, hoc modo factam, excipit ἀπόδειξις, *demonſtratio*, & φανέρωσις τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν, *manifeſtatio veritatis ad omnem conſcientiam*, ſc. eorum, qui priorum veritatum jam periti, memores ſunt eorum, quæ didicerunt. Nihil enim aliud hæc eſt demonſtratio, & manifeſtatio veritatis, quàm deductio eorum, quæ ſequuntur, ex iis, quæ antecedunt, quæque iis teſtimonium debent perhibere veritatis. Itaque Apoſtolus ſermonem ſuum exſtitiſſe ait ἐν ἀποδείξει *in demonſtratione*, 1 Cor. 2: 4. καὶ φανερώσει τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν 2 Cor. 4: 2. Conf. Actor. 17: 2. 3.

§. 88. Hanc verò ἀπόδειξιν vocat πνεύματος, *demonſtrationem Spiritus*, quia ſc. ex comparatione ſpiritualium reſultat. Spiritus enim hæc eſt demonſtratio, quæ fit per verba ipſius, quorum una aliis atteſtantur. Non enim demonſtrat aliter quàm verbis ſuis. Et propterea quæ ſic per comparationem ſpiritualium demonſtrantur, *Deus ipſe nobis revelare* dicitur *per Spiritum ſuum*, 1 Cor. 2: 10. & quæ ſic demonſtrando loquimur, dicimur *loqui verbis doctis à Spiritu Sancto*. 1 Cor. 2: 13.

§. 89. Et his quidem modis Spiritus Sanctus, tùm eisdem in locis, de quorum ſignificatu laboramus, tùm etiam aliis, mentem verborum ſuorum declarat. Quibus addi poteſt, quoniam actibus quandoque & geſtibus externis ſermonem juvare ſolemus, horum quoque conſiderationem ſenſum orationis ſacræ interdum dare. Fuiſſe hunc morem uſitatum Chriſto colligimus ex Johan. 20. Ubi diſcipulis oſtendit manus & latus ſuum, ſimul alloquens eos: Ita ironicam orationem vix aſſequaris, niſi perorantis geſtum aut videris ipſe, aut aliunde collegeris. Sic verba Pſalmi 51. verſ. 20. ſono pronunciantis adjuvanda ſunt, ut ſenſum ſuum nobis exprimant. *TUNC in altare*

tare TVVM aſcendent VITVLI! q. d. longè alii vituli tibi offerentur tunc, atque nunc ad altare manufactum immolantur.

§. 90. Præterea obſervandum, non ſolùm cenſeri ea Spiritum Sanctum dixiſſe, quæ αὐτολεξεὶ, i. e. totidem verbis, in Scriptura exprimuntur, ſed etiam ea, quæ per legitimam conſequentiam ex verbis ejus deducuntur. Reverâ enim & illa, quæ ex dictis conſequuntur, dicit Scriptura: adeò ut is, qui id, quod conſequitur, ignorat, dicatur *ignorare Scripturam*, Matth. 22:29. Et quod conſequitur ex vero, verum eſt. Mendacium enim ex vero non eſt. 1 Joh. 2:21. Ergo &, quod ex divinitus revelato ſequitur, id & verum eſt, & quia propter revelationem innoteſcit, eſt verum revelatum, & fide recipitur.

§. 91. Neque omittendum ſilentium quandoque eſſe ſignificativum. Ita Chriſtus ſilentio reſpondit ad calumnias ipſi objectas. Matth. 26:63. 27:12. Item ea, quæ dicuntur de Melchizedeco, & quæ non dicuntur rerum maximarum eſſe ſignificationes, diſcimus ex Hebr. 7.

§. 92. Hactenus oſtendimus, quot & quibus modis Spiritus S. ſemet ipſum interpretetur. Supereſt, ut quomodo per alios explicetur, videamus. Hìc verò in conſiderationem veniunt 1. Verſiones. 2. Commentarii aliorum. Quamvis enim ad ſenſum inveniendum præſtet libros authenticos legere, & commentarios potiùs, adhibitis demum reliquis interpretandi adminiculis, quàm initio ſtatim, conſulere, nam haud rarò aliàs præjudicia interpretum nos turbant, tamen verſiones varias, & commentarios virorum doctorum inſpicere, ad eundem finem ſuam quoque utilitatem habet. Adde, quod, ubi conſentiunt, rectæ interpretationis, & cònſenſus ac profectus Eccleſiæ, ſint magnum argumentum, fideique præſidium; ubi diſſentiunt, acuunt diligentiam, tum ut adhibitâ ſcrutatione, utra interpretatio ſit melior, dignoſcamus, tum ut quæ ipſi videmur advertiſſe, eo accuratiùs demonſtremus. Ante omnia autem cavendum, ne quam verſionem aut commentationem textui authentico æquiparemus.

Et ex commentariis quidem veræ hypotheſes accipiendæ ſunt, falſæ autem applicationes revincendæ. Verſionum autem illa ſemper optima eſt judicanda, quæ ad proprietatem linguæ authenticæ, & ad mentem Spiritus Sancti quàm proximè accedit. Sic autem cum illis eſt comparatum, ut ſive obſervaverint proprietatem, ſive non, id ſatis intelligi non poſſit, niſi comparato originali textu. Cujus comparatione tum corriguntur, tum intelliguntur, & ſic demum viciſſim fonti lucem fœnerantur.

§. 93. De verſione Græcâ LXX interpretum, ut & Chaldaicâ, notandum. 1. Quòd non ſemper ſervent proprietatem linguæ. Vid. ad Pſal. 6:4. 2. In iis eſſe quædam veſtigia dubitationis interpretum, ut quomodo legerint

textum

textum Hebraicum, vel legendum eſſe judicarint, dicere non poſſis. Vid. ad Pſal. 7: 12. f. Pſal. 4: 3. Eſ. 4: 2. Quæ obſervatio eò facit, ut ſi maximè aliqua antiqua verſio diſcedat à ſententiâ, non magni faciamus ejus præjudicium; nec propterea lectionem ſollicitandam putemus. Conſtat enim eo ſœculo, quo illi interpretes exſtiterunt, cognitionem Dei & Scripturæ fuiſſe in populo Dei, maximè inter Græcanicè loquentes, leviſſimam. Quum Phariſæi occultâſſent clavem cognitionis, & homines, neglectis Scripturis, παραδόσεσι inhærerent: adeò ut etiam Phariſæi neſcirent, quid ſibi vellet promiſſio fœderalis, *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* &, *Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi*: &, quare Chriſtus dicatur Dominus Davidis. Præterquam quòd nondum per Evangelium omnia ænigmata Scripturæ de Chriſto in plano collocata fuerint. & LXX. illos in multis fuiſſe hallucinatos. Adeoque ante adventum Chriſti promiſſum fuiſſe Eliam, qui reduceret cor filiorum ad Patres. Mal. 4: 5. 6.

§. 94. Apoſtoli tamen in Novo Teſtamento ſæpe ponunt verba Græca, ut habentur in verſione Græcâ τῶν ό. Ex. gr. Paulus Rom. 9: 27. 28. citans locum Eſai. 10: 22. 23. Id fecerunt non ignoratione textus originalis, (Nam & videmus Apoſtolos, ubi neceſſe eſſet, propiora Hebræis expreſſiſſe, deſertis LXX interpretibus) ſed quòd ſenſum integrum iſta Græca exhiberent: quem ipſi intendebant. ſive etiam ut per eam verſionem ad originem ſcrutandam lectores revocarent.

§. 95. Inſuper notandum, quando Apoſtoli non allegant verſionem LXX interpretum, in ipſorum verbis eſſe explicationem non tantùm vocum, ſed & ſententiæ. Vid. Matth. 13: 35. coll. Pſ. 78: 2.

§. 96. Accedat denique & hoc, multa eſſe, quæ tranſlata in aliam linguam, non more iſtius linguæ, quâ fit interpretatio, ſed ejus, cujus fit, ſint accipienda. Ideo fit, quia pauca reperiuntur vocabula in diverſis linguis idem adæquatè ſignificantia. Sic ſi quis Hebræorum אָמֵן Græcè vertere velit, dicet ναὶ vel ἀληθῶς. Sed hoc ipſum non jam more Græcorum, ſed Hebræorum explicandum. Vid. Matth. 5: 18. Sic quia ſolent interpretamenta arctiora extendi ad latitudinem interpretati, poſſet dici, Actor. 2: verſ. 24. ὠδῖνας ſignificare laqueos, propter amphiboliam Hebr. חֶבְלֵי / Et ſic de cæteris.

§. 97. Præter hactenus dicta, ut ſuprà vocum ſingularum, ita conjunctarum, h.e. integrarum orationum, variæ poſſunt notari differentiæ: ut quòd oratio alia ſit propria, alia figurata; enunciativa vel non; perfecta vel imperfecta, i.e. defectu, abundantiâ, aut tranſpoſitione laborans; exprimens copulam vel occultans; finita vel infinita; definita vel indefinita; ſimplex vel compoſita; conditionalis, copulata, diſcreta ſ. adverſativa, disjun-

ɛ̃a, vel relativa; comparativa, excluſiva, exceptiva, vel reſtricta, quæ ultimæ propter majorem obſcuritatem Exponibiles appellari conſueverunt. De orationibus, Figuratâ, & Non-enunciativâ, hæc eſt regula, ut, ſi ſint obſcuriores, reducantur, illa ad Propriam hæc ad Enunciativam: De Conditionali, quòd, ſi conditio ſit impoſſibilis, æquipolleat categoricæ ſimpliciter neganti: De Excluſivâ, quòd non excludat concomitantia, ſed oppoſita. Reliqua non explico, quia ſatis aliunde nota ſupponuntur.

§. 98. Id ſolummodo hîc occurrit, quando ea, quæ conjungenda ſunt, ab hominibus ſeparantur, ſolere Scripturam meliorem partem eligere, & minorem quaſi abſolutè rejicere; ſcil. in tali ſeparatione. Ut Hoſ. 6: verſ. 6. *Pietatem volo & non ſacrificium.* nempe ſine pietate. quanquam hoc etiam illam notionem habet, ut oſtendatur, Deum aliquando ſimpliciter rejecturum ſacrificia. Prov. 8: 10. *Accipite diſciplinam & non argentum*: Illud ſine hoc, non hoc ſine illo. Hæc Druſius ponit. Add. 1 Joh. 3: 18. 1 Cor. 1: verſ. 17. *Non baptizare, ſed prædicare.* Non dedit me Diaconum, ſed Apoſtolum; ſi αὐτουργία Baptiſmi ſeparanda eſſet ab Euangelizatione, hoc me voluit facere, non illud. Ad illud verò alios conſtituit. Hebr. 8: 11. *Non docebit quiſque fratrem.* ſcil. ita, ut Deus non doceat hoc ipſum, quod frater docet, in verbo ſuo & per Spiritum fidei & diſcretionis jam datum. Conf. 1 Joh. 2: 27. *Non habetis opus, ut quis vos doceat, niſi ut unctio vos docet de omnibus.* Sic Joël 2: 13. *Lacerate cor veſtrum, & non veſtes.*

§. 99. Huc refer iſtud loquendi genus, quo negari videtur bonum aliquod fidelibus Vet. Teſtam. quod non eo gradu & efficaciâ iis conceſſum fuit, quo conceditur fidelibus N. Teſtam. quo de genere vid. Celeb. Wittichii, mei quondam Præceptoris chariſſimi, nunc Amici honorandi, Theol. Pacif. Art. 277. f. & ſeqq.

§. 100. Et ſpeciales quidem tùm vocum tùm ſententiarum ſacrarum exponendarum leges ita ſe habent. Clauſulæ loco generalia quædam interpretandi adminicula his adjungamus. Horum primum eſt, quod in interpretatione debeamus eſſe contenti eo, quod promptiſſimum eſt cogitare, quoque intentioni loquentis & analogiæ fidei ſatisfit. Huic opponitur interpretatio audax; cujuſmodi eſt Rabbinorum cenſentium, Gen. 7: verſ. 2. Deum docuiſſe Noachum legem Moſis, quia ſcil. ibi eſt mentio animalium purorum & impurorum. Non enim eſt neceſſe, ut dicamus, Deum Noacho ſignificâſſe, quam legem aliquando hominibus eſſet impoſiturus. Deum ante Moſen diſcreviſſe inter animalia ratione ſacrificiorum non legitur; & cùm Noacho permiſſus fuerit eſus omnium animalium, fieri non poteſt, ut impuræ pecudes intelligantur, quarum eſus fuerit vetitus. Sufficit cogitare, quòd

quòd quum lex Moſi data diſcernat animantes puras & impuras, hoc poſſit accipi tanquam actum & dictum per prolepſin, hoc modo ſcil. quòd Deus adducturus erat ad Noachum animalia omnis generis, & ipſi ſignificaturus, de quibus animalibus ſeptem, de quibus item duo deberet in arcam recipere: & quod eſſet in illis, propter quod pura dici poſſint, nimirùm propter quoddam ſimulachrum boni; & in his, propter quod impura, propter quoddam ſimulachrum mali.

§. 101. 2. Id ſemper agendum, ut Scripturæ tanquam lucidæ, & candidas atque minimè contortas aut coactas ſententias habenti, omnibuſque ſuis partibus ſibimet conformi, & per totum corpus ſacrorum oraculorum refulgenti, ſecundùm Teſtamenti divini ſinceritatem & veritatem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, attendamus, donec lucidiſſimus ſenſus conſcientiam exſatians, per verba Spiritus S. in nobis exoriatur. Vel ſic: Expoſitor debet verba Spiritus Sanct. tantiſper animo verſare, donec eum ſenſum reperiat, quem aliis verbis dictum eſſe jure non poſſit optare, & in quo plenè acquieſcere poſſit propter conformitatem fidei & connexionem cum fundamento & fidei ac charitatis ædificationem. Quæ regula & Auguſtini eſt. Videl. 3. de Doctrinâ Chriſt. cap. 15. & 24.

§. 102. 3. Quandoquidem omnis Scriptura Chriſtum & juſtitiam & regnum ejus indigitat, contendenda & comparanda ſunt omnia ea, quæ paſſim à Spiritu S. dicuntur; inque eâ comparatione perſeverandum, donec omnes partes myſterii univerſali totius chori prophetici ſuffragio perdiſcamus. Et plena inſtitutio ea demum cenſeri debet, quæ omnium virorum Dei ſit vox, συμφωνία, & ὁμόνοια.

§. 103. 4. Dubia in eam ſemper partem ſunt accipienda, quæ nullam involvat abſurditatem. Conf. ſup. Art. XIV. & LV.

§. 104. 5. In incertitudine Genealogiæ & Chronologiæ, & ſimilium, quæ nullis regulis Hermeneuticis poſſunt ſatis expediri, animadvertenda eſt regula Apoſtolica: Non eſſe illas ſine termino perſequendas, neque urgendas ad quæſtiones non neceſſarias. 1 Tim. 1: 4. atque ut interea quod ſimpliciſſimum & facillimum eſt, in his eligamus, ex reg. 1. de quâ diximus paulò ante. Nim. iis temporibus, quibus editæ ſunt genealogiæ & chronologiæ, omnibus perſpicuum fuit, eas veras eſſe, & quo tempore veræ fuerint. Alioqui enim nemo hominum illius temporis, quo res ſciri potuit, eas recepiſſet. Sed noluit Deus nos in iis hærere; ideoque reliquit poſteritati multa indeterminata. quæ quidem perplexa eſſe videntur; attamen contradictionem non habent, quum poſſint hoc vel illo, imò multis ſæpè modis verificari. v. c. quando Sorobabelis pater dicitur fuiſſe Sealthiel, Hagg. 1: 1. & Pedajah, 1 Chron. 3: 18. incertum eſt, utrum Pedajah fuerit frater Sa-

lathielis & excitaverit fratri illiberi ſemen: an fuerit filius; & ſic filius dicatur, qui nepos fuit: an denique filius Salathielis dicatur, quia ab ipſo educatus, & ei in principatu populi ſucceſſerit. quemadmodum 1 Chron. 3: verſ. 15. Zedekias filius Jechoniæ dicitur, qui patruus fuit, quia ſucceſſor.

§. 105. Sic ad Gen. 11:27. quæri ſolet, an Abram fuerit primogenitus Tarach? Quod non eſt veriſimile. Nam ſi Abraham fuit primogenitus, Tarach; & quinque & ſeptuaginta annos habens ex Charan profectus eſt, Gen. cap. 12:4. ſequitur, eum deſeruiſſe patrem ſuum in Charan, & eum 60 annis vixiſſe, poſtquam Abram & Lot ab ipſo diſceſſiſſent. At legimus Gen. 11:31. quòd acceperit Abram filium ſuum, & Lot nepotem ſuum, & profectus fuerit ex Ur Chaldæorum animo eundi in terram Canaan. Deinde Moſes non facit priùs mentionem profectionis Abram ex Charan, quàm dixiſſet, Tarach ibi mortuum eſſe. Conf. Actor. 7:9. Et certis aliunde rationibus conſtat, Abramum quinquennio Charris habitâſſe. Quare probabilior ſententia eſt, Terach quinquennio ante mortem ex Ur Chaldæorum exiviſſe: qui mortuus eſt anno ætatis 205. à quibus ſi detrahas 75. comperietur Abram eſſe natus anno Terachi 130. Ergo non Abram, ſed potius Nachor, pro primogenito Terachi eſt habendus. Sunt qui alias rationes conciliandi excogitant; ut D. de Dieu. qui vid. ad Actor. 7:9. Sed Deus non voluit Chronologias & genealogias eſſe ita expeditas: tum, quia fidelibus opus non eſt eas εἰς ἀκρίβειαν cognoſcere; tum quia voluit præbere materiam ingeniis partim inquirendi, partim altercandi. Hominis pii eſt, in illis libenter aliquid ignorare: hominis vani, in talibus ſe jactare; & præ ſe alios propter quandam ſcientiam contemnere. Ideo his ipſis difficultatis monemur, ne ſectemur γενεαλογίας ἀπεράντους. 2 Tim. 1:4. Similia vid. ad Pſ. 88:1. & 89:1.

§. 106. Sic Gen. 14:14. dicitur Abram *perſecutus eſſe uſque ad Dan.* Eſt πρόληψις. Nam poſtea demum ille locus nominatus eſt Dan. Ne Moſis quidem tempore vocabatur Dan, ſed ſub judicibus hoc nomen accepit. Vid. Jud. 18:29. quod ipſum anticipatè narratum eſt Joſ. 19:47. Hæc difficultas (atque eadem eſt ratio ſimilium) ita poteſt tolli. Hiſtoriam Patriarcharum fuiſſe tempore Moſis notam, & in Spiritu Dei à Moſe dictatam: eique poſtea inſertam eſſe legem à Moſe ſcriptam: & inprimis Samuelem, qui Prophetarum poſt Moſen primus dicitur, operam conficiendi libri Dei, ſive hiſtoriæ tum Patrum tum traditæ legis, tum occupatæ terræ Canaan uſque ad ſua tempora, ſumſiſſe; & alios deinde Prophetas eam hiſtoriam continuaſſe uſque ad captivitatem Babylonicam. Ut & σύνοψιν omnium temporum ab auctore Chronicorum editam eſſe. Igitur & in recitatione hâc

non

non opportet nos tantùm cogitare, quomodo Moſes vivus potuerit hunc locum appellare; ſed etiam, quomodo potuerit is, qui hos libros compoſuit, illum locum nominare.

§. 107. 6. De temporibus Judicum & Regum notandum 1. Anni numerati in S. hiſtoriâ non ſunt ejus rei geſtæ, quæ ultimò commemoratur; ſed totius hiſtoriæ: & incipiunt à clauſulâ numeri præcedentis. Sic ultimus numerus præcedens hiſtoriam Judicium ſunt 40. anni acti in deſerto. Inde ſunt 40. anni ad mortem Othnielis. Sic deinceps. Ita omnia ſalva & facilia ſunt. In verſione autem ſic dicendum eſt verb. gr. *quievit terrâ. quadraginta anni.* q. d. ſic iſtâ rerum ſerie abſolvuntur 40. anni. Non: *quievit terra* 40 annis. 2. Anni Regum non ſemper concurrunt æqualiter: ſed annus verb. gr. regis Iſraëlis participat de duobus annis regis Judæ. 3. Anni regum diverſimodè nonnunquam numerantur; ſcil. vel ab inauguratione vel ab adminiſtratione; ſive à regno accepto vel adminiſtrato ante obitum præceſſoris, aut ab obitu illius & ſimiliter.

§. 108. 7. Cogitandum, prophetas ſcripſiſſe ita, ut continuaverint librum Dei & hiſtoriæ populi Dei, & in illâ hiſtoriâ reſpexiſſe ad æram notabilem proximam, quæ diſtincta ſit ab annis regum, quum annos regum etiam exulantium ab illo computô diſtinguant. Ex. gr. Eſ. 7: 8. dicitur: *Dum labuntur ſexaginta quinque anni, conſternatus erit Ephrajim infra populum.* Et notatur æra notabilis in regno X. tribuum nempe à morte Jeroboami ſecundi, qui fuit ex poſteris Jehu. Item Ezech. 1: 1. notatur tempus primæ viſionis oblatæ Ezechieli prophetæ, nempe annus quintus exilii Jojachimi. Simul indicatur, quod is annus fuerit annus trigeſimus. nempe, ut ex hiſtoriâ ſacrâ cognoſcitur, ab anno octavo decimo Joſiæ, quo Paſcha celebratum & fœdus cum Deo renovatum eſt. Vid. 2 Reg. 23: 23. 2 Chron. 34: 8. 27. 28. 29. 30. 31. 35: 19. Quippe negari non poteſt, eam æram notabilem fuiſſe & memorabilem Judæis.

§. 109. Denique 8 interpres & expoſitor Divini ſermonis debet ſtudere, ut clarè & perſpicuè loquatur. Et 9. Non eſt opus ex profanis Poëtis ſimiles profanas voces iis quæ in S. literis dicuntur, colligere. Quod fecit Grotius. Ex. gr. ad Eſ. 22: 13. Sed potiùs, ſecundùm id, quod ſuprà obſervatum Art. XIII. conſideranda eſt ipſa animi inductio & opus ipſum; quæ eſſe poſſunt, ubi voces iſtæ non audiuntur.

HER-

HERMENEUTICÆ SACRÆ

Pars poſterior

De Interpretandis Prophetiis.

§. 1. QUamvis, ut priori parte eſt oſtenſum, omnis ſermo de re quâcunque, qui non ſtudium & indagationem hominis, ſed Deum proximè & immediatè auctorem habet, in S. literis נְבוּאָה & προφητεία, *Prophetia*, appelletur; uſus tamen obtinuit, ut pars illa Divini ſermonis, quâ res futuræ in anteceſſum explicantur, hoc potiùs nomine indigitetur, tum quia etiam hæc à Deo proficiſcitur, tum quia magis adhuc, quam quævis alia, Deum auctorem arguit, & præfert notas inſignes Divinitatis. Quod adeò eſt clarum, ut & Deus ipſe ad hunc potiſſimùm characterem Divinæ gloriæ ſermoni ſuo quaſi digito ſuo impreſſum provocet, atque idolorum & falſorum atque imaginariorum Deorum, illorumque, qui locum & ſpiritum Dei in Eccleſiâ peculiari modo ſibi arrogant, hinc refutet vanitatem. Ita enim eſt Eſ. 41:4. *Quis molitus eſt & fecit? Vocans ætates ab initio; Ego Jehovah primus, & cum poſtremis idem ſum.* Eſ. 42:8.9. *Ego ſum Jehovah, hoc eſt nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo, & gloriationem meam ſculptilibus. Prima ecce venerunt: & nova ego indico; antequam pullulent, facio vos audire.* Eſ. 45:4.5.6. *Vocavi te nomine tuo, vocavi te, & non noſti me. Ego Jehovah, & non eſt alius, præter me non eſt Deus: cingo te, & non noſti me. Ut cognoſcant ab ortu ſolis & occaſu ejus, quòd non ſit præter me; Ego Jehovah, & non ſit ampliùs.* & Eſ. 46:10.11. *Qui indico à principio extremum, & antea, quæ non ſunt facta: qui dico conſilium meum ſtabit, & omnem voluptatem meam faciam. Qui voco ab Oriente volucres, à longinquo virum conſilii mei; etiam locutus ſum, etiam adducam illud; formavi, etiam faciam illud.* Quibus locis Deus Iſraëlis divinitatem ſuam, ut Eſ. 45:4.5.6. etiam adverſus ſculptilia, ut Eſ. 42:8.9. & nihil eſſe, cui aſſimulari poſſit, adverſus defectores facientes ſibi imagines, ut Eſ. 46:10.11. & Chriſtus æternam cum Patre Divinitatem, ut Eſ. 41:4. probat ab eo, quòd poſſit futura prædicere Item Eſ. 19:12. *Ubinam illi, ubi ſunt ſapientes tui? & indicent, age, tibi, & cognoſcant, quid conſuluerit Jehovah Deus exercituum ſuper Ægypto.* Eſ. 41:22.23. *Adducant & indicent nobis ea quæ eventura ſunt: priora quæ ſunt illa? indicate, & advertemus animum, & cognoſcemus exitum illorum; aut ea, quæ veniunt, facite nos audire. Indicate, quæ veniunt poſtmodùm, & cognoſcemus, quòd vos ſitis*

tis Dii. Ibid verſ. 26. *Quis indicavit ab initio, ut cognoſceremus, & antea, ut dicamus juſtus? ſimul non eſt, qui indicet, ſimul non eſt qui faciat audiri, ſimul non eſt qui audiat dicta veſtra.* Item. Eſ. 44:7. *Et quis ut ego vocat? & indicaret illud & ſiſteret illud mihi, ex quo pono populum ſæculi: & futura, & quæ veniunt, indicarent ſibi.* Quibus omnem auctoritatem alius, ſive Dei, ſive Petræ, ſive Doctoris & Capitis Eccleſiæ, quæ Divinæ adjungitur; & falſorum prophetarum, imaginum cultorum, loquentium in Spiritu Sancto præſumtam infallibilitatem redarguit ab eo, quòd ſic futura prædicere non poſſint. Eſt & ubi tyrannorum ferocia, objectâ ipſis quaſi manu Dei, & ſigno ſenſibili præſentiæ ejus, prophetiâ, in quâ immanitas ipſorum fuit ante depicta, reprimitur. Ut Eſ. 37:26. *Annon audiviſti quòd à longinquo feci illud, à diebus priſcis formavi illud? non adduxi illud, ut ſis ad confundendum acervos ruderum urbes arduas.* Ut nim. fiant acervi ruderum.

§. 2. Et quidem placuit Deo pro immenſâ ſuâ ſapientiâ ac bonitate hâc quaſi luce majeſtatis ac supereminentiæ ſuæ irrefragabili illuſtrare atque inſignire verbum ſuum, tum fidei excitandæ & confirmandæ; ne quid de auctoritate reliquæ revelationis & fundamentalis doctrinæ dubitandi occaſio eſſet, utpote ab iiſdem Viris ſanctis eodem numine afflatis, & eâdem ubique præmiſſâ Divini dictaminis formulâ conſignatæ, & magnam partem ipſi prophetico ſermoni intertextæ: Vid. inf. Art. X. Unde Petrus 2 Petr. 1:19. 20. 21. προφητικὸν λόγον, & προφητείαν γραφῆς conſtituit firmiſſimum fidei principium, ejuſque utilitatem lucem claram in cordibus orientem inſtar diei; & attentionem ad illam collaudat, & quomodo in illâ ſcrutandâ verſari debeamus, oſtendit. Tum etiam defectionis coërcendæ; ne magnifica Dei opera, quibus vel inſigniter benefacit aut judicat hoſtes Eccleſiæ, more ingenii humani trahentur in occaſionem peccandi, & firmamentum falſæ religionis, quemadmodum ſic olim Judæi per multiplices Dei benedictiones in terrâ eo adducti fuerunt, ut Chriſtum abnegarent. Hunc enim finem editæ prophetiæ facit Eſaias cap. 48:3. 4. 5. *Prima pridem indicavi, & ex ore meo exiverunt, & faciebam audiri illa, derepente feci, & venerunt. Quia ſciebam, quòd durus* (ſive *intractabilis*) *eſſes, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea eſſet. Ideò indicabam tibi pridem, antequam veniret, feci te audire; ne diceres, idolum meum fecit ea, & ſculptile meum, ac fuſile meum, juſſit illa.* Vel etiam ſi poſſit doctrina, aut hypotheſis ipſorum falſa, item opera & ſtudia ipſorum, ex Scripturâ propheticâ demonſtrari. Quò reſpicit Chriſtus Joh. 5:46. 47. *Ne putate, quòd ego accuſaturus ſim vos apud Patrem. Eſt qui accuſat vos, Moſes, quo confiditis. Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi. De me enim ille ſcripſit.*

§. 3. Eodem conſilio & fine Deus voluit oracula ſua & promiſſiones ac

minas rerum futurarum literis mandari atque in perpetuum conſervari, ut rebus prædictis exſtantibus poſſent cum his conferri, & quæ vera fides ac ſana doctrina, quæ vera Eccleſia, quæ defectrix, quis verus rex Eccleſiæ, quis adverſarius, hinc poſſet omni tempore, nec tantùm ex partibus doctrinæ, ſed etiam ex operibus ac ſtudiis & eventis ipſis rerum futurarum, agnoſci ac demonſtrari. Ita enim Deus ad Moſen: *Et nunc ſcribite vobis canticum hoc, & doce illud filios Iſraëlis, pone illud in ore ipſorum, ut ſit mihi canticum hoc teſtis in filios Iſrael. Et erit quum obtingent ei mala multa & anguſtiæ, tunc reſpondebit canticum hoc coram ipſo pro teſte. Nam non tradetur oblivioni ex ore ſeminis ipſius.* Deut. 31: 19. 21. Et David in Spiritu id futurum præſentiens ita canit: *Memorari faciam nomen tuum in omni ætate & ætate.* Pſalm. 45: 18. Prædicit ſcil. non tantùm omni generationi nomen Chriſti, h. e. quis & qualis ſit rex Eccleſiæ, in hominum memoriâ fore, ſed etiam mediante hoc Pſalmo, cum ſimilibus Prophetiis. Item Pſal. 57: 10. *Confitebor te in populis, Domine; pſallam te in nationibus.* Nam Chriſti gubernatione effectum eſt, ut hoc Davidis teſtimonium ad omnes gentes perveniret. Et Pſ. 102:19. *Scribatur hoc in ætatem poſtremam, ut populus, qui creatur, celebret Jah.* Scribi nim. Deus voluit promiſſiones rerum futurarum, & ipſam rei geſtæ, maximè in exhibitione Salvatoris, hiſtoriam. Finis ſcriptionis, ut ſit inſtrumentum notificandi nomen Dei & decentiam ejus. Huc facit mandatum ſcribendi, quod eſt apud Eſaiam: *Nunc veni, ſcribe illud in tabulâ apud ipſos, & in libro exara illud; & erit in diem poſtremum, in perpetuum, in ſæculum.* Neceſſitas ſcribendi: *Nam populus inobediens ille eſt, filii abnegantes, filii qui non voluerunt audire legem Domini.* Quia nim. opus eſt Scripturâ vindice veritatis adverſus inobedientes. Eſ. 30: 8. 9. Itemque apud Jeremiam: *Scribe tibi omnia verba, quæ locutus ſum ad te in libro. Nam ecce dies veniunt, ait Jehovah, & reſtituam jacturas populi mei Iſrael & Juda, dixit Jehovah; & reducam eos ad terram, &c.* Juſſit nim. Deus ſcribi verba ſua, & voluit ea in perpetuum conſervare, ut poſtremo tempore recognoſcerentur vera, & verba Dei fierent inſtrumentum convertendi infideles ad Deum. Jer. 30: 1. 2. Conf. Deut. 30: 6. Ez. 34: 27. item Dan. 12: 4.

§. 4. Quamvis autem ſic dubitari nequeat, quin is ſermo, qui continet prædictiones rerum non modo parvo tempore, ſed etiam multis poſt ſæculis futurarum, Deum peculiari quodam modo habeat ac probet auctorem, & qui eum ſermonem, ut internuncii ac interpretes numinis apportant, ſint accipiendi, quaſi Deus ipſe loqueretur de cœlo: *Credite in Domino Deo veſtro, & permanebitis; & credite prophetis ejus, & proſperamini.* 2 Chron. 20: 20. non tamen olim, antequam Prophetia eſſet in canonem relata, quivis afferens verbum Dei pro vero & genuino prophetâ erat habendus. Cau-

tum

tum enim eſt Deut. 18: 21. 22. cum demum prophetam, cujus verbum venerit, agnoſcendum eſſe pro eo, quem Deus miſerit: Quod apertum eſt non intelligendum eſſe de eo Prophetâ, qui ordinariâ increpatione impietatis & injuſtitiæ utitur, & non agentibus pœnitentiam judicia Divina, quæ in lege continentur, denunciat; ſed de eo, qui bonum aliquod eventurum pronunciat. quemadmodum & Jeremias declarat, cap. 28: 9. *Propheta, qui exſtiterunt ante me & ante te à ſæculo, vaticinati ſunt de terris amplis, & de regnis magnis, de bello, & de malo, & de peſte.* & hos prophetas nihil neceſſe erat habere aut proferre argumentum, quo clarè conſtaret, eos eſſe à Deo miſſos. Nam ſi in nomine Dei loquerentur, ut eſt Jer. 26: 16. & nihil aliud, quàm peccata reprehenderent, & malum denunciarent ἀμετανοήτοις, erant recipiendi. Nam & hoc Deus ubique in lege ſuâ agit. Qui autem nihil aliud dicit, quàm quod Deus dicit, non cogitur probare ſuam miſſionem. Sed *Propheta, qui vaticinaretur de pace*, & quidem non ſecundùm præcedens verbum Dei, *cùm veniſſet verbum Propheta illius, cognoſcebatur Propheta, quem miſiſſet Jehovah reverà.*

§. 5. Etiamſi autem hoc ita ſit, tamen non ſequitur, nullam fuiſſe fidem eorum, qui bona nunciarent. Nam ſi ita eſſet, fruſtra viderentur mitti Prophetæ rerum bonarum & pacis, & temerè feciſſet David, quòd credidit Samueli prophetanti de regno & bono Iſraëlis: itemque Judæi, quòd Haggæo & Zachariæ prophetantibus de felici ædificationis templi paruerunt. Atqui non temerè fecerunt. Contrà peccaſſent, ſi non credidiſſent: & in fide Divinarum promiſſionum certamina ac diſcrimina ſubierunt. Quæres igitur, quibus argumentis agnoſci potuerit divina miſſio alicujus prophetæ etiam boni quid prænunciantis? Reſp. Inprimis ne loquatur Propheta, niſi in nomine veri Dei, Dei, inquam, Iſraëlis, & per doctrinam ſuam ne ſeducat ad alium Deum, aut aliud fœdus, aliamve juſtitiam. Deuter. 13: 1. 2. Deinde ne conſuat culcitras ſuis prophetiis, quas ſupponat ſcapulis hominum in peccatis obfirmatorum, & pacem ſibi, auditâ fœderali adjuratione promittentium, quum infirmitate cordis ſui ambulant. Ezech. 13: 18. Deut. 29: 19. Omnia igitur ad regulam Decalogi & legis à Moſe datæ, ſi de moribus & judiciis agatur, ad promiſſionem & fœdus patribus & Abrahamo datum, ſi de benedictionibus, priùs examinentur, & quatenus non repugnant, non rejiciantur tanquam falſa, ſed ſaltem in ſingularibus eventis, ut interpretatio quædam poſſibilis & probabilis Legis & promiſſionum ac comminationum recipiantur. Tum nihil temerè occipiant homines propter quemvis, qui venit tanquam Propheta. Sed ſi homines converſi fuerint toto corde ad Deum, ſi exiſtat Propheta, qui eos jubeat bona ſperare, rectum eſt non deſperare, ſed hâc promiſſio-

ne & conſolatione roborari ad conſtantiam recti facti & patientiam afflictionis. Ita Iſraëlitæ, quum promiſſionem haberent de reædificando templo, quumque ex toto corde converſi eſſent ad Deum, rectè fecerunt, quòd crediderunt Haggæo & Zachariæ felicem ſucceſſum pollicentibus: David item quum exſtaret promiſſio de regno tribui Judæ dando, quumque verbum Samuëlis hactenùs non cecidiſſet in terram, dum credidit Samuëli, credidit Deo. Ita tempore Joſaphati quum extitiſſet Propheta, qui eos, pœnitentiam agentes, juberet bono animo eſſe, meritò populus in bonam ſpem erectus fuit, ſeque ad videndum magnifica Dei opera excitavit.

§. 6. Quod ſi præterea verbum ejus evenerit, ſive de bono, ſive de malo, non eſt dubitandum, quin fuerit Propheta à Deo miſſus, & in reliquis quoque fides ei debeatur, & hoc quaſi ſignaculo Divinæ miſſionis auctoritas ei Prophetica concilietur. Ita enim eſt Ezech. 24:26. 27. Nonne eo die, quo auferam ab ipſis ſanctuarium meum, *eveniet, qui effugerit, ad te veniet, ut audire faciat aures? Illo die aperietur os tuum apud eum, qui effugerit, & loqueris, & non obmuteſces ampliùs, & eris ipſis in portentum, & cognoſcent, quòd ego Jehovah.* Item Ezech. 29:21. *Illo die faciam germinare cornu domui Iſraël, & tibi dabo apertionem oris in medio illorum: & cognoſcent, quòd ego Jehovah.* & Ezech. 33;21. 22. *Et factum eſt duodecimo anno... venit ad me, qui effugerat Hieroſolymis, dicens, Percuſſa eſt civitas. Et manus Jehovæ fuerat in me veſperi, antequam veniret evaſor, & aperuerat os meum, & non mutus exſtiti ampliùs.* Et verſ. 33. Ibid. *Quum autem venerit (ecce venit) cognoſcent, quòd propheta exſtiterit in medio ipſorum.* Non loquuntur ſcil. prophetæ, & muti ſunt, quando & quamdiu de auctoritate illorum dubitatur; os ſuum aperiunt, & loquuntur, quum rebus exſtantibus, quas prædixerunt, auctoritas ipſorum & Divina miſſio comprobatur, & Deus per ipſos loqui agnoſcitur.

§. 7. Neque id mirum; quum primum & antecedens quodque implementum ſit ſignum, obſes, atque argumentum eventus reliquorum. Atque hinc eſt, quòd Deus interdum per antecedentem aliquam prophetiam fidem faciat ſequenti, & hanc illà quaſi obſignet. Cujus rei exemplum exſtat evidens apud Jeremiam cap. 44:29. 30. *Et hoc vobis ſignum*, ait *Jehovah: quòd ego viſitem ſuper vobis in loco hoc, ut cognoſcatis, quòd conſtitutura ſint verba mea contra vos in malum.* Vos nim. profligatum & occiſum iri. *Sic dixit Jehovah: Ecce ego do Pharaonem Hophra regem Ægypti in manum inimicorum ipſius; & in manum quærentium animam ipſius, quemadmodum dedi Zedekiam regem Judæ in manum Nebucadnezaris regis Babel, inimici ipſius & quærentis animam ejus.* Rex nim. Ægypti ab inimicis victus, & deinde occiſus,

ſus, ſignum debuit eſſe Judæis, & ipſos profligatum iri & occiſum. Item Eſaias cap. 8: 1. 2. 3. 4. confirmandis ſuperioribus prophetiis addit ſignum, nim. prophetiam de naſcituro ſibi filio, cujus nomen, portendens eventum, in grandi volumine ſcribit.

§. 8. Imò eſt, ubi in primo implemento tanquam exordio & ſignaculo executionis & eventus reliquorum jam omnia fieri dicuntur. ut Matth. 24: verſ. 34. Ubi poſtquam Servator ſeriem rerum futurarum à bello Judaico uſque ad finem mundi percenſuiſſet, verſ. 8 — 14. & 15 — 31. uſum quoque prædictionum oſtendiſſet, ut ſingula prædictorum animadverterentur, tanquam ſigna adventus Domini, magis magiſque appropinquantis, verſ. 31. 32. hunc uſum nobis promptum facit, affirmando, quòd ætas iſta non ſit præteritura, *antequam hæc omnia fiant.* Non quòd omnia iſta eâ ætate debeant conſummari, ſed quod eæ res inter ſe concatenatæ, & indivulſum contextum habentes debeant geri incipere, quòdque priora ſint quaſi pignora ſequentium, quaſi illa jam facta eſſent, quia certum eſt, ea futura eſſe. Add. Ezech. 12: 23. 28.

§. 9. Præ cæteris verò non omittendum, ad veterem Prophetiam, ſi quæ exſtet, de cujus auctoritate conſtet nobis, recentem omnem, quæ de novo affertur, referendam cum eâque contendendam eſſe. Ita enim quæ poſteriores Prophetæ de rebus futuris loquebantur, Moſis præjudicio atque auctoritate confirmari oportebat: neque admitti debuerunt, niſi quia cum ipſo, ſaltem in generalioribus, atque in eodem ordine antecedentium & conſequentium conſentirent. Deus enim ex cœlo Moſen & populum allocutus eſt in fidem eorum, quæ poſtea debebant dici. Heb. 3: 5. Ita Jeremias defenditur ex prophetiâ Michæ, Jerem. 26: 18. Ipſe Michas recitat verba Eſaiæ cap. 4. Zephanias quaſi ad Micham provocat cap. 4: 6. Sic paſſim Apocalypſis prophetarum verba fecit ſua, agens de iisdem rebus, lectores quaſi remittens ad integras eorum prophetias, tanquam ad fontes & commentarios. Imò hoc vel ſolo nomine, etiamſi nullæ aliæ rationes ſupereſſent, de divinitate Apocalypſeos Johannis poſſumus eſſe certi: quia hoc teſtatur de Chriſto, quod Prophetia Vet. Teſtamenti, quodque Chriſtus & Apoſtoli locuti ſunt: & quia ea, quæ prænunciavit, eadem ſunt cum illis, quæ & Moſes & David, & omnes deinceps Prophetæ in regno Chriſti futura prænunciarunt; & quia ea nec teſtari, nec prænunciare ad eum modum potuit, niſi in Spiritu S. loquens.

§. 10. Neceſſaria eſt autem meditatio Prophetiæ multis de cauſis: 1. Quia in eâ continetur objectum fidei, quod eſt aliquid non viſum, & aliquid ſperatum. Heb. 11: 1. Nam fidei objectum in promiſſionibus continetur, promiſſiones autem pars ſunt prophetiæ.

§. 11. 2. Quia Chriſtus per Prophetias, id eſt primarium fidei objectum, tum ratione eorum quæ fecit, & paſſus eſt, tum ratione eorum, quæ dixit, h. e. tum veritas ipſius perſonæ, tum veritas doctrinæ, & potuit, atque adeo debuit cognoſci & comprobari. Inprimis de ſermonibus & doctrinâ Chriſti id eſt manifeſtum. Non enim propter præjudicatam auctoritatem Chriſti & Apoſtolorum ipſis debuerunt aſſentiri auditores vel Judæi vel gentiles, ſed potentiâ demonſtrationis ex Moſe & Prophetis adducti & convicti. De Judæis id quidem apertum eſt, quam gentem Spiritus notavit elogio gentis durâ cervice ac fronte ferreâ, eam abſque evidentiſſimâ iſtiuſmodi demonſtratione, ut Chriſto crederet, adduci nullâ ratione potuiſſe. Et verò Moſes & Prophetæ ipſis ut teſtes dictorum Chriſti erant commendati. Adeo ut niſi Chriſtus dixiſſet ea, quæ Moſes & prophetæ dicturum prædixerant, pro Chriſto non potuerit, nec debuerit, haberi. De gentibus verò dubitari poteſt. Quum enim Deus ipſis ſtatuta ſua ac judicia ſua, id eſt ſcripta Moſis & Prophetarum, in quibus ea ſtatuta ac judicia ſunt explicata, non dediſſet, Solem verò tantùm & ſidera ac totum hunc mundum aſpectabilem, unde cognoſcerent Deum, ſi forte ſic palpando ipſum ex operibus ipſius invenirent, iis impertiiſſet; fruſtra quidem auctoritas Moſis & Prophetarum apud ipſos allegari potuiſſe videtur. Enimverò Apoſtolus gentium hunc nodum ſolvit, Rom. 16:26. ubi de gentibus diſertè affirmat: quòd *myſterium Dei olim tacitum, jam verò manifeſtatum ipſis* gentibus *notificetur per Scripturas propheticas.* Nihil ergo ex ſententiâ Apoſtoli, ne gentes quidem, & qui verbum Dei non habebant, niſi demonſtratum ex Scripturis propheticis admittere debuerunt.

§. 12. Idque etiam ſuprà dictis de auctoritate Moſis, reſpectu eorum, quæ in poſterum erant dicenda, eſt apprimè conſentaneum. Si enim Moſis teſtimonium debuit valere ad confirmationem eorum, quæ in poſterum dicenda erant, utique etiam ad confirmationem eorum, quæ per Chriſtum & Apoſtolos dicenda erant. Nihil ergo debuit dicere Chriſtus, quod non dixiſſet Moſes: & ex Moſe dicta Chriſti teſtimonium habuerunt. Quanquam in modo, quo id dixerat Moſes, & quo Chriſtus idem dixit, fuit permagna differentia. Moſes enim dixit ac teſtatus eſt, ut θεράπων, *famulus* in domo Dei; Chriſtus eadem *incepit loqui*, ut *filius*, Heb. 1:1. & ut *Dominus* in domo. Ibid. cap. 2:3. Non enim potuit dicere Moſes, *Venite ad me, qui defatigati eſtis, & ego requiem dabo vobis.* quanquam potuerit dicere, ut teſtis, & famulus, fore aliquando tempus, quo Dominus hæc aut ſimilia verba eſſet locuturus. Hinc Chriſtus paſſim provocat ad teſtimonium Moſis & Prophetarum, iiſque doctrinam ſuam confirmat. Vid. Joh. cap. 5:39. 46. 47. Luc. 16:29. 31. & profitetur, ſe non aliam doctrinam afferre,

quàm

quàm eam, quam doctus eſſet à Patre, loquente nim. in Scripturis. Ita enim eſt Joh. 8: 28. *Sicuti docuit me Pater, hæc loquor.* ſ. doceo. & Johan. 7: 16. *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.* q. d. non eſt nova, aut à me primùm excogitata, ſed maximè antiqua, & jam olim in Scripturis tradita per illum, qui miſit me. Subjicit enim: *Si quis voluerit, quod ille vult facere, cognoſcet de doctrinâ, an ex Deo ſit, an verò ego à me ipſo loquar.* Ergo omnibus integrum erat cognoſcere de doctrinâ Chriſti, an ex Deo eſſet. Quomodo autem, niſi per collationem ejus cum Scripturis Propheticis, quæ ſolæ tum temporis pro verbo Dei habebantur. Conf. Joh. 5: 37. 38. Quò reſpicientes Judæi, *docente* Chriſto, mirabantur, *quomodo is literas* (ſacras) *noviſſet, cùm eas non didiciſſet?* Joh. 7: 14. 15. Ut ſint reverâ ac debuerint eſſe ſermones Chriſti veræ ἀποδείξεις ſive *demonſtrationes*, non meræ ἀποφάσεις, *definitiones*; & habuerint φανέρωσιν πρὸς πᾶσαν συνείδησιν, *manifeſtationem ad omnem conſcientiam*, 2 Cor. 4: 2. & ſic fuerint potentes ac validæ ad convellendum omnem ratiocinationem.

§. 13. Si aliter eſt, ne quidem *Prophetia* erit Prophetia & prænunciatio, neque promiſſio erit promiſſio, ſed ſermo obſcurus, nihil docens, nihil demonſtrans & Chriſti atque Apoſtolorum doctrina carebit teſtimonio. Imò *Euangelium* non erit Euangelium: Cùm enim Euangelium nihil aliud ſit, quàm annunciatio eorum, quæ promiſſa, prædicta, ſperata, exſpectataque olim fuerunt, huic Euangelicæ annunciationi ſive narrationi credere non eſt niſi illius, qui ea, quæ prædicantur, cum iis quæ prænunciata ſunt, contulerit, & horum cum illis convenientiam habuerit exploratam.

§. 14. Eadem autem, quæ ſermonum Chriſti, tum operum quoque tum paſſionum illius eſt ratio. Ex Scripturis enim propheticis debuit cognoſci, quòd in iis, quæ Chriſtus faceret, peccatum non eſſet, & quòd opera per ipſum facta eſſent opera Divinæ potentiæ, non ad tentandum Iſraëlem, ſed ad demonſtrandum Servatorem comparata. Hinc Chriſtus ex operibus ſuis miraculoſis & beneficiis, quibus ad minimùm ſe parem Moſi demonſtrabat, collatis cum iis, quæ Moſes & Prophetæ de his teſtati erant, vult exiſtimari & colligi, ſe eſſe Chriſtum. Matth. 11: 4. 5. Joh. 5: 36. Et paſſiones quod attinet, in ipſâ hiſtoriâ ultimæ paſſionis Chriſti, ipſius verbis excitamur, ut recogitemus, an non paſſio Chriſti ſecundùm omnes partes ita contigerit, quemadmodum ante deſcripta eſt. Vid. Matth. 26: 54. & 56. Conf. Act. 17: 2. 3. 26: 22. 23.

§. 15. Inſigniter huc facit locus Matth. 5: 17. ubi dicit Chriſtus *ſe veniſſe ad Prophetas implendum.* Ex quo intelligimus, promiſſiones & prophetias ad Regnum Chriſti pertinere: & Chriſtum ex prophetiis debuiſſe cognoſci, atque

atque adeò fundamentum eorum, quæ Chriſtus & Apoſtoli dixere, & quæ Chriſtus fecit & paſſus eſt, imò etiam quæ de futuris prædicere, in veteribus prophetiis contineri, & nos decere, ut hoc ipſum demonſtremus, ſi verè volumus Chriſtum ut πληρωτὴν τοῦ νόμου καὶ τῶν Προφητῶν celebrare. Conf. Matth. 11: 13.

§. 16. 3. Neceſſitas ſtudii Prophetici oſtenditur ab eo, quòd Chriſtus Judæos ſui temporis damnet, ut ſtupidos, ſocordes, & ſermonem Dei non habentes in ſe, quòd ipſi non crederent, quem Deus miſerat, neque ſigna temporum probarent atque animadverterent, Matth. 16: 2. 3. Luc. 12: 56. Idque facit Chriſtus per eundem Spiritum, qui jam ante per Eſaiam hanc ſocordiam atque ignorantiam Scripturæ Propheticæ in viſione ipſis exprobrârat, Eſ. 22: 11. *Et reſpicis illo die ad armamentarium domus ſylvæ*, &c. ad arma munimenta & arces reſpicitis... *At non reſpicitis ad eum, qui hoc facit, & eum, qui id formavit à longinquo, non videtis.* ad Deum nempe qui hæc per Prophetas fuerat prælocutus. Nam & Moſes debebat fieri judex incredulorum, & nominatim Canticum ipſius debebat fieri teſtis in ore ipſorum contra ipſos, Deut. 31: 19. item Eſ. 45: 11. *Ventura interrogaverunt me de filiis meis*, Patres veſtri, Prophetæ, Sancti ſcrutati ſunt verbum meum, ut ex eo diſcerent, quales filios habiturus eſſem, *& de opere manuum mearum præcepta datis mihi.* Vos ſcil. qui non vultis Deum veſtrum interrogare, & ad ea, quæ Patribus reſpondi, non attenditis, me judicatis & damnatis, quod quæram perditas oves Iſraëlis. Item Eſ. 48: 14. 15. *Congregamini omnes vos*, oves meæ, vocati mei, *& audite: Quis ex illis* immorigeris Judæis *indicavit hæc?* nempe quòd is, *quem Jehovah diligit*, Filius Dei, Angelus Teſtamenti, *faciat voluptatem ejus in Babylone*, exſcindendo illos per Perſas, *&* quòd *brachium ejus ſint Chaldæi.* Significat, ſedentes, in cathedrâ Moſis, & opinione infallibilitatis turgidos, ſe & opera ſua antiqua ignorâſſe, & non indicâſſe, ne ex Prophetiis quidem. Add. Joh. 5: 45. 46.

§. 17. 4. Quòd magno conſtiterit Judæis hæc ſocordia, quia per illam factum eſt, ut non crederent, & opus Dei etiam videntes non viderent. Eſ. 5: 6. Act. 28: 26. & ſic indurarentur, & in ſtupentes atque induratos ſeveritas deſtillaret. Dan. 9: 27.

§. 18. 5. Quòd Prophetia cum rebus geſtis comparata cedat ad amplificationem gloriæ Dei, ut per totum orbem cognoſcatur, præter Deum Iſraëlis, nullum eſſe amplius Deum. Ita enim eſt apud Eſaiam cap. 45. *Sic dixit Jehovah uncto ſuo Cyro: ô tu, quem apprehendi dextrâ ſuâ, ad ſubigendum coram ipſo gentes*, &c. vers 1. *Ut cognoſcas, quòd ego ſim Jehovah, Deus Iſraelis.* vers 3. *Ego Jehovah & non eſt alius, præter me non eſt Deus: Cinge te, & non noſti me.* v. 5. *Ut cognoſcant, ab ortu Solis & occaſu ejus, quòd non ſit præter me; Ego Jehovah, & non ſit amplius.* v. 6. §. 19. 6. Quòd

§. 19. 6. Quòd Prophetia inſigne præbeat argumentum probandi Divinam Dei majeſtatem ac præcellentiam adverſus Deos gentium in ſculptilibus adoratos, utpote quâ Deus ipſe adverſus eos ſe efferat & glorietur. Eſai. 42: 8. 9. *Ego ſum Jehovah, hoc eſt nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo, & gloriationem meam ſculptilibus. Prima ecce venerunt: & nova ego indico; antequam pullulent, facio vos audire.*

§. 20. 7. Quòd ex operibus Divinæ potentiæ collatis cum prædictionibus demonſtrari debuerit Judæis Chriſtum denuò per os hæreticorum impugnantibus, quòd Chriſtus ſit verus & æternus Deus. Id enim futurum hoc argumento Deus ipſe his ſignificavit apud Eſaiam: *Silete ad me, Inſulæ, & nationes renovabunt vires... Quis excitavit ab Oriente eum, cui juſtitia occurrebat ad pedem ejus? Dabat coram ipſo gentes, & reges ſubigebat?* &c. *Quis molitus eſt & fecit?* q. d. Quæ putatis eſſe, & πάντα censetis, qui iſta non tantùm deliberavit, ſed & fecit, nec tantùm fecit, ſed & deliberavit? Supponit enim, eum, qui hæc fecit, eundem etiam ea antea decreviſſe: atque adeo ante promiſiſſe. Reſpondet ipſe tanquam formans concluſionem: *Vocans ætates ab initio; Ego Jehovah primus, & cum poſtremis idem ſum.* Eſ. 41: 1. 2. 4.

§. 21. 8. Quia arrogantia Papæ vicariatum Chriſti in Eccleſiâ, & Epiſcoporum Spiritum Sanctum & infallibilitatem ſibi adſciſcentium & jactantium, non poteſt efficacius contundi, quàm ex eo, quòd neque poſſint futura prædicere, nec prophetias explicare. Quare etiam Deus hâc ratione ſæpiùs uti non dubitavit. Primò Eſ. 19: 11. 12. *Quoniam dicitis ad Pharaonem*, regem ſpiritualis Ægypti: *Ego ſum filius ſapientum, ô fili regum priſcorum. Ubinam illi, ubi ſunt ſapientes tui? & indicent, age, tibi, & cognoſcant, quid conſuluerit Jehovah Deus exercituum ſuper Ægypto.* Ignorant ſcil. quæ ſit Ægyptus in verbo Dei deſcripta, & neſciunt, quæ Deus ſuper eâ conſuluerit, quæ partim facta erant, partim in futurum decreta. Ergo Epiſcopi non ſunt filii & ſucceſſores ſapientum, Apoſtolorum & Prophetarum, & falſò vocatur Papa Rex Eccleſiæ, ſucceſſor Davidis & Solomonis, imò Chriſti vicarius. Item Eſ. 41: 22. 23. *Adducant & indicent nobis ea, quæ eventura ſunt: priora quæ ſunt illa? indicate, & advertemus animum, & advertemus animum, & cognoſcamus exitum illorum; aut ea, quæ veniunt, facite nos audire. Indicate, quæ veniunt poſtmodùm, & cognoſcemus, quòd vos ſitis Dei.* h. e. vicarii Chriſti, neceſſarii interpretes verbi Dei, & Prophetæ loquentes in Spiritu Sancto quales ſolent λέγεσθαι θεοί. Nempe ſi ſunt Chriſti vicarii, & Spiritus Sanctus in ipſorum pectore ſedet, debent poſſe explicare Prophetias, & oſtendere priora & poſteriora. Quum ergo id non poſſint, quis credet, eis eſſe revelatam veritatem non ſcriptam, vel ſenſum Scripturæ,

 quem

quem ſine demonſtratione dictent. Et verſ. 25: 26. Ibid. *Excitavi ab Aquilone & venit... Quis indicavit ab initio ut cognoſceremus, & antea, ut dicamus juſtus? ſimul non eſt qui indicet, ſimul non eſt qui faciat audiri, ſimul non eſt qui audiat dicta veſtra.* Huc pertinet Eſ. 43: 9. ubi tam *gentes congregatæ*, h. e. Eccleſia gentium, quàm *nationes*, h. e. tribus Iſraëliticæ Chriſtum abnegantes, quæ ſimiliter ac illæ, volunt habere regnum terreſtræ, & regem adſpectabilem, qui populum Dei contineat in officio, ſiſtuntur fidelibus judicandæ, hâc potiſſimum ratione: *Quis in illis indicabit hoc? & priora faciant nos audire.* Ad probandum ſcil. quòd non detur alius rex in Eccleſiâ, qui vicem Dei gerat, ſumitur argumentum ab ignoratione Prophetiæ. quòd non poſſint indicare, vel quòd Deus facturus erat, vel ipſa, quæ facta erant, oſtendere ita debuiſſe fieri ſecundùm verbum Dei. *Dent teſtes ſuos*, Moſen & Prophetas, quòd de ipſis teſtati ſint, ut veris regibus & Prophetis, *& juſti ſint, & audiant* potiùs, quid dicat Deus in verbo ſuo, *& verum dicant.* Sic Eſ. 44: 6. 7. Deus rejicit omnem auctoritatem, quæ Divinæ aſſociatur, eo quòd nemo, ut ipſe, vocet populum. Quod probat, quia nemo eſt qui poſſit indicare ſ. ordine exponere, nedum ſiſtere, illa omnia, quæ Deus format, inprimis quomodo ponat Deus populum æternum; & quia nemo poteſt indicare futura, & quæ imminent. *Sic ait Jehovah rex Iſraëlis & vindex ejus, Jehovah Deus exercituum: ego primus & ego poſtremus, & præter me non eſt Deus. Et quis ut ego vocat? & indicaret illud, & ſiſteret illud mihi, ex quo pono populum ſæculi: & futura, & quæ veniunt, indicarent tibi.*

§. 22. 9. Quia adverſus defectores facientes ſibi imagines eſt oſtendendum, nihil eſſe, cui Deus aſſimilari poſſit, eſtque id faciendum inter alia à prædictione rerum futurarum, & præformatione omnium, quæ à principio ad finem fient; in quo Deus parem aut ſimilem non habet. *Cui aſſimilabitis me & facietis æqualem: & comparabitis me & ſimiles erimus? ... Qui indico à principio extremum, & antea, quæ non ſunt facta: qui dico, conſilium meum ſtabit, & omnem voluptatem meam faciem. Qui voco ab Oriente volucres; à longinquo virum conſilii mei; etiam locutus ſum, & adducam illud; formavi, etiam faciam illud.*

§. 23. 10. Quia ex Prophetiis poteſt demonſtrari Divinitas operis Reformationis, & ſic veritas Religionis Reformatæ. Nam promittit Deus apud Eſaiam, cap. 41: 20. ſe hoc opus tam evidenter operaturum eſſe, ut facilè omnes collatis vaticiniis poſſint intelligere, id opus ſuum eſſe, tanquam regis & vindiciis Eccleſiæ. *Videant*, inquit, *& cognoſcant, & advertant, & conſiderent unà, quòd manus Jehovæ fecerit hoc; & Sanctus Iſraelis creaverit iſtud.* Eſſe enim ibi ſermonem de Reformatione Eccleſiæ, patet ex ipſo v. 17: 18. 19.

§. 24. 11. Quia

§. 24. 11. Quia Antichriſtus ſuo tempore ex Prophetiis debuit agnoſci. Ita Eſaias cap. 14: 16. 17. dicit, Antichriſtum poſt caſum ſuum fore ſpectaculo plurimis, qui ipſum conſideraturi & contemplaturi ſint diligentiſſimè. *Videntes te, tibi intendent, conſiderabunt te. An hic eſt vir ille, qui commovebat terram & regna? Qui ponebat frugiferam ut deſertum*, &c. Hæc compleri non poſſunt niſi per ſcrutationem & examinationem omnium, quæ de Antichriſto ante dicta ſunt, & hiſtoriæ illis convenientis. Item Ezech. 38: 17. introducitur Deus ipſe corripiens Antichriſtum quaſi in flagranti crimine, ex quo non poſſit diutiùs ignorari, deprehenſum, cum admiratione, quòd talis, à quo omnia alia fuiſſent exſpectanda, auſus ſit implere omnia, quæ Deus olim per Prophetas ſuos de Antichriſto prædixerat. *An tu is, de quo locutus ſum per ſervos meos prophetas Iſraëlis, qui vaticinabantur in diebus illis, annis, de adducendo te ſuper ipſos?*

§. 25. 12. Quia per claram intelligentiam atque explicationem Prophetiarum oportet confutari & explodi Antichriſtum; cui Deus tempus indulſit, quo tempore quamvis captet illorum præſagia, qui Scripturas Propheticas detorquent, & his ſe conſoletur, tamen poſſit ad ſatietatem interrogari ex Scripturis, & nihil reſpondens exſibilari. Ita enim Eſaias: *Et videbam, & non erat vir; & de his, & non erat conſilium dans: & interrogabam illos, qui referrent verbum.* Eſai. 41: 28. *Defatigata es in multitudine conſiliorum tuorum, conſiſtant, age, & ſalvent te Aſtrologi, aſpicientes ſtellas, notificantes in menſes quicquam de iis, quæ evincent.* Eſai. cap. 47: verſ. 13.

§. 26. 13. Quia omnia, quæ prædicta, certò habitura erant ſuum eventum. Nam *Tempus faciendi*, ſ. peragendi, quæ acturum ſe ante per Prophetas ſuos locutus eſt, quæque aliquot jam partibus fecerat, *eſt Jehovæ*. Pſalm. 119: 126. *Hoc eſt conſilium initum ſuper totâ terrâ, & hæc eſt manus extenſa in omnes gentes. Nam Jehovah Deus exercituum conſuluit, & quis irritum faciet; & manus ipſius quæ porrecta eſt, & quis eam retroaget?* Eſai. 14: 26. 27. *Qui dico, conſilium meum ſtabit, & omnem voluptatem meam faciam.* Eſai. 46: 10. *Non avertetur fervor iræ Jehovæ, quoad fecerit, & quoad exſtare fecerit decreta cordis ſui.* Jerem. 30: 24. Imò jam inde à captivitate Babylonicâ acceleranda erat impletio omnium Prophetiarum. *Fili hominis, quid ſibi vult proverbium hoc vobis in terrâ Iſraël, nimirum: Prolongabuntur dies, & peribit omnis viſio? Quapropter dic ad ipſos: Sic dixit Dominus Jehovah: Abolevi dicterium hoc, & non utentur eo ampliùs in Iſraële, ſed (loquere ad ipſos) prope abſunt dies, & verbum omnis viſionis. Nam non exiſtet ampliùs ulla viſio temeraria & divinatio blanda in medio domus Iſrael. Nam ego Jehovah loquar, qualecunque verbum loquar, & fiet;*

non protrahetur ampliùs ; ſed in diebus veſtris , domus inobedientiæ , loquar verbum & faciam illud: ait Dominus Jehovah. Et factum eſt verbum Jehovæ ad me , dicendo : Fili hominis ; Ecce domus Iſraël dicunt : Viſio , quam ille videt , eſt in dies multos , & in tempora longa ipſe prophetat. Quapropter dic ad ipſos : Sic dixit Dominus Jehovah: Non protrahetur amplius tempus omnium verborum meorum ; qualecunque verbum loquar , etiam fiet : ait Dominus Jehovah. Ezech. 12: 22 —28. Ut qualia illa ſint, quæ prædicta, exſtantibus implementis, jam facilè poſſit indagari.

§. 27. 14. Quia fideles erant agnituri, Deum obſignâſſe prædictiones ſuas per implementa. *Domine Deus mi, ô tu, exaltabo te, confitebor nomen tuum ; quia feciſti mirum , conſilia à longinquo fidem & veritatem.* ſubint. feciſti. Eſai. 25: 1.

§. 28. 15. Quia fieri non poteſt, quin indicibilem inde lætitiam percipiant, quòd Dei oracula rebus ipſis impleta videant. *Nam lætificâſti me, ô Jehovah , molitione tuâ ; in operibus manuum tuarum jubilo.* Pſalm. 92: verſ. 5.

§. 29. 16. Quia per Prophetias tempore anguſtiæ in ſpem eriguntur, & conſolationem accipiunt Scripturarum. *In die anguſtiæ.... Recordabor opera Dei , (Jah) quum recordarer ab initio mirabile tuum. Et meditatus ſum in omni molimine tuo, & in facinoribus tuis multus fui.* Pſalm. 77: 3. 12. 13. *Recordatus ſum judiciorum tuorum ab antiquo , Jehovah , & ſolatus me ſum.* Pſ. 119: verſ. 52. *Quare dicis , Jacob , & loqueris , Iſrael ; occultata eſt via mea à Domino ; & à Deo meo judicium meum tranſit. An non cognoviſti , an non audiviſti ? Deus ſæculi eſt Jehovah , creator finium terræ , non defatigabitur , & non fatigabitur : non eſt perſcrutatio intelligentiæ ipſius.* Eſai. 40: 27. 28. *Ne memineritis priorum* , quaſi Deus nihil majus ſit effecturus, *& antiqua ne conſideretis. Ecce ego facio rem novam , nunc progerminat ; annon cognoſcitis illud? etiam ponam in deſerto viam , in ſolitudine fluvios.* &c. Promiſſione futurorum bonorum in Eccleſiâ excitat ſpem, quâ confirmentur fideles in tribulationibus, anguſtiis, terroribus; ut ſe comparent ad occurrendum illi ſpei, ad illam quodammodo accelerandam. quemadmodum etiam Chriſtus Luc. 21: 28. jubet attollere capita, &c. Eſai. 43: 18. 19. *Ne expaveſcatis & ne reſpiciatis. Annon pridem feci te audire & indicavi ?* nam Chriſtus dixit, ὁρᾶτε μὴ πλανᾶσθε, μὴ θροεῖσθε. Matth. 24: 6. Eſai. 44: 18. Quod illuſtratur perplexitate eorum, qui non attendunt ad Scripturas propheticas, & defectu ſolatii tempore anguſtiæ. Quorum eſt dicere, *Signa noſtra non videmus*, quibus Deus ſolet inſignem reddere populum ſuum, inprimis potentem hoſtium compreſſionem & Eccleſiæ liberationem. *Non eſt amplius propheta ; neque eſt nobiſcum, qui ſciat , quouſque.* Nemo eſt, qui articulos tempo-

rum

rum horum viſitationis ſuæ dignoſcat. In propheticâ ſcripturâ, in judicio de rebus, quæ per providentiam Dei geruntur, talpæ ſunt. Pſalm. 74: verſ. 9.

§. 30. 17. Quia ipſi tyranni, objectis prophetiis, in quibus conſilia atque opera ipſorum ſunt deſcripta, poſſunt redargui, ſi non planè à furore & malo propoſito revocari. *Annon audiviſti, quòd à longinquo feci illud, à diebus antiquis formavi illud? nunc adduxi illud, ut ſis ad conturbandum acervos ruderum urbes munitas?* Eſai. 37: 26.

§. 31. 18. Quia occaſione judiciorum ante deſcriptorum, poſtquam rebus ipſis exſtare recognoſcuntur, carmen eſt novum Deo canendum. *Deus, Canticum novum cantabo tibi, cum nablio decachordo pſallam tibi. Qui dediſti ſalvationem regibus, qui liberâſti Davidem ſervum tuum à gladio malo.* Pſal. 144: 9. 10.

§. 32. 19. Quia per demonſtrationem Scripturarum propheticarum ſpes eſt fore, ut, agnitâ veritate Euangelii, illuminentur oculi cœcorum, inprimis Judæorum, ut convertantur. Nam per circumciſionem cordis promiſſam efficiendum erat, ut Iſraëlitæ convertentes ſe ad Deum illum amarent, & facerent ea, quæ ſcripta erant in libro legis Moſis. Deut. 30: verſ. 6. 8. Exod. 34: 27. & juſſit Deus Jeremiæ ſcribi verba ſua, ut nim. poſtremo tempore recognoſcerentur vera, atque inſervirent reſtituendis jacturis Iſraëlitarum & Judæorum per converſionem eorum ad Deum. *Scribe tibi omnia verba, quæ locutus ſum ad te in libro. Nam ecce dies veniunt, ait Jehovah, & reſtituam jacturas populi mei Iſrael & Juda, dixit Jehovah.* Jerem. 30: 2. 3. *Scribatur hoc ad ætatem poſteriorem, & populus, qui creatus fuerit, celebrabit Dominum.* Pſalm. 102: 19. Hinc Judæi ultimi temporis ſe convertentes ad Deum profitentur attentionem ad verbum Dei. *Auſcultabo, quod loquitur Deus ille omnipotens Jehovah. Nam loquitur pacem ad populum ſuum.* &c. Pſal. 85: 9.

§. 33. Hoc certè nobis animadvertendum eſt tanquam argumentum magnum divinitatis Euangelii, quòd omnia fiunt, quemadmodum in eo prædicta ſunt; & omnium prophetarum, etiam eorum, qui Euangelio abutuntur, dicta evaneſcunt. Ita & Phariſæorum prophetiæ, ſi quæ in Talmud exſtant, atque ante Talmud fuerunt, ventilatæ, in irritum ceciderunt. Chriſti verbum ſtetit, & nunc non niſi qui verè Chriſtum ex Euangelio cognoverunt, poſſunt ſecundùm Euangelium futura prædicere. Synedrium Judæorum, quod damnavit Chriſtum, putavit ſe hoc facto Chriſti regnum impediturum, & ſtatum rerum præſentem conſervaturum; atqui res aliter cecidit. Inſigne opus Sapientiæ humanæ fuit collocatio thronorum in Eccleſiâ cum traditione poteſtatis judicandi, quanta in illo conſilio fuerit ſtulti-

tia, eventus docuit. Ita verum reperitur, quod eſt apud Eſaiam: *Qui irrita facio ſigna mendaciloquorum, & divinos infatuo: qui ſapientes retroago, & ſcientiam ipſorum* aut *ſententiam inſanire facio. Qui facio extare ſermonem ſervi mei Moſis, & conſilium Angelorum meorum* Prophetarum & Apoſtolorum *impleo.* Eſ. 44: 25. 26.

§. 34. 20. Quia ex contemplatione operum Dei & collatione cum Prophetiis, poſſumus ſcire, appropinquare adventum Domini, ut ad illum exſpectandum dignè excipiendum præparemur, & ad officium faciendum incendamur. *Viderunt inceſſus tuos, ô Deus, inceſſus Dei mei, Regis mei, in ſanctuario. Occurrunt* tibi venienti *cantores poſt fidicines, inter puellas tympaniſtrias.* Pſal. 68: 25. 26. *A ficu autem diſcite parabolam. Quando jam ramus ejus fit tener, & folia germinant, noſtis propè eſſe æſtatem. Ita & vos, quum videtis hæc omnia, ſcitote illam propè eſſe ad fores.* Matth. 24: 32. 33. *Quum iſta* (dicta verſ. 25. 26.) *incipient fieri, efferte capita veſtra: quia appropinquat liberatio veſtra.* Luc. 21: 28. de quâ verſ. 27. *Quare ſuccinctis lumbis mentis veſtræ, ſobrii, perfectè ſperate ad gratiam, quæ vobis offertur in revelatione Jeſu Chriſti.* 1 Pet. 1: 13. *Quum igitur hæc omnia ſolvantur quales oportet nos eſſe in ſanctis converſationibus & exercitiis pietatis, Exſpectantes & accelerantes præſentiam diei Domini.* 2 Pet. 3: 12.

§. 25. 21. Quia ſic faciendo officium noſtrum tempora recreationis acceleramus. *Reſipiſcite igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, ut adveniant tempora refrigerii à conſpectu Domini.* Act. 3: 19. Add. 2 Pet. 3: 12.

§. 36. 22. A periculo nobis imminente, ſi ſimiliter, ut olim Judæi, ex neglectu atque ignorantiâ Prophetiarum officii noſtri obliviſcamur. Si enim Judæi, apud quos cœperunt impleri verba Dei in tantam iram inciderunt per ſocordiam, quid fiet de nobis, ſi etiam poſt 1600 annos non magis probemus tempora, quàm Judæi, & neſciamus Euangelii veritatem ex Scripturis propheticis comprobare, & Chriſtum regem, & regnum ipſius ejuſque adminiſtrationem demonſtrare, & ignorantes Divinum conſilium & tempus viſitationis noſtræ, ſimus prudentes & ſecuri apud noſmetipſos, & pueri non centum, ut eſt Eſai. 65: 20. ſed tantùm non bis mille annorum eſſe velimus. Metuendum eſt ſcil., ne id eveniat nobis, quod ſervo illi malo minatur Euangelium. Matth. 24. Qui quum cogitaret, dilatam eſſe diem Domini, quod neceſſe eſt eos omnes cogitare, qui nolunt videre quando implementa prædictionum Chriſti jam exſtent, atque ideo ea faciunt, quæ de malo iſto ſervo prædicta ſunt, putantes hoc ad ſe non pertinere, quia tempus iſtius mali ſervi, id eſt Antichriſti, nondum appulerit. verſ. 48. 49. venit Dominus ejus celeriter & inopinatò, ut eum διχοτομήσῃ, id eſt exſcindat & ſeparet & cœtu juſtorum. verſ. 50.

§. 37. 23. Quia

§. 37. 23. Quia Deus ſummopere id commendat ac præcipit, ut ad Scripturas propheticas & implementa attendamus. *Nam ſic ait ad me Dominus: I, conſtitue ſpeculatorem, quod viderit, indicet.* Eſ. 21: 6. *Quærite à libro Domini & legite, una ex illis non deeſt, una alteram non deſiderat.* Oſtendit, fore aliquando, ut omnes homines ſupplicium Judæorum legant in Scripturis. Eſ. 34: 16. *Annon cognoviſti* & vidiſti? *annon audiviſti?* quid in verbo dictum ſit, & quid famâ rerum geſtarum celebre ſit. Eſ. 40: 28. *Videant & cognoſcant, & advertant & conſiderent unà, quòd manus Jehovæ fecerit hoc, & Sanctus Iſraëlis creaverit iſtud.* Eſ. 41: 20. Et grave eſt Pauli monitum: Προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε. 1 Theſſ. 5: 20.

§. 38. 24. Quia prædictum eſt, ſingulari modo id futurum, inprimis poſtquam cœperit judicium Antichriſti, cum promiſſione uberioris intelligentiæ. *Manè* omni die, præſertim quum vel minimum ſignum favoris tui in Eccleſiam animadverto, *diſpono me tibi, & ſpeculor.* quando tandem futurum ſit, ut deſtruas eos, qui deſtruunt terram, & ipſe Regnum occupes in omni terrâ. Pſal. 5: 4. *Agnitus eſt Jehovah*, doctrina Evangelica tenebris Antichriſtiani regni involuta illuſtrata eſt; *fecit judicium*, prolatis ſacris literis, excitatis teſtibus veritatis, coarguit, convicit, damnavit improbos; *Improbus* ὁ ἄνομος, Antichriſtus, *in molitione manuum ſuarum illaqueatus eſt*, notoria res eſt acta avorum noſtrorum memoriâ, maximè in Belgio: *Meditatio ſive ſtudium eſt.* Verbi ſcil. Divini, & rerum ſacrarum, omniſque ſacræ eruditionis, nominatim & Prophetiarum. Pſal. 9: 17. Cujus Pſalmi ea evidentia eſt, ut Anglus interpres Henricus Ainſworthus, licet partes hiſtoriæ partibus Pſalmi non accommodaret, tamen diceret ſibi videri, ut Pſalm 8. propagationem regni Chriſti, ita Pſalmo 9. deſtructionem Antichriſti deſcribi. *Ut audivimus, ita vidimus in urbe Jehovæ Dei exercituum: in urbe Dei noſtri. Deus ſtabilit illam in ſæculum. Selah.* Conficiunt ſancti ex iis, quæ ipſi ſuis oculis viderint, & teſtimonio majorum ſuorum, qui ſimilia viderant, quòd Deus omni tempore Eccleſiam conſervet. Vult igitur animadverti Deus, quomodo mundum gubernet, quomodo Eccleſiam regat & defendat; ſine quâ animadverſione hic locus non poteſt dignè explicari: *Comparavimus, ô Deus, gràtiam tuam* quantum poſſumus, omni diligentiâ expendimus, enarravimus, expoſuimus, quid donaveris nobis in Chriſto, *in medio templi tui.* introgreſſi in ſanctuarium tuum, ubi tuæ voluntatis index extat, nim. libri Moſis & Prophetarum. Pſal. 48: 9. 10. *Et timent omnes homines, & indicant opus Dei*, id quod Deus molitur, *& opus eius conſiderant.* Opus nim. perfectum, ſ. effectum. Pſal. 64: 10. *Viderunt inceſſus tuos, ô Deus, inceſſus Dei mei, Regis mei, in ſanctuario.* te nimirùm proceſſiſſe ex loco ſancto tuo ad aſſerendum populum tuum, ad liberandum

ipſum,

ipſum, ad judicandum hoſtes ejus, Pſal. 68: 25. *Recordabar cantum meum de nocte: cum corde meo meditabar, & ſcrutabatur ſpiritus meus.* Hoc faciunt ii, qui in anguſtiâ conſtituti intelligunt, quoties Deus Eccleſiæ ſuæ ſubvenerit, & quàm ingentibus bonis illam locupletaverit. Pſal. 77: 7. *Quis conſuluit hoc ſuper Tyro coronatrice, ... Jehovah Deus exercituum conſuluit illud, ad profandum celſitudinem omnis decoris*, &c. Hic locus oſtendit, futuros aliquos, qui cogitent, quid Deus, quando Papam, Cardinales & omnem Curiam Romanam tradidit in manum Caroli Borbonii & exercitus ejus, eo ipſo voluerit demonſtrare. Eſ. 23: 8. 9. *Domine Deus mi, ô tu, exaltabo te, confitebor nomen tuum: quia feciſti mirum, conſilia à longinquo, fidem & veritatem.* Eſ. 25: 1. *Sic dixit Dominus Deus: An tu is es, de quo locutus ſum diebus priſcis per ſervos meos prophetas Iſraelis; qui vaticinabantur in diebus illis, annis, de adducendo te ſuper ipſos.* Ezech. 38: 17. *Judicium conſedit*, ſancti collocati ſunt in thronis ad judicandum cum Chriſto, *& libri aperti ſunt.* Demonſtratio eſt facta ex Scripturis. Dan. 7: 10. Apoc. 20: 12. *Tu autem, Daniel, abſconde verba illa, & obſigna librum* & viſionem hanc *uſque ad tempus finis, quo ſcrutabuntur multi, & major fiet cognitio.* Dan. 12: 4. *Et loquar contra Prophetas; & ego viſionem multiplicavi: & per manum prophetarum aſſimilabo.* Excitabo in Eccleſiâ, qui revocent experimenta & hiſtorias ad prædictiones, & ad inſtitutionem Dei, & hæc comparent inter ſe, & ſic pſedoprophetæ confundantur. Hoſ. 12: 11. *Et quum aperuit ſigillum ſeptimum*, adeoque ultimum, libri prophetici de rebus ſeptem temporibus ſub N. T. agendis, *vidi Angelum deſcendentem de cælo, ... & habebat in manu ſuâ libellum apertum*, in quo myſterium Dei eſſet evidens, ut palàm factum in pleriſque operibus, ſaltem hactenus, ut intelligi poſſet ab omnibus, inſtare tubam ſeptimam, & ſub illâ omnia eſſe complenda. Apoc. 8: 1. & 10: 1. 2.

§. 39. 25. Quia in hoc ſtudio habemus exempla ſanctorum, ipſorum adeò prophetarum, quæ nos oportet ob oculos habere, eoque magis, quod major hodie lux ab implementis, quòdque ea quæ prædixerunt, non ſibi, ſed nobis miniſtrarunt. Sic Eccleſia Veteris Teſt. in exſpectatione Chriſti profitetur deſiderium ſuum conceptum ex meditatione antiqui temporis, & molitionis Dei: *Recordatus ſum dierum ab antiquo, meditatus ſum de omni molitione tuâ, de opere manuum tuarum ſermocinatus ſum. Expandi manus meas ad te. Anima mea eſt ut terra ſiticuloſa ad te. Selah.* Pſal. 143: 5. 6. Quod exemplum imitatur Eccleſia N. T. *Exſpectavi*, inquit, *Jehovam, exſpectavit anima mea, & ad verbum ejus præſtolatus ſum. Anima mea eſt ad Jehovam, præ excubitoribus matutinis, obſervantibus matutinum.* Pſal. 130: 5. 6. *Sic clamavit Leo*, ſpeculator conſtitutus à Prophetâ, quales erant Judæi exſpe-

ctantes

ctantes & parturientes in capt. Bab. *In ſpeculâ, Domine, ego ſto ſemper interdiu, & in obſervatione meâ,* ſive *ſtatione meâ, ego ſto omnibus noctibus.* Eſ. 21: 8. *Qui ventura interrogaverunt me de filiis meis.* Patres veſtri, Prophetæ, ſancti ſcrutati ſunt verbum meum, ut ex eo diſcerent, quæ eventura erant. Eſ. 45: 11. *In ſtatione meâ ſtabam, & perſiſtebam in propugnaculo,* in fœdere Dei & promiſſione, cum firmamento exſpectationis; *& ſpeculabar, ad videndum, quid locuturus eſſet ad me, & quid reportaturus eſſem pro argutione meâ.* Quæ verba poſſunt intelligi de ſtudio in Scripturâ perſcrutandâ, & conveniunt piis in Capt. Bab. exſpectantibus & anhelantibus ad audiendum verbum Dei de exitu illius calamitatis. Hab. 2: 1. Sic Daniel cap. 9: 2. narrat, ſe conſideráſſe in Scripturis Jeremiæ, de annis & exitu captivitatis. Et S. Petrus 1 Pet. 1: 10. 11. 12. *De quâ,* inquit, *ſalute inquiſiverunt & ſcrutati ſunt prophetæ, qui de gratiâ, quæ vobis contingit, vaticinati ſunt. Scrutantes, in quod & quale tempus* (h. e. in quantam temporis diſtantiam, & in quas circumſtantias) *ſignificaret Spiritus Chriſti, qui in ipſis erat, ante teſtificans paſſiones Chriſto eventuras, & glorias ſecuturas. Quibus revelatum eſt, quòd non ſibi, ſed nobis, miniſtrarent illa, quæ nunc vobis annunciata ſunt per eos, qui vobis Evangelium prædicarunt in Spiritu Sancto, miſſo de cœlo. in quæ cupiunt Angeli introſpicere.*

§. 40. 26. Quia hæc eſt indoles ſive forma Scribæ, h. e. Tractatoris ſacrarum literarum ſive Theologi eruditi in regnum cœlorum, quòd inſtar boni patrisfamilias *ex penoribus ſuis* poſſit *proferre & vetera & nova.* Matth. 13: 52. Sicut enim paterfamilias in cellis ſuis habet vinum, frumentum, fructus, anni & prioris & præſentis: Ita Theologus, qui diſcipulus Chriſti eſt in regno cœlorum, novit, quæ noverunt Patriarchæ & Prophetæ, & qui fuerunt antegreſſis ſœculis; & in myſteriis regni, quæ per Prophetias Eccleſiæ indicantur, quotidie proficit, ut veritatem Evangelii pluribus indies argumentis confirmet, pleniùs explicet, tempus viſitationis indicet, conſolationem Scripturarum ſuppeditet, ad imminentia præparet, Deum in factis ſuis ut veracem laudet, denique poſteriores fructus abundantiores prioribus præbeat.

§. 41. 27. Quia qui prohibent vel impediunt ſcrutationem Prophetarum, ſunt hoſtes & perſecutores veritatis. *Qui dixerunt videntibus, nolite videre,* h. e. qui prohibent ſcrutationem & intelligentiam Prophetiæ, & reliquæ Scripturæ. Nam ſub N. T. omnes attendunt ad verbum Dei, illudque intelligunt, & credunt, prophetant & vident viſiones Eſai. 30: 10. Conf. Joel. 3: 1.

§. 42. 28. Quia iidem ſe avertentes à ſcrutatione Prophetiæ manent ſtupidi, & non intelligentes, ut pereant. *Vir brutus non novit, & ſtultus non*

animadvertit hoc; Quum virent improbi inſtar herba, & florent omnes operantes vanitatem: ut profligentur in ſæculum. Pſal. 92: 7. 8. *Et teſtes illorum* ſculptilium, h. e. qui ſuâ auctoritate cultum imaginum defendunt, *non vident & non cognoſcunt, ut pudefiant.* & nomen, quod habent in Eccleſiâ doctorum veritatis, prophetarum, judicum, tueri non poſſint. Eſ. 44: 9. *Congregamini & venite, accedite unà effugientes gentium: non ſciunt* vel *cognoſcunt, qui portant ſignum ſculptilis ſui.* &c. Eſ. 45: 20.

§. 43. Atque hæc quidem de neceſſitate ſtudii Prophetici, & quibus argumentis ipſe Auctor Scripturæ Spiritus id ſtudium præcipiat aut commendet, ſat dicta ſunto. Ut autem hunc veluti curſum meditationis Propheticæ rectè inſtituamus, & ne in itinere in ſcopulos incidamus, ad eosque adhæreſcamus, conſtituendæ ſunt nobis, tanquam phari in littore, quædam regulæ, quas, meditantes προφητείαν, ſemper ob oculos habeamus, ut in bonâ conſcientiâ meditatione illâ fungamur.

§. 44. Quod ſi Deo T. O. M. placuiſſet nobiſcum coram agere quemadmodum olim cum Moſe facie ad faciem locutus eſt; vel ſi in medio noſtri verſaretur, quemadmodum in populo Iſraëlitico verſatus eſt, in quo habebat locum delectum, ubi poterat adiri, ac de voluntate ſuâ conſuli; vel denique ſi Chriſtus aut Apoſtoli adhuc ſupereſſent in terris, qui in rebus creperis ac dubiis facem illam, quâ totum orbem illuminarunt, nobis prælucerent: Nemo eſt, qui non facili negotio ſe ad ſenſus Scripturæ etiam obſcuriſſimos pervenire poſſe putaret. Enim verò ita comparatum eſt, ut nec præſentem Deum oculis conſpiciamus; nec locus aliquis ſit nobis nominatus aut commendatus, ubi quæri vel adorari velit; (quanquam ſint, qui Romam ut totius oraculum orbis venerentur, & Spiritus Sancti dictata inde petenda atque exſpectanda jubeant) neque Chriſti aut Apoſtolorum ipſius familiari convictu aut commercio nunc utamur. Neceſſe igitur eſt, ut S. Scripturæ diſcipulus ad ea, quæ in promtu ſunt, & diligentiâ atque attentione expediri poſſunt, adminicula confugiat, quibus adjutus mentem divinorum eloquiorum expiſcari, deque eâ tandem certus eſſe queat. Quum enim S. literas hactenus eſſe claras & perſpicuas fateamur, ut ſi quis remotis præjudiciis legitima adhibere interpretationis inſtrumenta poſtulet ſeſe, ei veram & genuinam earum ſententiam ſpondere audeamus; & illud concedamus oportet, nihil in iis adeò abſconditum & retruſum dari, quod mentis attentæ diligentiam ac ſagacitatem effugiat. Neque alio fine auctor S. literarum hoc ſacratiſſimum depoſitum, ejusque lectionem & ſcrutationem Eccleſiæ commendavit, quàm ut ex eo diſcerent fideles atque intelligerent, quid cognitu dignum & ſalutare foret: niſi ſtultitiæ ipſum ac meræ ſuperbiæ reum agere velis; qui ſcil. ſibi ſoli ſaperet, & quæ cum aliis communicaret,

intelligi

intelligi nollet. Quod cùm de Deo cogitare ſit impium & abſurdum, intelligi ergo voluit.

45. Si deinde adeò nos deſtitutos rebus neceſſariis Deus reliquiſſet, ut quæ intelligi bono noſtro voluit eorum cognoſcendorum veræ methodi nulla certa principia mentibus noſtris indidiſſet, tum etiam in Verbo revelato deſignâſſet; vel denique ſi poſt adhibita omnia artis & induſtriæ inſtrumenta, nihilominùs de mente ac voluntate ipſius incerti ac dubii eſſe cogeremur, nihil cauſæ cogitari poteſt, quare non pro deceptore eſſet habendus. Sunt enim ut rerum naturalium per ideas, ita & ſenſuum cogitatorumque alterius ſive divinorum ſive humanorum per externum ſermonem cognoſcendorum inditæ quædam mentis rectè attendenti, ipſique adeò loquentis ſermoni, viæ ac rationes: quibus ſi quis rectè utatur, & nullam omittat, tantâ frui poteſt eorum perceptorum perſuaſione, ac ſi coram eorum conceptuum imagines in mente Dei vel aliorum hominum intueretur. Neque enim Deus linguam ignotam vel Angelicam è cœlis attulit: Sermonem iis familiarem, quibus voluntatem ſuam revelavit, nobis autem exiguo laboris impendio cognitu facilem, fructu verò ſuavem ac jucundum, è medio aſſumſit, in eoque, ne oblivioni mandarentur ea, quæ humani generis ſcire intererat, conſignanda curavit. Neque, quod notandum eſt, ad myſteria ſua explicanda, ſtylo ſapientum uſus eſt. Quum enim in iis, quorum ſtudia reconditis atque abditis è fontibus hauriuntur, id maximè excellat, quod longiſſimè ſit ab imperitorum intelligentiâ ſenſuque disjunctum: Dicendi rationem adhibuit, quæ in medio poſita communi quodam in uſu atque in hominum more & ſermone verſaretur. Non aliam ſanè ob cauſam, quàm quo faciliùs intelligeretur. Quam facilitatem mirificè adjuvat, quod πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multis partibus ac modis*, eadem repetiverit in Scripturis, ut eſt Heb. 1:1. *dederitque Iſraeli multitudines legis ſuæ*, i. e. Legem ſuam multis vicibus & modis repetitam & inculcatam. Hoſ. 8:12. & *viſionem multiplicaverit*. Hoſ. 12:11. Adeò ut vulgo ſeipſam explicet Scriptura, & facem vigili & attendenti intellectui accendat, quæ ipſum ad locorum vel obſcuriſſimorum intelligentiam perducat.

§. 46. Neque illud ſilentio hìc prætereundum, quod velo legis ac cerimoniarum ſublato, & fuſis ac fugatis umbris, rem ipſam & corporis radiantis ſplendorem, id quod Iſraëli ac Prophetis ipſis fuit denegatum, coràm intueamur. Quum enim primo mundi tempore ſermo breviſſimus de ſalute & juſtitiâ peccatoris coram Deo exſtaret, Deus poſtea promiſſioni addidit quoque plura ſacramenta, in quibus rerum futurarum figura conſpiceretur, quæ ſtudium quidem exercerent, ac deſiderium acuerent, non verò exſatiarent; quia nec rem ipſam oſtendebant, & Deus quædam inſignia

in ſuâ poteſtate retinebat. Accedit, quòd ſtudium diſcentium voluerit quidem adjuvari per miniſterium doctorum ſedentium in cathedrâ Moſis: ſed qui plerumque loquerentur verbum Dei quoad ſyllabas, & non quoad mentem, & corticem ſectarentur, omiſſo nucleo. Unde & Jeremias *ſtilum ſcribarum* vocat *ſtilum mendacii.* Jer. 8: 8. Ergo & illud quidem factum eſt, ut, deficientibus in officio ſuo ordinariis Doctoribus, Deus identidem miſerit Prophetas, qui eos adducerent ad cognitionem veritatis: Sed, qui paucos haberent diſcipulos, pluribus, ut nunc etiam fit, veritatem oppugnantibus. Donec tandem obtinuerit Phariſæorum Schola, quæ magis traditioni, quàm demonſtrationi Scripturarum operam dedit. Quo factum eſt, ut multa ſilerentur, non pauca in falſos ſenſus detorquerentur. Ergo ſalutaris doctrina pleriſque temporibus fugit vulgarem hominum notitiam, &, etiam clara dicta, fuerunt ipſis ænigmata.

§. 47. Præter hæc omnia commune quoddam fuit *velum.* Quo ſignificatur, quòd omnis ſermo Dei per Moſen traditus, nec tantùm is, quo explicat legem operum vel cerimonialem, verùm etiam is, quo explicat modum ac formulam reſipiſcentiæ, fuerit appellatus *Lex.* Lex autem propterea vocabatur, quòd in eo continebatur hoc dictum: *Qui fecerit ea; vivet in eis.* atque iterum: *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in hoc libro legis, ut ea faciat.* Hæ enim duæ ſententiæ ſunt legales, ſive pertinent ad legem operum. ut Apoſtolus declarat, Rom. 10: 5. & Gal. 3: verſ. 10. 11. Ergo propter duas illas ſententias legales indefinitè pronunciatas de omnibus iis, quæ ſcripta erant in libris Moſis, etiam ipſa lex fidei ac reſipiſcentiæ habebat ſpeciem legis operum. Accedebat, quòd lex moralis, quæ indicata erat Iſraëli ut formula reſipiſcentiæ, hoc elogio quoque inprimis fuerit ornata, quòd *qui facit ea, vivet in eis.* ut conſtat ex Ezech. 20: 11. 12. & 25. Et quamvis ejus præſtatio perfecta non diſertè fuerit præſcripta, ut conditio juſtitiæ; tamen nec apertè, & expreſſis verbis, ut in Euangelio, ea lex à conditione juſtitiæ excluſa fuit; ſed relicta fuit Iſraëlitis hæſitatio & quæſtio, quæ eſſet verè lex juſtitiæ, quæ vita, quæ benedictio. Eam verò hæſitationem non mediocriter augebat lex cerimonialis, dum cogeret hominem, poſt oblata ſacrificia & munera, dicere ad Deum, *Non ſum tranſgreſſus mandata tua, non ſum oblitus,* ut eſt Deut. 26: 13. atque ita ſpeciem gloriationis in operibus relinqueret. Licet enim hæc reverâ non eſſet gloriatio in factis, ſed in Deo juſtitiam dante ex fide, & ſacramenta promiſſioni addente, & tantùm bonæ conſcientiæ non ſpreti fœderis Dei teſtificatio: tamen habebat apud rudes & ſtupidos ſpeciem gloriationis in facto: quemadmodum etiamnum Judæi ea facta habent pro juſtitiâ. Iſtis ergo duabus ſententiis legalibus atque iſtâ gloriandi formulâ, tanquam *velo* quodam etiam

etiam ea, quæ clarè dicta erant, ab intellectu hominum quanquam ſagaciſſimorum abſcondita ac remota fuere.

§. 48. At nobis è contrario Deus in Chriſto omnia coram expoſuit, adeò ut uno obtutu in ipſo videamus omnia, quæ de ipſo prædicta & figurata ſunt; & per Apoſtolos nobis doctrinam juſtitiæ ſine ambagibus, ſine ænigmatibus, neque ſparſim aut multis partibus, ſed nudè & planè integréque & uno complexu explicavit, & plura nobis indicavit, & coram oculis mentis noſtræ intuenda ſubjecit, quàm videbatur promiſiſſe. Adeò ut nunc pueri per clarum Dei teſtimonium credant, quod olim viri ſcrutabantur, & ſine ſcrutatione non poterant ipſi vel cognoſcere, vel cum aliis communicare. Igitur *gratia nobis data in Chriſto ante tempora ſæcularia manifeſta* dicitur *eſſe facta per adventum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui mortem abolevit ac immortalitatem illuſtravit per Euangelium.* 2 Tim. 1: 9. 10. *Et myſterium illud temporibus ſæcularibus tacitum, nunc manifeſtatum eſſe* dicitur, *&*, quod inprimis notandum, *per Scripturas Propheticas notificatum.* Illa igitur pars Scripturæ, quæ videbatur ſcatere ænigmatibus, ita per veritatis radios illuſtrata eſt, ut per eam myſterium poſſit notificari ac demonſtrari. Claræ ergo & perſpicuæ ſunt etiam Prophetiæ, & admoto veritatis lumine intelligibiles atque explicabiles. & idem de ipſis verum eſt, quod de parabolis Chriſti diſcipuli interrogati, *an intellexiſſent*, reſponderunt, *Ita, Domine.* Unde ad minimum conſtat, eas fuiſſe, ut & cæteras prophetias, atque etiamnum eſſe, intelligibiles. Matth. 13: 51.

§. 49. Eoque magis id fatebimur, ſi cogitemus, eſſe ad manum ſcripta & conciones Chriſti & Apoſtolorum, qui Scripturam Vet. Teſtamenti, & Prophetias, tum operibus, tum doctrinâ, ita illuſtrarunt ut modum ſimul oſtenderent, quo eſſent interpretandæ, & magis Interpretum Scripturæ, quàm Prophetarum officio functi eſſe videantur. Ipſa exempla Chriſti & Apoſtolorum, quibus Prophetias citant, & ad ſubjecta ſua applicant, quid ſunt aliud, quàm totidem regulæ atque imitabilia, ut ita loquar, exemplaria Propheticæ interpretationis? Ab his enim exemplis canones deſumere quid vetat? Imò niſi exempla Apoſtolorum certis quibusdam eſſent fulta regulis & axiomatis hermeneuticis, ad conſcientiam demonſtrabilibus, non rectè inſtituta fuiſſe eorum demonſtratio videretur. Demonſtrare autem, quæ dicebant, ut ſuprà probatum, ex Moſe & Prophetis, & poterant & debebant.

§. 50. In conſtitutione harum regularum inprimis recordandum eſt, Prophetiam ſermonem eſſe *θεόπνευστον divinitùs inſpiratum*: Quò nos ducit præter ipſum nomen *Prophetiæ* & *Prophetici ſermonis*, de quo ſup. Part. I. Art. IV. V. VI. & vocabulum, חזון *Viſio*, quo ſolet appellari in Vet. Teſtament. &

Ἀποκάλυψις, *Revelatio*, quo in Novo, ad genus ſermonis exprimendum. Sic Prophetia Eſaiæ vocatur חזון, Eſai. 1: 1. item Obadiæ, Ob. 1. & Prophetia Johannis Ἀποκάλυψις. Ap. 1: 1. Verbum חזה ſignificat claram & diſtinctam receptionem ſpeciei ſive in ſenſorio ſive in animo. Sed nomina חזון / חזיון, מחזה, ſic in Sacris uſurpantur, ut notent receptionem claram verborum, rerum, ſententiarum, ſignorum, in animo; in ſomniis naturalibus vel extraordinariis, vel ſenſibus vigilantibus. De ſomniis eſt Eſai. 29: 7. Job. 4: 13. 7: 14. 20: 8. 33: 5. Sed divina revelatio rerum & verborum ad animum, ſive prophetica viſio, ſæpiùs hoc vocabulo notatur; quæ eſt viſio rerum non præſentium atque apparentium, ſed à ſenſibus occultatarum. Gen. 15: 1. *Fuit verbum Domini ad Abrahamum in viſione.* q. d. ad animum, non ad aures corporis. Bileam gloriatur ſe *viſiones Omnipotentis videre.* h. e. habere divinas revelationes. Num. 24: 4. 16. Sic *viſio à Deo.* Thren. 2: 9. Hoſ. 12: 11. *Ego viſionem multiplicavi.* Non immeritò igitur verbis Prophetarum præſcribitur *Viſio*, ut Johannis Prophetiæ Ἀποκάλυψις, ut notetur, ea, quæ ipſi locuti ſunt, Deo dictante eos eſſe locutos, & eos indices & promulgatores verborum Dei. In genere per hanc vocem indigitantur ſermones à Deo revelati; Prov. 29: 18. *Abſque viſione ſi ſit, denudatur populus: at ſervans & obſervans legem beatus eſt.* Ubi vel ipſa lex divinitùs revelata, vel legis meditatio & obſervatio, *Viſio* nuncupatur. Latiùs etiam uſurpatur ἀποκάλυψις de cognitione myſteriorum in verbo, 1 Cor. 14: 26. Nam ibi ἀποκάλυψις dici videtur, quòd aliàs in eodem capite προφητεία. Mox verſ. 29. 30. ἀποκάλυψιν tribuit προφήτῃ. & verſ. 6. ἀποκάλυψιν & προφητείαν conjungit, oſtendens, ut non eſt διδαχὴ abſque γνώσει, ita nec προφητεία abſque ἀποκαλύψει, h. e. nullam verbi divini ſanam, integram, certam, ac ſalutarem intelligentiam eſſe abſque divinâ Spiritus Sancti illuminatione. Sed & obſervandum, alicubi *Viſionem* dici ſpecialiter revelationem rerum futurarum. Hab. 2: 3. *Nam adhuc eſt viſio in tempus definitum.* h. e. porriguntur ulterius termini prophetiæ, antequam veniat implementum prophetiarum Chriſtus & regnum ejus. Dan. 9: 24. *Ad obſignandum viſionem & prophetam.* quia in Chriſto & in regno ejus implentur prophetiæ & verificantur.

§. 51. Ex eo autem, quòd Prophetia ſit חזון, *Viſio*, Ἀποκάλυψις ſive *Revelatio*, ſequitur, non eſſe verum, vel ad intelligendam prophetiam opus eſſe ſpiritu prophetico, in eo ſenſu, quaſi intelligi non poſſit abſque novâ revelatione, quæ ſine verbo fiat, quemadmodum Prophetæ illam acceperunt: vel, Prophetiam eſſe privatæ reſolutionis, 2 Pet. 1: 20. id eſt, eſſe certi cujusdam hominis, tanquam interpretis neceſſarii, qui illam acceperit, ut ſolus propheta, & qui illam tradat ἀναποδείκτως, cui parere neceſſe ſit. Conf. Part. I. Art. VIII.

§. 52. Por-

§. 52. Porrò ſequitur, in prophetiæ meditatione verſandum eſſe ſobriè. id eſt, ſine præjudicio & concupiſcentiâ. Nam ſi homo in cor ſuum admiſerit ſua ſtercora, & tunc veniat ad conſulendum Deum in Scripturâ loquentem, ſive ad verbum propheticum, *Deus reſpondebit ipſi ſecundùm ſtercora*, h.e. talis homo non poterit non abuti verbo Dei, & illud torquere ſecundùm propriam concupiſcentiam. Vid. Ezech. 14. & Conf. P. 1. Art. VIII. & IX. Hinc fit, ut plurimi etiam habentes & legentes prophetiam ſe præcipitent in judicium, quod de ipſis ibi ſcriptum eſt. Ut Judæi & Papiſtæ. Ut autem ſobria ſit meditatio, neceſſe eſt, ne quid addamus vel detrahamus iis, quæ ſcripta ſunt.

§. 53. Senſum autem Prophetiarum ſic optimè ſtudebimus indagare, ſi facto ab Univerſalibus initio, primum omnium determinemus, quodnam ſit verum, perpetuum, atque univerſale objectum omnis Prophetiæ, ad quod omnibus ſuis partibus, Articulis, modis, appendicibus, reliquisque attributionibus explicandum, omnis vatum ſacrorum induſtria ordinata eſſe videatur, tum deinceps ad magis particularia viam aperturi.

§. 54. In hoc perpetuo atque univerſali objecto omnis prophetiæ determinando quoniam communiter ii, qui de hoc argumento antehac cogitarunt, ita ſtatuerunt, quòd ea, quæ præter communia & capitalia ſidei indubitatæ dogmata priſci vates literis mandarunt, plerumque vel ad ſtatum populi Judaici, qualis fuit ſub V.T. vel ſi ulteriùs extendantur, indefinitè ad Eccleſiam Novi Teſtamenti quorumvis temporum & locorum, & quidem generali nomine beneficiorum vel judiciorum referantur; & quæ in ſpecie ad primi temporis Judæorum vel correctionem vel conſolationem prolata eſſe cenſentur, ad nos non aliter, quàm per modum parodiarum & accommodationum pertineant; nos autem ſumus oſtenſuri, Prophetas Vet. Teſt. non modò de rebus ſuæ ætatis, verùm etiam de iis, quæ ſub N. T. contigerunt eventis, quæque porrò videbunt poſteri, eſſe vaticinatos, petenda primùm eſt à Lectorum benevolentiâ venia, ne nos putent Celeberrimorum illorum Virorum, qui vel ante nos, vel etiam hodie, illorum veſtigiis inſiſtentes, aliter ſentiunt, quicquam velle præjudicare debitæ auctoritati, meritis, aut famæ. Plurimum enim de rep. Chriſtianâ meriti ſunt; ac de nobis. Veræ enim religionis fundamenta illi ex Scripturis Propheticis demonſtrarunt, & ab erroribus repurgata poſteris fideliter tradiderunt: quo etiam nomine ipſis gratias ſolidas debemus. Verùm cùm non niſi ſingulari induſtriâ atque intentione res Propheticæ tractari debeant, & Magni illi Viri hoc ſibi ante omnia negotii eſſe datum putarent, ut illud Augiæ Antichriſtianæ ſtabulum, quantum pote, expurgarent, & unicæ atque antiquiſſimæ fidei Chriſtianæ principia in candidiſſimam veritatis lucem pro-

proferrent; hinc factum eſt, ut illud ingenii & zeli, quo claruere, lumen ad illuſtrandas Prophetias minùs applicarent, quandoque etiam ſuam in iſtis ignorantiam ingenuè profiterentur, ac denique uberiorem earum intelligentiam aliquando Eccleſiæ ſuppeditandam conceptis verbis à Deo voverent. Igitur, quam illi nobis ingenuè conceſſerunt, eam ab omnibus deprecamur de re per ſe innocuâ liberè opinandi facultatem. Nos quantum rei pondus ac difficultas permittet, paucis & perſpicuè eam conabimur explicare.

§. 55. Et primò quidem oſtendemus, prophetas Vet. Teſtamenti non tantùm de rebus ſui ſœculi, ſed etiam de reliquis futuris uſque ad Chriſti adventum eſſe vaticinatos. Quod ut demonſtretur, inprimis notandum eſt, Deum omnia ſua conſilia olim per prophetas Iſraëlis revelâſſe, ita ut nihil reticuerit eorum, quæ deinceps erant gerenda in mundo & Eccleſiâ, quæque ad gubernationem Eccleſiæ & ſingulorum hominum, cumprimis electorum, pertinebant; & nominatim id omne quod Prophetæ de rebus etiam ſuâ ætate imminentibus, & deinceps futuris ſunt vaticinati, ab ipſis non aliter conſideratum fuiſſe, quàm ut molitionem ac præparationem operis majoris, cujus iſta, quæ prænunciarent, eſſent initia quædam, præſagia, ac certiſſima ſigna. Probatur prior pars ex his locis: Gen. 18: 17. *Et Jehovah dixit; Numquid ego celo Abrahamum, quòd ego facio.* Num. 23: 23. *Nam non eſt augurium in Jacobo, & non eſt divinatio in Iſraële; ſtatim dicitur Jacobo, & Iſraëli, quid paraverit Deus.* Pſal. 25: 14. *Secretum Jehovæ eſt timentibus ipſum, & Teſtamentum* ſive *fœdus ejus eſt ad ſcire faciendum illos.* Amoſ. 3: 7. *Nam non facit Jehovah Deus quicquam, niſi revelaverit myſterium ſuum ſervis ſuis Prophetis.* & Joh. 15: 15. *Non adhuc vos dico ſervos, quia ſervus non novit, quid faciat ſuus Dominus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo, notificavi vobis.* Hinc vaticinia veterum Prophetarum nihil aliud ſunt, quàm *Summæ* quædam & κεφάλαια *cogitatuum divinorum*, Pſ. 139: 17. 92: 6. & *Conſiliorum à longinquo.* Eſ. 5: 19. 25: 1.

§. 56. Poſterior pars probatur ex iis locis, in quibus *Opera Dei*, ita enim appellantur ea, quæ Prophetæ futura narrârunt, Pſal. 66: 3. 77: 12. 92: 5. 143: 5. Eſ. 5: 12. 19. Hab. 1: 5. & *Facinora ejus*, Pſal. 66: 5. 77: 13. dicuntur eſſe *Machinationes*, ſ. *Molitiones*, h. e. præparationes & exordia quædam Operis majoris. Ut Pſ. 77: 13. 92: 5. 143: 5. Eſ. 5: 12. ſecundùm illud, *Opus operatur*, ſive *molitur in diebus veſtris: non credetis, quum narrabitur.* Hab. 1: 5.

§. 57. Opus illud magnum quod Deus olim futurum prænunciabat, quodque jam tum moliebatur, & opus apparitionis Dei in carne, & manifeſtationis regni ſui, procedens ad hæreditatem mundi, & abolitionem omnis

ejus,

ejus; quod huic regno ullâ ratione adverſatur. Hinc ſæpe exprimitur per *Diem Domini*, ut Eſ. 2: 12. 13: 6. & 9. Ezech. 30: 2. 3. Jo. 1: 15. 2: 1. 3: 4. Amoſ. 5: 18. 20. Zeph. 1: 7. 14. Vocatur & *Dies adventus Domini*, *quum is apparebit.* Mal. 3: 4. & *Dies ſpeculatorum Iſraëlis.* Mich. 7: 4. Add. Ezech. 7: 2—11. & 22: 3. 4. & conf. Jer. 25: 31. Amoſ. 1: 2. Mich. 1: 3. 4. Zeph. 1: 2. 3. 3: 8. & ſimilia; in quibus hoc opus Dei ſummatim proponitur atque explicatur.

§. 58. Quia autem in Domino Jeſu hic dies Domini implementum habet, hinc tanquam fundamentum & primum quoddam principium omnis claræ, facilis ac certæ explicationis Prophetiæ à Johanne Apoc. 19: 10. proponitur hoc axioma, *Teſtimonium Jeſu eſt Spiritus Prophetiæ.* Quo ſignificatur, Spiritum, qui locutus eſt in Prophetis, teſtatum eſſe de Jeſu, & omnia, quæ locutus eſt Spiritus Prophetiæ, in Jeſu habere plenam ac perfectam impletionem. Cui convenit, quod eſt Pſal. 40: 8. *De me in volumine libri ſcriptum eſt.* h. e. in toto libro. & 2 Sam. 23: 2. *Spiritus Jehovæ locutus eſt de me.* i. e. non tantùm de Davide, ſed etiam, & potiſſimùm quidem, de filio Davidis & regno ipſius. Item Act. 10: 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, qui credit in eum.*

§. 59. Quicquid ergo olim Prophetæ prænunciarunt, ad hunc diem, ſive apparitionem Dei regis in mundo & Eccleſiâ, habet neceſſariam relationem, ut ſint ejus vel præparatio quædam, vel ut præſentis deſcriptio, & per partes explicatio. Quòd autem in iis, quæ eum diem antecedere debebant, non ſubſtiterint Prophetæ intra fines unius temporis aut ſœculi, illius nempe, in quo ipſi Prophetæ vixerunt, ſed ulteriùs progreſſi omnia explicàrint deinceps futura uſque ad illum diem, ita probatur; quia hanc molitionem diei Domini ipſimet ita explicant Prophetæ, ut ſatis appareat, eam conſiſtere in exſecutione operum quorundam, non ſimul & uno tempore, vel temporis intervallo, ſed deinceps & continenti ordine unorum ex aliis futurorum uſque ad Chriſtum. Habet enim D. Jeſus in Prophetiâ inſtar potentiſſimi alicujus monarchæ, qui è longinquis terris adveniens ad populum ſuum viſitandum, interjectas ex ordine regiones peragrat, ac dum paſſim vel amicos reges populosve, vel hoſtes, offendit, ubique aliquantulum moratur, dum vel ab amicis regio honore accipitur, vel inimicos debellat. Poſteaquam verò in ditiones ſibi ſubjectas pervenerit, ac thronum ſuum occupaverit, inſtar habet ejuſdem regis jam manifeſtati, & molientis regni ſui fines extendere, atque adeò dominantis in medio hoſtium ſuorum, donec, qui gradus erit ultimus regni ſui, inimicos ſuos poſuerit ſcabellum pedum ſuorum, & omnes gentes ipſi ſerviant. Hinc impletio eorum, quæ ante evenire debebant, *adventus* ſive *appropinquatio diei Domini* appellatur.

Eſ. 13:6.9. Ezech. 30: 3. Jo. 1: 15. 2: 1. 3: 4. Zeph. 1: 14. Mal. 3: 3. Conf. Ezech. 7: 2. 3. 5. 6. 7: 10. 21: 34. 22: 3. 4. 35: 5. & ipſa Chriſti regis appropinquantis prænuncia opera *Veſtigia Meſſiæ*, Pſal. 89: 52. appellantur. Apud Zachariam quoque illa omnia quæ Deus operaturus erat ante apparitionem Chriſti, ceu teſtimonia adventus ejus, *Tubarum* denominationem habent, à more regibus & principibus hujus mundi uſitato haud abludente ſignificata. Vid. Zach. 9: 14. Quibus exemplis & Chriſti regis ultimum adventum prænunciantia opera *Inceſſus Dei regis*, Pſal. 68: 25. & *Orbitæ Dei*, Pſ. 74: 3. & *Tuba* in Apocalypſi appellantur. Non imus igitur inficias, prolixiora eſſe poſſe ſpacia oraculorum, quæ inde à temporibus, quibus vates cecinerunt, incipiant. Sed negamus ea iſtis initiis veluti carceribus includenda eſſe, ac non per varios temporum gradus & proceſſus, ceu *veſtigia* quædam, & *inceſſus*, & *orbitas*, ad citeriora progredi.

§. 60. Conſideranda ergo ſunt opera Dei ſub V. T. ceu *ſigna* Chriſti, & diei Domini paulatim appropinquantis, velut primæ quædam emicationes auroræ aut crepuſculi matutini, quæ, ceu Solis veri orientis quædam præambula veſtigia, & certiſſima ſigna, ipſum appropinquare ac tandem præ foribus eſſe teſtabantur. Ita enim illa omnia, quæ Deus operaturus erat ante apparitionem Chriſti, ceu teſtimonia adventus ejus, *Signi* appellatione veniunt, quod *habitantibus frugiferam*, id eſt fidelibus V. T. & *incolentibus terram*, reliquis in populo & extra eum proponitur *videndum*. Eſ. 18: 3. & *Signa temporum*. Matth. 16: 1. 2. diſertè nominantur. Intelliguntur enim per hæc *Signa temporum* facta Dei & eventa, quibus cognoſcitur, quidnam de verbo Domini impletum ſit, & quantum ſuperſit implendum, nominatim res diverſis articulis temporum ſuo ordine ante Chriſti adventum gerendæ in mundo & Eccleſiâ, & qualitas ſive ſtatus illius temporis, in quo Chriſtus debebat apparere. Atque ita intelligitur, in eâ etiam parte veteris Prophetiæ, quæ erat implenda ſub V. T. eſſe comprehenſionem non unius temporis aut ætatis, ſed etiam ſequentium continenter gerendarum uſque ad Chriſtum; quod quidem primo loco probandum erat.

§. 61. Nec de rebus tantùm Veteris Teſtamenti, ſed etiam de reliquis poſtea eventuris, & gerendis ſub regno Chriſti uſque ad finem mundi, quæ omnia opera deinceps in Apocalypſi continenti ſerie explicantur, eoſdem Dei viros vaticinatos eſſe, ut alia argumenta præter eam, unus S. Petrus clariſſimè nos docet, Act. 3: 18 – 21. 24. quem locum oportet ut paulò diligentiùs contemplemur, tum quia rem probat maximi momenti, tum ut nobis in poſterum interpretationis Prophetiarum certior aliqua ratio conſtet, ſitque firmum aliquod & manſurum principium, in quo caput meditationis noſtræ Propheticæ verſetur.

§. 62. Is

§. 62. Is locus à verſu 18. ita habet: *Deus autem quæ per os omnium Prophetarum ſuorum ante denunciaverat, paſſurum ſcil. eſſe Chriſtum ſuum, ita implevit.* Nullus ergo Prophetarum, qui non de Chriſto Dei, & quidem παθητῷ, fuerit vaticinatus. Pergit Apoſtolus verſ. 19. *Reſipiſcite igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* &c. Seriam & integram vult eſſe pœnitentiam & converſionem ad Deum: Ejusque ſtudium commendat à triplici ejus fructu. Futurum enim 1. ut peccata verè reſipiſcentium, tanquam debita, ex rationario Dei expungantur. 2. *ut adveniat*, & quaſi è veſtigio adſint, καιροὶ ἀναψύξεως, *tempora* ſive potiùs *opportunitates*, vel occaſiones *refrigerii à conſpectu Domini.* Supponit Apoſtolus, tanquam notum, (& unde, niſi ex Prophetiis, quarum auctoritate inprimis utitur, ut mox videbimus) multas Eccleſiam inde à tempore, quo Chriſtus poſt paſſiones erat glorificatus, manere tentationes & afflictiones. Solent autem iſtæ afflictiones igni & æſtui aſſimilari in Scripturâ. Illis igitur opponit vices refrigerii ſuis ſingulas opportunitatibus & quaſi rerum gerendarum occaſionibus repræſentandas & accelerandas Eccleſiæ. 3. denique id conſecuturum, ut poſt multos exantlatos labores, & perpeſſas moleſtias pro regno Dei & veritate, atque etiam poſt exhibita Eccleſiæ tempora refrigerii Deus *mittat* reſipiſcentibus ſeque ex animo diligentibus τὸν προκεχειρισμένον *ante deſignatum*, & jam illuſtriſſimo aliquo opere quaſi digito demonſtratum *ipſis* Dominum & regem *Jeſum Chriſtum.* Ad quid autem mittat; niſi ut ſuos reſuſcitet ex pulvere, & aſſumat ad ſe, ac devictis omnibus hoſtibus ipſorum ac ſuis, etiam ipſâ morte, plenariâ ſalute ac gloriâ eos ſecum coronet? Namque in hanc ſententiam legimus Act. 17: 13. quòd *Deus conſtituerit diem, in quo ſit judicaturus habitabilem in juſtitiâ, per virum, quem* ad hoc ipſum *definiverit*, atque ipſo opere demonſtraverit, *reſuſcitans eum ex mortuis.* Qui locus apprimè facit ad illum, quem tractamus, illuſtrandum.

§. 63. Jam poſt illa pleno ore & magnâ cum aſſeveratione pronunciat Petrus, verſu 21. *Quem quidem* Jeſum Chriſtum deſignatum judicem totius mundi, & conſummatum ſuorum ſalvatorem, *oportet ut cœlum contineat*, antequam mittatur, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν, *uſque ad tempora*, vel *interim dum fluunt tempora exhibitionis* vel *repræſentationis omnium, quæ Deus locutus eſt per os omnium ſanctorum Prophetarum ſuorum.* Q. d. Non eſt, quòd illum Jeſum, quem dixi vobis alterâ vice mittendum, tam citò exſpectetis. Multa enim ſuperſunt, ex ſententiâ quidem Dei in Scripturis Propheticis ante expoſitâ, interim dum ipſe in cœleſti aulâ verſatur, adhuc gerenda & adminiſtranda in mundo & Eccleſiâ: quæ quidem non uno pedatu Deus conſummare conſti-

tuit, ſed ſuis ſingula temporibus & occaſionibus, itidem à Deo per Prophetas prædelineatis ac ordine deſcriptis. Quos autem & quales Prophetas? Illos, qui fuerunt *ἀπ' αἰῶνος*, *à ſæculo*, à condito mundo. Nominatim illos, quos nominat verſ. 22. *Moſen*; verſ. 24. *Samuelem*, *& qui eum deinceps exceperunt*, Davidem, Solomonem, Eſaiam, Danielem, & cæteros omnes, qui poſt Moſen & Samuelem in Canone Prophetico exſtant & hodieque ſequuntur.

§. 64. Quid his apertius, quidve demonſtrandæ veritati commodius aut luculentius dici poteſt? Deus, quæ per os omnium ſuorum Prophetarum prænunciaverat de Chriſto paſſuro, ita impleverat, ut eſt capitis ex Actis citati verſ. 18. Principem autem vitæ per paſſiones conſummatum excitaverat à mortuis, in cœlum aſſumſerat, & ad dextram majeſtatis ſuæ collocaverat. Nihil ad culmen gloriarum Chriſto deſtinatarum deeſſe videbatur, niſi hoc; ut & ſuos, quos in terris reliquerat non tantùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus aſſumeret ad ſe, & caput non ſine membris glorificaretur. Exſpectanda ergo erat, & per fidem ac reſipiſcentiam acceleranda nova *miſſio* Redemtoris, ut eſt ejusdem cap. verſ. 19. & 20. Ejus horam & diem quamvis nemo novit, tamen refert Apoſtolus in illud tempus, quo eſſent ἀποκατεσταμένα, q. d. plenè conſtituta, & in ipſâ veritatis luce collocata ac rebus exhibita omnia, quæ Deus per os omnium Prophetarum ſuorum prædixerat futura. Interim Chriſtum cœleſti palatio contineri oportebat, Non aliam ſanè ob cauſam, quàm quòd plurima adhuc ſupereſſent eorum, quæ prædicta erant, antequam ſecundâ vice mitteretur, implenda atque conſummanda in mundo. Neque ea quidem unico pedatu vel actu: ſed ſuis ſingula temporibus & rerum gerendarum occaſionibus. Atque hæc quidem ex Actis tum ſunt clara, ac Sol meridianus ſudo cœlo.

§. 65. Sed in eo jam cardo diſputationis noſtræ verſatur, utrum Ἀποκαταστάσεως hoc loco, ut nos reddidimus, *Repræſentationem*, *exhibitionem*, *impletionem*, an, ut communior verſio eſt, *Reſtitutionem*, denotet; cùm vox illa apta ſit ad utrumque ſignificandum, & apud bonos auctores Græcos utroque ſenſu uſurpetur. Namque ita Grotius ad hunc locum annotat: Ἀποκατάστασις *Plutarcho*, *Columellæ*, *Numenio apud Euſebium*, *Servio ad Eclogam quartam*, *Gnoſticis apud Irenæum* 1: 13. *& aliis eſt revolutio ſideris in priſtinum locum*: *Hiſtoricis quies reddita rebus turbidis. Sed &* ἀποκαθίστασθαι *oſtendere ſignificat*, *ſicut* ἀποκαταστατικὸν *numerum Capella vocat quinarium*, *quia cum aliis imparibus*, *ſive cum ſuo genere ſociatus*, *ſe ſemper oſtendit. Sic* ἀποκαθιστῶν Pſalm. 16: 5. *Et Oecumenius ſic explicat* ἀποκαταστάσεως εἰς πέρας ἐλθεῖν ἅπαντα. Hactenùs Grotius. Jam verò ſi hæc ſit mens Apoſtoli, Chriſtum oportere ut cœli capiant uſque ad tempora reſtitutionis omnium, quæ Deus prædixit ventu-

ventura; nihil eorum, quæ fiunt, ant quam illa tempora reſtitutionis omnium appulerint, ex prædictione priſcorum Prophetarum geratur, neceſſe eſt, neque adeò Prophetæ Iſraëlis ad modum Johannis in Apocalypſi, quæ noſtra eſt ſententia, tempora N. Teſtam. ordine deſcribant, ſed quæ de rebus ſub N. Teſt. poſt adventum Chriſti gerendis indicant, ad omnium, quæ collapſa ſunt, reſtitutionem tantùm pertineant, neque ad alia debeant applicari.

§. 66. Enimvero qui hunc in ſenſum verba Apoſtoli interpretantur, oportet demonſtrent, qualis ſit reſtitutio eorum, quæ nullum unquam ſtatum in rerum naturâ habuere, ſed prædicta tantùm dicuntur ab Apoſtolo, & futura erant: Quæ ſanè cùm nullam à ſe naturam vel eſſentiam habuerint, ſed imaginariam tantùm & repræſentativam in mente & conſilio Dei, cui nota ſunt ab æterno omnia opera ſua, non reſtitui, quando fiunt, ſed rebus ipſis exhiberi & impleri dici poſſunt. Deinde cur *tempora* ἀποκαταστάσεως πάντων appellat Apoſtolus, ſi reſtitutionem voluerit dicere, cùm non *tempora*, ſed *tempus* reſtitutionis omnium exſpectetur; *tempora* verò plura ad multas res ex ordine gerendas requirantur? An verò fortè Apoſtoli adhuc in illo verſabantur errore, in quo eos verſatos fuiſſe vulgaris eſt ſententia, quum Chriſtum interrogarent, eſſetne illo tempore, quo reſurrexerat ex mortuis, regnum politicum ac ſceptrum terrenum reſtituturus Iſraëli? Quaſi ſcil. Vir ſanctus hîc loqueretur de reſtitutione regni & politiæ Iſraëliticæ in illum ſtatum, in quo fuerat tempore Davidis & Solomonis. Sed & hîc proculdubio, poſtquam Spiritum S. acceperunt, & Act. cap. 1. Apoſtoli ab illo carnali præjudicio immunes fuerunt.

§. 67. Ut enim & de hoc loco prætereundo aliquid dicamus (& quidni dicamus, cùm & in illo verbum ἀποκαθιστάνειν, unde noſtra Ἀποκαταστάσεως deſcendit, atque ad eandem fermè materiam adhibitum videamus.) contextus non patitur, ut iſtud verbum dicto in loco aliter, quàm de hâc ipſâ repræſentatione atque exhibitione rei promiſſæ vel prædictæ accipiamus. Quum enim Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam adhuc per quadraginta dies ſuperſtes in terris diſcipulis ſuis inculcâſſet ea, quæ pertinent ad regnum Dei, ut eſt verſu 3. cap. 1. Actorum; mandâſſet quoque ut Hieroſolymis exſpectarent id, quod primo loco promiſſum, & non multo poſt illos dies repræſentandum erat ſub regno Dei, uti liquet ex verſu 4. & 5. de tempore quoque repræſentandi iſtius regni, de quo cum ipſis egerat, conſuluerunt cum diſcipuli, his verbis: Κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ; *Domine an hoc ipſo tempore repræſentabis, (ſiſtes, exhibebis) regnum* illud promiſſum *Iſraeli*? Chriſtum nempe ex mortuis vivum jam oculis & manibus ſuis tractabant: & memores erant eorum, quæ paulo ante ex ore ipſius de regno

Dei exhibendo Iſraëli didicerant. Noverant quoque Prophetias, quæ omnes, poſt paſſiones, regnum & gloriam Chriſto portendebant. Rectè ergo, & ex mente Dei, quam ex Scripturis didicerant, interrogarunt, an non hoc eſſet illud tempus, de quo tam multis ante ſæculis ſcrutati erant viri ſancti, & in quod Spiritus S. qui in ipſis locutus erat, prædeſignâſſet Chriſti glorias? Nam de tempore exhibitionis regni Dei, non verò de regno aliquo terreno reſtituendo Iſraëli, ipſos quærere non modò ex antecedentibus, verùm etiam ex reſponſione Chriſti abundè apparet. *Non eſt*, inquit verſ. 7. *veſtrum ſcire tempora & opportunitates, quas Pater poſuit in propriâ poteſtate?* Quid igitur? *Sed accipietis virtutem Spiritus S. qui ſuperveniet vobis.* Quam, ceu primum opus regni mei neceſſe eſt, ut ab hoc tempore exſpectetis: quemadmodum patet ex verſ. 4. q. d. Temerarium eſt, velle definire tempora & rerum gerendarum occaſiones. Quamvis enim Spiritus S. rerum jam inchoatarum & porrò detexendarum totam imaginem, ita propoſuerit, ut eæ omnes ſe invicem eodem ordine ſint excepturæ in hiſtoriâ, quo ſunt connexæ in Prophetiâ, tamen modeſtiæ cancellos is perrumpit, qui opera Dei, quæ adhuc futura ſunt, certis temporibus, vel perſonarum, locorum, aut modorum circumſtantiis includere velle præſumat aut æquum putet. Veſtrum eſt, ubi videtis quædam eorum, quæ de præſenti tempore prædicta ſunt, impleta eſſe, vel adhuc fieri, exſpectare, præſtolari, ſpeculari; de rerum verò futurarum circumſtantiis, modis, locis, inſtrumentis, temporibus, commoditatibus, nihil temerè definire. Deus enim quæ ſunt iſtiusmodi, ſui voluit eſſe arbitrii. Vobis nihil niſi exſpectationem reliquit. *Beati, qui exſpectant.* Dan. 12. Ex quibus apparet, quàm non ſine ratione utroque in loco ἀποκαταστάσεως non de reſtitutione, ſed de impletione, exhibitione, repræſentatione, intelligamus; & quàm firmum denique ſit & maneat nobis illud primum omnis demonſtrationis Propheticæ principium, Oracula Dei tam prioris quàm poſterioris temporis, non modò temporibus veteris, verùm etiam temporibus Novi Teſtamenti, quibus nimirum Chriſtus in cœlo manet, donec inde redeat judicandum vivos & mortuos, poſſe jure merito ac debere accommodari. Jam conf. loca Eſ. 46: 10. Ez. 38: 17. Eph. 3: 9. 10. 1 Pet. 1: 11. Jud. verſ. 14. Apoc. 10: 7. & ſim.

§. 68. Amplius dico, Prophetas V. Teſtam. magis agere de diebus Chriſti tum carnis, tum regni, quàm de rebus Iſraëlitarum, qui fuerunt ante Chriſti apparitionem; imò quæ de his locuti fuerunt, quæque ſecundùm vaticinia eorum populo Dei tum temporis evenerunt, non tantùm ut ſigna temporis adventus Meſſiæ, ſed etiam ut typos rerum ſimili modo & ordine ſub regno Chriſti gerendarum ſpectanda eſſe. Id ita probo; quia toto illo tempore, quod anteceſſit Chriſti adventum, *Viſio* vigebat. Ita vocatur omnis

Prophe-

Prophetia, comparata cum re, imagine, corpore, ſplendore, præconio Chriſti & regno ejus. Erat autem *viſioni præſtitutum tempus*, illud nempe, quo obſignanda erat omnis viſio & prophetia; Dan. 9: 24. 11: 27. Hab. 2: 3. & umbræ veritatis luce ac ſplendore erant diſpellendæ; id quod per ipſam Chriſti ἐπιφάνειαν factum eſt. Ergo antequam Chriſtus, Sol juſtitiæ, exortus eſt mundo, nil niſi *viſionem* ac prophetiam in Eccleſiæ auditam & cognitam fuiſſe neceſſe eſt. Igitur & Chriſtus Matth. 11: 12. 13. diſertè teſtatur, *Omnes prophetas & legem uſque ad Johannem* Baptiſtam, primum ſcil. præconem & indicem Chriſti & regni Dei, ut jam præſentis vel imminentis, *prophetâſſe*; cæterùm *à diebus Johannis Baptiſtæ regnum cælorum* βιάζεσθαι, i. e. *vim facere*, & quaſi erumpere conari. Ita enim accipiendam eſſe hanc vocem, & non, ut alii acceperunt paſſivè, Euripidis auctoritas nos monet: qui de die fatali jam imminente ita loquitur: παρωμένη γὰρ ἡμέρα βιάζεται.

§. 69. Nihil ergo fuit ante apparitionem Chriſti viſum, nihil auditum, quod non eſſet prophetia, & ea ipſa opera, quæ toto illo tempore Deus patrabat, quanquam fierent ſecundum prophetiam, tamen non erant plena ac perfecta ipſorum implementa, ſed futurorum quædam umbræ, atque exemplificata, ut ita dicam, prophetia. Ipſa lex, quatenus eminùs Chriſtum oſtendebat, atque egenis iſtis elementis mundi ea, quæ futura erant ſub regno Dei & N. T. adumbrabat, quid aliud, quàm prophetabat? Ut hîc ſit animadverſione dignum, atque, ut puto, ſatis probatum, & ſub Vet. Teſt. de rebus Novi, ſi non ſolis, ſaltem præcipuè eſſe prophetatum, & hanc omnem Prophetiam pro diverſitate modorum, quibus ea obtinuit, fuiſſe triplicem, Unam quam poſſumus appellare Verbalem, per ipſa verba & conciones Prophetarum; alteram, quam Legalem, per ritus & cerimonias Legis; tertiam, quam Hiſtoricam, ſive Exemplarem, per res geſtas atque opera Dei.

§. 70. Et de Prophetiâ quidem Exemplari ſive Hiſtoricâ, præter jam dicta, ipſis exemplis Chriſti & Apoſtolorum docemur abundè. Namque, ut rem magnam paucis declarem, & Melchizedecum, & Eliam, & Jonam typicum; Pauli item ἀλληγορούμενα, & Petri, ἀντίτυπα, & Johannis Apocalyptici *Spiritualia* quis ignorat? De Melchizedeco ſanè quæ leguntur & non leguntur Gen. 14. allegoriam habent, commendatam nomine דִּבְרָתִי מַלְכִּי־צֶדֶק Pſ. 110. quam Apoſtolus τάξιν & ὁμοιότητα appellat, & de Chriſto per Melchizedecum figurato explicat, Heb. 7. Ipſe Chriſtus *Johannem Baptiſtam* dicit eſſe *Eliam, qui venturus erat*. Matth. 11: 14. coll. Mal. 4: 5. Idem Jonæ hiſtoriam ejus, quod ſibi evenire debebat, facit ſignum, & Judæos à ſe ſignum expetentes ad illud tanquam notum allegat. Matth. 12: 39. Saræ verò & Hagaris

garis hiſtoriam Paulus diſertè inter ἀλληγορούμενα, id eſt illa, quæ ita facta ſunt, ut aliorum typum exbibeant, Gal. 4: 24. & Noachi conſervationem ex aquis diluvii in arcâ Petrus refert inter τύπους & imagines rerum poſtea gerendarum, quibus etiam ſua reſpondeant ἀντίτυπα, h. e. ſimiles typi; 1 Pet. 3:21. Idem Petrus de Davide monet, nonnulla ut Prophetam, & populi Dei non tantùm membrum, ſed etiam regem, in ſuâ perſonâ extuliſſe, quæ propriè & plenè vel Chriſto vel Eccleſiæ ejus conveniunt, Act. 2: 29. 30. 31. Johannes denique in Apocalypſi Ægyptum & Sodomam *ſpiritualiter*, id eſt à Spiritu S. in ante editis à ſe revelationibus ab Ægypto illâ Africanâ & Sodomâ Cananæâ denominatam aſſerit civitatem illam magnam, in quâ meretrix illa dominatrix terræ præſidebat, Apoc. 11: 4. Quo quidem exemplo idem Antichriſti regnum inde ab antediluviano tempore & ſœculo Kaini Jud. v. 11. typicè ſuprà repetitur, quaſi jam tum ei fuerit in hiſtoriâ iſtius temporis prælуſum. Conf. ex parte ſuperiore. Art. XXIX. & XXX.

§. 71. Non eſt igitur, quòd nos iſta nominum propriorum, perſonarum, populorum, urbium, regnorum, &c. jam antiquatorum, priſcis verò temporibus celebratorum tam crebra apud Prophetas alternatio de gradu dimoveat, ut quamvis cætera omnia rebus N. T. propter quandam ſimilitudinem accommodari poſſe concedamus propter ſolam tamen horum nominum peregrinorum uſurpationem, in Veteri hiſtoriâ eorum ſubjecta atque implementa quærenda putemus, in iisque acquieſcamus. Præterquam enim, quòd illud ſit cum ſtupidis Judæis velle hærere in umbris, imò ne umbras quidem velle ſpectare, ut umbras, cùm etiam facto vaticinia Vet. Teſtamenti, quotquot rerum, perſonarum, aut locorum illo tempore exſtantium præferunt titulos vel nomina, in iis ipſis rebus, perſonis, aut locis impleta fuiſſe, nullâ tamen inde ratione ſequatur, quòd tantùm ad res ſui ſœculi, & non etiam ad venturas reſpexerint; è contrario potiùs hoc uberior ſit demonſtratio Propheticæ veritatis, quo ſæpiùs hæc in eodem ordine impleta videri poteſt; ubi non tantùm verba Prophetiæ, verùm etiam prior hiſtoria ſequentis figura quædam & veluti exemplo illuſtrata Prophetia eſt: Haud difficile eſt demonſtrare, quædam eſſe talia in veteri Prophetiâ, quæ non debeant aliter, quàm de citerioribus temporibus intelligi. Ex. gr. Eſ. 16: 13. dicit Propheta: *Hoc eſt verbum, quod locutus eſt Jehovah ad Moabum olim. Et locutus eſt Jehovah, dicendo: Tribus annis, quales ſunt anni mercenarii, vilis fiet gloria Moabi.* &c. In his apertum eſt, Eſaiam tempus illud, quo Deus olim de Moabo locutus eſt, nempe per Moſen, Davidem, ab illo tempore, quo ipſe Propheta locutus eſt, diſtinguere. Quo poſito, nempe Prophetiam hanc, quæ de Moabo edita eſt, non eſſe novam, ſed veterem, confirmamur in eo, ut credamus indubitanter, per Moabitas ſignificari Moabitarum

cognatos,

cognatos, affines, inquilinos, concives, fœderis externi conſortes, imitatores, ex ipſorum loco progreſſos, Judæos. Nam de Moabitis, qui nullam talem communionem cum Judæis habuerunt, parum admodum Deus locutus eſt ante Eſaiam: de Iſraëlitis autem communionem cum Moabo habentibus omnia eadem.

§. 72. Quid quod plurima talia ſint, quorum ne veſtigia quidem ulla implementorum in prioribus temporibus appareant? Sic hiſtoria vetuſti temporis rerum Davidicarum, cui Pſalmus 9. integrè accommodari poſſit, non exſtat: Sed, ut jam olim obſervavit Hieronymus, *Iſte Pſalmus, totus in perſona Eccleſiæ per Prophetam de Antichriſto cantatur.* Nec de Davide Chriſti patre verificantur nonnulla Pſal. 40. ullo modo, illa nempe, quæ S. Paulus recitat Heb. 3: 5 --- 10. Nec tempori Davidis vel Babylonicæ captivitatis convenit Pſalmus 47. Et Pſalmus 72. fatentibus ipſis Rabbinis Solomoni non convenit, niſi κατ᾽ ὑπερβολὴν, Chriſto autem ſine exceſſu & hyperbole. Nec invenerunt Judæi in tempore antecedenti *Anguſtiam*, cui ſatis aptè conveniret Pſalmus 77. In eodem numero eſt Pſalmus 88. aliique.

§. 73. Item facilè vidit Abarbanel, Prophetiam Eſaiæ cap. 5. in parabolâ propoſitâ verſibus primis ſeptem non convenire captivitati Babylonicæ; facilè etiam probari poteſt, non convenire X tribubus; ſed optimè aptari excidio per Romanos facto. Eadem eſt ratio Prophetiæ Eſ. 9: 1 -- 6. quam facile eſt oſtendere, de Ezechiâ, quantumvis id vellent Judæi, non poſſe intelligi; quod adeò manifeſtum eſt, ut ipſe auctor Nizzachon fateatur involvi promiſſionem Meſſiæ, ut filii Davidis. Sic quæ de rege Babylonis pronunciat Eſaias cap. 14. non poſſunt omnia ad Nebucadnezarem Babylonis propriæ regem referri. Nunquam enim hic cogitavit *conſidere in monte conventus.* quod de ipſo prædicatur verſ. 15. Ita vocatur mons iſte, in quo Deus memoriale ſui nominis collocaverat olim, & quò venturum ſe, & præſto futurum ac reſponſurum promiſerat convenienti populo ad quærendum & conſulendum ipſum. Mons inquam, domus Domini, ſive Templi. Adeò ut *conſidere in monte conventus* idem ſit, quod Apoſtolus explicat *ſedere in templo Dei ut Deum*, 2 Theſſ. 2: 4. Cujus rei cogitationem nunquam ſuſcepit Nebucadnezar, ſed è contrario tantùm, ſi forte, venit Hieroſolymam, ut templum coram ipſo incenderetur, Jer. 52: 12. coll. verſ. 25. Item Calvinus rectè animadvertit, ea, quæ habentur verſ. 16 -- 20. non convenire regi Babyloniæ. Item ex v. 20. apparet, quodcunque de Babylone dictum eſt, id pertinere ad maleficos & ſemen illorum, nominatos, & ad illud tempus, quo deſitum erat illud ſemen maleficorum vocari. Si per deletionem regni Nebucadnezaris deſiti fuiſſent malefici vocari & nominari, diceremus, hæc de Babyloniis vetuſtis eſſe pronunciata. Atqui non ita eſt. Multis ſœculis in

poſterum maleficorum nomen auditum & celebratum eſt. Præterea verſ. 22: 23. quæ habentur, non poſſunt intelligi de Babylone propriâ. Nam de ejus excidio agitur cap. 13: 20. 21. 22. Et quare bis eadem dicerentur, cùm poſſint intelligi de Babylone myſticâ; cui ſimilia prænunciata ſunt Apoc. 16: 19. 20. 18: 7. 8.

§. 74. Sic narrat Abarbanel, non defuiſſe interpretes, qui propterea quòd in Tyro propriâ deficerent implementa prophetiæ & Tyro quæ exſtat Eſai. 23. de ſimili quâdam urbe cogitarent, in mari ſitâ, ut Venetiis. Oſtendit idem Abarb. Veteres hîc cogitâſſe de Tyro ſpirituali, h. e. ea; quæ de Tyro dicuntur cap. 23. Eſaiæ, de Româ, ut Tyro ſpirituali, intelligiſſe. Nihil quoque, quod & Grotius obſervat, hîc eſt ſimile iſtis, quæ vel Nebucadnezar vel Alexander Magnus fecerunt in Tyro. Quin & Hieronymus de ſuâ ætate dicit, *Hæc ſecundùm hiſtoriam nondum facta comperiri.* Quæ nos confirmant, ad citeriora hæc tempora pertinere.

§. 75. Ita, quæ in Hoſeâ de Ephrajimo & Judâ celebrantur, veritatem ſuam, ſi quis attendat, in X tribubus, & Judâ ante capt. Bab. non ſemper inveniunt. Tanquam illud Hoſ. cap. 5: 10. 11. *Facti ſunt principes Judæ, ut ſubmoventes terminum: in illos effundam, ut aquam, excandeſcentiam meam. Fraudatur Ephrajim, vexatus judicio: quia induxit animum, ivit poſt præceptum.* Quandonam enim id factum eſt, ut *principes Judæ extiterint, tanquam limitum ſuorum amplificatores*, vicinorum autem Ephrajimitarum, ſive Iſraëlitarum, violatores; & quando *Ephrajim ſecutus eſt præceptum* principum Judæ? imò & *ab iis vexatus eſt judicio*? Ejuſdem generis eſt illud quoque, quod exſtat Hoſ. 13: 7. 8. *Et extiti ipſis* (loquitur de Judâ) *tanquam bellua; tanquam pardus in viâ Aſſyriæ. Occurrebam ipſis ut urſus orbus, & lacerabam clauſtrum cordis ipſorum; & edebam eos ibi ut leo; fera agri diffindebat eos.* Hæc, inquam, Prophetia non eſt verificata in tribu Judæ illâ ſingulari, quæ fuit ante capt. Bab. vel etiam poſt eam. Ea enim nunquam expeditionem ſuſcepit in Aſſyriam, neque in eâ expeditione, dum eſſet in viâ Aſſyriæ, tam duriter & inclementer habita eſt. Sed è contrario fuit tempus, quo Aſſyrius expeditionem adverſus Judam. Huc pertinent ea, quæ habentur Mich. c. 5: 4. 5. de Aſſyrio Iſraeli ſubjiciendo: *Et hæc erit ipſis pax. Aſſyrius quum veniet in terram noſtram, & quum calcabit palatia noſtra, tum conſtituemus contra ipſum ſeptem paſtores, & octo unctos hominis. Et paſcent terram Aſſyrii gladio & terram Nimrod in oſtiis ejus. Et eripiet ab Aſſyrio, quum veniet in terram noſtrum, & quum calcabit terminos noſtros.* Ad quem locum Hieronymus contra Judæos diſputat in hanc ſententiam: *Reſpondeat hoc loco carneus Iſraël, utrum facta dicat hæc, an futura? Si facta commemorat, præbeat hiſtoriam, det auctoritatem veterum librorum: doceat, cunctas gentes*

& Aſſy-

& Aſſyrium quendam Iſraeli fuiſſe ſubjectum. Neque hoc fugit Belgas interpretes qui per Aſſyrios & terram Nimrodis hîc figuratè volunt intelligi hoſtes Ecclesiæ ſub N. Teſtam. quorum vim Chriſtus Eccleſiæ armis tam corporalibus, quàm ſpiritualibus ſit propulſurus.

§. 76. Sic Jo. 4: 40. ſpiritualis ſignificatio probatur ex eo, quòd dicitur fluvius exiturus ex domo Domini ad ſanandum non tantùm deſertum Hierichuntis, ſed ultra Jordanem ipſam vallem Sittim. Conf. Ezech. 47: 1, 8. Zach. 14: 8. Quis enim credat, κατὰ τὸ ῥητὸν fluvium erupturum ex templo ad hunc effectum? Item Hab. 2: 6. diuturnitas imperii ſignificatur per *Quouſque?* Hæc nota non convenit Babylonico. Nam poſt 70 ànnos id everſum eſt. Ita quod Zacharias cap. 5. vaticinatur de domo mulieri inſidenti Ephæ, cujus mulieris nomen ſit Improbitas, conſtituendâ in terrâ Sinear, i. e. Babylone; non poteſt in Babylone illâ antiquâ, quæ jam tempore Zachariæ præterierat: nec unquam poſtea invaluit, impletum videri. Sed in Babylone myſticâ ſub N. Teſt. ut ſuo loco demonſtrabitur, clariſſimum implementum habet.

§. 77. Sexcenta hujuſmodi afferri poſſunt. Sed unum adhuc præ reliquis inſigne, ex Eſ. cap. 23. hîc proferamus. Eſt in illo capite inſignis Prophetia & minimè obſcura de rebus in Eccleſiâ & Politiâ Chriſtianâ geſtis ſub initio reformationis, imperante Carolo V. uſque ad pacem religionis cauſâ anno 1552. Paſſavii inter Cæſarem & Proteſtantes in Germaniâ factam. Deinde contemptum & imminutionem regni Papalis, & incrementum Eccleſiæ prænunciat per 70 annos, ſub metaphorâ oblivionis Tyri tanquam ſcorti vilis & neglecti. Quibus 70 annis finitis ſubjungit novos triumphos, & nova gaudia, & blandimenta, & fornicationem Tyri illius myſticæ cum regibus terræ. Quemadmodum hujus ſœculi anno 22. i. e. 70 poſt pacem religionis ſuperiori ſœculo factam, poſt Bohemiam Palatinatus inferior ſubactus; Academia Pragenſis & Heidelbergenſis Jeſuitis tradita; novi cœlites, tanquam Ignatius, Franciſcus Xaverius, à Papâ creati; alia ad reſtaurandam Papalem dominationem inſtituta fuere. Omnium tamen eventus hic docetur, ut Tyrus quæſtum non poſſideat, neque retineat poteſtatis ſuæ augmenta, ſed ut ea cedant ſedentibus coram Domino, & ipſius verbum audientibus. Quæ omnia facilem & commodam ex hiſtoriâ noſtrorum temporum, itemque aliis parallelis Prophetiis, quæ ſint multæ, expoſitionem habent. Fruſtrà autem quis illa & infelici curioſitate, in antiquâ Tyro verata putet, niſi cum Judæis audacter fictas fabulas pro veris hiſtoriis nobis obtrudat. Quemadmodum hîc Viro cuidam magno contigit, qui ut cogat Prophetiam tam notabilem de Tyro vetuſtâ loqui, eam refert ad tempora incognita Salmanaſſaris aut Sancheribi, exitumque & cataſtrophen capitis in eo ponit, ut

Iſraëlitæ augeantur Tyriorum opibus, eis quæſtum ſuum per luxum in frumentum, vinum, carnem, lanas, ab Hebræis emenda prodigentibus. Mira extenuatio Scripturæ! Et, ne quid deſit audaciæ, pro *ſeptuaginta* annis reponit *ſeptem*. Quem numerum colligit ex quinque annis, quibus Tyrii aquis arciti fuerint, & duobus annis, quibus rex Aſſyrius iſtîc locorum manſerit. Vah humana ſocordia, an ſuperbiam dicemus! Tales homines oportet ad Scripturam accedere, huic iratiores, quàm ſibi, ut ait Auguſtinus l. 1. de doctr. Chriſt. cap. 37. qui, ne Spiritus Sanct. à ſe diſſentire videatur, primò effingunt id, quod nuſquam gentium exſtat, ac deinde etiam ipſi textui ſacro vim inferre non timent.

§. 78. Fatemur equidem, in typis ſæpenumerò res ſimiles conſpici, atque in analogo ſive ſignificato: ſed & hoc tenendum, eas res non ſemper habere eundem ordinem aut ſimilia connexa antecedentium & conſequentium. Exemplum eſt in Pſalmo 18. qui etiam recitatur 2 Sam. 22. Sed hîc, prout à Davide prophetâ fortaſſe in conſideratione ſui magis, quàm analogi, eſt dictus Deo; ibi, prout Eccleſiæ traditus eſt, fortaſſe magis ad Chriſtum pertinens, quàm ad figuram. Obſervatur, inquam, verſum 3. Pſalmi 18. Eccleſiæ N. Teſtam. in omnibus ejus temporibus aptiſſimo verborum ordine quadrare. Apud Samuëlem adjiciuntur iſta ומנוסי משעי מחמס תושעני / quæ videntur Davidis ſtatui ex ordine magis convenire.

§. 79. Quin tantum abeſt, ut poſſint omnia, quæ de rebus aut perſonis Vet. Teſtam. in prophetiâ dicuntur, in his impleta videri, ut etiam contrariam ipſis aliquando eveniſſe poſſit demonſtrari. Quo argumento S. Petrus Pſalmum 16. Chriſto applicat, quoniam de Davide contrarium conſtet, ac in illo Pſalmo ſit pronunciatum. Et de ſimilibus ſimile judicium eſto.

§. 80. Et ſic quidem per exempla & hiſtorias Spiritus S. olim prophetavit; Ut nemini idcirco incredibile debeat videri, ultimi temporis res per analoga tempore Prophetarum exſtantia ſignificari. Supereſt, ut de figuris & cerimoniis legis idem demonſtremus. Et primò quidem de Chriſti perſonâ, officio, cruentâ ſatisfactione, & beneficiis hinc dependentibus, id tam eſt notum, ut non ſit neceſſe diſputari. Ulteriùs probandum eſt, miniſterium Moſaicum, & omnem illum cultum atque apparatum cerimoniarum legalium non hunc modò uſum habuiſſe, ut oſtenderent eminùs Chriſtum adducentem juſtitiam æternam, & quæ cum eâ ſunt conjuncta, beneficia fœderis gratiæ & N. Teſt. verùm etiam ut regni ejus modum & partes, ac diverſum ſtatum, quem habet diverſis temporibus, adumbrarent. Id non meliùs iterùm poſſumus, quàm ipſis exemplis, quæ S. Scriptura tam Veteris, quàm Novi Teſtam. hoc in genere ſuppeditat nobis, quæ ſanè luculen-

tiſſima ſunt, hîc approbare. Sic Deus in lege ſuâ non modo ſparſim voluit omnes characteres Chriſti ſignare, ſed ipſum etiam tempus paſſionis & reſurrectionis ipſius & mox effuſionis Spiritus Sanct. in Apoſtolos. Agnus Paſchalis mactabatur inter duas veſperas decimi quarti Niſan, h. e. ante veſperam illius diei. Chriſtus eo die & tempore mortuus eſt. Sacrificium juge mane & ante veſperam offerebatur. Chriſtus mane circa horam tertiam crucifixus eſt, circa nonam exſpiravit. Sabbatum, quietis ſymbolum, Chriſti à maledictione legis in ſepulchro quiete impletum eſt. Manipulis ex agro oblatus & in ſanctuarium illatus ſignificat Chriſtum ut primitias ex mortuis. Debebat offerri poſtridie Sabbati, h. e. die Solis. Hoc Sabbatum in lege conſtituitur poſt Paſcha. Chriſtus poſt Paſcha, h. e. decimum quintum Niſan, die Solis ſeu primâ Sabbatorum ſurrexit. A die offerendi manipuli jubet lex numerari ſeptem Sabbata, ſeu quinquaginta dies, Lev. 23: 15. 16. Ita ut quinquageſimus dies ſit poſtriduanus Sabbati ad offerendum munus novum de meſſe. Ita quinquageſimo die poſt reſurrectionem Chriſti effuſus eſt Spiritus Sanct. in Apoſtolos, ad ſanctificandum & conſecrandum eos Deo, tanquam munus novum, per primitias, id eſt Chriſtum, ſanctificatum, de hominibus tanquam frugibus terræ, ut eſſent duces eorum, in quibus eſt voluptas Dei. Pſ. 16: 3.

§. 81. Sic figura quatuor animalium in Cherubinis, Leonis ſcil. vituli, hominis, & aquilæ, hanc enim figuram habuiſſe diſcimus ex Ezechielis cap. 1. verſu inprimis 10. collato cum cap. 10. verſ. 20. Hæc, inquam, figura quid docuerit Apocalypſis nobis dabit. Ea enim Eccleſiam quatuor temporum ſive Periodorum Eccleſiæ Novi Teſtamenti ab aſcenſione Chriſti decurrentium ſub figurâ horum quatuor animalium repræſentat. Vid. Apoc. cap. 4: 6. 7. coll. cap. 6: 1. 3. 5. 7. Ita nec de figurâ Cherubinorum illorum, qui fuerunt ſuper arcam, nec de verâ eorum ſignificatione ampliùs dubitamus. Similiter Apoc. 11: 2. quid & atrium exterius, quatenùs à templo diſtinguebatur olim, ſignificarit, & cui tempori iſta diſtinctio potiſſimùm conveniat, clarè oſtendit. Item nubis ſ. gloriæ Dei occupantis tabernaculum, ut à Moſe erat abſolutum, Exod. 40: 34. veritatem demonſtrat Apoc. c. 15: 8. Sic paſſim obſervare eſt, Prophetas dum loquuntur de rebus futuris ſub regno Chriſti, ipſi veritati atque imagini rerum admiſcere vocabula deſumta à ritibus atque umbris Moſaicis: quibus ſimul docent, & quarum rerum ille fuerint umbræ, & quibus maximè temporibus impleantur, conf. Part. I. Art. XXXVI.

§. 82. Quia adeò id verum eſt, ut etiam demonſtrari poſſit, nec figurarum legis omnium, vel in Chriſto, vel in ejus corpore Eccleſiâ, adhuc exſtare implementa. Inſtar reliquarum ſit feſtum tabernaculorum, quod ultimum

timum feſtum totius anni celebrabant Iſraelitæ. In eo commemorabant errores ſuos priſtinos in deſerto, Deoque gratias agebant pro hæreditate terræ Canaan, & pace ac beneficiis in eâ. Id Zacharias cap. 14. in quo de rebus ultimi temporis ſub regno Chriſti vaticinatur, poſtquam res anteriores inde à tempore Prophetiæ ante & poſt adventum Chriſti explicuiſſet, facit hieroglyphicum lætitiæ Eccleſiæ ultimi temporis in memoriam revocantis omnes ſuos errores, pericula & labores, quibus huc uſque ſub N. Teſtam. partim ſub gentibus, partim ſub Antichriſto, &c. fuerit jactata, & præſentem gaudentis in hæreditate mundi, & ſubjectione omnium hoſtium, cum ſummâ pace felicitatem. Vid. Zach. 14: 16. & ſeqq. Huc pertinet & Sabbatum, quatenùs in illâ figurâ requies Eccleſiæ à labore, afflictionibus, quas propter regnum Chriſti etiamnum patitur, ſeptimâ Periodo gubernationis Eccleſiæ N. Teſtam. repræſentanda ſignificatur, Pſalm. 92: 1. & ita quidem ſignificatur, ut ſimul Eccleſia Chriſtiana in ſeptem temporibus verſatura, & pro amplificatione regni Dei & hæreditate mundi laboratura innuatur. Sed ſatis exemplorum, ad concludendum, per figuras & typos ac cerimonias & ipſa emblemata legis non modò Chriſtum & beneficia ejus, aut ſtatum Eccleſiæ N. Teſtam. in univerſum ac perpetuum, ſed ſtatum quoque ac habitum Eccleſiæ N. Teſtam. in diverſis temporibus expreſſum, & quantum quidem per naturam iſtorum egenorum elementorum mundi & conditionem potuit, adumbratum eſſe. Et poſſunt ſimilia quoque de operibus Dei antiquis & rebus geſtis ab iis, qui ſenſus in Scripturis exercitatos habent, ex analogiâ eorum, quæ ſub N. Teſtam. geſta ſunt, uſu obſervari.

§. 83. Sic Moſes Nachmanides ſive Gerundenſis animadvertit, non abſque cauſâ Deum exornationem rerum contuliſſe in ſex dies, & veriſimile eſt, Deum voluiſſe in his typum quendam edere rerum futurarum. Dictant Prophetiæ, quando venturus eſt Chriſtus ad judicium, fore pacem. Id igitur Sabbatum quoddam eſt. Quando Chriſtus apparuit, lux venit in mundum, & tanquam ex tenebris lux emicuit. Vid. 2 Cor. 4:6. Tum Deus diſtinxit inter lucem & tenebras. Nam diſcrevit eos, qui juſtitiæ Dei non ſubjiciebantur, à fidelibus. Hic eſto primus dies. Secundo tempore Eccleſia paulatim cœpit habere locum habitationis, ſed poſt multiplicem concuſſionem. Tertio tempore in loco habitationis, quum Idololatræ fugiſſent, multæ plantæ Dei provenerunt: multi etiam mentiti ſunt Deo. Hinc factum, ut Quarto tempore extiterit aliquis Sol, & Luna, & ſidera, h. e. Doctor magnam auctoritatem habens, & Epiſcopi; & reges & principes commodi Eccleſiæ: Quinto tempore invaluerunt beſtiæ, & aves avolaverunt. Sexto tempore conditur homo, h. e. Eccleſia repurgata ab erroribus & abuſibus: cui in fine ſœculi datur pax.

§. 84. Item

§. 84. Item poteſt non ſine ratione cogitari ſimilitudo ſubjectionis mundi & ſubjectionis terræ Canaan. Ut enim Iſraëlitæ non ſtatim expulerunt omnes gentes & occuparunt totam hæreditatem ab Euphrate ad Libanum & Oceanum: ita & Eccleſia Chriſtiana non ſtatim omnes gentes habuit obedientes. Quemadmodum Iſraëlitis primò pugnandum fuit cum Amorrhæis, ita & Chriſtianis primò occurrendum fuit gladiis populorum, non ut gladios contra ipſos ferrent, ſed ut per תוחכה eos vincerent. Ut primò regnum Sihon & Og occupauerunt; ita datæ ſunt Eccleſiæ primò ad habitandum duæ provinciæ magnæ, quarum opibus tanquam alis aquilinis proveherentur in locum ſuum. Vid. Apoc. 12. Quemadmodum Iſraëlitæ transgreſſi ſunt per Jordanem: ita Chriſtiani transgreſſi ſunt per fluvium, quem Draco ex ore ſuo ejecit. Apocal. 12: 15. 16. Quemadmodum Iſraelitæ ſiverunt gentes habitare in medio ſui, ita Chriſtiani ſiverunt ſeri Zizania, quo factum eſt, ut gentes in atrium intrarent, & tandem calcarent ſanctam civitatem. Quemadmodum Iſraelitæ oppugnati ab hoſte reſpuerunt regimen Judicum, & voluerunt habere Reges; ita Chriſtiani infeſtati ab Hæreticis, judicarunt bonum eſſe, ut Epiſcopus, vel primi Epiſcoporum ſive Presbyterorum haberent prærogativam poteſtatis in ordinandis miniſtris in pædagogiâ, 1 Cor. 4: 15. & in judicio Apocal. 20: 4. ubi dicitur thronos eſſe collocatos, & quoſdam ſcil. homines, in illis conſediſſe, & illis judicium, ſive judicandi poteſtatem datam eſſe: quod rectiſſimè de cathedris Epiſcopalibus, quæ lege Eccleſiaſticâ & imperiali collocatæ ſunt in concilio Nicæno, explicatur. Quemadmodum per Reges introducta eſt idololatria: ita factum eſt per Epiſcopos illâ poteſtate armatos, qui partim hæreſibus Eccleſiam turbarunt, partim juverunt defectionem erroribus ſuperſtitionibus & præceptis inutilibus. Quemadmodum inter Iſraëlitas ortum eſt ſchiſma regni Iſraëlis & Judæ: ita inter Chriſtianos ſchiſma novæ & veteris Romæ. Vid. Zach. 11: 14. Quemadmodum X. tribus ab Aſſyrio; ita Oriens à Turcâ occupatus eſt. Vid. Mich. 7: 12. Quemadmodum Juda deductus eſt in Babylonem: ita Occidens redactus eſt in poteſtatem Antichriſti, cujus civitas vocatur Babylon in Apocalypſi. Quemadmodum Juda eductus eſt ex Babylone, ita fideles in Occidente liberati ſunt à communione civitatis illius magnæ. Quemadmodum educti non habuerunt reges, ſed judices, ut vetuſtis temporibus, Eſai. 1: 26. ita Eccleſia Reformata incepit Epiſcoporum dominationem exuere. Quemadmodum à perfidis Judæi, & poſtmodum ab Antiocho vexati ſunt: ita Eccleſia liberata à communione Antichriſti, à Schiſmaticis retinentibus & adoptantibus varias doctrinas Babylonicas turbata eſt, & Eccleſia tradita rurſus eſt in manum regum Papæ ſervientium, quod multis occaſio Apoſtaſiæ fuit. Quemadmodum Judæis dati ſunt vindices Maccabæi, ita &

Eccle-

Eccleſiæ oppreſſæ dati ſunt patroni & vindices, Eſ. 19:20. Quemadmodum ſacerdotes regnum affectarunt: ita fuerunt in quâdam parte Eccleſiæ, qui priſtinam dominationem voluerunt reſtituere, quorum conſilium in nervum erupit. Eſ. 24:21.22.23. Quid porro eventurum ſit ſimile, & dies docebit, & ad conjecturam Prophetiæ ſuggerunt. Saltem hoc clarum eſt, quemadmodum Judæi ſecundùm promiſſionem impleverunt totam illam terram poſt cap. Bab. habitantes in medio gentium: ita exſpectandum eſſe, ut fideles impleant totum mundum, habitantes in medio gentium. Mich. 5:6. & 4:4.5. Et quemadmodum per populum validum deletum eſt templum & politia Judaica, quod tanquam velum erat libertatem Eccleſiæ obſcurans; ita fieri poſſe, ut regnum Antichriſti, quod reverâ eſt velum impoſitum omnibus populis, Eſ. 25:7. aboleatur per populum aliquem & Monarcham potentem qualis eſt, qui hoc tempore Aſſyrius nominari poteſt. In quâ tamen re partem etiam habebunt reges, qui ipſi ſerviverunt. Apoc. 17:16.

§. 85. Verùm ut ritè atque ordine procedat hæc meditatio, nec temerè ac præter mentem Spiritus S. quidvis cum quovis comparetur, notandum eſt, non eſſe captandas ullas analogias, ubi totum corpus Prophetiæ verbalis in omnibus & ſingulis partibus & articulis, omniumque harmoniâ. tum inter ſe, tum cum hiſtoriâ, nondum fuerit plenè perſpectum, & in ſuâ quaſi nativâ ſimplicitate, ſublatis omnibus typorum, figurarum & emblematum involucris atque coloribus quaſi adſcititiis detectum atque illuſtratum; & ſic omnino à ſcrutatione ac demonſtratione Prophetiæ verbalis, adhibitis tantùm ad ejus intelligentiam hiſtoriarum implementis eſſe inchoandum ei, qui firmi aliquid, & quod perennet, in eo genere præſtare ac ſtabilire voluerit: Ut ita Prophetia verbalis, ut ſimpliciſſima, ſit legali atque exemplari, ut magis compoſitis, ceu fundamentum, ſubſternenda. Fruſtra enim quis ritus omnes ac cerimonias V. T. quæ totidem ſunt Prophetiæ, conabitur intelligere, niſi adhibitâ face Divinorum oraculorum. Et eadem quoque rerum quondam in Eccleſiâ & mundo geſtarum, quæ & quatenùs ſunt rerum ſimiliter gerendarum vivæ quædam imagines & propheticæ umbræ, eſt ratio. Quæ quidem cauſa eſt, quare in hoc ſcripto Prophetiam inprimis verbalem ubique explicare, atque implementis hiſtoricis illuſtrare ſtuduerim, inſuper habens, ut ad ea, quæ aliquam cum typis aut rebus ante geſtis ſimilitudinem habent, qualia ſunt ea, quæ in extremo opere exponuntur, prophetiam quoque legalem & hiſtoricam accommodarem; quia ſcil. verbalis poterat intelligi ſine illis, & eſt uberior ac nihil omittit eorum, quæ in reliquis reperiuntur; tum ut Lectorem his adjumentis ad reliqua eo diſtinctius aliquando cognoſcenda præpararem.

§. 86. Non

§. 86. Non erimus igitur faciles in typis & imaginibus temerè ac præter Scripturam effingendis, aut propter levem aliquam ſimilitudinem conſtituendis. Nam ſi Scriptura non indicet, debere nos in re unâ cernere imaginem alterius, etiamſi res diverſæ à Scripturâ explicatæ ſimilitudinem & conformitatem aliquam habeant non poſſumus tamen aſſerere, hoc illius typum & figuram eſſe, niſi quatenùs ex Scripturarum comparatione demonſtratur. Quâ quidem demonſtratâ pateſcit Dei ſapientia, ſed ſine eâ demonſtratione temerarium eſt à rei præcedentis tanquam typi formâ ad rei ſequentis formam argumentari. Sic Pſalmus 80. propriè & ſecundùm literam exhibet ὑποτύπωσιν temporis & tentationum & liberationum decurrentium uſque ad revelationem gloriæ Dei in Chriſto. In Novo quoque Teſtamento analoga quædam geſta ſunt & geruntur. Sed non poſſumus ad ea, quæ geruntur in N. T. verba Pſalmi accommodare, niſi quum videmus ſimilia illis, quæ in Pſalmo poſita ſunt, evenire, aut quum Prophetias de Novo Teſtamento videmus cum illâ Prophetiâ, quæ de Veteri Teſtamento propriè loquitur, concinere & conſpirare. Sic ea, quæ poſita ſunt ſup. Art. LXXXIII. non valent, niſi quatenùs ex Prophetiâ conſtat, hæc iſto modo à Deo temporibus diſtincta & deſcripta eſſe. Satius igitur hìc quidem eſt attendere ad Prophetias, &, ſi apparet, Deum à parvis initiis ad magna incrementa prodire, cogitare, quòd Deus etiam in principio non uno die omnia abſolverit. Conf. ex Part. I. Art. XXXII.

§. 87. Sed quia, licet in hoc Opere non perſequar Prophetiam hiſtoricam vel legalem, nihilominus tamen in ipſâ prophetiâ verbali ſæpe occurrunt ex hiſtoriâ antiquâ deſumptæ variæ rerum futurarum imagines; de his quidem, h. l. notandum quod inprimis ante rem geſtam ſint revocandæ tales imagines, quæ quidem occurrunt in Prophetiâ, ad tenorem promiſſionis editæ in paradiſo, & repetitæ Abrahamo ac Davidi, tanquam patri Chriſti; & juxta eum ſignificatio earum exploranda; adhibendæ ad hanc ſcrutationem & reliquæ ſunt prophetiæ? Sed nihil definiendum, niſi quum res geſtæ oſtendunt illud ſubjectum, cui omnia ſimilia evenerunt, & cui verba Prophetiæ in veritate ac plenitudine ſenſus conveniunt. Vid. ad Pſal. 7. verſ. 8. & add. ex P. 1. Art. modò citatus, itemque Art. XXXIV.

§. 88. Sæpe etiam uſu venit, in ſcrutatione Prophetiæ verbalis, ut interim talibus locis occurramus, quæ videntur poſſe & de typo id eſt de re vel perſonâ aliquâ Vet. T. & de analogato haud incommodè explicari. Ex. gr. multi Pſalmi, qui poſſunt & Davidi & Chriſto aut corpori ejus applicari. De his obſervandum eſt. 1. Non ſemper propter tenues lineas, quæ ſunt in typo, verba Prophetiæ ad typum ſunt revocanda. Vid. ad Pſ. 2. Nec diſplicet illud Auguſtini ad Pſal. 7. *Quoniam non ipſa hiſtoria conſideranda eſt, de quâ*

Propheta in myſteriorum velamen aſſumſit. Si tranſitum ad Chriſtum feceris, tolle velamen. Jure merito. Si enim aliquid in Davide & aliis ſanctis eſt typicum & præumbrans aliquid majus, & hoc Spiritus S. per Pſalmos nos docere voluit, & deſignare; quæ ſtupiditas erit cum Judæis velle hærere in umbrâ: quum in ipſo corpore & imagine poſſimus fulgidiſſimos intueri radios, quibus omnis literæ poteſtas non ſit ſatis. Imò ut cognoſcamus, utrum Prophetia de typo, an de analogo loquatur, ſciendum, eſſe præter morem Scripturæ, de typis loqui, & eos non indigitare. 2. Si poſſit commodè, & de typo prophetia, & de re per typum ſignificatâ intelligi, utrique ſuo loco eſt applicanda. Quâ ratione non mirabitur diligens Lector, ſi in hoc opere nonnulla deprehendat diverſis ſubjectis diſtinctis locis applicata. 3. Si ex parte Prophetia fuerit verificata ante Chriſti adventum, & ex parte non, vel non ita plenè, ſiquidem res geſta ſecundùm plures & nobiliores circumſtantias in analogo N. T. pateat, videri debet Sp. Sanctus magis analogum, quàm typum indigitare voluiſſe, & in illius imagine quodammodo adumbrare. Unde intelligi poteſt, quare multa, quæ cæteroquin potuiſſent aliquatenùs de rebus Vet. Teſt. intelligi, tamen omiſerim, & ad Partem ſequentem Operis, in quâ agetur de rebus N. T. reſervarim. Sicuti etiam vividiùs ſine dubio afficere nos poterit talis applicatio, & plus conſolationis afferre, ſi Sp. Sanctum tam evidenter appareat de rebus ad nos magis pertinentibus eſſe locutum; & gratior eſſe videtur illâ applicatione, quæ rebus aut perſonis V. T. hariolando & ſine certo ordine attribuit; certè non magis ingratum erit toties audire de rebus regni Chriſti, quàm de rebus priſcis, & tam ab uſu, quàm à temporibus noſtris longè remotis.

§. 89. Nec tamen id impediet, quo minùs etiam in hiſtoriâ antiquâ requiramus ea ſubjecta, eaque tempora & conditiones, quibus aliæ atque aliæ partes Prophetiæ convenire utcunque & pro modulo illorum ſubjectorum & temporum videantur. Ex. gr. Pſal. 118. poteſt David in quibuſdam ut typus ſpectari, dummodo veritas ſit in Chriſto, quum ſit certum, Deum non tantùm per verba, ſed etiam per res nos docere.

§. 90. Imò non iverim inficias, licere hypotheſin ad Theſin revocare, & ſub nominibus earum rerum, vel perſonarum, vel locorum, quæ in Prophetiis de rebus non tantùm Veteris, ſed etiam Novi Teſtamenti commemorantur, ſubintelligere ea vel eos omnes, qui iſtorum opera imitantur, ad eoſque verba Prophetiarum applicare. Vid. exempla ad Pſ. 83. v. 1. & Pſ. 119. fine.

§. 91. His addi debet, quòd eo ipſo, quo Prophetia de rebus N. T. ſæpe utitur vocabulis typorum ac figurarum, hinc illa ſuo modo etiam ad typum applicari poſſint, atque adeò quis poſſit legitimè ex eo, quòd de re per typum

typum ſignificatâ dicitur, ad ipſum typum argumentari. Ita Chriſtus ex Prophetiâ Eſaiæ cap. 56:7. *Nonne ſcriptum eſt, domum meam eſſe domum precationis*, quæ prophetia non eſt impleta, niſi in ſpirituali ſignificatione, rectè colligit, domum illam manufactam, quæ eſt typus domus non manu factæ, inſtitutam eſſe ad orationem, & aliis rebus, curis, occupationibus, non debere profanari.

§. 92. Ac denique propter communionem Sanctorum David cum ſuis in eâdem cauſâ Dei intelligendus eſt, ex Pſalm. 7: verſ. 1. &c. coll. verſ. 11. & inſuper tanquam typus Chriſti & Eccleſiæ: imò tanquam Propheta & Doctor Eccleſiæ, qui non ſine cauſâ Pſalmos ſuos in memoriam uſumque perpetuum Eccleſiæ commendavit. Una ſcil. eſt cauſa capitis & membrorum, una vita omnium, unus ſpiritus. Quid igitur mirabimur, ſi unus de illo corpore, pater Chriſti, qui habet promiſſionem, æquè ac Abrahamus, David, inquam, nunc pro ſe, nunc pro Chriſto, nunc pro omni Eccleſiâ loquitur? Qui etiamnum loquitur in choro cœleſtium, quod in terrâ locutus eſt per Spiritum Dei? Clariſſima indicatio eſt communionis ſanctorum, quòd Prophetis attribuuntur orationes ſanctorum Novi Teſtamenti; & rurſus in eorum ſermonibus introducuntur ſeri loquentes verbis priorum. Nam quæ gratia prioribus exhibita eſt, toti Eccleſiæ exhibita eſt: Et in eâ cognoſcit Eccleſia Deum ſuum, Deum gratiæ, Deum miſerationis, Deum veritatis.

§. 93. Propter eandem communionem capitis & membrorum quoque fit, ut non tantùm David, ſed etiam Chriſtus, per communicationem ſe conjungens cum ſuis membris, eorum ſermonem imitetur. Nam interceſſor, qui aliorum deſideria regi aut judici exponit, ſi æqua ſint, aut illius, qui exponit, nota voluntas ſit, videtur ſibi petere, quod petit iis, quos amat. Et Chriſtus bona noſtra ſibi petit, quia eſt caput noſtrum, & nos ipſius corpus ſumus. Nam quum ſe nominat, nos ſibi conjungit, quod corporis eſt, ſuum dicit. Omnia beneficia Dei, quæ derivantur in electos & fideles, Chriſtus in iis ut membris ſuis recipit, ut mercedem ſui ἀναμάρτητος. *Accepiſti dona in hominibus.* Pſalm. 68: 19. Hæc obſervatio in multis Scripturæ locis, præſertim Pſalmorum, multum poteſt prodeſſe. Sed hæc obiter.

§. 94. Quum itaque Prophetia Verbalis ſit Legali & Hiſtoricâ, ut ſimplicior, ſic prior & facilior cognitu, & fundamentum reliquarum, de hujus inprimis ſenſu inveſtigando nunc agamus. Hoc enim cognito, facile erit & de reliquis ſtatuere. Jam ſatis conſtat, Prophetas V. Teſtam. non in uno tempore morari, ſed neque res ſui tantùm ſœculi deſcribere, ſed ultra illud ſe extendere, & quidem gradatim non modò uſque ad Chriſtum, ſed

etiam uſque ad finem mundi progredi. Id quomodo faciant, nunc diſpiciamus. Inprimis tenendum, quod eſt apud Eſaiam cap. 46: 10. *Qui indico à principio extremum.* Innuit ſcil., Prophetiam principium & extremum per intermedia tempora conjungere. quemadmodum Matth. 24: verſ. 8 — 14. ἀρχὴ ὠδίνων & τέλος per intercedentia tempora conjunguntur. Et hinc fit mentio *temporum*: Ut *temporum gentium*, Luc. 21: 24. *temporum recreationis*. Act. 3: 19. deſignatorum ſcil. in veteri Prophetiâ.

§. 95. Deinde obſervandum, id fieri πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multis partibus*, ſive *vicibus*, *&* *multis modis.* Heb. 1: 1. Non enim univerſa Prophetia eſt unum duntaxat & continuum corpus orationis, in quo uno tantùm ordine ac ſerie antecedentia & conſequentia uſque ad finem connectantur. Methodus Prophetiæ eſt à fine ad principia redire. Exemplum illuſtre vid. Mich. 4: 1 — 7. & Mich. 4: 8. & ſeqq. Itaque & eundem rerum ordinem ſæpius fundit & multis modis: qui quidem omnes modi in eo conveniunt, quòd ordinem ſermonis ordini temporum perfectiſſimè accommodent, nec confuſè huc & illuc tranſiliant, jam hunc articulum temporis jam illum explicantes; ſed de cœtero ſunt valde diverſi. Nam quod una Prophetia clariùs & pluribus partibus, hoc altera breviùs & quaſi in compendio ad faciliorem diſtinctionem & ad memoriam firmiorem dicit. Rurſus quod in unâ dicitur brevibus, hoc in alterâ dicitur pluribus: Quod in unâ figuratè, in alterâ propriè: Cùm una habet definitum, altera habet definitionem: cùm una habet genus, altera habet ſpecies, & ſimiliter. Interdum à principio eſt Propoſitio continens totius Prophetiæ σύνοψιν, ita ut in ſeqq. ſit Exergaſia. Ut Eſai. 21: 1. Pſalm. 18: 2. 68: 2. 3. 4. Interdum Propoſitio habet titulum ſ. Rubricam; ſæpius non. Eſt & ubi Titulus comprehenſionem Propheticam indicat. Ut Eſ. 21: 1. חָזוּת קָשָׁה הֻגַּד לִי /

§. 96. Nec tamen putandum eſt, omnes Periochas, ſive comprehenſiones, ut ita dicam, Propheticas, à temporibus Prophetarum uſque ad extrema decurrere. Sunt quæ ex abrupto agunt de certo notabili tempore, v. c. Babylonicæ captivitatis, aut apparitionis Chriſti, aut ſtatus Judæorum ſub certo regno, aut Antichriſti, aut Eccleſiæ exeuntis è regno ipſius, & cum ipſius irâ luctantis, aut denique ad libertatem & regnum nitentis, & ſi quæ ſunt ſimilia inſignia argumenta Prophetiæ.

§. 97. Neque etiam putandum, ſemper & ubique Prophetas agere de futuris. Habent quandoque & ἐπεισόδια ſua & conciones, quæ commemorationem præteritorum habent, & mentionem temporibus Prophetarum convenientem; quæ ſunt à filo Prophetiæ diſtinguendæ. Tale ἐπεισόδιον eſt apud Eſaiam cap. 1. & apud Hoſeam nonnulla; & paſſim alibi.

§. 98. Item non eſt neceſſarium, ut putemus, Prophetiam ſemper abſol-

vere integram ſeriem, antequam ad priora redeat. Sunt enim & alia ἐπεισόδια, ubi antequam abſolvatur, integra Prophetia, ſub novâ ſpecie jam expoſita reponuntur in eoſdem fines exitura. Sic Apoc. cap. 11. eſt ἐπεισόδιον menſurati templi, & duorum teſtium, tubarum jam explicatarum ſummam revolvens, & ſic in ſeptimam tubam ſe reſolvens. Ita Apoc. cap. 15. & 16. phialæ textui Prophetiæ innectuntur.

§. 99. Eſt & ubi ſuperior Prophetia accommodatur ad tempus Prophetæ; atque ita quaſi ex novâ ἀφορμῇ deducitur Prophetia quaſi nova ſive explicatio ſuperioris Prophetiæ. Quæ interdum quidem ſub communi titulo comprehenditur, aliàs non. Sic notari poteſt, tredecim capita Eſaiæ à cap. 23. uſque ad cap. 36. nullo novo titulo, ſive lemmate diſtingui. Probabile igitur eſt, ea ſub communi titulo, qui eſt initio capitis 23. contineri. Atque etiamſi à cap. 40. omnes Prophetiæ ejusdem libri nullam ſuperſcriptionem habeant, ut quis etiam in his capp. putet & novas Prophetias non diſtingui novis titulis: tamen quia uſque ad cap. 23. Propheta iſtiuſmodi titulis uſus eſt, in eam partem propenſior eſt ratio, ut ſi omnia cætera quadrent, una potiùs quàm multiplex ratio eſſe videatur. Neque tamen ita eſſe unam Prophetiam, quæ cap. 23 — 35. continetur, dixerimus, ut perpetuo filo ab initio uſque ad finem omnia decurrant; ſed quòd omnia ad unum titulum communem revocari poſſint & debeant. Ubi autem temporum continuatio ſit, id ſignis ſatis evidentibus indicatur. Adverti autem poteſt, quinque priora capita uſque ad cap. 28. cohærere, ibi verò ex occaſione ad priora fieri reverſionem.

§. 100. Quin etiam notandum, Prophetias ſæpe proponi, ut hiſtorias, & quaſi in ὑποτυπώσει variam variorum temporum conditionem. In ſingulis autem articulis etiam poſſe reperiri verba tanquam commemorantia ſuperiorum temporum geſta, vel etiam tanquam promittentia, comminantia aut prædicentia in poſterum. Exemplum vid. ad Hoſ. 10: 2.

§. 102. Solet autem Prophetia à principiis ad extrema procedere per certos temporum & rerum in iis gerendarum gradus & articulos, ita aptos & conjunctos invicem, ut unus continuus temporum & rerum gerendarum tractus & decurſus eſſe videatur, nec fieri ulla vel tranſpoſitio aut confuſio, vel luxatio aut hiatus, vel anticipatio partium videatur, neque ea, quæ ultimo aut medio loco geri debent, primo, aut vice verſâ, ponantur, ſed prima congruentia primis, ſecunda ſecundis, tertia tertiis, & rurſus ſecunda ſubſequentia primis, tertia ſecundis, & ſic deinceps, aptiſſimum ubique tum ordinem & ἀκολουθίαν, tum conformitatem & harmoniam ſuaviſſimam in oratione habeant. Id ita eſſe docemur, tum quia ſic optimè intelligitur, quomodo *à principio extrema indicentur*, tum quia Periochæ propheticæ, in qui-

quibus extrema cum principiis per interjecta tempora junguntur, in Scripturâ appellantur צבאים, *Series ſive Ordines* rerum ſibi ſuccedentium. Ita enim Dan. 10:1. *verbum revelatum Danieli* vocatur צבא גדול *Series* rerum *magna*. Significatur enim hoc nomine Ordo rerum, & in ſpecie ordo militiæ, in quo vigil in locum vigilis, miles in locum militis venit, & quiſque habet tempus ſuæ functionis aut ſtationis. Vid. Job. 14:14.

§. 103. Ita ſæpe accidit in Prophetiâ, ut populo attribuatur, quod populus diſtinctis temporibus facit perſonis variantibus ſecundùm generationes. Sic Eſai. 45:11. *Ventura interrogaverunt me*, ſcil. patres veſtri, ſancti, prophetæ, *& de opere manuum mearum præcepta dabitis mihi?* Nec mirum id videri debet in Prophetiâ, cùm nihil ſit uſitatius in communi ſermone, quàm ut eidem populo tribuatur, quod ei diſtinctis temporibus convenit.

§. 104. Imò & hoc fieri neceſſe eſt in prophetiis, quæ finem cum principiis jungunt, ut nomina propria rerum, perſonarum, populorum, locorum, urbium, &c. ad quæ vel de quibus ſermo habetur, in unâ ejuſdem Prophetiæ parte propriè & literaliter, in aliâ impropriè & ſpiritualiter ſint accipienda. Quum enim, ut ſuprà probatum, Prophetæ antiqui res non tantùm ſui ſœculi, ſed etiam Novi Teſtam. explicarent, nec vocabulis typicis abſtinerent, quid miramur, in uno ſæpe contextu ſermonis eiſdemque Periochis eadem nomina non uno ſenſu diſtinctis locis ac temporibus accipi? & eiſdem nominibus indigitari ea vel eos, qui priorum opera ac ſtudia imitantur? Si, inquam, verum eſt, Prophetas Vet. Teſtam. non in ſuis tantùm temporibus hærere, ſed per omnem futuri ævi ac Novi Teſtamenti latitudinem exſpatiari, quid in eo eſt abſurdi, ſi dicamus ex. gr. Hoſ. cap. 1. & 2. uſque ad verſ. 16. ſermonem eſſe de Iſraële antiquo & carnali uſque ad ultimum ejus excidium & indurationem, quæ contigit ſub Romanis: Inde à verſ. 16. indigitari & compellari eam partem Iſraëlis, quæ educta ex priori eſt Iſraël ſecundum promiſſionem ſuccenturiatus veteri Iſraëli aſcendenti ex Ægypto; & in eâ reliquum ſtatum Eccleſiæ Novi Teſtamenti uſque ad finem ſœculi explicari? Item Hoſ. 7. 8. 9. & 10. in quibus capitibus eſt rurſus Periocha univerſalis, quæ à tempore Prophetiæ uſque ad Chriſtum, à Chriſti adventu primo ad finem ſœculi decurrit, cap. 7. & 8. Ephrajimum intelligi propriè de illâ tribu, quæ ante capt. Aſſyriacam & Babylonicam defecit à regno & templo Dei; cap. 8. verſu 3. poſt capt. Bab. Judæos intelligi, qui κατ' ἀναλογίαν illius prioris Ephrajimi à reliquis deſciſcentes in Ægyptum abierunt, ibique templum ad ſimilitudinem Hieroſolymitani ædificarunt. Poſtquam autem venerunt *dies viſitationis* per adventum Chriſti, verſu 7. rurſus verſ. 8. & ſeqq. propter ſimilitudinem peccati Ephrajimum appellari Judæos refra-

refractarios & inobedientes, qui ſe Judæos religione appellabant, ſed non erant. Poſt illorum autem diſſipationem, cæteris paribus *Ephrajimum* denuò eandem ob cauſam indigitari eam partem populi Chriſtiani, quæ variis hæreſibus agitata prior à puritate doctrinæ Chriſtianæ defecit, qualis fuit Eccleſia Græca, cap. 9. verſ. 6. Denique interjecto tempore rurſus Ephrajimum ſignificare partem Eccleſiæ Evangelicæ ſive in doctrinâ, ſive in regimine à regulâ deflectentem, eâdem analogiâ, & propter eandem cauſam. v. 11. Nemini, inquam, hæc incredibilia erunt, qui ſcient, & ſolere veteres Prophetas à ſuis temporibus velut initiis ad extrema excurrere, & Eliam, & Babylonem, & Ægyptum, & Davidem, & Sionem, & Tyrum, & multa alia πνευματικῶς poni perſæpe, & aliquid ſaltem analogum ſignificare.

§. 105. Id, inquam, facilè credemus, ſi attendamus, eſſe talia nonnulla, quæ non poſſunt aliter ad hiſtoriam applicari, niſi ſupponantur habere myſticam ſignificationem, atque etiam in eâdem Periochâ à proprio & literali ſignificata eſſe mutata in figuratum. Prioris generis exemplum eſto *Edom*. Per eum dicimus aliquando literaliter intelligi poſteritatem Eſavi, aliquando gentem Judaicam profanitate ſimili Eſavicæ primogenita ſua calcantem, Idumæis mixtam, ad Idumæis rectam, perſecutricem fratrum ſuorum, Chriſti & Apoſtolorum, atque ita nominatim accipi Eſ. 34. Jer. 49. Ezech. 35. & in Obadiâ: quomodo & Hieronymus rectè hîc accepit; *qui ſunt æmuli Chriſtianis, & perſequuntur fratrum ſuum Jacob, populum ſupplantatorem; qui illis primogenita præripuit.* Id probatur 1. Quia eſt, ubi neceſſariò debet, nec poteſt aliter accipi, ut Eſ. 66: 5. 6. 2. Quia evidentiſſimum eſt, & ſupra omnem ἀναλογίαν, eo tempore, quo Edom cum Judæis junctus fuit, nondum impleta omnia in eum pronunciata oracula, & quum Edom non niſi in Judæis eſſet, non potuiſſe niſi in Judæis & cum eis judicari. 3. Quòd Chriſtus non priùs eſſet revelandus, quàm Edom Judæis eſſet admixtus. Debuit enim exhiberi tum, quum *Edom eſſet hæreditas & Seir, inimici Iſraëlis.* Num. 24: 18. 19. *Et fiet Edom hæreditas, & fiet hæreditas Seir inimici ejus; & Iſraël aget ſtrenuè. Et*, h. e. tunc, *dominabitur aliquis ex Jacobo, qui perdet ſuperſtitem de urbe.* Id eſt Chriſtus, qui & Hieroſolymam & magnam illam civitatem in Prophetiis decantatam penitùs aboliturus eſt. Hebræi contendunt per Edom ſignificari Romanos, & cum iis Chriſtianos, quorum Metropolis ipſis videtur eſſe Roma. Et ſanè valdè antiqua eſt illa in Synagogâ ſententia, per *Edomum* in multis Prophetiis intelligi. Romanum imperium, quod vix aliter in Talmude nominatur, atque מַלְכּוּת אֱדוֹם *Imperium Edomi*, vel מַלְכוּת רְשָׁעָה *Imperium improbum.* Hactenùs ergo fatentur, alicubi ſtatuendum ænigma & denominationem unius populi nomine alterius.

§. 109. Po-

§. 109. Poſterioris inſtar eſt *Moab*, ſubjectum Prophetiarum Eſai. cap. 15. 16. & Jerem. 48. In his dicimus partim Moabitas genuinos, nempe Eſ. cap. 15. toto, & Jerem. 48: 1 — 28. partim, ubi Prophetia ad citeriora tempora progreditur, ut Eſaiæ cap. 16. & Jerem. 48: 29. & ſeqq. Iſraëlitas tum inſeſſores Moabitidis, tum religione, ſuperſtitione, animoque Moabitis conjunctos, ut poſt cap. Bab. fuerunt, intelligendos eſſe. Quia enim Moabiticæ quædam urbes Judaismum receperunt ſub Hyrcano filio Simonis, & alioqui Judæi tempore Chriſti per Moabitiden habitarunt, ſatis perſpicuum eſt, ſub nomine Moabitarum in hujus temporis conſideratione omnes Judæos poſſe intelligi. Quod & Lutherus voluit. Nec tantùm poſſe, ſed etiam debere ſic accipi, hinc manifeſtum eſt, 1. quòd Eſ. 16: 5. expreſſa eſt mentio regni in domo Davidis confirmati, quod non poteſt eſſe niſi regnum Chriſti. 2. Quia cap. 16: 13. Eſaias provocat ad Prophetias ante editas de Moabo, verbi cauſâ Moſis, Davidis. At de Moabitis parum admodùm Deus locutus eſt ante Eſaiam, de Iſraëlitis autem habitantibus in locis Moabitarum, & communem cum ipſis cultum externum, communia peccata habentibus, omnia eadem.

§. 107. Dum autem ſic à propriâ ſignificatione ad emblematicam & figuratam tranſitur, & variis ſubjectis hæc applicatur, cavendum eſt. 1. Ne ab alio genere rerum hæc deſumatur, quàm ab iis, quæ primitùs hæc nomina ceu proprias appellationes geſſerunt, quæque in S. Hiſtoriâ claram expoſitionem habent. 2. Ne ratio communis emblematica mutetur; quam ubi retinent, quamvis mutatis ſubjectis, quibus applicantur, emblemata tamen manent eadem, nec mutari cenſentur. Ex. gr. quamvis nomen Ephrajimi tam variis ſubjectis, ut ante viſum, applicetur, non tamen idcirco emblematis hujus communis ratio ullatenus mutatur. Semper enim notat partem populi Dei, quæ vel doctrinæ aut regiminis vitio, vel ſtudio oppugnandi fratres, veteri illi tribui ſe aſſimulat. Sic regnum humanum, Idololatricum, admixtum habens populum Dei idololatris, omnia regens aſtu & vi ad populum Dei in ſervitutem & communionem peccati & abnegationem juſtitiæ, & regni Chriſti, ſubigendum, induratum contra verbum & plagas Dei, Eccleſiam mirabili potentiâ Dei & plagis multis liberatam retrahens, denique horribili modo interiens, ænigmaticè *Ægyptus* in Scripturis appellatur. Id imperium eſt. 1. Gentile Romanum, quod perſequebatur Chriſtianos. 2. Hujus tradux quoad poteſtatem politicam & hæreditatem perſecutionis, Roma, & poteſtatem in eâ habens Papa cum Imperatore & regibus. Vid. Apoc. 11: 8. ubi magna civitas dicitur *in Spiritu* h. e. ænigmatibus Propheticis, *appellari Ægyptus*. Eadem omnium aliorum emblematum eſt ratio. Facilè enim eſt in his omnibus rationem aliquam communem, quæ omnibus

mnibus ſubjectis eodem nomine deſignatis ex æquo conveniat, invenire, ac retinere; neque idcirco emblemata mutantur, quoties ſic diverſis ſubjectis applicantur.

§. 108. Quamvis autem ſic, uti oſtenſum, Prophetia per certos temporum gradus & articulos à principiis ad extrema excurrat, non tamen eſt neceſſe, ut id omne, quod proponitur in Prophetiâ, ad certum aliquem temporis articulum pertineat. Sunt quædam in Prophetiâ non unius temporis, ſed vel ſunt omnis temporis, vel ſaltem diutiùs durant, antequam finem ac impletionem ſuam habeant: Et fere ſemper uſu venit, ut præmittantur ea, quæ continent Summam ſive Propoſitionem eorum omnium, quæ deinceps particulatim explicantur. In horum ergo applicatione non tantùm de uno tempore & uno implemento cogitandum eſt, ſed fini atque initio applicari, imò ad diverſa ſubjecta referri poſſunt. Exempla vid. Pſal. 2: 2. Hoſ. 13: 12. Coll. 1. Cor. 15: 55. Hab. 1: 5. coll. Act. 13: 14. & rurſus Hab. 1: 5. col. 1. coll. 2 Reg. 16: 8. 9. 10. & Joh. 19: 12. 15. item Hab. 2: 3. coll. Heb. 10: 37. 38. Sic Matth. 13: 3. 24. 31. 33. 44. 45. 47. ſeptem parabolæ à Chriſto proponuntur, quibus exceptâ primâ præmittitur præfatio: *Simile eſt regnum cælorum.* Undè apparet, primam parabolam pertinere ad omne tempus, quo prædicatur verbum Dei in mundo; cæteras exhibere aliquem typum, faciem ac conditionem Eccleſiæ Novi Teſtamenti, ita ut in illis ſit Prophetia de rebus in regno Chriſti diſtinctis temporibus eventuris.

§. 109. Fieri etiam poteſt, ut verba Prophetiæ & omni tempori & certo temporis articulo conveniant. Ex. gr. Pſalm. 110: 2. In his utraque interpretatio conjungenda eſt, generalis & Periodica, in theſi & hypotheſi.

§. 110. Non ergo eodem articulo temporis omnia, quæ in Prophetiis continentur, ſunt conjungenda, ſed ſucceſſivè multa ſunt intelligenda, quæ ſunt diſtinctorum temporum. Hi temporum ac rerum gerendarum articuli inter ſe certis inſignibus ac notis ipſi orationi propheticæ impreſſis diſtinguuntur. Ne jam dicam de ſeptiformi diſtinctione ſæpiùs iteratâ & variis modis in Apocalypſi; quæ etiam non ad articulos, id eſt gradus temporis minores, ſed ad Pericopas, id eſt gradus majores demonſtrandos eſt inſtituta: Frequentiſſima atque ordinaria ferè diſtinctionis nota eſt conjunctio *Et*; quæ ad ſequelam & ſeriem rerum indicandam ita adhibetur, ut ſimul diſtinctionem faciat, & conſecutionem propriè notat. Vid. Dan. c. 11. toto. Pleniores autem & magis expreſſæ diſtinctionum notæ ſunt hæ: *Illo die*, vel *In illo die*, *in die*, *quo*, &c. Vid. Eſ. 2: 20. 14: 3. 19: 16. 18. 19. 23. 24. 27: 1. 28: 5. Ezech. 29: 21. Obad. verſ. 8. Mich. 2: 4. 4: 6. 5: 9. 7: 11. Zeph. 3: 11. 16. Hagg. 2: 23. Zach. 12: 4. 6. 8. 9. 13: 1. *In tempore illo.* Eſ. 18: 7. Jerem. 31: 1. Dan. 12: 1. Zeph. 3: 19. 20. *In diebus illis & in tempore illo.* Jo. 3: 6.

Et erit, vel *fiet*, *in die illo*, Eſ. 7:23. 10:20. 11:10. 12:1. 4. 17:4. 7. 9. 23:15. 25:21. 27:2. 12. 13. Jer. 24:6. Hoſ. 2:18. 23. Mich. 5:19. Zeph. 1:10. 3:16. Zach. 12:3. 13:2. 14:6. 8. 13. 20. *Dies eſt* &c. Mich. 7:11. 12. *Tunc* Pſal. 51:21. Eſai. 35:5. 6. Dan. 2:35. 7:11. Mich. 3:4. Hab. 1:11. Mal. 3:15. Et ſic in Evangelio τότε, Matth. 24:9. 10. 14. coll 16. 23. 40. item cap. 25:1. *Nunc* Eſ. 33:10. Hoſ. 8:13. 13:2. Amoſ. 6:7. Mich. 4:9. 11. 14. 5:3. 7:4. 10. Nah. 1:12. πάλιν, *rurſus*, q. d. alio atque alio tempore. Quæ omnia aliquando quidem congruentiam, ſæpiùs tamen ſequelam & ordinem in ſermone Prophetico deſignant. Huc refer præfationem, *ſimile eſt regnum cœlorum* quam ad deſignandam aliam atque aliam faciem Eccleſiæ ſub Novo Teſt. de Chriſto adhibitam in parabolis paulo ante advertimus.

§. 111. Sed omnium clariſſimè hic ordo exprimitur per *Poſtea*, *Poſt illa*. Ut Eſ. 1:26. Dan. 7:6. 7. Mich. 3:4. *Et erit poſt illa*. Jo. 3:1. *Poſt ſeptuaginta annos*. Eſai. 23:5. *Poſt ſeptimanas illas ſexaginta duas*. Dan. 9:26. *Et poſt te ſurget*. Dan. 2:39. &c.

§. 112. In quibus autem Periochis hæ notæ non apparent, facile per comparationem aliarum Prophetiarum, & rerum ipſarum diverſitatem aliis atque aliis partibus ſermonis Prophetici expreſſarum, aut ex modo elocutionis & figuris dictionis diverſis aut conſtructionis varietate, eas intelliguntur habere. Sic ea, quæ in verſibus 2. 3. 4. Pſalmi 85. dicuntur, non eſt neceſſe accipere, ut συναθροισμὸν, quaſi idem ſæpiùs dicatur. Libentiùs illa diſtinguimus ſecundùm diverſa tempora, quibus Deus gratiam ſuam exhibuit. Item Pſalmi 9. diverſarum partium exempla ex diverſi temporis hiſtoriâ lubenter petimus, ſequentes ordinem & ἀκολουθίαν articulorum in claris Prophetiis deſignatorum: Nam cur non ſuſpicemur, Davidem in ſpiritu eadem delineâſſe Eccleſiæ in regno Chriſti certamina, quæ & alii Prophetæ delinearunt? Notandæ itaque ac deligendæ ſunt Periochæ propheticæ inſigniores, quæ ordinem rerum V. & N. T. clariùs ob oculos ponunt, ut cùm uſus poſtulat, ad eas referri aliæ & componi ad ſcrutationem atque intelligentiam earum poſſint. Talis eſt ex gr. ea, quæ habetur Mich. 4. à verſu 8. uſque ad cap. 6.

§. 113. Sed Pſalmus 93. & iteratione phraſeos, & mutatione temporis, & mutatione phraſeos, ſatis indicat, oppugnationem regni Chriſti nec unius temporis eſſe, nec unius modi, aut per eoſdem. Huc pertinet, quod ſolent Rabbini, quando idem bis videtur repeti, ſtatuere, id diverſi temporis eſſe deſignationem. Cujus regulæ vid. exempla Eſai. 2:11. 17. 40:1. Obad. verſ. 15. Item quod dicunt, *Scripturam nunc* לְנֹכַח *directè*, h. e. per directam compellationem, *nunc* שֶׁלֹּא לְנֹכַח *non directè*, h. e. non compellando,

lando, tanquam de tertio, *loqui*; quamvis non æquè ſemper commodè ab ipſis hoc axioma applicetur. Vid. ad Pſ. 145: 12.

§. 114. Sed magis inſignis eſt diſtinctio temporum indicata per diverſa ſchemata & figuras orationis. Quia enim Prophetia res diverſis temporibus gerendas à primis ad ultimas uno ambitu ſermonis complectitur, & hæ ſunt ſæpenumerò valdè diverſæ, hinc etiam fit, ut pro diverſitate rerum, ſermonis etiam Prophetici forma in diverſis Pericopis & Articulis ſæpe variet, & ſit una pars ab aliâ valde diverſa. In multis Pſalmis Propheticis id obtinet, in quibus oratio una affectum diverſum diverſis conditionibus accommodatum tanquam in uno rei gerendæ theatro exprimit. Quia enim Pſalmi illi, ut & reliquæ Prophetiæ, plures Periodos temporis comprehendunt, hinc fit, ut mutato Eccleſiæ ſtatu mutetur etiam ſermonis genus, & quærimoniæ, ſollicitæ atque anxiæ preces, deſideria ac vota, gratiarum actiones, ἐπινίκιοι acclamationes, &c. ſæpè miſceantur; prout ſcil. tempora aliis ſucceſſerint. Tales ſunt Pſalmi 28. 67. 94. 116. & ſimiles.

§. 115. Et facilis quidem ex dictis hujusmodi eſt textuum periodicorum reſolutio, ſi quis attendat. Nihil enim aliud ſignificatur, quum Eccleſia cum aliis atque aliis querimoniis, ſive de ejuſdem generis malis, ſive de ſimilibus, cumque gratiarum actionibus vel diverſis vel ſimilibus (ut Pſalmo 116. verſus 13. 14. itemque 17. 18. conveniunt.) introducitur, quàm hoc, Eccleſiam poſt unam tentationem in aliam venturam, & ex omnibus liberandam eſſe, eâque de cauſâ talem affectum communiter in fidelibus extiturum eſſe, qualem verba Prophetiæ exprimunt. Hoc autem futurum eſſe toties, & tot modis, & in tali ordine, quoties & quot modis, qualique ordine Prophetia Eccleſiam loquentem introducit.

§. 116. Sic itaque ipſa deſideria ac vota Eccleſiæ in S. literis à Spiritu Dei ſunt ante deſcripta; qui gemitus & verba à Deo exaudienda ad fiduciam orandi & ſperandi conſtantiam dictavit. Ut certiſſimè hinc conſtet, ea eſſe à Spiritu Dei, & æque valere apud Deum, atque ſi Chriſti ipſius eſſent propter ipſum & ſpiritum ejus, qui eſt in ipſis: & jure potuerit dicere Apoſtolus, αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. *ipſe Spiritus pro nobis intercedit ſine loquelâ gemitibus.* Rom. 8: 26. Quod Eccleſia ſic orat, ſecundùm voluntatem Dei orat, & ſcit ſe à Deo obtinuiſſe. Nam hiſce gemitibus Spiritus hos dictans & excitans pro Eccleſiâ intercedit.

§. 117. Et quidem ſic ſolet Prophetia diverſi temporis cogitationes & ſermones in unâ plerumque oratione conjungere. Eccleſia enim omnium temporum velut una eſt, quæ pro diverſis occaſionibus aliud atque aliud loquens introducitur. Sed & orationes Propheticæ πολυπρόσωποι ſunt multæ. Tanquam in cœleſti concilio, ita in ſermonibus Propheticis ſæpè occurrunt

διαλογισμοί, & nunc hæc nunc illa perſona introducitur loquens, velut in dramate. Talis διαλογισμὸς perpetuus eſt in Cantico Canticorum. Item in Pſalmo 2. & 16. Add. & Pſ. 87.

§. 118. Quia autem res ita agetur, quemadmodum præſcriptum eſt in Prophetiâ, hinc ſæpe ſolet Prophetia in rem quaſi præſentem venire, & de re quaſi præſenti loqui. Igitur & in Prophetiâ non ſolùm verba futuri temporis, ſed etiam præſentis & præteriti, uſurpantur de rebus futuris, quas Prophetæ in ſpiritu vident. Ut propterea, quòd ſæpe Prophetæ inducentes animos & uſurpantes verba eorum, qui res præſentes viſuri eſſent, loquantur de rebus repræſentatis in viſione tanquam præſentibus vel præteritis, & verba aptentur tempori τῆς ἀπεικονίσεως ſive repræſentationis rerum futurarum, ipſos non de futuris loqui non ſit putandum. Add. ſup. Art. c.

§. 119. Et in hoc quidem genere interdum uſitatum proſopopœïæ proœmium præmittitur, v. g. *In illo die duces talia.* Ut Eſai. 14: 3. 4. Sed ſæpiùs tamen illud omittitur. Unde etiam fit, ut Prophetæ aliquando aliena verba ſic aſſumant, ut de ſe ipſis planè non loquantur, ne ut typis quidem. Vid. Eſai. 49. à verſ. 1. nominatim verſ. 6. & cap. 61: 1. 2. & ſic pluribus in locis. Nam proſopoœïæ iſtæ apud Prophetas ἀκέφαλοι ſunt multæ. Quia nempe ut, quum res geritur, tales ſermones audiuntur, vel ſaltem audiri poſſunt, ſine omni nomenclatore, qui indicet, quis ille ſit, qui loquitur; ita Prophetæ in viſione ſermones audiunt & renunciant.

§. 120. Hinc porrò quoque eſt, quòd tam ſæpè pronomen δεικτικὸν loco nominis expreſſi puta perſonæ, vel civitatis, &c. ſit adhibitum in Prophetiâ. Quia enim Prophetæ loquuntur de rebus quaſi præſentibus, loquuntur ad eum modum, ut ſolent ii loqui, qui in rem præſentem veniunt, qui etiam digito demonſtrare poſſunt ea, de quibus loquuntur; ita ſcil. ut non exprimant id, quod indigitant, ſed ſubintelligendum lectori vel auditori rebus exſtantibus relinquant. Exempla vid. Pſ. 12: 8. 119: 127. 128. 149: 6. & paſſim alibi. Huc refer, quod de ellipſi uſitatâ nominis agentis ſive ſubjecti in linguâ Hebræâ eſt obſervatum Part. I. Art. LIX.

§. 121. Adduntur quandoque & numeri annorum, ad eoſque in certa priùs intervalla certoſque articulos deſcriptos ac digeſtos ordo rerum dirigitur in Prophetiâ, indicato interdum & initio exſecutionis earum, & quo quidque temporis intervallo ſit gerendum. Ut nominatim Daniel. cap. 9: verſ. 24. 25. 26. 27.

§. 122. De his temporum menſuris ſæpe interpoſitis Prophetiæ, ad eam diſtinctiùs cognoſcendam, hic notandum 1. Eas non ſemper accipiendas propriè, quod docet Eſaias cap. 16: verſ. 16. ubi facit mentionem *annorum, quales ſunt anni mercenarii*; alios eſſe annos innuens, qui non ſint eodem modo

modo intelligendi. 2. *Annum* ſemper valere in Scriptura 360, & *menſem* 30 dies, quemadmodum conſtat ex hiſtoriâ diluvii. 3. *Annum* comparari *diei* in Prophetiâ. Vid. Ezech. 4: 4. 5. Quemadmodum enim dies alter fit, quando ad nos redit Sol: ita quando Sol tale tempus iterum facit, poſitus in eodem loco Zodiaci, novus quaſi dies eſt. Et hinc dies *mille ducentos & nonaginta*, Dan. 12: 11. & *dies mille ducentos & ſexaginta*, Apoc. 11: 3. 12: 6. nemo dubitaverit eſſe totidem annos, quibus nempe *mille anni* incluſionis Satanæ alibi deſignati (Apoc. 20: 2. 3. 7.) includantur. 2. *Septimana* ex analogiâ, id eſt ſeptem dies, ſunt ſeptem anni; & *ſeptuaginta ſeptimanæ*, 490 anni, Dan. 9: 25. 3. *Menſis*, id eſt triginta dies, eâdem ratione ſunt triginta anni, Zach. 11: 8. & *menſes quinque* anni 150 *cruciatus locuſtarum*. Apoc. 9: 5. 10. & *menſes quadringinta duo*, Apoc. 11: 2. 13: 5. *dies* id eſt anni *mille ducenti & ſexaginta*, ex Apoc. 11: 3. 12: 6. Et *dies* rurſus pro *anno*, id eſt pro 360 diebus, ſive annis; ſiquidem *dies tres & dimidius* Apoc. 11: verſ. 9. ſint dies ſive anni 1260, de quibus jam demonſtratum.

Nec tamen hæc ſunt perpetua. Nam eſt ubi *annus* ænigmaticè non 360 dies ſine annos, ſed in genere magnam aliquam temporis periodum, nempe ſpatium 10 annorum, videtur ſignificare, & *ſeptem anni* 70 annos, ut Ez. 39: 9. coll. Eſ. 23: 14. & *ſeptem menſes* eâdem analogiâ 5 annos & 10. menſes. Ibid. Ezech. 39: 12.

§. 123. Adde quod non ſemper ſoli numeri omne intervallum inter terminum inchoantem & finientem amplectuntur. Sed vel temporis qualitas aliqua numerum ſupplet, vel quod excedit numerum, in Divinâ poteſtate ponitur, ut *non minus* definito tempore ſpatium notificatum intelligatur, reliquum verò parvum fortaſſis, reticitum. Quâ ratione omnis circa exoticæ hiſtoriæ diſcordiam ſcrupuloſitas tollitur. Reliqua de numeris propheticis vid. inf. Art. CL. & LI.

§. 124. Supereſt hîc notandum, quòd Prophetia præterquam quòd de futuris aliquando figuris utatur & typis ſive vocibus, quæ ſunt figurarum & troporum, quòd etiam quandoque, ut ſuprà oſtenſum, rem & figuram miſcent; utatur ut plurimum terminis indefinitis, ita ut momenta temporum, locos, perſonas, aliaſque circumſtantias & ſpecies rerum reliquerit in Dei poteſtate; ſed his tam aptis tamen & commodis, ut implementis exſtantibus & formis rerum, ad has ſignificandas ſingulariter delecti, neque accuratiores ulli inveniri aut exoptari poſſe videantur. Sic *prævidens Scriptura, quòd ex fide juſtificet gentes Deus, promiſit ante Abrahamo, benedicentur gentes in te.* Gal. 3: 18. ex Gen. 18: 7. Dixi *ut plurimum.* Nam interdùm & perſonas nominatim expreſſas legimus; ut Eſai. 8: 2. 44: 28. 45: 1. 4. Matth. 23: 35. & initium exſecutionis rerum gerendarum, &

quo quidque articulo ſit gerendum, ſimul indicatum; ut Matth. 24: 3. 15. 34. Add. Matth. 16: 28. Sed id rariùs eſt. Sunt & nonnulla, quæ prorſus Scriptura nos voluit ignorare; ut dies & hora adventus Chriſti, Matth. 24:3. & quæ ſunt alia ejusdem generis.

§. 125. Sed nos jam reliqua componamus; & poſtquam demonſtravimus, ſolenne eſſe Prophetis, ut à primis, quibus vixere, temporibus ad ultima ordine & gradatim procedant, idque faciant multis vicibus & modis, terminis quidem ac vocibus quoad modum & circumſtantias rerum gerendarum, vel indefinitis, vel ænigmaticis, aptiſſimis tamen ad res ſuo tempore exſtantes ſignificandas, & ordine ac partibus ſermonis ordini ac partibus temporum ita accommodatis, ut una continua rerum futurarum hiſtoria eſſe videatur: Jamnunc videamus, quæ ſit ratio Prophetiarum interpretandarum, & veri earum ſubjecti in unoquoque Articulo reperiendi.

Et ad ſenſum quidem indefinitum ac generalem ſermonis Prophetici, quique in verbis ipſis & contextu orationis proximè atque immediatè reſideat, inveniendum, nobis miniſtrabunt, 1. Analogia fidei ac teſtamenti divini, id eſt quod de myſterio ſalutis & fœdere Dei ex Scripturâ didicimus. 2. verborum proprietas. 3. Phraſium & ſententiarum conformitas. 4. Scopus & ſeries antecedentium & conſequentium, & cætera omnia, quibus ſenſus cujusque partis orationis ſolet ac debet inveſtigari, de quibus in parte ſuperiore hujus Hermeneuticæ eſt ſatis ſuperque demonſtratum.

§. 126. Ut autem ſuum cuique Prophetiæ ſubjectum aſſignemus, quo ſenſus definitior reddatur, adhibendus 5. & canon ſive hiſtoria temporum, & ordo temporum cum ordine ſermonis eſt comparandus. Hìc enim locum habet illud Irenæi: *Omnes Prophetiæ priuſquam habeant effectum, ænigmata & ambiguitates ſunt hominibus: cùm autem venerit tempus & evenerit, quod prophetatum eſt, tunc Prophetiæ habent liquidam & certam expoſitionem.* lib.4. cap. 43. Et faciendum, quod Cyrillus in expoſitione Prophetiarum oppidò neceſſarium exiſtimat: χρῆναι δέ φημι, inquiens, τοὺς θέλοντας διατρανοῦν τὰ οὕτως ἰσχνὰ καὶ αἰνιγματώδη τῶν θεωρημάτων πλάτει διανοίας ὄμματι προσαθρεῖν ἐπείγεσθαι καὶ μάλα διφρῶντας τοῦτο μὲν τῆς ἱστορίας τὸ ἀκριβὲς, τοῦτο δὲ τῆς πνευματικῆς θεωρίας τὴν ἀπόδοσιν, ἵνα πανταχόθεν τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἐκβαίνῃ τὸ ὠφελεῖν, καὶ ἡ τῶν προκειμένων ἐννοίας διασάφησις οὐδὲν ἔχουσα ἐνδεὲς διαφαίνοιτο. Ob oculos, inquam, habenda ſunt omnia ea, quæ ex hiſtoriâ ſuperiorum temporum conſtat in populo Dei & reliquo mundo tam ſub Vet. quàm ſub Novo Teſtamento uſque ad tempora noſtra eſſe facta, & his cum Prophetiâ collatis tentandum, num eodem ordine, quo geſta ſunt poſſint verba Prophetiæ Eccleſiæ, aut illis, de quibus prædictum, ſive in Eccleſiâ ſive extra eam, propriè vel typicè ſumpta, ſine ullâ contorſione, in maximâ emphaſi applicari. Quum enim, ut jam ſæpius

eſt

eſt dictum, Prophetæ omnes ſtatum mundi & Eccleſiæ deſcribant uſque ad conſummationem ſœculi, quid ad earum intelligentiam eſt efficacius, quàm lumen hiſtoriarum? & quum eodem ordine ſingula prænuncient, quo ſunt geſta, quid eſt promptius, quàm ut ſingulos rerum articulos, prout ſibi ſuccedunt & ſuccenturiantur in hiſtoriâ, ordini verborum applicemus? Ut ita in diſtinctione ac digeſtione temporum ad ordinem hiſtoriæ ac rerum geſtarum tota ratio ſolidæ Prophetiarum intelligentiæ conſiſtat.

§. 137. Ut autem à ſimpliciſſimis ac facillimis cognitu initium fiat & habeat meditatio noſtra aliquid certi, à quo omnis expoſitio ſacrorum oraculorum, ut à primâ origine expullulet, & inde ad reliquas partes derivetur, primùm omnium conſiderare oportet id, quod maximè in Prophetiâ univerſale eſt. in quo explicando eſt omnis occupata, ex quo deſcendit, & vitam quaſi ac formam ducit omnis Prophetia. Facilè autem apparet ex iis, quæ ſuprà Art. LVII. ſunt dicta, id perpetuò agere omnem Prophetiam, ut explicet *Diem Domini.* Per hunc diem pronum eſt intelligere totum tempus gubernationis mundi & Eccleſiæ, hunc tandem exitum habens, ut Deus ſolus ſit magnus, & agnoſcatur ac celebretur, id eſt reverâ regnet in toto mundo & Eccleſiâ. Nihil prius, nihil facilius, ubique hoc regno Dei occurrit in omni Prophetiâ; hoc ejus initium eſt, & medium, & finis; in regno Dei tanquam ultimo actu Divino gubernationis in mundo & Eccleſiâ omnis comprehenſio, &, ut ita dicam, ſcena Prophetica terminatur. Ut non poſſit videri eſſe ordine inſtituta ea interpretatio Prophetiarum, quæ non ſit facta intuitu hujus regni, ejuſque majeſtati ac magnificentiæ non ſit quodammodo attemperata.

§. 128. Poſt deſignatum hunc diem magnum, utpote omnia ſœcula à condito mundo ad conſummationem eorum complectentem, notanda eſt ejus primaria & maximè univerſalis diſpertitio in Prophetiâ. Hæc enim ſimiliter ut ſimplicior ac facilior cognitu reliquis, eſt priùs veſtiganda. Hîc verò in V. Teſt. nullam invenimus Periocham ex iis, quæ principium & finem per intermedia connectunt, quæ non in duas inprimis partes majores ſive duo tempora diſtribuat ſeſe. Ita enim disertè Eſaias duo tempora diſtinguit; unum; quod appellat *Tempus primum*, ſive *prius*, alterum, quod *poſterius*. Eſ. 8: 23. Item Prophetia meminit *Temporum*, Dan. 7: 25. & 8: 19. Hab. 2: 3. *Annorum*, Hab. 3: 2. Eſ. 61: 2. *Dierum*, Jer. 17: 11. & S. Paulus *Sæculorum*; quorum alterum jam ad finem vergens vocat *Sæculum hoc*, 1 Cor. 2: 6. 8. Eph. 1: 21. alterum, quod jam inſtabat ac præ foribus erat, *Sæculum futurum*, Eph. 1: 21. Qui & *Præſens tempus* vocat id tempus, quo ſacrificia offerebantur; Heb. 9: 9. & Eccleſiam N. T. in plenariâ libertate agentem *Habitabilem futuram.* Heb. 2: 5.

§. 129. Hæc

§. 129. Hæc tempora non tam numerando ſœcula & genealogias, quàm conditiones vetuſti temporis à novo removendo, diſcernenda ſunt. Nimirùm decretum Dei, quod habuit ab æterno, de regno inter homines erigendo, cujus decreti exſecutio, conſiſtens in certâ gubernatione hominum, *Dies Jehovæ* appellatur, duplicem generalem admittit œconomiam, prout duplici ratione Deus exſequi hoc decretum moliebatur: 1. Quatenùs per judicia & beneficia ſingularia, quibus videretur poſſe ac debere homo lapſus & carnalis, ſi quid in eo ſit virium ad ſe convertendum ad Deum, & dignum faciendum gratiâ ac ſalute æternâ, ad id faciendum potenter excitari, neceſſitatem gratiæ ac doni cœleſtis tantiſper differendi, erat manifeſtaturus. 2. Quatenùs exhibitâ jam cauſâ ſalutis, & Chriſto per paſſiones conſummato, ingentibus iterum judiciis erat vindicaturus eos, qui tantam ſalutem negligunt, & profligatis tandem omnibus iis, qui veritati in Evangelio patefactæ non obediunt ac reſiſtunt, regnum ampliſſimum occupaturus in toto mundo. Pro hâc duplici Oeconomiâ duo ſunt tempora gubernationis mundi & Eccleſiæ, quorum utrumque ſuis characteribus inſignitur & ab altero diſtinguitur in Prophetiâ. Nimirùm alio atque alio reſpectu prius tempus ſive annus Promiſſionis, poſterius tempus ſive annus Evangelii ſive Annunciationis; prius Iræ & Excandeſcentiæ ſive Severitatis, poſterius Gratiæ; prius Tolerantiæ, poſterius Iræ ſive Ultionis; prius Viſionis, ſcil. ſecundùm ſpem, poſterius Obſignationis Prophetæ, aut Viſionis, ſcil. ſecundùm rem, &c. appellatur. Conf. inf. Per. I. Art. 3. Demonſtr. §. 34. 35. & Art. VII. Demonſtr. §. 4. 5. Quæ omnia diligenter ſunt notanda diſcipulo prophetiæ, antequam ad alia applicet ſeſe.

§. 130. Et notatu dignum eſt, nullam eſſe inſigniorem Periocham in V. Teſt. in quâ non hæc prima diſtinctio temporum habeat locum. Omnes enim à temporibus Prophetarum 1. uſque ad Chriſtum; deinde à Chriſto uſque ad finem ſœculorum progrediuntur. Ut ita, quod fieri debere ex dictis patet, Chriſtus ubique inter hæc duo tempora, ſive, ut loquitur Scriptura, Hab. 3:2. *in medio* horum *annorum*, inveniatur: ne quis putet, in Chriſti adventu & beneficiis quibuſdam generalibus Novi Teſtamenti Prophetiam Vet. T. terminari.

§. 131. Ab hâc primâ diſtributione bimembri videndum eſt, in analyſi Scripturæ, ecquæ ulterior ſit diſtributio facta, tam hujus, quàm illius temporis, in Prophetiâ. Et reperiemus inquirendo, utrique Tempori jam notato iterùm ſua aſſignari *tempora* minora, h. e. *dies*, *annos*, *ſeptimanas*, *menſes*, ut totidem gradus & progreſſus, per quos paulatim ad conſummationem alterutrius eatur. Vid. inf. Per. I. Art. 3. Demonſt. §. 36. Ut hinc etiam appareat, non pati hanc diſtributionem, ut in uno vel altero tempore

in ge-

in generalibus quibuſdam vel judiciis vel beneficiis, quæ uni tempori non magis quàm alteri conveniant, ſubſiſtamus atque immoremur.

§. 132. In his temporum gradibus ac membris iterùm facto à primo generali tempore initio, diſpiciendum, quot & qualibus rerum gerendarum articulis, tanquam notis & characteribus, illud diſtinguatur. Et facile intelligemus, conditiones priſci temporis, quibus tanquam notis illud diſtinguitur, conſiſtere in beneficiis & judiciis, quæ Deus decreverit, ut in reliquum mundum, ſic præcipuè in populum ſelectum exercere. Hæc ergo beneficia & judicia, ut ſui quique temporis characteres in Divinis oraculis diligenter ſcrutandi ſunt ac notandi.

§. 133. Hinc gradu facto ad tempus alterum, quod eſt revelatæ ſalutis, illud quoque omnibus ſuis characteribus & ſignaturis diligenter à Prophetis annotatum ac deſcriptum eſſe advertemus.

§. 134. Quin etiam ut hæc meditatio tanto plenior ac facilior exiſtat, operæ pretium eſt, ut ſiquidem in deſcriptione utriuſque temporis, ſive in Prophetiâ, ſive in Hiſtoriâ, Spiritus S. deſignaverit partium quarundam majorum diſtinctas quaſdam notas ac cæſuras, has priùs annotemus, & ſuis characteribus diſtinctas, prout partium ordo requirit, diſponamus, antequam ad ſingulos rerum gerendarum articulos, qui ſub iis debent contineri, accedamus. Hæc membra atque intervalla majora Propheticæ orationis à reliquos præciſa, & ſuos ſeorſùm Articulos, per quos à principiis per intermedia ad fines quæque ſuos progrediantur, habentia, *Pericopas, & Periodos*, appellemus licet. Sic notum eſt, Apocalypſin totum tempus Novi Teſtamenti in ſeptem Periodos, quas modò *Sigilla*, modò *Tubas*, &c. appellat, diſtribuere. Item S. Matthæus cap. 1. totum tempus exſpectationis Chriſti in diverſos ſtatus populi aptè diſtribuit; idque ut Deum paulatim ad regnum libertatis introducendum omnia præparantem commendet. Habuit enim populus primò Legem poſt Libertatem pâtrum: deinde Regnum: tum in captivitate fuit tribus Judæ: tum redditi Judices. Tandem poſt exſpectationem ſatis longam venit Chriſtus, impletis omnibus, quæ ante fieri debebant, ſublato ſceptro Davidis, ſparſo populo inter gentes, toto mundo ſub unum imperium reducto. Is orſus eſt regnum ſpirituale.

§. 135. Nec tantùm Evangeliſta, ut in hiſtoriâ, ſed etiam ipſa Vet. Teſt. Prophetia ita diſtinxerat. Ex. gr. ab Abrahamo ad exitum Iſraëlis ex Ægypto deſignat annos 480. 2 Reg. 4: 1. A Solomone ad templi deſtructionem & capt. Bab. annos 390. Ezech. 4: 5. & Pſ. 80: 6. Hinc dilapſis 70 annis captivitatis 70 ſeptimanas annorum, Dan. 9. Item Eſ. 29: 1. duo *Anni*, id duæ Periodi inhabitationis Hieroſolymæ, & cultus cerimonialis in templo & altari obeundi diſtinguuntur. Atque hæc eſt ratio, cur nos ſimiliter in hoc o-

pere totum tempus veteris gubernationis in ſex Periodos diſtinxerimus, quarum Prima à condito mundo ad Abrahamum; Secunda ad Moſen; Tertia ad Solomonem; Quarta ad Captivitatem Babylonicam; Quinta ad nativitatem Chriſti; & ſexta ad Chriſti aſcenſionem in cœlum pertineret; quia ſc. præter rerum ipſarum claram ac notabilem differentiam, ipſam Prophetiam & S. hiſtoriam in eâ diſtributione nobis præeuntem habebamus, à cujus auctoritate religio erat vel latum unguem diſcedere.

§. 136. His itaque animadverſis primariis rerum Propheticarum capitibus atque intervallis, quæ pro totidem ſignis & quaſi paſſibus aut veſtigiis habeantur, Chriſti quidem primi adventus in humilitate, ſub tempore primo, ſecundi autem adventus in gloriâ, ſub tempore ſecundo, & notato, quid primum, quid ſecundum, quid tertium antecedat Chriſti adventum, & cum quo ſigno Chriſti adventus ſit conjunctus; facile erit, adhibitâ porrò luce hiſtoriarum, in unâquâque Periodo, quotquot ſunt Articulos invenire, atque etiam, quæ generaliorem conceptum habent, & vel indefinita, vel in nominibus analogis certarum urbium, terrarum, perſonarum, vel rerum ceu typorum ac figurarum, vel etiam in proſopopæiis ſine procœmio & abruptè, vel non expreſſis nominibus agentium aut perſonarum, vel pronominibus tantùm δεικτικοῖς, ſunt propoſita, quæ & cujus temporis eventa ſignificent, in quo ſubjecto verificentur, atque implementum ſuum Propheticum habeant, in iſto ordine determinare.

§. 137. De cujus determinatione ſubjecti Prophetici in quolibet Articulo, ut quouſque jam ſit ſubjectum cujuſque Articuli ante rem geſtam in S. Scripturâ determinatum, & quid huic determinationi ab re geſtâ perfectionis accedat, ut conſummatam tandem atque impletam formam habeat, & defunctum oraculum ſuo munere videatur, jam paulo diſtinctiùs eſt explicandum.

§. 138. Notandum itaque, quamvis ſic verba indefinita & ænigmatica ſuâ generalitate & obſcuritate animum ſuſpenſum & ambiguum debeant tenere, ut ad certum rerum genus, de quo verba Prophetiæ veniant interpretanda, revocari non poſſe videantur; quamvis etiam hæc dubitatio ac incertitudo multum debeat augeri, quando, ut ſuprà notatum, vel eſt proſopopœïa ἀκέφαλος ac ſine procœmio, vel ſermo nullâ ſubjecti aut agentis indicatione abruptus, vel pronomen δεικτικὸν loco nominis: non ita tamen id fieri, ut non vel in ipſa re, vel in contextu ſermonis aliqua relicta ſint indicia & veſtigia, ex quibus quo de genere rerum ſint intelligenda, poſſit exiſtimari. Primò enim quando nomen ſubjecti non exprimitur omnia prædicata conjunctim inſtar definitionis indicant ſubjecta; ſi ſit nimis generale & indefinitum, vel prædicata teſtantur de ſubjectis: Talia enim ſunt prædicata,

cata, qualia permittuntur eſſe à prædicatis: Vel exitus Periochæ ſubjectum Prophetiæ demonſtrat; in quam rem notabilis eſt animadverſio Hieronymi: *Juxta conſuetudinem ſuam verba Prophetalia in fine panduntur.* סוֹף הַפָּסוּק מוֹכִיחַ עַל רֹאשׁוֹ, *finis Periodi* vel *ſententiæ arguit initium ejus*, dicunt Rabbini; vel, ut Abarbenel, סוֹף הַנְּבוּאָה מוֹכִיחַ עַל תְּחִלָּתָהּ, *finis Prophetiæ arguit initium ejus.* Sic v. g. ex iſtis verbis Eſaiæ cap. 11: verſ. 9. *Plena erit terra cognitione Domini*; cognoſcitur, ut ex oppoſito, quid ſit *læſio & deſtructio Aſpidis & Baſiliſci*, ibid. verſ. 8. nim. ut exſtinguatur & ſupprimatur veritas per ſeductionem etiam per excidium eorum, qui veritatem agnoſcunt. Item *mons ſanctus Domini*, ibid. verſ. 9. arguit locum habitationis Eccleſiæ intelligi. Ex horum autem analogiâ patet, quid ſint *lupi* & *agni*, verſu 6. &c. Item in Prophetiâ de Tyro cap. 23. Eſaiæ nos maximè movet finis capitis, ut putemus, omnia pertinere ad citerius aliquod tempus. Nam verſus ultimus hujus capitis non ad prima tempora Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed ad ultimos dies mundi pertinet. Sed quòd ex hâc regulâ ad Obadiam colligat Abarbanel, ſi extrema nondum ſint impleta, totam Prophetiam pertinere ad tempus futurum, in eo fallitur: Poteſt enim finis Prophetiæ pertinere ad tempus futurum, quum initium pertineat ad præteritum: ita ut Prophetia aliquâ ſui parte ſit impleta, aliquâ parte non: quia prophetiæ res ordine & ſucceſſivè proponunt.

§. 139. In proſopopœïis ἀκεφάλοις eſt ſubintelligenda hæc aut ſimilis præfatio. *Aliquando aliquis ita loquetur. Erit aliquando aliquis, qui hoc ſermone jure ſuo uti poterit.* Facile enim eſt in his talem aliquam formulam ſubintelligere; & ipſum ſermonis genus eam poſtulat; quum ſit evidens, hos ſermones ita pronunciatos ex abrupto non poſſe intelligi, niſi quis animo concipiat aliquem de re novâ ac inſolenti viſa alio atque alio tempore ſic pronunciantem. Tali autem formulâ ſubintellectâ ex ipſis verbis, quæ quis loquens introducitur, poteſt cognoſci perſona, quæ loquitur. Similiter quum talis ſit plerumque ſermo Eccleſiæ & ſingulorum fidelium, diverſum affectum diverſis conditionibus in unâ oratione accommodantium facile intelligimus, nobis eum ſic conſiderandum eſſe, quaſi Spiritus Sanct. præfaretur in hanc ſententiam: *Eccleſia Chriſti in diſtinctis ſtatibus hunc in modum loquetur ad Deum*, nunc orans in periculo, nunc gratias agens pro Divinâ exauditione, & ad ulteriorem benedictionem anhelans, eamque precibus ſuis expetens, in fide Divinæ promiſſionis.

§. 140. Et ſic quidem ipſe contextus ſubjectum Prophetiæ, quod cæteroquin ipſa natura verbi & conceptus generalior, ipſaque forma orationis, quâ exprimitur aut ſupprimitur, incertum relinquit & ambiguum, utcunque reſtringit & determinat, ut qualitas ſaltem ejus, & cujus generis ſit,

diſtinctiùs cognoſcatur. Ut autem hæc cognitio ac determinatio ſubjecti, ſaltem ad qualitatem ejus cognoſcendam, illuſtrior ac certior evadat, ad primariam illam diſtributionem temporum omniſque Prophetiæ, quam ſuprà diximus Art. cxxviii. & cxxix. reſpiciendum eſt, videndumque, in quo tempore pericopa illa, quam tractamus, verſetur. Non enim vulgariter ſunt verba Spiritus Sanct. accipienda, ſed ut ſuadet in Vet. Teſtam. analogia Promiſſionis, in Novo Euangelii. Sic ſermo Pſalmi 78. inprimis verſ. 1. & 2. ſub Vet. Teſtam. quamdiu lex & Prophetæ prophetabant, à nemine ut proprius & congruens ſermo dici potuit. Quæ enim verſ. 1. & 2. habentur; ſunt verba tanquam Regis ad populum: & tanquam Prophetæ ænigmata præcedentium temporum ſe enarrare, quanquam non ſine parabolâ profitentis. Quod quum faceret D. Jeſus, rectè Apoſtolus Matth. cap. 13: 35. id, quod hîc verſ. 2. ſcriptum eſt, de Chriſto prædictum eſſe affirmat. Nam Chriſto loquente in parabolis, dicit, impletum eſſe, quod hîc legitur. Itaque cùm dicitur verſ. 1. *Auſculta, popule mi*, cùm ea verba nemini de populo, ſed Domino populi conveniant, facile eſt ſubaudire, tanquam prooemium propheticum tale: *Olim ſurget in Iſraële, qui ita loquetur: Aliquando talis ſermo audietur.* cui oportet omnes attendere.

§. 141. Comparandæ ſunt & aliæ Prophetiæ, inprimis eæ, quæ de rebus iiſdem vel ſimilibus in eodem Articulo loquuntur. Iiſdem: Sic nomen ſuppreſſum per pronomen δεικτικῶς ſæpè obſcurum eſſet, niſi vel à prædicatis, vel ab aliis prophetiis lux eſſet. Item ænigmata Scripturarum & parabolæ ſæpè non intelliguntur, niſi interpretationem haberent ex aliis oraculis. Similibus: Nam diligens lector in Prophetiis annotabit in diſcrepantibus temporum articulis vel unum aliquem effectum tanquam ſui temporis characterem: eumque effectum comparabit cum alio convenienti effecto & charactere, qui in aliâ Prophetiâ ſignatur. Verbi cauſâ; Eſai. cap. 9. legimus, *principatum devolutum iri in humerum Filii*, & quidem ad *amplitudinem* principatus & ad *pacem* ſine fine. Eſai. 2. *Legem Domini & verbum ejus exiturum Hieroſolymâ, & gentes ituras ad montem domus Dei.* Eſai. cap. 3. dicitur, *Deum habere judicium cum Senioribus.* Eſai. cap. 14: 1. *Advenas adcorporatum iri domui Jacobi.* Atque hoc ipſum aliis atque aliis locis explicatur. Hoc eſt, quod Heb. 1: 1. legitur πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως. & Pſal. 79: 2. *Aperiam in parabolâ os meum, ut ſcatebrâ effundam ænigmata ab antiquo.* Non poſſumus etiam non ea quæ ſimilia ſunt & ſimilibus phraſibus indicantur, comparare. An verò ſint ejuſdem temporis, ordo hiſtoriæ Prophetiæ ordini congruens indicare debet. vid. ad Pſ. 124: 4.

§. 142. Inprimis Prophetiæ ſuperioris temporis & promiſſiones Patribus factæ ad eam rem ſunt efficaces. Nam qualia prædicata quibus ſubjectis conveniant,

veniant, ſæpenumerò patet ex tenore Promiſſionis, quæ in paradiſo primitus edita eſt, & patribus ſæpius repetita. Vid. ad Pſalm. 40: 1. Sic quum Adam & patres acceperint promiſſionem de ſemine, in quo eſt benedictio, redemptio, ſanctificatio, juſtificatio; de rege, & quidem ex domo Davidis, cujus regnum ſit univerſale; quis tam hebes & pervicax exiſtere poteſt, ut quæ maxima de aliquo rege dicuntur, qualia ſunt, quæ leguntur Pſal. 45: 72. ea non intelligat, aut nolit, de illo *ſemine* dici.

§. 143. Ex his jam elucet, quid non ſolùm contextus & antecedentia atque conſequentia orationis, ſed etiam comparatio aliarum Prophetiarum faciat ad ſubjecti cujuſque Prophetici determinationem. Quæ autem indefinitiùs dicta per Prophetias parallelas non ſunt determinata, in his eſt noſtrum ante rem geſtam ejusve applicationem eam generalitatem retinere, ne vel verbis aliquid adjiciatur à Deo non dictum, vel à ſenſu detrahatur.

§. 144. Et facit quidem hæc ſubjecti indicatio ac determinatio generalis ſic facta ex Scripturis, ut ejus ſaltem qualitatem, & in quo genere rerum ſit exſpectandum aut inquirendum ejus implementum, ſaltem probabiliter, & quantum id fieri poteſt ante rem geſtam, ejuſque applicationem, ad ſpem faciendam, & ſcrutationem dirigendam, cognoſcamus. Quod ſi ulteriùs non placeat illud veſtigare, vel etiam antequam id fiat, ut in quo genere rerum ſint quærenda implementa prophetiarum, id certius etiam conſtet, tum ut aliquem in anteceſſum colligamus uſum, ut reliquæ Scripturæ, ſic Prophetiarum, poſſunt ea, atque adeo neceſſe eſt, ut quæ hactenùs inventa ac determinata ſunt ex Scripturis, ad ſuam quæque claſſem & genus rerum referantur, ſive poſſunt in Theſi conſiderari, antequam in Hypotheſi ſpectentur. Nempe referentur vel ad regnum Dei, vel ad regnum Diaboli. Et ſi ad regnum Dei, vel ad tempus exſpectati Chriſti, vel patefacti, vel ad omne tempus. Eritque aliquid vel Dei vel Chriſti, vel hominis, vel cuicuimodi id ſit. Et in hâc potiſſimum meditatione διδασκαλία verſatur.

§. 145. Poſſunt etiam ea, quæ indefinitiùs dicuntur, certis eventibus ex cujuslibet temporis hiſtoriâ petitis, tanquam exemplis, quibus illuſtrentur, accommodari; & de iis hæc ſcripta eſſe ſi non in ſpecie, ſaltem in genere, tutò affirmari. nempe ſi eventus nullâ in parte prædictioni generali refragetur.

§. 146. Quin etiam cùm Prophetiæ partes in generali ſuo conceptu videantur diverſis accommodari poſſe ſubjectis, non ſunt judicandi diſſentire, qui ſubjectis aliis atque aliis, dummodo ſimilibus, & ad idem genus pertinentibus, eas partes applicant.

§. 147. In hâc verò applicatione uſuque generali Prophetiarum hæc ſunt obſervanda: 1. Quæ generaliter dicuntur in S. literis, ea poſſunt latè, ut multis

multis analogicè vel æquivocè, & ſtrictè, ut paucis vel uni conveniunt, explicari; quæ autem expreſſiùs & ſpecialiùs dicuntur, ea minimè ſunt per generalem & latam explicationem, quæ oſtendat ſubjectum, cui dicta quovis modo & tantùm non competunt, extenuanda. In eo eſt genere Pſalm. 45. 2. Ut cavendum eſt, ne illa, quæ de hominibus dicuntur, amplificemus nimium; ita ex alterâ parte æquè diligenter cavendum eſt, ne ea, quæ de regno Chriſti dicuntur, in quo eſt gloria Dei, extenuemus. Vid. Part. I. Art. XIX.

§. 148. Ut autem tandem inveniamus ſubjectum Prophetiæ non tantùm generale & indefinitum, ſed etiam ſpecificum aut numericum, in quo illud exiſtentiam ſuam, formam atque implementum Propheticum habet, ſimul ut planè ſimus certi de generali ſubjecti determinatione ante factâ, lux ei debet accendi ab hiſtoriâ, & exempla dictorum illuſtria in eventibus, in quibus hiſtoria, & vim eorum omnium, quæ de aliquo ſubjecto dicuntur in Prophetiâ, & in eodem ordine antecedentium & conſequentium, accuratè exprimit, pro ipſis *Implementis* ſunt habenda. Ut ita oracula Divina, in quolibet etiam Articulo, ſenſum quidem habeant aliquem manifeſtum, nempe indefinitiorem & generaliorem, eum nempe, quem vel ipſa verba fundunt, vel contextus docet orationis; determinatiorem autem interpretationem habeant ex analogiâ aliorum oraculorum; certam verò & indubitatem lucem ex implemento. Ex. gr. Eſai. 18: 5. 6. parabola eſt aptiſſima ad ſignificandam humiliationem & deportationem populi. Aliæ Prophetiæ idem dicentes Parabolam interpretantur. Hiſtoria reſpondens omnibus partibus Prophetiæ non patitur nos quærere aliam applicationem. conf. Part. I. Art. XXXII.

§. 149. Eóque poſſumus eſſe de rectâ applicatione magis ſecuri, quò ſæpiùs in Prophetiâ eundem ordinem, variis quidem ſæpe modis, & partibus atque circumſtantiis, in rei tamen ſummâ, iiſdemque primariis capitibus & Articulis, perpetuò ſibi ſimilem, eâdem ſerie hiſtoriæ atque exemplorum, cum omnibus circumſtantiis, illuſtratum atque comprobatum reperimus. Quæ perpetua conformitas & harmonia Prophetiarum, tum inter ſe, tum cum hiſtoriâ, dici non poteſt, quantopere fidem roboret & animum tranquillet. Neceſſaria itaque eſt hæc plurium Prophetiarum conjunctio & conformis explicatio tum ad ſingulorum temporum pleniorem cognitionem, tum ad expoſitionis & applicationis Propheticæ firmiorem perſuaſionem.

§. 150. Accedere poteſt & firmamentum à numeris, ad quos ſup. diximus diſtinctionis gratiâ ſermones Propheticos quandoque alligari. Non quòd circumſtantiæ temporis per ſe demonſtrent ſubjectum Prophetiæ; ſed quòd

quòd ſi cum veritate prædicatorum etiam circumſtantia temporis congruat, ſigillum ſit magnum rectæ applicationis.

§. 151. Notandum enim de numeris, quibus utitur Prophetia, primam curam eſſe debere, characteres ipſos rerum contemplari: Neque enim numeris annorum aliquam hiſtoriam accommodari eſt neceſſe. Numerus ante rem patientiæ eſt ſubſidium; re completâ, expoſitionis aptæ ſignaculum. Parallelia tamen numeri ad paralleliam rerum nos ducit. Unde non malè, quæ apud Danielem & Apocalypſin ſimilibus definita numeris comperiuntur, ejuſdem eſſe generis reputantur.

§. 152. Etiam obſervare eſt, Prophetias eodem tempore, quo ſpiritualiter implentur, habere implementum literale, ſive abſque metaphorâ, quo homines admoneantur & excitentur ad recognoſcendas Prophetias. Vid. ad Hoſ. 4: 3. Et nihil impedit, quo minùs unum implementum pro certo indicio atque argumento alterius habeatur.

§. 153. In hâc ultimâ applicatione ac determinatione ſubjecti Prophetici ſæpe uſu venire neceſſe eſt, ut ea, quorum ſenſum Scriptura reliquit latiorem, quæque videntur multis exemplis etiam ſpecie diverſis poſſe accommodari, ſenſum accipiant ſtrictiorem ac ſpecialiorem ex hiſtoriâ. Atque hæc eſt cauſa, quare Eſ. 14: 21. *filios* non de quibuſvis Papam patrem nominantibus, ſed ſpecialiùs accipiamus. In eam enim mentem ſunt accipiendæ prophetiæ indefinitiùs loquentes, cui opera Dei atque implementa reſpondent.

§. 154. Ordo quoque in applicatione Prophetiæ ad ſubjecta hic obſervandus eſt, ut facto à primis temporibus, & iis, quæ in primâ cujuſque Periochæ parte deſignantur, initio, inde ad ſequentia ordine progrediamur. Ut autem quæ ſint prima tempora, à quibus ducendum hoc applicationis initium, diſtinctè intelligatur, ne hîc ab ipſo ſtatim limine aberretur, diligenter advertendum eſt, quo ordine hic vel ille propheta docuerit, idque partim in comparatione antecedentium, partim in comparatione συγχρόνων. Nam ſequentes prophetiæ præſupponunt priores, & illis partim lucem afferunt, partim ab illis lucem accipiunt. Utile erit hoc obſervâſſe, tum ut appareat, quouſque Iſraël in cognitione myſterii Dei profecerit hoc vel illo Prophetâ concionante, tum ad notandum rerum ordinem. nam prolixiora poſſunt eſſe ſpacia oraculorum, quæ priores cecinerunt; nempe ſi à temporibus ſuis incipientes deſcendant per omnia temporum climata ad noviſſimum tempus. Dico, poſſunt eſſe. Non enim ſemper ſunt. Tum 2. ut quum in prioribus hæſitet aliquando cogitatio, utrum id, quod dicitur, ad proxima ab edito ſermone, an ad ulteriora tempora pertineat, in eâ hæſitatione ſubſequentes Prophetæ, qui de anterioribus non poſſunt eſſe vaticinati, ſubveniant,

niant, eam partem, quæ ultra ipſos eſt, jam editæ ab anteceſſoribus Prophetiæ retractantes & illuſtrantes.

§. 155. Ex quo facile eſt utilitatem Prophetiarum poſt Capt. Babyl. editarum æſtimare, quæ in eo conſiſtit, quòd clavis ſint ad antecedentes; ut in iis, quæ pertinent ad tempus antecedens captivitatem Babylonicam, & quæ pertinent ad tempus eam conſequens, meliùs diſtinguantur. Eâdemque ratione de ultimâ omnium Apocalypſi credendum eſt, eam digito intento nobis monſtrare, quid de rebus Eccleſiæ Chriſtianæ priores prædixerint. Cujus etiam ſtudium hanc utilitatem habet, quòd dum vocibus & emblematibus ex Prophetiâ Vet. Teſt. petitis utitur, & tempora Novi Teſt. in particulas dividit, ex dictis Art. CXXXIV. nobis aditum Prophetiarum Vet. Teſt. reſeret, ut in iis pleniſſimam explicationem eorum, quæ ipſa indigitat, veſtigemus. In quâ veſtigatione tenendum hoc Principium: Interpretatio Vet. Teſt. pugnans cum Prophetiis Novi Teſt. ipſo uſu comprobatis, non poteſt eſſe vera. Igitur hæ illarum explicationem continent. Conf. Part. 1. Art. LXXXVI.

§. 156. Cum ætate autem Prophetarum utile erit identidem animo objicere conditionem illorum temporum, quibus prophetarunt; ut & verba intelligamus ipſorum, quando de rebus ſui temporis loquuntur; & conferre Prophetarum ejuſdem temporis dicta, ut videamus, quot teſtibus Deus imminentia, tum judicia, tam beneficia, & inprimis adventum Chriſti, inſinuaverit, in eorumque rectâ explicatione & applicatione tantò magis confirmemur.

§. 157. Quòd autem ea exempla quibus verba omnia Prophetiæ cum omni ſuâ circumſtantiâ ſine ullâ contorſione, in eodem genere rerum, eodemque ordine antecedentium & conſequentium, & æquabili harmoniâ & conſenſu aliarum Prophetiarum, ita convenerunt, ut vim & ſignificationem eorum expleant, ex mente & intentione Spiritus S. ſint pro *Implementis* propheticis habenda, id probatur ex eo, quia cùm Deus non ſit fallax, fieri non poteſt, ut adhibitis omnibus mediis rectæ interpretationis, quæ tum ratio ſana in hoc genere tum ipſe Spiritus in verbo loquens dictat menti ſine ullis præjudiciis cum timore Domini & accuratiſſimâ circumſpectione & cautione, ne quid omittatur eorum quæ tum ad intelligentiam ſenſus verborum Spiritus Sancti tum ad rectam eorum applicationem requiruntur, ad ſcrutationem verbi ejus accedenti, per ſenſum omnibus partibus convenientem à mente Spiritus S. in depravationem Scripturæ aberretur; fieri, inquam, non poteſt, ut præter mentem & intentionem Spiritus Sancti prænunciantis futura quicquam geratur, quod menſuram omnem dictorum ejus expleat.

§. 158. Præ-

§. 158. Præſertim ſi attendamus, eundem eſſe auctorem oraculorum, qui & operum, quæ ſecundùm tenorem & formulam ipſorum fiunt ac geruntur in mundo: quæ ſanè talia ſunt ac tanta, ut tam conſilium, quàm vires omnes humanas ſuperent, & à nemine alio, niſi ab eo, qui potuit omnia ab æterno providere, produci poſſe videantur. Qui certè ſi in anteceſſum annuncians futura, vel id curans fieri in ſuo nomine, utatur verbis aptiſſimis ad ea opera ſignificandum, idque eodem ordine, & circumſtantiis, quibus geruntur, & tam accuratè, ut quanquam id faciat ſæpiſſimè & multis partibus ac modis, id tamen faciat ſervato ſemper eodem ordine antecedentium & conſequentium, ut ordo rerum geſtarum unus eſt; quis dubitabit, quin in tali ordine rerum geſtarum ſint implementa talium oraculorum, & Spiritus Sanctus talia prædicens hæc & non alia opera voluerit in anteceſſum futura ſignificare?

§. 159. Hoc firmamento ducto ab efficaciâ ſuâ in perpetrandis deſtinatis Deus ipſe verba Prophetiæ obſignat, & ſimul viam monſtrat ad ea verba ritè interpretandum. Inſigniter huc pertinet locus Amoſi c. 9. v. 12. eoque magis, quia ab ipſis Apoſtolis non ſine delectu in N. T. in hanc rem eſt uſurpatus. Ita enim ibi Deus: *Illo die erigam tugurium Davidis jacens; & ſepiam rupturas illorum* regnorum, *& deſtructa ipſius* Davidis *ſuſcitabo, & ædificabo illud* tugurium, *ut diebus ſæculi. Ut hæreditent reliquias Edomi & omnium gentium, ſuper quibus nuncupatum fuerit nomen meum: ait Jehovah faciens hoc.* Verba ultima. *Qui facit hoc*, quibus hæc Prophetia obſignatur, id quod diximus, clariſſimè demonſtrant.

§. 160. Hanc rationem interpretandi Prophetias atque inveniendi implementa ſic ab ipſo Spiritu S. præmonſtratam quum tenerent Jacobus & Apoſtoli Apoc. 15:14—17. in certis operibus Dei, iis nempe, quæ Petrus, Paulus, & Barnabas ſuo miniſterio eſſe facta memorarent, non dubitarunt ponere illuſtris oraculi implementum. Expoſitioni & applicationi ſuæ ut fundamentum ſubſtruunt hanc infallibilem regulam: *Nota eſſe Deo à ſæculo opera ſua.* Nempe converſio Cornelii in præputio & fides in J. Chriſtum opus Dei eſſe videbatur. Effuſio Spiritus S. in credentem hujus operis Divinitati fidem faciebat. Opus adeò inſigne tali oratione, quali Prophetia utitur, quòd gentes, ſuper quibus nuncupatum eſt nomen Dei, ſint futuræ hæreditas Iſraëlis & quæſituræ Dominum, ſignificari aptè ac prædici poterat. Nec tantùm: Sed etiam reverâ prædictum erat. Præterquam enim, quòd aliæ etiam omnes Prophetiæ huic operi in eodem ordine antecedentium & conſequentium atteſtarentur, verſ. 15. idem proculdubio Deus eſt, qui id, quod facit; & notum habet à ſæculo verſ. 18. Supponit Apoſtolus, eadem eſſe Dei opera, quæ ab æterno nota habet, ſi verbis aptis ſignificentur

in Prophetiâ, quæ & his verbis prædicta ſunt. Conf. ſup. Art. XX. Si ergo hoc opus, quod Divinum eſſe res ipſa clamat, ſit prædictum, non eſſe dubium, quin iis in locis, quorum verba ſic ſint apta ad illud plenè ſignificandum, ſit prædictum, & intentio Spiritus S. fuerit in his locis, his talibus verbis, id futurum ſignificare. Fieri enim non poteſt, ut verba Spiritus S. citrà ipſius intentionem impleantur. Quid hâc demonſtratione Apoſtolicâ certiùs, quid evidentius fingi poteſt? Quid his ampliùs requiri, ad concludendum quòd ea exempla in quibus verba Prophetiæ eo, quo dictum, modo aptam ac plenam ſignificationem habent, ſint pro ipſis *Implementis* habenda?

§. 161. Eâdem quoque demonſtratione utitur S. Petrus Act. 2: 31. ubi ab implemento ipſo ad interpretationem & applicationem Pſalmi 16: 10. ita argumentatur: *Propheta igitur quum eſſet ... prævidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti; quia non relicta eſt anima ipſius in inferno, neque caro ipſius vidit, ut vidit David, vident pii, corruptionem.* Item Paulus Gal. 3: 18. Ubi ſententiam Gen. 18:7. ad ſuum implementum hunc in modum accommodat: *Prævidens Scripturâ, quòd ex fide juſtificet gentes Deus, promiſit ante Abrahamo, Benedicentur gentes in te.* Imò & reliqui Apoſtoli & Evangeliſtæ; apud quos nihil eſt uſitatius hâc formulâ: *Hoc factum eſt, ut impleretur*, &c. Oſtendunt enim, Spiritum S. in Prophetis futura prædicentem, quoniam qualia ea futura eſſent, perſpecta haberet, quum ipſe ea eſſet effecturus, ejuſmodi verbis eſſe uſum, quibus ea aptè ſignificarentur, & his exſtantibus formis rerum, quibus ea verba congruunt, non eſſe dubitandum, quin vera hæc ſint ipſorum implementa.

§. 62. Et verò ſi hæc non ſint implementa, quæ ſic geruntur, ſic videntur, ſic audiuntur, ut præſcriptum eſt, & prænunciatum, quæ ergo erunt; aut unde deſumentur? quum homo nullus fingere poſſit, etiamſi ingenioſiſſimus ſit, implementa omnium Prophetiarum; quæ multa ænigmata continent, & de rebus inuſitatis loquuntur. Vel ergo neceſſe eſt, ut ea, quæ verè narrantur ſic geſta eſſe ut prædictum, ſint ipſa implementa, vel qui velit negare, Prophetiam certis eventibus, quibus verba Prophetiæ aptiſſimè conveniunt, ſive in genere atque indefinitè, ſi indefinitè ſpectentur, ſive definitè & in ſpecie ac nominatim, ſi definitè, tutò poſſe accommodari, & hæc eſſe vera implementa, is neceſſe eſt, ut ſtatuat, Prophetiam prorſus inutilem eſſe. & nec de Jeſu Chriſto nominatim, nec de Antichriſto, nec de Regno utriuſque, neque de fidelibus, neque de infidelibus dici poſſe, quæ ſcripta ſunt de iis, ſcripta eſſe. Denique efficietur, ut verba Spiritus Sancti ſignificent id, quod non ſignificant, h. e. id nobis tanquam pictura aliqua oſtendant, quod Spiritus S. non voluit per ea verba cognoſci & dijudicari.

dicari. Atqui tamen, ut pulchrè Auguſtinus de Doctr. Chriſt. lib. 2. c. 25. *In picturis & ſtatuis cæteriſque hujusmodi ſimulatis operibus maximè peritorum artificum nemo errat, quum ſimilia viderit, ut agnoſcat, quibus ſint rebus ſimilia.*

§. 163. Ex his jam ſatis ſuperque intelligitur, Prophetias etiam indefinitiùs loquentes ſecundùm opera Dei atque implementa eſſe interpretandas, ab iisque accipere, ut ſuam lucem, ita ultimam quaſi formam & modum, quem debent habere, etiam ex conſilio Dei, in rerum naturâ, ipſoque intellectu; Adeò ut, quod ſecundùm Prophetiam fit, id illuſtret Prophetiam, non aliter atque ſi ea id in ſpecie ac nominatim dixiſſet. Id, inquam, ex dictis adeò eſt evidens, ut hinc Euangeliſta ſeceſſum atque habitationem Chriſti Nazarethanam memorans, atque ad hunc eventum Prophetias applicans, in quibus prædictum eſt, Chriſtum primò revelatum iri cum verbo & factis ſalutaribus partim in genere extra Hieroſolymam, partim in ſpecie in Galilæâ, vid. Zach. 12:7. Eſai. 8:23. & 9:1. diſertè dicat id factum eſſe, *ut impleretur, quod dictum eſt per Prophetas, ut Nazarenus vocaretur.* Matth. 2:23.

§. 164. Simul huic meditationi argumentum ineſt apodicticum contra Judæos & Pontificios veritatis religionis Chriſtianæ, & nominatim Reformatæ. Illi enim Prophetias vel per ficta, (ut Rabbinicum eſt fingere hiſtorias, ut ſubjectum Prophetiæ.) vel per falſa implementa à vero ſenſu diſtorquent; quum tamen ea, quæ Deus operatus eſt in mundo & in gentibus per vocationem Euangelii & Reformationis, Prophetiis, utcunque videantur eſſe ænigmaticæ, exactè conveniant, ita ut ſine contorſione de illis operibus accipi ex ordine poſſint. Indidem & patet divinitas Scripturarum. Nam eæ literæ, quæ exactam hypotheſin eventorum continent, ſine dubio ab illo ſunt, qui à ſæculo novit opera ſua.

§. 165. Atque hæc ſunt, quæ de ratione interpretandi Prophetias, deque implementis dicenda habuimus: quæ tum valebunt, ubi, ut ſuprà obſervatum, & genera rerum, & claſſes ac familiæ hominum, & quæ ſit vera Eccleſia, quæ falſa, priùs ex Scripturis fuerit clariſſimis argumentis deſignatum. His enim ante determinatis & generalibus ſubjectis Prophetiarum cognitis, facile erit & curſum temporum ex ordine ſermonis, & veritatem applicationis, in ſingulis Periodis & Articulis invenire.

§. 166. Sed ſive opera Dei, quæ, his generalibus priùs rectè poſitis, in eodem ordine inveniuntur verbis Prophetiæ congruere, pro ipſis implementis habeantur, ſive non, hactenùs ſaltem de rectâ applicatione nemini poteſt eſſe dubium, ſi opera Dei, quæ diximus eſſe pro Implementis habenda, ſaltem ſpectemus, ut Exempla eorum, quæ in ſingulis partibus Prophetiæ

dicuntur, ut ſi non eadem ſint, ſaltem talia intelligantur eſſe, qualia prædicuntur, & ſive ordinem temporum cum ordine ſermonis comparemus, ſive non, iſtiusmodi exempla non poſſint referri ad alia rerum genera, ſive ad aliam formam. Ita ad rem ſufficiet, etiam neglecto rerum deſcriptarum ordine & tempore, id animadvertere, quod eo exemplo factum eſt, quemadmodum dicitur in Prophetiâ. Et licet in tali differentiâ non obtineatur omnis uſus Prophetiæ, nempe ut cognitâ integrâ Prophetiæ hiſtoriâ, evidenter Prophetiæ veritas in omnibus partibus cognoſcatur, & ſecundùm illa judicium Dei, ſive ejus in Scripturâ edita ſententia de Chriſto, juſtitiâ Dei, regno Chriſti & Antichriſti, & de controverſis Eccleſiam turbantibus, ſic audiatur & præcipiatur, ut adverſarii vix poſſint obloqui: tamen aliquis uſus Prophetiæ hinc percipitur, quatenùs per eam hominum genera & familiæ diverſæ diſtinguuntur.

§. 167. Et obtinet quidem hæc ratio omnis, quam hactenùs explicui, in illis Prophetiis, de quibus poteſt ſtatui, quòd in hiſtoriâ præteriti temporis habeant exempla & implementa. Ut ita quantum ad eam partem attinet Prophetici ſermonis, quæ agit de rebus Vet. Teſtam. uſque ad Chriſtum, quæ ſine controverſiâ jam longo tempore abierunt, quam partem ſolam hoc ſcriptum exhibet, de eâ ſaltem parte Prophetici ſermonis, ut & de eâ, quæ porrò uſque ad noſtra tempora eſt impleta, nullum poſſit videri dubium, quin ſit iis rationibus, quas expoſui, ſatis ſuperque demonſtrata.

§. 168. Sed quia nondum omnes Prophetiæ in rerum ordine per eas deſignato & deſcripto implementum ſuum nactæ ſunt, tempus viſitationis præſentis cum præteritis à futuris eſt neceſſariò diſtinguendum.

§. 169. In futuris autem non indulgeamus nobis ipſis & conjecturis noſtris, ſed ut dignum eſt fide & modeſtiâ Chriſtianâ, quæ indefinitiùs dicta per Prophetias parallelas non ſunt determinata, in Dei ea poteſtate, quoad certum modum, tempora & perſonas relicta eſſe reputemus. Ut in his debeamus eſſe contenti iis regulis, quas ſuprà dedimus, ubi de ſubjecto cujusque Prophetiæ ex Scripturis deſcribendo, & qualitate ejus ſaltem in genere cognoſcendâ agebamus; Ac de cætero, quid Deus ſit facturus, exſpectare, & officio noſtro incumbere. Act. 1:6. 7. 8. & 14: 22. item Matth. 24:45. &c.

§. 170. In iis autem, quæ geruntur, & tota non ſunt conſummata, ita ſe res habet, ut in dubiâ luce crepuſculi, ubi aliquid videtur, aliquid latet. Ut igitur in omnibus Prophetiis, quæ futurum tempus ſpectant, Deus locum, perſonas, tempus, qualitatem rei, in ſuâ poſuit poteſtate, niſi quatenùs parallelæ ea explicant: ita & in iis, quæ in exortu ſunt, non ſtatim qualitas finis noſci poteſt. Et quod attinet Prophetias parallelas, ſciendum eſt,

non

non in omnibus omnia pandi, ſed in diſtinctis gradibus temporis, quos communes habent, diverſas aliquando prodere diverſa & propria facta. Unde ante eventus plenos difficillimum eſt illa ordinare, & plenam harmoniam concinnare. Ideoque in talibus indefinitis & generalibus inſiſtendum eſt, nec ulteriùs quicquam definiendum, donec dies particularia aperiat, & jam cogitata vel corrigat vel confirmet.

§. 171. Tantum abeſt ut ſit probanda temeritas illorum, qui Dei arcana à regulis prudentiæ non diſtinguentes, audent ea, quæ putant eſſe prædictâ, vel quæ prædicta quidem, ſed indefinitè, & ita, ut Deus illa quoad modum, perſonas, tempora, aliaſque appendices, reliquerit in propriâ poteſtate, facere regulas conſiliorum & actionum ſuarum; qui Divinas prædictiones rapere malunt, quàm exſpectare, & in patientiâ & bonâ conſcientiâ Dei providentiam ducem ſequi; Quemadmodum ſic olim Jeroboam, cui regnum X tribuum aſſignaverat Deus, in illo occupando ab arte & dolo malo non abſtinuit. Quorum certè conſilium non poteſt non eſſe periculoſum; dum ſe & alios in mala enormia & judicia Dei de talibus ante deſcripta conjiciunt. Cujus rei terribile exemplum exſtat in Judæis. Et valde verendum, ne & hoc ſæculo ſint, qui abutentes Scripturis, dum videri volunt ſpiritu Dei incitari ad aggrediendum ea, quæ vocationem ipſorum excedunt, & mandata ipſis non ſunt, à ſpiritu carnis elati, alios quidem turbent, ſe verò faciant partim flagella Dei ad ipſius judicia exſequendum, partim exempla humanæ ſtultitiæ & organa Diaboli; quales erant ſuperiori ſæculo Anabaptiſtæ Monaſterienſes. Quorum exitus triſtes eſſe ſolent: niſi Deus ipſorum miſereſcat.

§. 172. Quæ hactenùs demonſtrata ſunt, ad generales pertinent, nec niſi ex implementis definiendas Prophetias. Dantur & nonnullæ, quæ ſingulares perſonas ſpectant, de quibus hiſtorias integras non habemus. Ex. gr. Eſai. 22: 15. & ſeqq. Amoſ. 7: 17. &c. Hæ quomodo impletæ ſint, inquirere noſtrorum non eſt. Quemadmodum enim Amoſ. 7. Amathiæ ſacerdoti Bethelitæ denunciatur pœna, quæ tamen ſic geſta non narratur; ita & Eſ. 22. ſufficit veritatem Prophetiæ in veteri Eccleſiâ à piis recognitam fuiſſe. Potuit enim recognoſci, quum de unius hominis ſtatu & ætate agat. Adde quòd non ſit eadem ratio minarum Dei, quæ eſt reliquarum Prophetiarum. Minæ Dei per pœnitentiam aliquando præoccupantur. Ezechias morte denunciatâ ſupplicatione vitam prolongavit. Omnes minæ Dei vocant ad pœnitentiam, ut occurramus Deo. Amoſ. 4: verſ. 12. & nos excutiamus, antequam ſuperveniat ira Domini, & quæramus Deum, ſi forte occultemur in die iræ. Zeph. 2: verſ. 1. 2. 3. Conf. Jerem. cap. 26: verſ. 18. 19.

§. 173. Atque hæc quidem de ratione ac Methodo ſequendâ in interpretatione Prophetiarum analyticâ, deque illis principiis, ex quibus omnis earum demonſtratio pendet, ſat dicta ſunto. Hâc viâ ac ratione uſus Vir incomparabilis JOHANNES COCCEJUS, ὁ μακαρίτης, ſagaciſſimus venator & exactiſſimus trutinator ſenſus S. literarum, cui ob enixum ſtudium de Eccleſiâ bene merendi, & multas inſignes veritates, quas ope hujus Hermeneuticæ vel primus eruit ex penetralibus Scripturæ, vel jam cognitas illuſtravit, plurimum debemus, & cujus idcirco memoria in Eccleſiâ eſt in benedictione, quum per eam animadvertiſſet Prophetias admittere facillimam & clariſſimam explicationem, hortante ſucceſſu, & materiam nactus perſpicaciſſimo ſuo ingenio parem, quam etiam interpretes, ob rei difficultatem, & quòd aliis intenti, vel prorſus intactam, vel non ita pertractatam reliquiſſent, ut non ipſi maximam partem incertum haberent, integrum ſibi putavit in eâ quid valeret, & quid à Deo ad ædificationem Eccleſiæ accepiſſet, experiri, & quod in eo genere reperiſſet non ſic neglectâ tamen ratione inſtituendi communiter receptâ, quæ in doctrinæ Chriſtianæ partibus ex S. Scripturâ explicandis & vindicandis præcipuè verſatur, ut non hanc ſemper potiſſimam haberet, id omne fideliter in commune conferre. Quod etiam adeo ipſi feliciter ſucceſſit, ut quamvis multis ab initio hæc Prophetias tractandi ratio, utpote inuſitata, nec principiis & cauſis ſatis adhuc cognitis, ſit viſa difficilior, poſtquam tamen attentiùs examinata, quia vim ac robur demonſtrationis habere videbantur, non paucos nacta ſit, non ſolùm ex iis, qui Studioſi vocantur, ſed etiam ex utroque docentium ordine tam Academicorum, quàm Eccleſiaſticorum, tam Seniorum, quàm Juniorum, tam Exterorum, quàm Domeſticorum, præclaros ubique admiratores, fautores, diſcipulos, & patronos; Qui quamvis nondum omnia adoptarent, laudabant tamen & cognitu digna habebant.

§. 174. Horum tot tantorumque Virorum jam famâ & meritis celebrium æmulatione, tum rei ipſius dignitate ac præſtantiâ argumenti, in quo tam firmum præſidium eſſet tum adverſus Atheos & infideles demonſtrandæ exiſtentiæ Dei & Divinitatis S. literarum, tum adverſus Judæos & Pontificios omneſque adeò hæreticos veritatis religionis Chriſtianæ & Reformatæ, & novitate demonſtrandi delectatus, ante decennium & quod excurrit, quum per otium Lugduni Batavorum verſarer, inſtitui his penitiùs cognoſcendis aliquas horas peculiares dare; nec priùs deſtiti, quàm omnes Prophetias tam Vet. quàm Novi Teſtamenti, ad ordinem ac ductum, quem Commentarii tanti Viri, tam editi, quàm ἀνέκδοτοι, quos pro ſingulari ſuâ humanitate & affectu, quo me proſequebatur, liberaliter mecum communicabat, perluſtratas haberem. Inceperam quoque propter obſervatam admirandam omnium

omnium paralleliam ex pluribus ſimul junctis unam facere continuam Prophetiam, & quæ Cl. Coccejus, ut fieri oportet in analyſi, prout in textu ſacro ſingularia occurrebant, inter ſe ſegregata occupaverat, ea omnia conjunctim, diviſa temporibus, & unâ ſerie rerum digeſta, componere; eo conſilio, ut tandem omnibus in unum conflatis unum conficerem corpus Propheticæ inſtitutionis.

§. 175. Sed illud inſtitutum diſceſſus ab Academiâ, & mox Profeſſio Philoſophica, cujus Theologica tantùm eſſet acceſſio quædam, abrupit. Quum enim hæc omnium Prophetiarum comprehenſio ac digeſtio ſecundùm ordinem temporum rerumque geſtarum longum & aſſiduum requirat ſtudium ac laborem, ab occupationibus Scholaſticis, iiſque variis, & maximam partem non Theologicis, tantum otii non ſuppetere videbatur, quantum requirebatur ad illud commodè elaborandum; & non defuturos putabam ex iis, qui in ſcriptis Cl. Cocceji meliùs, quàm ego, eſſent verſati, qui quod ego jam impeditus non poſſem, id ſuo tempore, & accuratiùs quàm ego, præſtarent. Neque enim ego me eum profiteor, qui vel alienis inventis, vel quod poteſt fieri ab unoquoque, his nomen quæram, & cupiam inclareſcere, vel multum mihi tribui.

§. 176. Ita hæc prima informis adhuc operis rudimenta abjecta diu inter ſchedas remanſerunt, & proculdubio adhuc remanſiſſent, niſi ab iis, quibus ego plurimum in actiones meas externas ſoleo deferre auctoritatis, interpellatus, & plus ſemel admonitus, eſſe haud contemnendum eorum numerum, quibus innotuerat, mihi iſtiuſmodi aliquod genus operis fuiſſe inchoatum, etiam Reverendorum Paſtorum, etiam Virorum Clariſſimorum, qui ut id abſolverem, & publicarem, ſummopere deſiderarent, imò flagitarent, expugnari paſſus ſum languorem meum, & quantum potui à reliquis negotiis impetrare otii, id omne ad hoc opus in manus reſumendum, atque ita adornandum, ut prælo committi poſſet, cœpi conferre. Et dedit Deus, ut illam partem Operis, quæ res exſequitur Veteris Teſtamenti, haud ita quidem longo intervallo, quum ſuperioris temporis adminiculis in conquirendi labore multum ſublevarer, perducerem ad umbilicum.

§. 177. Hanc partem Operis, quum juſtum ac ſeparatum volumen efficere videretur, & neſcirem, quando altera pars, quam tamen eodem ordine ac formâ jam affectam habeo, eſſet perficienda, cur in longiorem diem differrem, cauſam non habebam; & tum inſtantiis Amicorum, tum exſpectationi publicæ deberi videbatur.

§. 178. Eam igitur nunc partem Tecum, Benevole & Chriſtiane Lector, communico; ſed ita tamen, ut ſi quid his principiis, eâque arte ac ratione, quam ſuperius explicui, exiſtimes novæ lucis illatum Prophetiis, beatæ memoriæ

moriæ Viri antea mihi laudati omnem in ſolidum referas ejus inventionis laudem; mihi, cui id ſolum fuit inſtitutum, jam inventa componere ac digerere, & in formam Syntagmatis cujuſdam Prophetici redigere; tum & principia, ſaltem primaria & maximè generalia, quibus hæc ratio Prophetias reſolvendi atque interpretandi probaretur, quantâ fieri poſſet, perſpicuitate indicare, & in his omnibus mentem maximi Theologi fideliter referre atque illuſtrare, ſi id jam videatur tanti, & res à conſilio non omninò diſſentiat, ſatis erit in aliquam venire in hoc genere ſcribendi ſynthetico, non quidem ingenii, quod ſcio quàm ſit mihi exiguum, ſed tamen induſtriæ partem. Id certè operam dedi animi intentione & cautione ſingulari, ut quum in illâ generali recenſione omnium Prophetiarum omnia repeti deberent, quæ Prophetæ olim de rebus Veteris Teſtamenti uſque ad Chriſtum locuti fuiſſent, id fieret & juſtis partium menſuris, tam majorum, ſ. Periodorum, quàm minorum, ſive Articulorum, & legitimus ordo ac ratio ſingulas pertractandi, ut in tantâ multitudine & confuſio vitaretur, & nihil tamen omitteretur eorum, quæ ad unamquamque pertinerent, ubique ſervaretur.

§. 179. In initio Operis conſtituendo, quum Prophetæ, ut ætate diſpares, alii ab alio tempore telam vaticiniorum ſuorum exordiantur, eam tenui rationem. Quum viderem eos non ſolùm futura prædicere, ſed etiam ſæpe præteritorum mentionem ſermonibus ſuis aſpergere, quandoque, ut ſuprà quoque monui, in commemorationem præteritorum & monitionem temporibus ſuis convenientem abire, & per ea, ut ἰνικτικὰ quædam futurorum prædictionem aperire, tum Deum ipſum jam à condito mundo, & deinceps Patriarchis ea prædixiſſe, quæ mox in ſubſequentis temporis hiſtoriâ implementa haberent, non potui non, tum ne quid omitterem, quod eſſet prædictum, tum ut integrum corpus Propheticæ doctrinæ exhiberem, & ordo concinnior eſſet, quum non ex abrupto, ſed ab ipſis rerum primordiis emanaret, tum denique, ut quæ ipſi Prophetæ in rebus ante geſtis animadverſione digna habuiſſent, id quoque appareret, ab antiquiſſimis temporibus ipſâque adeo creatione mundi, cùm neque illam prætermittant, tractationem omnium inchoare. Ita quicquid à principio Operis in Periodi IV. Articulum XIV. inque ipſam adeo captivitatem tribuum Aſſyriacam & Judæ Babylonicam, à quâ ipſi Prophetæ innuunt fieri initium hiſtoriæ omnis Prophetiæ, uti demonſtratur inf. Per. IV. Art. LXV. Demonſt. §. 80. in hoc opere eſt explicatum, id omne fere ex præteriti temporis hiſtoriâ eſt repetitum.

§. 180. Invenies in eâ parte præter repetitam ex Prophetiâ hiſtoriam Creationis mundi lapſus, propagationis & corruptionis primi ſœculi, diluvii, confu-

confuſionis linguarum & abdicationis gentium, conflagrationis quinque urbium, vocationis Abrahami & ſeminis delecti, peregrinationis & conſervationis Patriarcharum multiplicationis ſeminis, potentis eductionis ex Ægypto, νομοθεσίας & variæ gubernationis in deſerto, κληροδοσίας & multiplicis benedictionis in terrâ, defectionis variæ, caſtigationis, & ereptionis per Judices, dati regni victoriarum & reliquarum rerum geſtarum Davidis, gloriæ Solomonis, & templi exſtructi, diſſidii X tribuum & novi regni in eâ parte, utriuſque populi variorum ſcelerum, & caſtigationum, in deportationem tandem & exilium exeuntium; invenies, inquam, Propheticam commemorationem atque explicationem fœderis gratiæ, tum ſimpliciter, ut fuit primò declaratum in Paradiſo, tum in diverſâ œconomiâ per duplex Teſtamentum, primò notificatum Abrahamo, deinde quoad partem priorem, quæ Prius & Vetus Teſtamentum appellatur, exſecutioni mandatum in eductione populi ex Ægypto & collocatione in terrâ; cognoſces inſuper, quomodo ſermonis auditi in monte Sinâ, non ſanè ut legis operum, ſed ut formulæ fœderis gratiæ, & ſubſecutæ defectionis populi & idololatriæ, eâque occaſione & jugi legis & ſeverioris regiminis ſubintroducti, quod quidem fœdus gratiæ & regnum Dei antiquum quodammodo obſcuraret, non tamen irritum faceret, ſed ei eſſet ſubordinatum, ita meminerint Prophetæ, ut in his diſtinctiùs explicandis peculiarem operam poſuiſſe videantur. Vid. Per. I. Art. 3. Per. II. Art. 1. Per. III. Art. 2. 3. 4. 5. & 6. Hos & ſimiles Articulos, utpote non uni tempori alligatos, ſed ſtatum & conditionem populi Dei in diverſâ œconomiâ explicantes, diſtinctionis gratiâ *Oeconomicos* appellemus licet, reliquos *Periodicos*; qualem & de ſtatu Novi Teſtamenti Per. VI. extrema exhibet.

§. 181. Reliqua in hâc parte à Capt. Bab. deduxi uſque ad Chriſtum, & initia Novi Teſtamenti. In his præter varium ſtatum populi primò reducti in terram, tum inter varias benedictiones corporales augeſcentis & multiplicati mirum in modum, tum poſt exantlatas non unius temporis anguſtias, inprimis diram illam ſub Antiocho, reſtituti in priſtinam libertatem, itàque amplificati, ut brevi tempore vicinos populos imperio ſuo ſubjectos, nominatim Idumæos, & religionis ſocios haberet, denique & reip. formam regno commutaret; continetur deſcriptio ortus & ſucceſſionis quatuor ex ordine Monarchiarum, Babylonicæ, Perſicæ, Græcæ, & Romanæ, expeditionum Nebucadnezaris, Cyri, & ſucceſſorum, nominatim Xerxis in Græcos, belli Peloponneſiaci, & reliquorum motuum Græciæ uſque ad Alexandrum M., hujus trajectus in Aſiam, victoriarum, & repentini exceſſus, diviſi imperii, & bellorum exortorum inter duces, præcipuè inter reges Syriæ & Ægypti, rerum geſtarum inter Antiochum Magnum & Romanos,

manos, rerum geſtarum Antiochi Epiphanis, progreſſus Romani imperii, & ſubjugatæ etiam partis illius orbis, quæ circùm Judæam, & poſt hæc tandem nativitatis Chriſti ex virgine, dum cenſus ageretur in Judæos à Domino peregrino, ejuſque doctrinæ, operum, perfectæ obedientiæ, paſſionum, mortis, reſurrectionis, & aſcenſionis in cœlum, & cum his conjuncti initii Regni Dei & Novi Teſtamenti. In quâ inprimis ultimâ parte Operis apparet, quantopere quæſiverint & ſcrutati fuerint Sancti illi viri, in quod & quale tempus ſignificaret Spiritus Chriſti, qui in ipſis erat Chriſti paſſiones, & ſequentes glorias, 1 Pet. 1: 11. Tam ſunt multi in iis, quæ ad Chriſti perſonam, officia, eventa, & hinc manantia beneficia ac privilegia Novi Teſtamenti pertinent, deſcribendis, ut quum nulla ſit Periocha prophetica, quæ in hanc potiſſimùm partem ſe non effundat, poſſint omnia alia hujus præparatio quædam & acceſſio facilè videri. Nos ſignaturas omnes & characteres promiſſi Chriſti, & veritatem perſonæ ejus, & veritatem doctrinæ, ex comparatione eorum, quæ Evangelium ipſum docuiſſe & feciſſe, quæque ei eveniſſe teſtatur, cum omnibus Prophetiis, in hâc ultimâ hujus Operis Periodo ad ſatietatem uſque contemplabimur.

§. 182. Ac præterea, ne quid in hâc parte deſideraretur, ſub finem adjeci illa, quæ de naturâ & modo regni Dei ſub Novo Teſtamento, deque bonis Novi Teſtamenti ex Prophetiis ad manum habebam. In his bonis Novi Teſtamenti deſcribendis eam inſtitui rationem, ut diſtinctè primùm agerem de iis ſimpliciter & abſolutè conſideratis, quemadmodum conveniunt omni tempori, & quæ idcircò patres & fideles omnes Vet. Teſt. inde ab Adamo nobiſcum communia habuerunt; Deinde comparatè, & cum reſpectu ad ſpecialem œconomiam Novi Teſtamenti. Priori ratione oſtendo, Patres & fideles Veteris Teſtamenti plenam ac perfectam Redemptionem, Juſtificationem, Remiſſionem peccatorum, certitudinem & gloriationem de ſalute, in ipſis etiam afflictionibus, ipſâque morte, æquè ac plenam Sanctificationem & Glorificationem habuiſſe, eo ſcil. ſenſu omni, quo Theologi iſta omnia plena ac perfecta omni tempore fuiſſe, hactenùs docuerunt: Poſteriori aliquam eſſe differentiam demonſtro; quæ tamen omnis huc tandem referatur, quòd ſub V. T. Chriſti perfectiſſima obedientia & ſatisfactio, propter quam hæc omnia nobis beneficia obtingunt, nondum eſſet actu præſtita, ſed adhuc futura, atque ut talis tantùm poſſet ſpectari. Quamvis enim propter certitudinem ejus futuri eventus æquè perfectè potuerint donari hæc beneficia, quæ & quatenùs abſolutè conſiderantur, ac ſi jam actu præſtita fuiſſet, & hoc ſenſu nulla interea ſit differentia, ſive in Vet. ſive in N. T. ſpectentur, antequam tamen hæc Chriſti obedientia & ſatisfactio actu exſtaret non potuerunt comparatè, & in ordine ad cauſam ſalutis,

ut

ut jam exſtantem. Sic quamvis æquè fideles Vet. ac N. Teſtam. jus habuerint accedendi ad Deum cum fiduciâ, & ab eo petendi atque exſpectandi omnia ſalutaria, id tamen æquè non potuerunt facere, nec quicquam petere vi ac reſpectu meriti Chriſti, ut jam exſtantis; & quamvis ipſis æquè ac nobis eſſent plenè ac perfectè remiſſa peccata, quatenus propter mortem & obedientiam Chriſti certò futuram æquè perfectè in Divino judicio habebantur, ac ſi nullum peccatum commiſiſſent, & immunes erant à merito condemnationis, ut jam fit ſub N. Teſtam., id tamen non poteſt dici æquè factum eſſe propter cruentam ſatisfactionem Chriſti ut jam peractam; & quamvis potuerint gloriari de ſalute, id tamen non potuerunt intuitu cauſæ ſalutis ut jam exſtantis. Et ſic de cæteris. Adeò ut quum omnis illa differentia ab reſpectu tantùm meriti & obedientiæ Chriſti ut jam exſtantis vel non exſtantis pendeat, & hic reſpectus in rei ſubſtantiâ ſimpliciter conſideratâ ejusque ſic conſideratæ plenitudine ac perfectione nihil mutet, ſed tantùm novos modos conſiderandi, & hinc interdum alias atque alias denominationes eorundem beneficiorum, cum aliis quibusdam adjunctis & effectis, ex eodem fonte ac beneficio Chriſti exſtante vel non exſtante promanantibus, importet, meum eſſe putaverim, in his quàm diſtinctiſſimè explicandis paulo diligentiùs immorari; ſi forſan hæc poſſint controverſiis, quæ de eâ materiâ hodie agitantur, minuendis inſervire.

§. 183. In reliquis Articulis, qui fuſiorem in Prophetiâ habent explicationem, quales ſunt ex. gr. Per. IV. LXV. tus, plerique Periodi VI. & plures paſſim alii, id egi omni ſtudio, ut vitatâ confuſione diſtinctior cognitio & tractatio eſſet, præmiſſis ubique iis locis, quæ Articulos ſuos generaliùs exprimerent, & in particulari tractatione eum ſervando ordinem, qui ex methodi ſyntheticæ præſcripto convenientiſſimus videbatur ad res omnes, quæ ad unumquemque Articulum pertinerent, diſtinctiùs cognoſcendas. Inſuper ubique id operam dedi, ut conſiliis Dei univerſalibus, & vel ad omne tempus, vel ad hanc aut illam œconomiam temporis relatis, de quibus ſup. Art. CXXVII. CXXVIII. & CXXIX. ceu nodis quibuſdam & vinculis apta inter ſe & connexa omnia hærerent.

§. 184. Explicationes Articulorum more Mathematico vocavi Demonſtrationes, quia in hoc genere ſcribendi ſynthetico idem ſunt & efficiunt reſpectu ſuorum Articulorum, quod Demonſtrationes Mathematicæ reſpectu ſuarum Propoſitionum. Quemadmodum enim Demonſtrationes Mathematicæ continent cauſas & Principia, à quibus Propoſitiones pendent, & in quas ultimò reſolvuntur, ita hæ explicationes & deductiones Propheticæ continent cauſas primas Articulorum ſuorum, Dei ſcil. decreta, quorum teſtimonia & indicia ſunt Prophetiæ; per quæ etiam res ſingulis Articulis

culis propoſitæ tam neceſſariò intelliguntur eſſe, aut debuiſſe fieri, quàm neceſſariò intelligo tres angulos trianguli eſſe æquales duobus rectis, quia producto ejus uno latere angulus externus, qui cum interno deinceps ſito duos rectos efficit, eſt duobus internis & oppoſitis æqualis: nimirum juxta illud, *Qui dico, conſilium meum ſtabit, & omnem voluptatem meam faciam.* Eſai. 46: 10. Neque alia mens eſt formulæ Euangelicæ, *Hoc factum eſt, ut impleretur*, &c. quàm ut tale quid geſtum in hiſtoriâ per talem Prophetiam neceſſariò futurum fuiſſe demonſtretur, & viciſſim veritas Prophetiæ ex rebus geſtis comprobetur: eâdem ratione, quâ in ſcientiis effectus per cauſas explicantur, & viciſſim veritas cauſarum, ſive has veras cauſas eſſe per effectus probatur; utraque autem, tam explicatio iſta, quàm hæc probatio, demonſtratio appellatur.

§. 185. Genus autem demonſtrandi ſum ſecutus Syntheticum, ut poſt Analyſin Cel. Cocceji fieri conveniebat. Inter hæc duo demonſtrandi genera illud intereſt, quòd illud in analyſi Scripturæ occupatum ſenſum Prophetiarum adhibitis veris Principiis inveſtiget, & in ſingulis partibus demonſtret, hoc è contrario ſenſu Prophetiarum jam invento ac demonſtrato, eas articulatim colligat, diſponat, & in formam ſyntagmatis vel inſtitutionis Propheticæ redigat: Illud Hiſtorias Prophetiis ad ſenſum earum cognoſcendum; hoc Prophetias Hiſtoriis atque implementis ad neceſſitatem eorum demonſtrandum applicet: Illud ab effectis ad cauſas, à poſteriori; hoc à cauſis ad effecta, à priori progrediatur: Illud ſemper debeat priùs inſtitui; hoc poſteriùs: Illud ſparſim ac ſeorſùm ſingula, prout ipſa vaticinia ſunt ſingularia ac disjuncta; hoc ſummatim & ex omnibus omnia ſimul & pariter oculis ſubjiciat, atque, ut vis conjuncta fortior eſt, ita quoque evidentiùs ac fortiùs demonſtret, ita ut conſpecto omnium conſenſu, eoque perpetuo, & in eodem ſemper ordine antecedentium & conſequentium, de rectâ applicatione vix poſſit ampliùs dubitari. Ut ita, quatenùs unum ſcribendi genus eſt ingenioſius & glorioſius, tanto alterum appareat laborioſius quidem, ſed & quodammodo fructuoſius. Quamvis, more ſcriptorum merè Syntheticorum, vim quidem convincendi, ſed item perſuadendi non habeat, niſi apud illos, qui priùs eadem in ſingulis Periochis ſive textibus Propheticis analyticè demonſtrata cognoverint. Quantùm verò ad illos attinet, qui ex analogiâ demonſtrationum analyticarum & ſyntheticarum apud Mathematicos uſitatarum de formâ hujus operis & ratione demonſtrandi in eo adhibitâ judicare nequeunt, per nos licet, ut, ſi ſcripta Cl. Cocceji Prophetica legerint, hoc Scriptum tantùm habeant loco Indicis, vel potiùs Locorum Communium Propheticorum, quorum ſcil. nullus alius ſit uſus, quàm quòd ſint comparati ad ea in memoriam revocanda, quæ antea didicerunt, ſi nondum

dum legerint, ſit loco Introductionis in Cl. Cocceji Propheticas explicationes; dummodo meminerint, in ordine ad illos, qui utrumque genus demonſtrandi intelligunt, longè excellentiorem ejus uſum eſſe poſſe, & me ad illum potiſſimùm omnia direxiſſe.

§. 186. Titulum operis Hebraicum צְבָא הָעִתִּים / qui propriè *Seriem* ſive *Ordinem temporum* denotat, ſumſi à Daniele, qui continuatum ordinem ſ. contextum variarum rerum futurarum ſibi ab Angelo monſtratum vocat צָבָא גָּדוֹל / *Seriem magnam*; Dan. 10: 1. eoque lubentiùs, quia hunc titulum ipſe Cl. Coccejus quondam approbavit. Potuiſſet reddi *œconomia temporum*: Sed magis arriſit THEOLOGIA PROPHETICA, tum quòd ea vox eandem rem, ut & quamlibet aliam inſtitutionem Propheticam, commodè ſignificet, tum quòd ſimùl oſtendat, me eas res, de quibus tractat, non aliunde, quàm ex Prophetiis, velle explicare. Dixi porrò, *De rebus Veteris Teſtamenti*, factâ denominatione à potiori, quum propriè loquendo, ut ſuo loco demonſtratur, ante exitum Iſraëlis ex Ægypto non cœperit Vetus Teſtamentum.

§. 187. Addidi in ipſum opus facilioris cognitionis gratiâ & certum numerum Periodorum, quibus omnia includerentur. De his notandum, dummodo obſerventur ea, quæ ad generalem temporum œconomiam pertinent, ut quod tempus Vet. Teſtam. fuerit tempus Iræ Tolerantiâ mixtæ, novum ſit tempus Gratiæ & Iræ ſive Ultionis; item quòd tempus Vet. Teſt. fuerit vel Libertatis ante Legem, vel Servitutis ſub eâ, &c. quæ apertam in Scripturis demonſtrationem habent; nec mutetur ordo rerum geſtarum, quemadmodum is articulatim in Prophetiâ eſt deſcriptus & verificatus in hiſtoriâ; in cæteris eſſe integrum inſtituere tot Periodos, quot Capita generaliora aut inſignes Cataſtrophæ & converſiones rerum in ſingulis Periodis gerendarum poſſint notari. Tales igitur commutationes rerum inſignes quum ſex potiſſimùm mihi occurrent à condito mundo uſque ad Chriſtum, exiſtimavi, eam diſtinctionem eſſe admittendam. Prima enim habet Promiſſionem Seminis mulieris uſque ad Abrahamum; Secunda huic Promiſſioni ſuperaddit notificationem utriuſque Teſtamenti, uſque ad Moſen; Tertia habet exſecutionem prioris Teſtamenti populo ſuperadditi, idque in populi & ſtatus incremento uſque ad Solomonem; Quarta populi & ſtatus decrementa deſcribit uſque ad Capt. Bab. Quinta populi reducti ſtatum uſque ad Chriſtum; Sexta Chriſti adventum & dies carnis uſque ad aſcenſionem ejus in cœlum. Adeò ut ſi etiam aliunde hæc diſtributio non firmaretur, tamen per ſe ſatis commoda videatur. Sed &, ut ſuprà demonſtravi, in ipſâ Prophetiâ & Hiſtoriâ ſacrâ ſunt notæ illuſtres hujus diviſionis.

§. 188. In allegatione locorum Scripturæ retineo verſionem & explicationem Cl. Cocceji, ferè ubique iiſdem verbis: Quod factum à me profiteor, non quòd non aliis atque aliis verbis potuiſſent eadem enunciari, & non ſit grata aliquando hæc ſpecies novitatis, ſed partim quod diverſitati & novitati magis formæ operis & rationis demonſtrandi unicè intentus, & cupiens prodeſſe magis, quàm delectare, compendifecerim hanc operam ac neceſſitatem in tantâ multitudine ſemper aliis verbis & loquendi generibus eadem dicendi, partim quòd cùm nihil vellem ſcribere, quod ratione materiæ non eſſet purum putum Coccejanum, religio mihi fuerit vel à verbis hujus Viri tam in explicatione quàm in verſione locorum Scripturæ recedere, ne ſi quid in iis mutarem, à mente ejus receſſiſſe alicubi poſſem videri. Sed neque fuit ullâ ratione neceſſarium, ut præter règulas generales hìc explicatas, ſingulorum locorum Scripturæ particulares demonſtrationes & deductiones darem. Nam præterquam quòd ille labor iviſſet in infinitum, & molem operis per ſe jam ſatis magnam feciſſet intolerabilem, hoc non fuiſſet ſyntheticè, ſed analyticè, uti à Cl. Coccejo in Commentariis factum eſt, res eaſdem tractare. Ne jam dicam, quòd ipſe Cl. Coccejus in ſpecimine aliquo Syntheſeos, quod exhibuit in συγχρονισμοῖς Prophetiarum Moſis & Danielis, quem videre eſt in Præfatione Commentarii in Danielem, dum eodem modo, atque in hoc Opere à nobis factum eſt, breviter tantùm perſtringit loca Scripturæ, quæ adducit, nullâ additâ peculiari ratione, quâ demonſtret, hunc ſenſum illorum locorum eſſe oportere, ſatis oſtenderit, quam rationem cenſuerit in hoc genere à nobis eſſe conſtituendam.

§. 189. Nec tamen id ita factum, ut non & paſſim, quo demonſtratio illuſtrior ac plenior eſſet, vel ad connexionem faciendam inter antecedentia & conſequentia, ut cohærens & rebus & verbis inſtitutio eſſet, addiderim ea, quæ ad eum effectum idonea viderentur. Quæ ſi non omnia æque plana aut exculta appareant, ſi quid ruditatis in ſtylo fuerit relictum, id tum multitudini rerum comprehendendarum, tum exiguitati temporis quâ fui excluſus, Lectores juſti & æqui facile condonabunt.

§. 190. Non etiam putavi me in eas anguſtias eſſe redactum, ut non licuerit mihi, quæ indefinita Cl. Coccejus reliquiſſet, vel de quibus dubitâſſet, in his ſtatuere id, quod ex hiſtoriâ aut rerum ordine probabiliſſimum videtur. Talia ſunt, quæ poſui de initio & fine LXX annorum Capt. Bab. ad Per. IV. Art. LI. & Per. V. Art. XXI. De initio & fine ſeptimanarum ſexaginta duarum, ad Per. V. Art. XLIV. & Per. VI. Art. V. De tempore atque occaſione rerum memoratarum Per. IV. Art. LXX. LXXI. LXXII. (Ad quem Articulum Prophetias Jeremiæ 43: 10. 11. 12. 13. 44: 30. Ezech. 29: verſ.

verſ. I — 12. æque ac cæteras hìc appoſitas non dubitamus referre.) LXXIII. & LXXVI. item Per. V. Art. XXI. Ad quem ſimiliter puto Prophetias Eſaiæ cap. 15:7. Ezech. 25:9. 10. Jerem. 48:28. eſſe referendas. Et de Art. XCIX.

§. 191. Quin etiam eſt, ubi in circumſtantiâ aliquâ hiſtoriæ deſignandâ, quæ tamen ipſam rem vel ordinem hiſtoriæ aut Prophetiæ nullatenus turbat, à ſententiâ verborum Cl. Cocceji palàm diſſentio. Vid. ad Per. V. Art. 102. 103. & 104. Non enim primò ibi dico quòd ſub ſpecie reducendi Ptol. Phyſconis Antiochus Epiphanes invaſerit Ægyptum, ut legitur in Comment. Cl. Cocceji ad Dan. 11:25. ſed belli cauſam facio, quòd Ptol. Philometor Cœleſyriam repeteret. Philometor enim cum Cœleſyriam majoribus ſuis ſemper paruiſſe intelligeret, eam ab Antiocho Epiphane per legatos repetiit, ſuaſu Eulæi nutritii, ac Lenæi ducis; qui tum, rege admodum puero, poſt mortem Cleopatræ, cuncta adminiſtrabant. Ei cùm ab Antiocho minimè redderetur, ingentem belli apparatum Ptolemæus facere inſtituit, quo eam recuperaret. Diod. Siculus, Legat. 18. & apud Suidam in Ἀμφισβητῶ. Antiochus cum Ptolemæum videret ſeſe ad bellum accingere, Meliagrum legatum Romam miſit, qui Senatui referret, bellum ſibi præter fas, à Ptolemæo inferri, interim ipſe celeriter conjunctis copiis, cum duces Ptolemæi ſegniter agerent, & in Syriam irrumpere cunctarentur, ultro illis obviam proceſſit. Vid. Valeſ. ad Exc. Peir. p. 49. Poſtea, ut oſtendo Art. 104. quum profligatis inter montem Caſſium & Peluſium Ægyptiorum copiis, Philometor veniſſet in manus Antiochi, & Alexandrini fratrem ejus Phyſconem regem feciſſent, Antiochus Alexandrinis & Phyſconi bellum intulit ſub ſpecie reducendi non Phyſconis, ſed Philometoris. Hæc ergo mutanda fuerunt. Neque enim committendum putavi, ut qui forte ſummi Viri error calami fuiſſet, vel lapſus memoriæ, is veræ ſententiæ, quòd Ipſe noluiſſet, diſſimulatione noſtrâ obeſſet.

§. 192. Cæterùm ut quod dixi de ordine partium Prophetici ſermonis ordini rerum geſtarum ubique congruente, deque accuratiſſimâ omnium Prophetiarum paralleliâ, & quouſque in hoc Opere ſint demonſtrata ipſarum implementa, quid demonſtrandum reſtet, & à quo capite ſit ducendum hoc novi Operis exordium, de eo quoque in anteceſſum nobis conſtet, notatis tantùm per ſigna capitum & verſiculorum partibus ac ſedibus Prophetiarum, primò quidem Periochas omnes tam Univerſales quàm Particulares, deinde quæ partes quibus quæque temporum menſuris ſive Pericopis reſpondeant, deſignemus, ut factâ earum comparatione, & notato ordine ac ſucceſſione ipſorum verſiculorum in unaquâque pericopâ, tum ordinem partium, ſive pericoparum, tum omnium paralleliam, quæ ad eandem

Peri-

Pericopam pertinent, in breviſſimâ quaſi tabellâ pariter atque inſimul cognoſcamus.

§. 193. Periochas itaque univerſales, & omnes temporum differentias à temporibus Prophetarum, uſque ad finem ordine deſcribentes exhibent hæc loca: Levit. c. 26. Num. 24: 17. Num. 24: 18. 19. & 23. 24. Deut. 30: 1 -- 9. Deut. cap. 32. Deut. cap. 33. Pſ. 14. Eſai. cap. 1. Eſ. 2: 10. ad f. Eſai. 10: 7. & ſeqq. uſque ad cap. 13. Eſai. 13. 14: 1 -- 27. Eſ. cap. 17. 18: 1 -- 7. Eſ. 21: 11 -- 17. Eſ. 52: 2. & ſeqq. uſque ad c. 61. Jer. cap. 2. 3. Jer. 16: 13. & ſeqq. Jer. 30: 18. & ſeqq. uſque ad cap. 32. Jer. c. 49. Jer. 50: 17. & ſeqq. uſque ad cap. 52. Thren. cap. 1. & ſeqq. uſque ad finem libri. Ezech. cap. 16. Ezech. cap. 20. Ezech. 12: 1 -- 22. Ezech. 21: 23. ad f. Ezech. cap. 34. Ezech. cap. 36. Ezech. c. 37. Dan. cap. 2: 28. & ſeqq. ad f. Dan. c. 10: 11. 12. Hoſ. c. 1. 2. Hoſ. c. 7 — 10. Joel. cap. 1. 2. 3. Am. cap. 1 — 9. Mich. cap. 1. 2. Mich. c. 3. 4: 1 — 7. Mich. 4: 8. & ſeqq. uſque ad c. 6. Mich. c. 6. 7. Hab. c. 1. 2. Zeph. cap. 1. 2. 3. Hagg. 2: 4 -- 8. Hagg. 2: 22. 23. Zach. c. 2. Zach. c. 3. Zach. cap. 4. Zach. cap. 12. 13. 14.

Particulares uſque ad Chriſtum, vel etiam conjunctum judicium Judæorum Gen. 3: 14. 15. Gen. 5: 1. Gen. 6: 6. Gen. 9: 26 — 28. Gen. 12: 2. 3. Gen. 12: 7. Gen. 13: 14 — 17. Gen. 15: 4. 5. Geneſ. 15: 13 — 16. & 18 -- 21. Gen. 16: 10 — 12. Gen. 17: 2 — 8. Gen. 17: 16. Gen 17: 19 -- 21. Geneſ. 22: 16. 17. 18. Gen. 25: 23. Gen. 26: 2 — 4. Gen 26: 24. Gen. 27: 27 — 29. & 40. 41. Gen. 28: 3. 4. Gen. 28: 13. 14. 15. & Gen. 31: 3. Gen. 35: 9 — 12. Gen. 46: 3. 4. Gen. 48: 4. Gen. 48: 15. 16. 19. 20. Gen. 49: 1 — 10. item 11 — 27. 2 Sam. 7: 8 — 16. 2 Sam. 23: 1 — 7. Pſal. 7. Pſ. 30. Pſal. 38. Pſal. 51. Pſ. 52: Pſal. 53. Pſal. 54. Pſ. 56. Pſal. 57. Pſal. 58. Pſal. 59. Pſal. 60. Pſal. 79. Pſal. 80. Pſal. 83. Pſal. 84. Pſal. 89: 20 — 52. Pſ. 132. Pſal. 134. Pſal. 137. Pſal. 142. Pſal. 143. Eſ. cap. 5. Eſ. cap. 7. 8: 1 — 8. Eſ. cap. 8: 9. & ſeqq. uſque ad c. 9. v. 7. Eſ. 9: 7. & ſeqq. uſque ad c. 10. verſum 5. Eſ. 14: 28 — 32. Eſ. cap. 15. 16. Eſ. 21: 2 — 9. Eſ. cap. 28. Eſ. cap. 44: 24. & ſeqq. uſque ad cap. 46. Jer. 12. 14. ad f. Jer. 22: 11. & ſeqq. uſque ad cap. 24. Jer. 24: 1 — 7. Jer. 30: 5 — 9. Jer. 32: 3. 4. 5. & 27 -- 40. Jer. 33: 2 -- 9. Jer. 33: 10. ad f. Jer. 46: 18 -- 28. Jer. cap. 48. Ezech. c. 1. 2. 3. Ezech. cap. 4. 5. 6. Ezech. c. 7. Ezech. c. 9. Ez. c. 11. 15 -- 23. Ez. cap. 12. Ezech. c. 13. Ez. c. 15: 4 -- 8. Ezech. c. 17. Ez. cap. 18. Ez. cap. 22. Ez. cap. 23. Dan. cap. 8. Dan. cap. 9: 25 -- 27. Nah. 1: 1 -- 11. Nah. 1: 12. & ſeqq. uſque ad finem libri. Hagg. c. 1. Zach. 1: 8 -- 15. Zach. cap. 6. Zach. cap. 7. 8. Mal. cap. 1 -- 4. Et in re præſenti Joh. cap. 1: 1 -- 18. Vid. ad initium Evang. Joh. §. 113. A Chriſto, & deinceps uſque ad conſummationem ſœculi: Pſal. 1. Pſal. 2. Pſal. 3. Pſal. 4. Pſal. 5. Pſal. 6. Pſal. 8. Pſal. 9. Pſal. 10. Pſal. 11.

Pſal. 11. Pſal. 12. Pſ. 13. Pſal. 15. Pſal. 16. Pſal. 17. Pſal. 18. Pſal. 19. Pſ. 20. Pſal. 21. Pſal. 22. Pſal. 23. Pſ. 24. Pſ. 25. Pſal. 26. Pſ. 27. 28. Pſal. 29. Pſ. 31. Pſ. 32. Pſal. 33. Pſal. 34. Pſal. 35. Pſal. 36. Pſ. 37. Pſal. 39. Pſal. 40. Pſal. 41. Pſal. 42. 43. Pſ. 44. Pſ. 45. Pſ. 46. Pſ. 47. Pſ. 48. Pſ. 49. Pſ. 50. Pſal. 52. Pſal. 53. Pſal. 54. Pſal. 55. Pſal. 56. Pſal. 58. Pſal. 59. Pſal. 61. Pſal. 62. Pſal. 63. Pſal. 64. Pſal. 65. 66. Pſal. 67. Pſal. 68. Pſal. 69. Pſal. 70. Pſal. 71. Pſal. 72. Pſal. 73. Pſal. 74. Pſal. 75. Pſal. 76. Pſal. 77. Pſal. 78. Pſal 81. Pſal. 82. Pſ. 84. Pſalm. 85. Pſal. 86. Pſal. 87. Pſal. 88. Pſal. 89: 2 — 19. Pſal. 90. Pſalm. 91. Pſal. 92. Pſal. 93. Pſal. 94. Pſ. 95. Pſal. 96. Pſal. 97. Pſal. 98. Pſal. 99. Pſal. 100. Pſ. 101. Pſ. 102. Pſ. 103. Pſ. 104. Pſ. 105. Pſ. 106. Pſ. 107. 108. Pſal. 109. Pſal. 110. Pſal. 111. Pſal. 112. Pſal. 113. Pſal. 114. Pſal. 115. Pſ. 116. Pſal. 117. Pſal. 118. Pſal. 119. per totum & in ſingulis Ogdoadibus. Pſalm. 120. Pſal. 121. Pſal. 122. Pſal. 123. Pſal. 124. Pſal. 125. Pſal. 126. Pſal. 127. Pſal. 128. Pſal. 129. Pſal. 130. Pſal. 131. Pſal. 133. Pſal. 135. Pſalm. 136. Pſal. 138. Pſal. 139. Pſal. 140. Pſal. 141. Pſalm. 143. Pſalm. 144. Pſal. 145. Pſalm. 146. Pſal. 148. Pſal. 149. Pſal. 150. Cant. cap. 1 — 8. Eſaiæ cap. 1. verſ. 1 — 9. Eſai. cap. 3. 4: 1 — 4. Eſai. 4: 5. 6. Eſai. cap. 6. Eſai. cap. 19. Eſai. cap. 23. Eſai. cap. 24. Eſai. cap. 25. Eſai. 26: 1 — 7. Eſai. 26: 8 — 14. Eſai. cap. 26: 15. & ſeqq. uſque ad cap. 28. Eſai. 32: 9 — 20. Eſai. cap. 34. 35. Eſ. c. 40. 41. Eſ. c. 42. 43: 1 — 23. Eſai. cap. 46. Eſ. cap. 48. Eſ. c. 49. Eſ. cap. 50. 51. 52: 1. Eſ. cap. 61. Eſ. c. 62. Eſ. c. 63. 64. 65. Eſ. cap. 66. Ez. c. 10. Ez. 11: 1 — 14. Ez. c. 38. Ez. cap. 39. Ez. cap. 40. & ſeqq. ad finem libri. Hoſ. cap. 3. Hoſ. cap. 4. Hoſ. cap. 5. 6. Hoſ. cap. 11. Hoſ. cap. 12. 13. 14. Obad. cap. 1. Hab. cap. 3. Zach. cap. 5. Zach. cap. 9. 10. Zach. cap. 11. Matth. cap. 13. Matth. cap. 24. Matth. cap. 25. Rom. cap. 11. 2 Theſſ. 2: 3 — 12. Apocalyp. cap. 2. 3. Apoc. cap. 4 — 8: 1. Apoc. 8: 2. & ſeqq. 9. 10. 11: 15 — 19. Apoc. cap. 11: 1 — 13. Apoc. cap. 12. 13. 14. item cap. 15. 16. & cap. 17. 18. 19. Apoc. cap. 20. Apoc. c. 21. 22.

§. 194. Ex his Periochis à condito mundo uſque ad ſœculum eorum qui poſt Moſen prophetarunt, (nam quæ ex præteriti temporis hiſtoriâ ſequentes Prophetæ repetiverunt, hîc nihil attinet recenſere) hæc ſunt fere quæ implementa habuerunt.

Ex Geneſi: Gen. 3: 14. 15. p. pr. & 16 — 19. 5: 1. 6: 6. 9: 26. 27. 28. 12: 2. 3. p. pr. 12: 7. 13: 14 — 17. 15: 4. 5. 15: 13: — 16. & 18 — 21. 16: 10 — 12. 17: 2. 4 — 8. p. pr. 17: 16. 17: 19 — 21. 22: 16. 17. 25: 23. 26: 2 — 4. p. pr. 26: 24. 27: 27 — 29. 27: 40. 41. 28: 3. 4. 28: 13. 14. p. pr. 15. 31: 3. 35: 11. 12. 46: 3. 4. 48: 4. 48: 15. 16. 19. 20. 49: 1 — 10. p. pr & 11 — 27. p. pr.

Ex Levitico: Lev. 26: 1 — 26.

Ex Numeris: Num. 23: 8. 9. 10. 24: 5 — 9 24: 17. item 20. 21.

Ex Deuteronomio, ſ. ultimis Moſis: Deut. 30: 1. pr. 31: 3 — 8. 20. & 16. 18. 20. 21. 27. 29. 32: 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15, 33: 2 — 5.

Ex Samuele: 2 Sam. 7: 8 — 15. 23: 5.

Ex Pſalmis: Pſ. 80: 1. 2. 83. 84. 87: 1. 2. 89: 20 — 33. 132: 11 — 15.

§. 195. Deinceps à ſœculo Prophetarum, cujus initium Vid. inf. Per. IV. Artic. XIV. uſque ad Capt. Bab. hæc inveniuntur. Ex Geneſi: Geneſ. 49: 10. p. pr.

Ex Levitico: Lev. 26: 27 — 39.

Ex Numeris: Num. 24: 22.

Ex Ultimis Moſis: Deut. 29: 18. 19. 20. 30: 1. pr. 31: 17. 18. 21. 29.

Ex Samuele: 2 Sam. 7: 15. 23: 5.

Ex Pſalmis: Pſ. 51: 20. 79: 1 — 5. 80: 3 — 14. 89: 33. & 38 — 46. 106: 43. coll. v. 46. 129: 1. 2.

Ex Eſaiâ: Eſ. 1: 7. 8. 9. 24. 25. 2: 10 — 12. 7: 8. 9. 16 — 25. & 8: 1 — 4. 7. 8. (2.) 9. 9: 7 — 20. 10: 7 — 15. 16. 17. 18. 27 — 33. 13: 2 — 16. 14: 29. 15: 1 — 6. & 16: 1. 2. cap. 17. 18: 1. 2. 4. 5. 6. 20: 3 — 6. & 21: 1. 21: 2. (2.) 21: 3. 22: 1 — 14. & 15 — 25. 28: 1 — 4. cap. 36. 37. 39: 6 — 8. 44: 4 — 28.

Ex Jeremiâ: Jer. 1: 13. 14. 15. 2: 16. 18. 25. 36. 37. 4: 5 — 11. cap. 5. 6. 7. 8. 9: 1 — 23. 10: 17 — 22. cap. 11. 12: 1 — 13. 12: 14. cap. 13. 14. 15. 16: 1 — 12. 16: 13. cap. 18. 20. 21. 22: 5. 6. 7. 22: 10. 11. 12. 18. 19. 24: 1. 2. 3. coll. 8. 9. 10. 25: 1 — 11. 15. 16. 17 — 26. & à v. 34. ad f. c. 26. 27: 1 — 4. 8. 11. 28: 16. 17. 30: 5. 6. 7. 30: 12 — 15. 32: — 3. 4. 5. 24. 28 — 36. 33: 2. 4. 33: 24. c. 34. 35. 36. 37. 38. 42: 15 — 18. 22. 44: 12. 13. 14. 27. 28. 29. 43: 10 — 13. 44: 30. 46: 1 — 26. & v. 28. cap. 47. 48: 1 — 27. 49: 1. 2. 50: 17. Thren. c. 1. c. 2. ad v. 18. & v. 22. 3: 1 — 18. 4: 16. 20. 21.

Ex Ezechiele: Ez. 1: 4. cap. 4. & 5: 2. coll. 12. 7: 1 — 11. cap. 8. 9: 1. 2. 11: 15. 12: 1 — 15. add. 17 — 20. & 21 — 28. 14: 11. ad. f. & 15: 1 — 7. 16: 1 — 37. 17: 1 — 21. 18: 1. 2. cap. 19. 20: 1 — 31. 21: 2. 3. 4. 7 — 10. 21: 23 — 31. 22: 15. 16. 17 — 22. 24 — 31. 23: 22 — 27. 24: 2 — 24. & 25 — 27. c. 26. 27. 28. 29: 1 — 12. & 17 — 20. cap. 30. 31. 32. 33. 34: 2 — 6. 35: 5. 36: 3. 4. 5. & 17 — 20.

Ex

Ex Hoſeâ: Hoſ. 1:4. 5.6.8.9. 7:1.3 — 9. p. pr. 11. & 15.16. 8:9.10. 13. 14.

Ex Joële: Jo. 2:18. & 20. col. 1.

Ex Amoſo: Am. 1:3.4. 5.7. 8. 10. 12. 14. 15. 2:2.3. 2:5. 2:13 — 16. 3:11 — 15. 5:27. 6:7.8. 13. 14. 7:9. 17. 8:1.2.3.8.9:11.

Ex Obadiâ. Ob v. 12.

Ex Michâ: Mich. 1:6 — 9. & porrò ad f. cap. & c. 2:4 10. 3:12. 4:8.9.10. coll. 6:9.

Ex Nahumo: Nah. 1:2. 13.14. 2:1.3.6.7.8. 2:9. ad f. & 3:5.6.7. 3:4. 8 — 11.

Ex Habaccuco: Hab. 1:5.6.9.

Ex Zephania: Zeph. 1:4. ad f. 2:8. 10. 12 — 15. 3:3.

Ex Zachariâ: Zach. 2:1 — 4.

§. 196. A Captivitate Babylonicâ uſque ad Chriſtum. Ex Geneſi; Gen. 13:16. 15:5. 15:18. 22:17. 25:23. 26:4. 27:28. 29. 27:41. 28:14. 49:10.

Ex Levitico: Lev. 26:40.

Ex Numeris: Num. 24:18. item 23. 24.

Ex Ultimis Moſis: Deut. 30:1 — 5. 32:15.

Ex Pſalmis: Pſal. 51:20. 74:1 — 7.8. 79:5. ad f. 80:15. ad f. 89:47 — 52. 92:8. 106:44.45.46. 126:1. 129:1.2. 132:13 — 16. 137. 147: 1 — 11. & 13. 14.

Ex Cantico: Cant. 1:2.

Ex Eſaiâ: Eſ. 1:25. 26. 2:6 — 9. (2.) 2:12. 7:25. 8:9. 10. & 9:2. 10:1.2. (2.) 18. 19. 22. 24. 25. 26. 27. 13:17 — 22. 14:1. 14:29. 30. 31. 15: 5 — 9. 16:3.4. & 7.8. 18:7. 21:2. (2.) 3. (3.) 4. 5 — 8. 9. (4.) 11. 26:15. 28:5 — 8. 29:1. 40:1. 2. 4. 44:24 — 28. 45:1 — 7. 46:1 — 4. 48:20. & 9. 10. 11. 52:2 — 5.

Ex Jeremia, Jerem. 3:12 — 16. 4:27. & 5:10. 18. 9:24. 25. 10:10. & 1 — 16. 12:15. 16:13. 15. 16. 21. 22:22. 23. 23:3.4. 24:1 — 7. 25: 12. 14. 26. 27:7. 22. c. 29. 30:2.3.7.8. 30:10. 11. 16. 17. (2.) 30: 18. 19. 20. 32:6 — 15. add. verſ. 25. 26. 27. & 36. 37. item 41 — 44. 33:5. 6. (2.) 10 — 13. (3.) 26. 46:27. 28. 49:1. 50:18. 19.

Thren. 2:18 — 21. 3:21 — 50.

Ex Ezechiele; Ezech. 1:4. 5:3. 7:4.7.12. nominatim verſ. 22. 11:15—18. 12:16. 13:2—9. 13:17—23. 14:1—6. 15:7. 16:43. 20:32. 33:34.35. & add. verſ. 41. 21:3.4.9.10.12.15.16. 21:32. 22:15.16.22. 23:27.37—44. 24:24. c. 25. 29:13—16. 29:21. 30:13. 34:7—13. 35:11. 36:5—15. 36:24. 37:1—14. & 15—22.

Ex Daniele: Dan. 2:32.33. & 38—40. 8:3—14. 18. 19. & 20—26. 9:24.25. 10:1.13.20.21. & 11:1. & porrò 11:2—32.

Ex Hoſeâ: Hoſ. 1:7. 2:1.2.7. 9:1.3.10. ſ.

Ex Joële: Jo. 2:18—22.

Ex Amoſo: Am. 1:2.7.8.10.12.14.15. 2:2.3.7. 9.8:8.9.11.

Ex Obadiâ: Ob. verſ. 12.

Ex Michâ: Mich. 2:5. & 12.13. 4:1.10.11—14. 6:9.

Ex Nahumo: Nah. 2:1.2.3.

Ex Habaccuco: Hab. 1:12. 2:1.2.3. 3:2.6.

Ex Zephaniâ: Zeph. 2:3.4.10. 3:6.8.

Ex Haggæo: Hagg. 1:2—11.14. 2:4.5.6.19.22.

Ex Zachariâ: Zach. 1:2.5.6.8.10.11.12.16.17. 2:1—4. 8—14. 3:1—8. 4:7.9.10. 6:6.7.8. 7:3.5—15. 8:4.5.19. 9:3—8.10. 11:6.7. p. poſt. 12:2—6.

Ex Malachiâ: Mal. 1:2.3.4. 2:11.

Ex Apocalypſi: Apoc. 12:1.2.3.

§. 197. A Nativitate Chriſti uſque ad ejus aſcenſionem in cœlum & initium regni Dei ſub N. T.

Ex Geneſi: Gen. 3:15. p. poſt. 5:1. 9:26.27. 12:3. 17:7. p. poſt. & 8. p. poſt. 22:18. 25:23. 27:29. 28:14. 49:10.

Ex Levitico: Lev. 26:41.42.

Ex Numeris: Num. 24:17.19.

Ex Deuteronomio & Ultimis Moſis: Deut. 18:15.18.19. 30:6. 32:5.15. 33:3.

Ex Samuele; 2 Sam. 7:12—16. 2:3.4.5.

Ex Pſalmis: Pſalm. 2:1—4. Pſ. 3. 4:2.6:2—8. & 9.10. 7:2—10. 8:2.3. 14:2.3. & 4.5. 16:3.9.10.11. & vid. totus Pſalmus 18:2.3. col. 1. (2.) 4.5.6.7. (3.) 17. (4.) 21—27. (5.) 28. (6.) 33. (7.) 40. (8.) 44. (9.) 48. col. 1.

48. col. 1. 20: 2 — 5. & 6. 7. (2.) 8. 9. 22: 2 — 22. & 23. col. 1. 25. 27. 23: 1. 2. 27: 1. 29: 1. 2. 3. 31: 2. 33: 5. 10. 36: 6 — 10. Pſ. 38. 40: 2 — 5. 6 — 9. 41: 5 — 13. 44: 8. 9. 45: 3. 4. 5. 7. 8. 9. 47: 6. 50: 2. & 7 — 23. 51: 20. 21. 57: 6. 65: 2 — 7. 67: 2. 3. 68: 8. 9. 10. 12. & verſ. 19. 21. 69: 2 — 22. & 30 — 34. & 36. p. pr. 71: 1. (2.) 5. 6. 7. 72: 1. 2. 3. 74: 2. 12. 75: 2 — 5. 76: 2. 3. 4. 80: 4. 8. 15. 16. p. pr. 20. 81: 4. & 17. 82: 1 — 4. 5. 85: 2. col. 1. 86: 13. 87: 2. 3. 88. 89: 2 — 7. 9. 15. (2.) 29. 30. 34 — 38. 50. 53. 91: 1. 2. 3. 4. 5. (2.) 9. 10. (3.) 14. 92: 2. (2.) 5. 6. (3.) 13. 93: 1. 2. 94: 1. 95: 1. 2. 96: 1 — 4. 97: 1. p. pr. 2. col. 2. 99: 1. 100: 1. 2. 5. 101. 102: 17. col. 2. 103: 1 — 4. (2.) 10. 11. 104: 1. 31. 34. 105: 1. 107: 1. 2. 109: 1. 2. 5. 6. & 16 — 19. 21 — 27. 31. 110: 1. 111: 1. 2. 3. 112: 1 — 4. 113: 1. 2. & 4. 5. 6. 114: 1 — 7. 115: 1. 2. 3. 116: 1. 2. 117: 2. 118: 1 — 4. & 5. 6. 119: 1. 2. (2.) 9. (3.) 17. 18. (4.) 25. 26. (5.) 33. (6.) 41. (7.) 49. (8.) 57. (9.) 65. (10.) 73. 74. (11.) 81. (12.) 89. (13.) 97. (14.) 105. (15.) 113. 114. (16.) 121. (17.) 129. (18.) 137. 138. (19.) 145. (20.) 153. (21.) 161. (22.) 169. 120: 1. 123: 1. 126: 1. 2. 127: 2. 3. 129: 1. 2. 131: 1. 132: 16. 17. 134: 1. 2. 3. 135: 4. 136: 1. & ſeqq. col. 2. 138: 2. 143: 1 — 8. 144: 3. 4. 5. 145: 1 — 4. 146: 1 — 6. 147: 12. 148. 149: 1 — 4.

Ex Cantico: Cant. 1: 3. 4. 2: 3. 8. 9.

Ex Eſaiâ: Eſai. 1: 26. 27. 2: 1. 3: 8. p. poſt. 9. 4: 5. 5: 1 — 7. 6: 1 — 3. 7: 8. 10. 14. 15. 8: 13. 14. 15. 17 — 23. & 9: 1 — 6. 10: 3. (2.) 10: 20. 21. 22. 27. 11: 1 — 4. p. pr. 14: 1. (2.) 32. 16: 5. 18: 7. 21: 4. (2.) 9. (3.) 12. 26: 1. (2.) 8. 9. (3.) 15. 28: 9. 10. 12. & v. 16. 40: 3 — 8. 42: 1 — 7. 10. 16. 19. 20. 21. 45: 8 — 13. & 15 — 19. 23. 24. 46: 3. 4. 48: 1 — 19. (2.) 20. 21. 49: 1. 2. 50: 1 — 9. 52: 3. 5. 6. & exc. 53: 2 — 12. 61: 1. 2. 3. 63: 1. 2 — 9. 66: 1 — 4. (2.) 7.

Ex Jeremiâ: Jer. 3: 15. 16. 17. & add. v. 19. 12: 16. 17. 16: 16. 21. 17: 12. 13. 23: 4 — 8. & v. 10. 11. 17. 18. 22. 23. 27. 28. 29. 30. 33. 36. 37. 39. 30: 8. 9. 10. 17. (2.) 21. 22. ex cap. 31: 11. 15. 16. 22. 26. 32: 38. 39. 40. 33: 3. 6. 8. (2.) 14 — 18. 20. 21. 46: 27. 28. 48: 29 — 32. 36. 42. 49: 14. 50: 20. & 21. Thren. 3: 50. & 4: 22.

Ex Ezechiele: Ezech. 1: 4. & 5 — 25. & 26 — 28. 5: 4. & ex cap. 6. v. 9. 9: 3. 10: 3. 4. 11: 19. 20. & 22. 23. 13: 5. 14: 6. 7. 16: 38. 43. 59. & 44 — 51. 52. 17: 22. 18: 3 — 30. 20: 35 — 37. & 40. 41. 21: 15. 18. (2.) 32. & add. 33. 34. 23: 37. 38. 39. 29: 31. 34: 7 — 11. & 13 — 16. 34: 22 — 25. 35: 5. 6. 10. 12. 13. 15. 36: 21 — 23. (2.) 25 — 27. 37: 22 — 24. 26. 27.

Ex Daniele: Dan. 2: 34. 35. 44. 45. 8: 17. 19. 9: 25. 26. 11: 33.

Ex Hoſeâ: Hoſ. 2: 1. 2. 9: 7. 11: 1.

Ex Joële: Jo. 2: 23 — 27.

Ex Amoſo: Am. 1: 2. 5: 18. 20. 8: 9. 9: 11. 12.

Ex Obadiâ: Ob. verſ. 1. 2.

Ex Jonâ: Jon. 1: 12. 15. 17. 2: 1 — 7. 8. 10. 3: 1. 2.

Ex Michâ: Mich. 1: 2. 3. 2: 13. p. poſt. 4: 1. 2. f. (2.) 8. 13. f. 14. 5: 1. 3. 6: 9 — 16. 7: 1 — 6.

Ex Nahumo: Nah. 1: 7.

Ex Habaccuco: Hab. 2: 3. 4. 8. 3: 2. 3.

Ex Zephaniâ: Zeph. 2: 11. 3: 1 — 8.

Ex Haggæo: Hagg. 1: 8. 2: 7. 9. 23.

Ex Zachariâ: Zach. 1: 17. 2: 14. 3: 8. 9. 4: 9. 6: 12. 13. 14. 8: 3. 9: 8. 9. 11. 11: 4. 5. 7. 12. 13. 12: 7. 8. 10. 13: 7.

Ex Malachiâ: Malac. 1: 12. 13. 14. 2: 8. 11. 3: 2. 4. 3. 5. 7. 16. 17. 18. 4: 2. 5. 6.

Ex Apocalypſi: Apoc. 12: 4. 5. 15: 5. 20: 1.

§. 198. Hæc Summa eſt locorum, ex quibus omnibus & ſolis præſens opus eſt conflatum. Horum intuitu & comparatione locorum quæ veterum vaticinia ad Novum Teſtamentum ſint referenda, facile eluceſcet: & quomodo hæc loca non tantùm in Pericopas ſive ordines majores, ſed etiam in Articulos ſint diſtributa, ſuus cuique in ipſo operis contextu aſſignatus locus declarabit. Et certus ſum, nullum ex iis eſſe omiſſum præter paucula quædam, quorum ex iis, quæ tanquam præterita à Prophetis narrantur, infrà ponuntur in Erratis; ex ipſis Propheticis jam occurrit Gen. cap. 49. quod ferè totum referatur ad Per. III. Art. 1x. & Lev. 26. cujus partes, & ſi quæ aliæ, quas tamen extra loca quædam Geneſeos non facilè reperies, ex hoc Indiculo facilè ſedibus ſuis reddi atque inſeri poſſunt: Ut ita omnibus partibus Prophetiæ, quæ quidem de rebus agunt Veteris Teſtamenti, in hoc opere ita compoſitis atque ordinatis, ut vix ulla ſit omiſſa, pleniſſimam in eo exhibeamus rerum uſque ad Chriſtum & in ipſius adventu gerendarum Propheticam inſtitutionem; quæ nulla talis eſt, niſi quæ univerſali totius concilii Prophetici ſuffragio ſit ſubnixa, quæque omnium Virorum Dei ſit uniformis & in omnibus partibus concordans ſententia, concentus & perfectiſſima harmonia.

§. 199. Hâc

§. 199. Hâc verò datâ pleniſſimâ inſtitutione ac demonſtratione Prophetiarum, tum omnem uſum habent, ad quem à Spiritu S. ſunt inſtitutæ, tum etiam ex iis æquè, ac ex aliis partibus Scripturæ, ceu certis ſententiis ac definitionibus divinitùs factis, licet argumentari. Ante eam verò id eſt minùs tutum. Sic non ſequitur, Eccleſia eſt diffundenda per totum mundum; Ergo fieri non potuit, ut maximus numerus eſſet hypocritarum & errantium in multis doctrinæ capitibus. Quando enim ex prædictionibus divinis volumus argumentari, debemus omnes de eodem ſubjecto prædictiones conjungere: non facere, ut Judæi, qui obſervarant prædictionem de Chriſti regno & vitâ æternâ, non volebant autem agnoſcere eas de ipſius ſervitute & morte: obſervarant eas de felicitate Iſraëlis, de Hieroſolymæ & templi illuſtratione, non autem de carnalis Iſraëlis rejectione & urbis ac templi deſolatione, & ſimiles.

§. 200. Sed finis tandem eſto præfandi, ubi id unicum ad poſtremum monuero, me de his omnibus, quæ hactenùs propoſui, & quæ deinceps in toto Opere tractabuntur, an ſatis debeant videri demonſtrata, quum non ut mea, ſed ut aliena inventa hîc proponantur, aliorum, quàm meum judicium eſſe malle; quos id ultimò velim mecum perpendant, quòd ſi etiam voces omnes & ſententiæ Propheticæ per ſe nihil, ne generaliter quidem ac indefinitè, ſignificarent, ſed ab arbitrio Interpretis ſignificatio ipſarum omnis, etiam indefinita, penderet, eâdem ratione, quâ in vocibus arte factis, quæ plerumque ſi non novæ, ſaltem à notâ vulgo ſignificatione abludunt, id fieri ſolet, impoſſibile tamen videretur, ut omnium & ſingularum in tanto numero excogitatæ eſſent aptæ notiones ad talia opera in eodem ordine, quo ſibi ſuccedunt in unaquâque Pericopâ, ſignificandum, & notiones excogitatæ non eſſent veræ. Quemadmodùm enim in Philoſophiâ etiam fictæ & ad arbitratum excogitatæ ac ſuppoſitæ rerum cauſæ per earum effecta, ſi hæc omnia nullo excepto per eas clarè explicentur, probantur eſſe veræ; ita ſi etiam concedamus, notiones oraculorum generales, per quas ſaltem aptæ ſunt ad talia vel talia opera in tali vel tali ordine ſignificandum, & quas ex ipſo ſacro textu, antequam hiſtoriam admoveamus, vel etiam de eâ cogitemus, docuimus ſuprà eſſe determinandas, non eſſe veras aut genuinas, ſed ad modum fictarum cauſarum atque hypotheſium excogitatas, ſi tamen in hiſtoriâ ſubjecti, ſaltem univerſalis, quod fuerit aſſumtum, continenti ordine inveniantur illuſtria eventa, quæ vim ac ſignificationem earum omnem ſic excogitatam accuratè expleant, quis dubitabit, quin per hæc ipſa rerum documenta in iiſdem luculentia locis, eodemque ordine, quo prædicta, veritas earum nationum demonſtretur? Et ſi veritas, etiam Divinitas. Ut hîc concludere nobis liceat, quòd ſi de Divinitate S. litera-

rum

rum aliunde non conſtaret, nec certum eſſet, à quibus auctoribus ſint libri earum conſcripti, quo tempore & à quibus digeſti, & in eum, quem videmus, canonem relati, ſi, inquam, tota S. Scriptura eſſet liber aliquis nullo certo auctore, & origine, & caſu tantum ac fortuitò nobis oblatus, dummodo tamen conſtaret, eſſe ſatis antiquum & editum ſaltem ante vel circa tempora Eſræ, vel etiam, ſi placuerit, Maccabæorum, non poſſet tamen non ex editis in eo oraculis, & conſecutis eodem ordine implementis, quæ in hoc etiam Opere poſt illa tempora ſatis multa ſunt demonſtrata, omniumque admirando conſenſu & harmoniâ, tanquam à poſteriori, Divinitas ipſarum deprehendi, etiamſi non niſi ad certas hypotheſes efficta ac determinata ipſorum ſignificatio fuiſſet.

THEO-

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ

De rebus Veteris Teſtamenti

PERIODUS PRIMA.

De rebus geſtis à Condito Mundo uſque ad vocationem Abrahami, & notificationem utriuſque Teſtamenti.

ARTICULUS I.

DEus T.O.M. quum ab æterno decreviſſet regnum gratiæ, quæ eſt in Chriſto, in Homine manifeſtare, in principio creavit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc velut principium viarum & actionum Dei, quibus ſe nomenque ſuum explicare & patefacere mundo, ad gloriam ſuam in miſericordiâ & judicio voluit, frequenter commemorat Scriptura. Ut quando hinc Mundum hunc aſpectabilem appellat *opus manuum Dei.* Pſ. 19: 2. Et *Jehovam factorem cœli & terræ.* Pſ. 121: 2. 146: 6. *Maris, & omnium quæ in eis ſunt.* Pſ. 146: 6. *Maris & aridæ.* Jon. 1: 9. Ubi neque gentes id opus Dei ignoraſſe, contextus indicat. Quin etiam ut Deo Iſraelis id opus competere declaret, à Diis gentium id removet hoc dicto: *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, peribunt ſub cœlo hoc.* Jerem. 10: 11. Conf. Jon. l. c.

§. 2. In hoc Divino opere explicando ſic verſatur Prophetia, ut tum ordinem tum finem illius diligenter deſcribat; duo capita, quæ ſicut hiſtoriam creationis, à Moſe expoſitam, non parum illuſtrant & confirmant, ita præſenti Articulo quam maximè videntur eſſe accommodata, & id circo digna, quæ hîc plenè recenſeantur.

§. 3. Ordinis itaque, à Deo ſervati in creatione rerum, inſigne exſtat monumentum Pſal. 104. In quo Propheta, manifeſtus reſpexiſſe ad hiſtoriam & τὸ ἑξαήμερον Moſis, opus creationis ita partitur, & exſequitur, ut faciat mentionem productionis 1. Lucis. verſ. 2. *Operiens ſe luce inſtar togæ.* Cui phraſeologiæ notandum eſt etiam involvi mentionem *Cœli ſupremi*, quod ab initio cum Terrâ eſt creatum ante lucem, eſtque domicilium ac ſedes Dei & Angelorum. Significatur enim, Deum hoc ſuum domicilium, in quo eſt glorioſiſſima majeſtatis Dei demonſtratio, hâc luce, quâ oculi noſtri illuminantur, quaſi ſecreviſſe à nobis & involviſſe. *Terræ* quoque in ſuo תהו ובהו obiter eſt mentio vſ. 6. Ut ita hîc habeamus opus primæ diei.

§. 4. 2. Firmamenti, Aridæ, & Maris, quæ ſunt opera diei ſecundæ. ℣ſ. 2. — 12. Ubi vide *a*. Firmamenti expanſionem, verſ. 2. *Extendens cœlum* (totum illud, quod ſupra caput eſt uſque ad firmamentum, in quo ſunt Sol, Luna, Stellæ, idque diſtinctè à cœlo cœlorum, cujus hoc cœlum eſt quaſi ὠϑυρον,) *inſtar cortinæ*. Ut hominem ambeat à vertice ad horizontem, ut cortina tabernaculi.

§. 5. *b*. Firmamenti uſum in ſeparatione aquarum ſuperiorum ab inferioribus: itemque ventorum meteorumque generatione. verſ. 3. 4. *Contabulans aquis* pluviis *cœnacula ſua*: (vel nubes ipſas, unde deſcendit pluvia, vel cœli regionem altiorem, ubi habet domicilium ſuum.) *Ponens nubes vehiculum ſuum*, (per quas gratiam & judicium ſuum, dum vel pluviam dat vel negat, vel grandine, nimbo, fulmine, conſternat & confringit, &c. ubi vult, diſtribuit.) *ambulans ſuper alis venti*. Venti enim nihil efficiunt, niſi quod Deus injungit, & ventis velut advectus efficit. Hæc verſ. 3. *Faciens Angelos ſuos ventos, miniſtros ſuos ignem flammantem*. Ut quod Angeli in cœlo ſunt, id venti & ignis flammans ſint in inferiori hâc regione. Scil. quòd æquali quaſi promtitudine Deo ſerviant. verſ. 4.

§. 6. *c*. Terræ fundationem. verſ. 5. *Qui fundavit terram* (Aridam, ſive partes abyſſi craſſiores coagmentavit, & collocavit) *in ſtatuminibus ſuis*: (in certâ univerſi parte, tanquam ſede.) *ne commoveatur ſæculo & ſempiternitate*.

§. 7. *d*. Aquarum congregationem. verſ. 6. — 9. *Abyſſus*, (Terra in ſuo. תהו, qualis erat ab initio ante Aridæ diſtinctionem.) *tanquam indumentum indueras illam*; (eodem modo, ut lucem paulo ante.) ſupra montes (qui nondum erant) *ſtabant aquæ*. verſ. 6. *Ab increpatione tuâ fugiebant: à voce tonitrui tui præcipites ferebantur*. verſ. 7. (*Aſcendebant montes, deſcendebant valles*) *in locum, quem fundâſti ipſis*. verſ. 8. Efficaci tuo nutu & imperio 1. Aquæ fugiebant in locum ſuum: Et 2. Montes aſcendebant & valles deſcendebant. Atque ita terra ſive Arida fundata eſt. *Terminum poſuiſti* aquis maris, *quem non tranſeant: non revertentur ad operiendam terram*. verſ. 9. Indicatur his poſtremis decretum, quo locus Aridæ & Aquarum in perpetuum definitus eſt.

§. 8. *e*. Aquarum derivationem per Aridæ partes. Ubi obiter fit mentio operis quinti diei, nim. avium, & ſexti, nim. animalium terreſtrium, dùm explicatur finis aquarum derivandarum. verſ. 10. — 12. *Qui mittit rivos per convalles, qui inter montes currunt*. verſ. 10. *Potum dant omnibus animalibus agri. Frangunt onagri ſitim ſuam*. verſ. 11. *Ad eos volucres habitant, ex arbuſtis dant vocem*. verſ. 12.

§. 9. 3. Plantarum, operis tertiæ diei, mediante irrigatione terræ. Ubi rurſus obiter & animalium, & avium & hominis fit mentio. verſ. 13. — 18. *Irrigans montes à cænaculis ſuis. A fructu operum tuorum* humore fœcundo *ſatiabatur terra*. verſ. 13. *Faciens germinare gramen pecudi & herbam ad culturam hominis, educendo panem* (frugem) *ex terrâ*; verſ. 14. *Et vinum*, quod *lætificet cor hominis: ut faciat ſplendere faciem ab oleo: & panis cor hominis fulciat*. verſ. 15. *Satiantur à fructu operum ejus* (ab humore, ad incrementum & vigorem) *arbores Jehovæ*; (h. e. maximæ & robuſtiſſimæ.) *cedri Libani, quas plantavit*. verſ. 16. *Ubi aviculæ nidulantur; ciconia, cujus domus ſunt abietes*. verſ. 17. *Montes celſi* ſatiantur *pro rupicapris, & petræ perfugium cuniculorum*. (vel montanorum murium.) verſ. 18.

§. 10. 4. Syderum, operis quartæ diei. Et hîc mentio animalium & hominis, itemque diei & noctis. verſ. 19. — 23. *Qui fecit Lunam in tempora ſtata, Solem, qui novit occaſum ſuum*. (qui certo ſemper puncto, & nunquam eodem tempore & loco, occidit.) verſ. 19. *Ponis tenebras, & fit nox: quâ ſe commovet omnis fera ſylvæ*;

ſylva; verſ. 20. *Leones juvenes rugientes ad prædam, & ut quærant à Deo cibum ſuum.* verſ. 21. *Exoritur Sol, recipiunt ſe*, (vel recondunt,) *& in luſtris ſuis recubant.* verſ. 22. *Exit homo ad opus ſuum & ad culturam ſuam. uſque ad veſperam.* verſ. 23.

§. 11. 5. Piſcium, operis quintæ diei; &

§. 12. Animalium terreſtrium, ſextæ. verſ. 24. — 26. *Quàm multiplicia ſunt opera tua, ô Jehovah! Omnia in ſapientiâ feciſti.* Gen. 1. dicitur: *Vidit omnia eſſe bona.* Sapientia eſt facere, ut omnia ad finem optimum redigantur: quæ eſt illuſtratio gloriæ Dei. Deinde ut nihil ſit fruſtra: quod ſpectatur in rerum omnium finibus & utilitatibus. Maximè verò, quòd omnia ſint facta propter hominem. *Plena eſt terra productione tuâ.* ſive rebus à te productis, animalibus inprimis. verſ. 24. *Hoc mare illud magnum, & latum ſpatiis, ibi* inquam *reptilia*, ſive animalia ſeſe moventia, *& non eſt numerus. Animalia parva cum magnis.* verſ. 25. *Ibi naves* (hominum hoc) *ambulant, Leviathan*, (ſive *balæna*,) *quem finxiſti ad ludendum in eo* mari. Non impediunt hominem terribilia monſtra marina, quo minus naviget per Oceanum. quippe Deus condidit balænas, non ut imperium teneant in mari, ſed ut ibi ludant. Homini autem dedit imperium in ipſas balænas. verſ. 26.

§. 13. Finem creationis indicat Prophetia duplicem: Unum generalem. nim. Illuſtrationem gloriæ Dei; & alterum ſpecialem. nim. Manifeſtationem gratiæ in Chriſto erga hominem peccatorem exercendæ.

§. 14. Generalem finem indigitat Propheta, Pſal. 19: 2. — 7. Ubi explicans Divinam inſtitutionem per opera Dei, ita canit: *Cœli enarrant gloriam* h. e. præſtantiam, potentiam infinitam, majeſtatem, divitias, *Dei-omnipotentis: & opus manuum ejus indicat expanſum.* Cœlum illud ſtellis fulgentibus aptum, per lucem, quam miniſtrat terris, efficiendo ut videas, quæcunque ſunt in hoc mundo aſpectabili, teſtatur & clamat, illa omnia, quæ homo videt, eſſe Dei maximi Artificis, opera. verſ. 2.* *Dies diei ſcaturiens-effundit dictum; & nox nocti indicat ſcientiam.* Hic ordo, hi certi curſus, hæ temporum vices commodæ hominis actionibus, & quieti, opportunæque naſcentium rerum atque invicem intereuntium fluxui, ſapientiſſimum Auctorem arguunt. verſ. 3.

§. 15. Modus inſtitutionis; *Non eſt dictum*, cum quo definere poſſit inſtitutio, *& non ſunt ſermones.* à rationibus cauſiſque ductæ ſententiæ, quibus obſcuritas poteſt ineſſe, quæque requirunt animum valde attentum; *non auditur vox eorum*, cælorum nempe, quâ nos obtundant. verſ. 4. *In totam terram exivit linea illorum.* Talis eſt inſtitutio cœlorum, ut præceptoris, qui puerum docet literas; delineat nimirum figuras elementorum, eaſque ita jungit, ut vocabula integra inde exſurgant. Atque ita ex omnibus illis lineis, quas cæli radiis ſuis ducunt, tanquam elementis, plurimæ dictiones integræque ſententiæ, quæ, eſſe Deum, eumque Auctorem omnium, meliorem omnibus, æternum, immenſum, ſapientem, clementem, potentem, ex quo, per quem, in quem ſint omnia, teſtantur, & ſic liber ſapientiæ plenus, ſi modò elementa elementis jungere velis, conflatur. Et quidem hæc linea exivit in totam terram; *& in extremum orbis-habitabilis vocabula illorum.* Ut ita ubique locorum Scriptura cælorum cernatur: quandoquidem nullus locus eſt, in quo non inſignia potentiæ & bonitatis Divinæ teſtimonia exſtent. verſ. 5. p. pr.

§. 16. Præcipuum inſtitutionis inſtrumentum: *In quibus Soli poſuit tentorium ſuum.*

ſuum. Non enim cœlum indicaret opus Dei, niſi haberet luminaria; quorum præcipuum eſt Sol, lucis fons & arbiter. *Tentorium Solis* dixit cœlum ipſum, in quo eſt Sol, quia, ut eſt Pſal. 104. hoc cœlum eſt expanſum inſtar cortinæ, & in eo reliqua quidem ſidera inſtar habent familiæ, Sol autem heri, aut patrisfamilias. verſ. 5. p. poſt. Hactenùs inſtitutio cœlorum quoad viſum. Sequitur ea, quæ fit ad tactum, ſi etiam ſint homines, qui oculos claudant, & ſpectare Dei opera nolint.

§. 17. Huic rei commode inſervit Sol, tùm ſplendore ſuo: *Et ipſe eſt ut Sponſus prodiens ex thalamo ſuo.* Ut ſponſus, quando ex thalamo prodit, excepturus ſponſam & introducturus, tùm omni ornatu lotuque & unctu, tùm præ ſummâ lætitiâ diffuſis excitatiſque ſpiritibus nitet ac ſplendet; ita Sol puriſſimâ nitidiſſimâque luce fulget, & totius mundi ornamentis quaſi amicitur, quando ſupra horizontem incipit apparere. Tum perpetuo motu: *Alacris eſt, ut heros, ad decurrendum iter.* Heros non laſſatur. Solis indefeſſus & impræpeditus, minimèque varians, quoad, celeritatem, motus eſt. verſ. 6. Tùm ordinato curſu denique: *A fine cœlorum*, i. e. à Tropico, ſive Cancri ad Auſtrum, ſive Capricorni ad Septentrionem vergente, *exitus illius eſt, & converſio illius*, circa puncta ſolſtitialia, *ad* ſive apud *fines eorum*; Itaque partium anni differentiam efficit. Qui motum diurnum hic intelligi volunt, quo efficitur dies & nox, ii per *fines cœli* intelligunt horizontem. His ſcil. rebus fit, ut *Non ſit, quod occultetur à calore ejus.* & calor vitæ conſervator omnibus ſubminiſtretur. Quod clarius dici argumentum poteſt gloriæ Dei? verſ. 7.

§. 18. Eundem finem quoque intendit pſaltes, Pſal. 104. Ubi opus creationis, ut ſupra viſum, particulatim enarrando, conſiderat, tanquam cauſam ad benedicendum Deo excitantem. Ut apparet ex ipſo procemio iſtius Pſalmi, verſ. 1. *Benedic, anima mea, Jehovæ. Jehovah, Deus mi, magnus es valde .... Operiens ſe luce*, &c. Magnitudinem ſcil. virtutis, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ immenſam, & incomparabilem, ipſis effectis comprobâſti, & manifeſtâſti.

§. 19. Specialem, quem diximus, finem conditi Univerſi, clarè explicat pſalmiſta Pſal. 136: 5. — 9. Ubi Deum, ut dignum laude & confeſſione celebrat hoc nomine. quòd *fecerit cœlum cum prudentiâ, quia in ſæculum gratia ipſius*; verſ. 5. quòd *expanderit terram ſuper aquas, quia in ſæculum eſt gratia ipſius*; verſ. 6. quòd *fecerit luminaria magna, quia in ſæculum eſt gratia ipſius*; verſ. 7. *Solem ad dominium in die, quia in ſeculum eſt gratia ipſius*; verſ. 8. *Lunam & ſtellas ad dominia in nocte, quia in ſæculum gratia ipſius.* verſ. 9. Sine dubio enim, quòd dicit, *Qui fecit cœlum in prudentiâ*, non tantùm ſpectat ad cœli perfectionem, ſed etiam ad Dei ſapientiam, quâ fecit omnia, & ipſum cœlum, ἐν φρονήσει, ut deſtinans ab initio finem operis ſui. Quòd verò ſingulis operibus creatis addatur, *Quia in ſæculum eſt gratia ipſius*, ſignificatur, iſta opera à gratiâ eſſe, & ad eam demonſtrandam facere. Eſt autem *Gratia* amoris gratuiti ad maximum bonum peccatori conferendum enixa & conſtans voluntas; quæ in Evangelio prædicatur.

§. 20. Innuit eundem finem Pſal. 33: 5. Ubi rationem *gratiæ* non in unâ aliquâ gente, ſed *in totâ terrâ* exercendæ, deſumit à jure, quod ipſi dederit creatio in omnia. Unde etiam, quia regnum illud gratiæ à Patre in Filio per Spiritum Sanct. exercetur, mundus ipſe à Patre in Filio per Sp. S. factus ibidem declaratur, verſ. 6. 7. *In verbo Jehovæ cœli facti ſunt, & in ſpiritu oris ejus omnis exercitus illorum.* verſ. 6. *Qui colligit tanquam acervum aquas maris; ponit in theſauris abyſſos.* verſ. 7.

§. 21. Item Pſal. 90: 2. Ubi habitaculo & rupi Eccleſiæ, ex verſ. 1. tribuitur æterni-

æternitas, quatenùs ab eâ profluit rerum exiſtentia & conſervatio, hoc modo: *Antequam montes gignerentur, & produceres terram & frugiferam*, omnia ſcil. quæ ad hominum, & inprimis Eccleſiæ, commoditatem pertinent: Ideo enim à natu montium, qui eſt ipſius terræ productio, ad partium terræ, & porrò ad frugiferam deſcendit. *imò à ſæculo ad ſæculum tu es, ô Deus omnipotens.* Nec immeritò hoc rupi tribuitur. Nam per quem, perque cujus gratiam vivit & ſtat Eccleſia, is ſine dubio creator omnium eſt, & fecit habitabilem propter homines, & ſine illo conſilium de creandis omnibus ad gloriam creantis factum non eſt.

§. 22. Nec alia mens eſt Pſalmi 148: 1. —— 13. qui jubet omnes creaturas, ſummas, imas, *celebrare nomen Jehovæ*, id eſt, efficere, ut id in ore ferant omnes homines: *quia ipſius ſolius nomen ſit ſublimatum.* ſupra omnes falſos Deos, quorum nomen ſuſtulit. *majeſtas ejus ſit ſuper terram & cœlos.* Et ſecundo quia *extulerit cornu populo ſuo* Iſraëli, dando ipſi Chriſtum, (*glorìationem omnibus piis ſuis.*) *filiis Iſraelis populo propinquo ſuo.* verſ. 14. Dùm enim, quo magis extollitur gloria regni Chriſti, eo magis omnes creaturæ glorificant nomen Dei, efficiuntque, ut Deus eo magis celebretur, ſimùl eo magis indicant, quis eas fecerit, & quo fine. Verba ad celebrationem excitantia ſunt iſta: *Hallelujah. Celebrate Jehovam ex cœlis; celebrate eum in celſis.* verſ. 1. *Celebrate eum, omnes Angeli ejus, celebrate eum omnes exercitus ejus.* verſ. 2. *Celebrate eum, Sol & Luna, celebrate eum, omnes ſtellæ lucidæ.* verſ. 3. *Celebrate eum, cœli cœlorum, & aquæ, quæ ſunt ſuper cœlos.* verſ. 4. *Celebrent nomen Jehovæ. Nam ipſe præcepit, & creata ſunt.* verſ. 5. *Et facit ea ſtare in perpetuum in ſæculum. Statutum dedit, & non tranſgreditur quicquam.* verſ. 6. *Celebrate Deum à terrâ, Dracones & omnes abyſſi.* verſ. 7. *Ignis & grando, nix & vapor, ventus procelloſus, faciens verbum ejus.* verſ. 8. *Montes & omnes colles, arbores fructiferæ & omnes cedri.* verſ. 9. *Feræ & omnia pecora, reptile & aves alatæ*, &c. verſ. 10.

§. 23. Porro hunc reſpectum operis Creationis ad opus Gratiæ & Salutis indicant ea loca, in quibus utraque conjunguntur. Ut Pſal. 134: 3. *Benedicit tibi Jehovah ex Sione*, dando vobis redemtorem omnis benedictionis auctorem, *qui fecit cœlum & terram.* Et Pſ. 146: 5. 6. *Beatus cujus auxilium eſt Deus Jacobi*, is qui ſe manifeſtavit Jacobo & ejus poſteris, *cujus ſpes eſt ſuper Jehovah Deo ſuo*, credens in ipſo eſſe juſtitiam & vitam, eique animam ſuam committens, *factor cœli & terræ, maris & omnium, quæ in eis ſunt.*

§. 24. Hinc denique eſt, quòd in ſpecie Terram eo conſilio fundatam doceant Prophetæ, ut regnum gratiæ in eâ erigeretur. Ut quando in carmine, regnum Dei explicante, ideò aſſeritur Deo proprietas terræ & jus mundi, *Quia ipſe fundavit illam ſupra maria*, ut ſicca emineat, *& ſupra fluvios ſtabilit illam*, ne fluvii deripiant aliquid. Pſal. 24: 1. 2. Significatur enim, id eo conſilio factum, ut eſſet ſedes parata hominibus. Quibus profectò non juſſiſſet terram emergere ex abyſſo, ſi tantùm ab ingratis calcaretur. Ergo jam tùm, cùm fundavit terram, meditatus eſt regnum gratiæ erigere, & populum ſibi formare, qui laudem ſuam narret.

§. 25. Iterùmque Pſal. 95. ubi, ſub adventum Chriſti, Spiritus invitans Judæos ad obedientiam fidei in Chriſtum, utitur inter alias hâc motivâ: Quòd *Deus magnus ſit Jehovah.* is nim. qui in aſſumtâ carne ſalutem effecit, & ſuo ſibi ſanguine populum lucratus eſt; *& rex magnus ſupra omnes Deos.* non tantùm quos homines, ſed etiam quos ipſe Deus appellavit Deos, quibus habitabilis futura non debebat ſubjici. verſ. 3. Ac porrò iſtam magnitudinem Dei & regni ipſius demonſtrat à

magnitudine potentiæ oſtenſæ in creatione omnium rerum, & à latitudine dominii ejus: *In cujus manu ſunt inveſtigationes terræ.* tota ſc. terra, quàm longa, lata, & profunda eſt; *& altiſſima montium ipſius ſunt.* quos ipſe fundavit ſcil., quoſque ſolo nutu poteſt transferre de loco in locum. verſ. 4. *Cujus eſt mare, & ipſe fecit illud, & cujus manus* immediatè & proximè *aridam formarunt.* Cujus propterea, regno non aſpera montium, non profunda maris, & nulla denique creatura obſtare poteſt, quo minus illud per omnia extendat; utpote cui iſta omnia inſervire debeant. verſ. 5. Sic innuitur, quod ab initio Terra ſit fundata propter regnum Dei.

§. 26. Idem Chriſtus affirmat apud Eſaiam, in contentione cum Judæis ſe criminantibus, quòd filios faceret ex miſeris peccatoribus, adeoque cum iis verſaretur; Eſai. 45: 12. *Ego,* inquit, *feci terram, & hominem ſuper illâ creavi ego, manus meæ extenderunt cælum, & omnem exercitum illorum imperavi.* Se autem jam tum in creatione cœli & terræ conſilium de ſalute faciendâ pateſeciſſe, Ib. verſ. 18. ſic declarat: *Creator cælorum is eſt Deus; qui formavit terram & fecit illam; ipſe exaptavit illam; non incaſſum creavit illam; ad habitandum formavit illam.* Quibus concordant iſta Eſai. 48: 13. *Etiam manus mea fundavit terram, & dextra mea quaſi palmis extendit cælum. Clamabam ego ad illos, ſtabant pariter.*

ARTICULUS II.

Condito mundo, & ſede in eo paratâ homini, Deus in eâ collocavit Adamum & Evam; eoſque legi ſubjecit. At illi in fœdere Dei non ſteterunt.

DEMONSTRATIO.

§. 27. Meminit hujus per fidiæ Hoſeas, cap. 6: 7. *Et illi, ut Adam, tranſgreſſi ſunt fœdus.* Itaque Homo ἐν τῷ παραπτώματι incepit eſſe נבל / h. e. non tantùm *Stultus*, abalienatus nempe à vitâ Dei, à Spiritu ejus, ab imagine ejus & ſapientiâ; ſed etiam *Mortuus* in peccato, legi ſcil. mortis obnoxius, ſecundùm illud, Moriendo morieris. Pſal. 14: 1. Et factus eſt אנוש / quod nomen eſt *Hominis* à deploratâ miſeriâ factum. Nam אנוש *ægrum & incurabilem* notat. Pſal. 8: 5. Ubi etiam poſteros Adami ejuſdem miſeriæ hæredes innuit, *filios hominis* appellando; non melioris conditionis ſcil. quàm primus homo, qui è terrâ formatus eſt; unde is nomen *Adam* accepit: & in eodem Adamo peccati & maledictionis reos factos.

ARTICULUS III.

Peccato itaque ingreſſo in mundum, & per peccatum morte, Deus, ne fruſtrà mundum & hominem creâſſe videretur, ſtatim conſilium gratiæ, & futuram in Chriſto ſalutem in auribus hominis miſeri promulgavit: Et propter hanc ſalutem aliquando repræſentandam, Terræ proventum, & rerum omnium adſpectabilium uſum, eidem prolongavit; propter peccatum tamen morte ei indictâ, & maledictâ terrâ, ut non ſine labore ac moleſtiâ fructibus ejus veſceretur: Benedictionem quoque in ſobolis propagatione primævam eidem repetitò addixit; quanquam ob peccatum à muliere commiſſum non ſine partus dolore hæc propagatio eſſet futura.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§. 28. Hinc mirabundus propheta: *Quid eſt*, inquit, *homo* miſer ac periens, *quòd recorderis ipſius*; *& filius hominis*, *quod viſites ipſum*? *Recordatur* ſcil. Deus hominis miſeri, cujus quantumvis immerentis, recordationem benevolam non deponit ex animo; quem ab æterno amavit, quemque in æternum ſalvare decrevit. *Viſitat* verò filium hominis, cui beneficium exhibet, quo ſuam curam ac benevolentiam teſtatur; quem nim. quantumvis impurum peccatorem, & terreſtrem, & *filium Adami*, creat, conſervat, & propter quem inprimis in Chriſto ſalvandum omnia alia conſervat, & ſubjicit vanitati. Pſal. 8: 5. Et ſic quoque eſt Eſai. 41: 4. *Qui format ætates*, Adamum & filios ipſius, *ab initio*.

§. 29. Huc reſpiciunt vates, ubi opus conſervationis mundi contemplantur, faciuntque materiam laudis ad benedicendum Deo. Non enim aliter illud conſiderant, quàm in ordine ad conſilium gratiæ, & ſalutem electorum. Specimen hujuſce meditationis egregium exſtat Pſal. 104. ubi poſt laudatam & ordine explicatam rerum omnium creationem, conſervationem earundem, nominatim Animantium, ac deinceps totius mundi, ita celebrat, ut faciat argumentum gloriæ Dei: *Omnia illa ad te ſperant, ut des illis cibum ſuum in tempore ſuo.* verſ. 27. *Das ipſis, colligunt. Aperis manum tuam, ſatiantur bono.* verſ. 28. Hæc conſervatio Animantium ſpectata in ſuſtentatione individuorum per alimoniam. *Occultas* quidem *faciem tuam, conſternantur*: *aufers ſpiritum eorum, exſpirant*; *& ad pulverem ſuum redeunt.* verſ. 29. *At mittis ſpiritum tuum, creantur.* Scil. alia individua ejuſdem generis; *& innovas faciem terræ.* anniverſariâ vice æſtatis & hyemis, & rurſus æſtatis. verſ. 30. Hæc conſervatio ſpectata in generis perpetuatione per prolem, & univerſi per anniverſarias reparationes. *Sit gloria Jehovæ in ſeculum.* Deus abſque intermiſſione ab omnibus glorificetur in æternum. Ratio: *Lætatur Jehovah in operibus ſuis.* benedicit creaturis ſuis propter hominem benedictum in Chriſto, eaſque omnibus bonis cumulat. verſ. 31. Et quidem eo inſignior eſt hæc gloria, quòd Deus ſit is, *Quo adſpiciente terram, contremiſcit*; *tangente montes, fumant.* Id eſt, quòd, primò. licet omnia, quæ ſunt, indigna ſint oculis ipſius, ut ex illis voluptatem capiat. ſecundò. licet etiam merito propter hominis reatum obnoxia ſint facta iræ & maledictioni ipſius, ut tanquam igne ab ipſius ſanctitate devorarentur: Nihilominus tamen lætetur in operibus ſuis, & eis benedicat propter hominem. verſ. 32.

§. 30. In eandem ſententiam eſt accipiendum, quòd *Domino Iſraëlis*, h. e. ei, cujus Iſraël eſt peculium, inter alia tribuantur opera ordinariæ providentiæ in abyſſis, in terrâ, in cœlo. Laudatur enim, *ut evehens vapores à fine terræ: qui fulgura in pluviam facit.* mutat; *educit ventum ex theſauris ſuis.* Pſalm. 135: verſ. 6. 7. Quòd Chriſto regnanti adſcribatur omnium cibatio; Pſ. 145: 15. 16. coll. verſ. 13. *Oculi omnium in te ſperant, & tu das ipſis cibum ſuum in tempore ſuo.* verſ. 15. *Aperiens manus tuas & ſatians omne vivens benevolentiâ.* Quòd à generalis providentiæ beneficiis homines excitentur ad confitendum Deo; Pſal. 147: 7. 8. 9. *Reſpondete Jehovæ*, multis beneficiis præeunti, *in confeſſione canite Deo noſtro cum cithara.* verſ. 7. *Qui operit cœlos nubibus, & aptè dat terræ pluviam: qui facit montes germinare gramine.* verſ. 8. *Dat pecudi cibum ſuum, filiis corvi, qui clamitant.* verſ. 9. Quòd Iſraël admoneatur, ut recognoſcat Deum apud ſe manifeſtatum, à potentiâ verbi ejus; Ibid. verſ. 12. 15. — 18. *Lauda Jehovam*, memorem gratiæ ſuæ, quam exhibuit; *celebra Deum tuum, Sion.* non ſcandaliſata humili ejus ſpecie. verſ. 12.

Qui

Qui mittit dictum ſuum in terram, cujus verbum velociter currit. verſ. 15. *Qui dat nivem inſtar lanæ; pruinam inſtar pulveris ſpargit.* verſ. 16. *Jacit glaciem ſuam inſtar fruſtorum* (vel *fragmentorum:*) *coram frigore ejus quis ſtat?* verſ. 17. *Mittit verbum ſuum & liqueſacit illa: facit flare ventum ſuum, manant aquæ.* verſ. 18. Quòd Chriſtus probet, ſe eſſe ſufficientem ad eripiendum ſuos ex manu injuſtorum, dominorum, eo, quòd *cœlo induat atrorem.* ad pluviam faciendam, tonitrua, fulgura & fulmina jaculandum, &c. Eſai. 50: 3. Ac denique quòd Chriſtus, ubi pronunciat, Patri ſuo decretum eſſe, non rejicere Iſraelem, id ipſum confirmet ſimili decreto de conſervando diſcrimine diei & noctis, & temporibus frugiferis quotannis reſtaurandis, & mari commovendo, ita tamen ut locum ſuum non egrediatur; Jerem. 31. 35. 36. *Sic dixit Jehovah, qui dat Solem ad lucem diei, leges Lunæ & Stellarum ad lucem noctis, qui movet mare, ut fremant undæ ejus, cujus nomen eſt Jehovah Deus exercituum.* verſ. 35. *Si recedent ſtatuta hæc à conſpectu meo, ait Jehovah; etiam ſemen Iſraëlis ceſſabunt, ut ne ſint gens coram me omnibus diebus.* verſ. 36. Quòdque hoc ipſo decreto fides fiat promiſſioni de Chriſto, filio Davidis, & regno ejus? Jerem. 33: 20. 21. *Sic dixit Jehovah: Si irritum facietis fœdus meum diei & fœdus meum noctis, & ut non ſit dies & nox in tempore ſuo.* verſ. 20. *Etiam fœdus meum irritum fiet cum Davide ſervo meo, ne ſit ipſi filius regnans in throno ipſius.* verſ. 21. Itemque promiſſioni reſtitutionis reip. contra opinionem & populi & gentium; Ibid. verſ. 25. 26. *Sic dixit Jehovah: Si non fœdus meum diei & noctis, definitiones cæli & terræ non poſui,* verſ. 25. *Etiam ſemen Jacobi & Davidis ſervi mei ſpernam, ne capiam de ſemine ejus poteſtatem habentes in ſemen Abrahami, Iſaaci, & Jacobi. Nam reſtituam damna eorum & miſerabor eorum.* verſ. 26. Significatur enim, quòd Deus tot ſæculis diem & noctem & frugifera tempora facit, id argumentum eſſe pacis & veritatis, ſalutis & juſtitiæ.

§. 31. Ex dictis porrò ſequitur, *cœlos* & omnes creaturas, *enarrare gloriam*, non tantùm bonitatis potentiæ, majeſtatis, *Dei*, ſed etiam patientiæ ejus & beneficentiæ erga indignos. Pſal. 19: 1. Et poſſe ex hâc rerum omnium conſervatione, & beneficiis variis, quibus Deus per creaturas afficit genus humanum, *guſtari & videri, quòd bonus ſit Jehovah.* Pſal. 34: 9.

§. 32. Quoniam vero in Chriſto, hæc omnia beneficia, & futura ſalus, promittebantur; hinc Chriſtus teſtatur, *de ſe in volumine libri*, ſcil. toto, atque adeo inde à principio, *ſcriptum eſſe.* Pſal. 40: 8. Et *Jehovam ad ſe dixiſſe*, ſe compellâſſe in lege & prophetis: *Filius meus es tu.* primogenitus ſcil. & princeps omnium, rex regum & dominus dominantium; *hodie*, ab æterno, *genui te.* Pſalm. 2: 7. Quem prophetiæ modum poſtea imitatus Eſaias cap. 45: 18. & ſeqq. Filium loquentem, & narrantem dicta Patris ad ſe, ſic introducit: *Ego ſum Jehovah & non eſt præterea. Non in occulto locutus ſum .... Annon ego ſum Jehovah & non eſt præter me? Reſpicite ad me & ſalvamini .... In me juravi, exivit ex ore meo juſtitia, verbum quod non revertetur: Mihi ſe incurvabit omne genu, jurabit omnis lingua. Tantùm in Jehovâ* (*mihi* ſive *de me dixit.* nempe Jehovah Pater meus.) *juſtitia & robur, ad ipſum veniet.* h. e. venient homines: *& pudefient omnes qui exardeſcent contra ipſum. In Jehovâ juſtificabuntur & glorificabuntur omne ſemen Iſraëlis.*

§. 33. Hinc & Chriſtus *rex* Eccleſiæ dicitur *à priſco.* Pſal. 74: 12. utpote *cujus thronus firmus fuerit pridem.* מאז *extunc*, ſive *prætunc.* q. d. longè ante opera ſua, vel ante omne id, quod poſſit appellâri *tunc.* Nec fieri aliter potuiſſe indicat Propheta, cùm *à ſæculo fuerit ipſe*, & in æternum maneat idem. cùm ſemper dilexerit homi-

homines, ut πιστὸς, & φιλάνθρωπος κτίστης, eiſque vitam & juſtitiam uno planè modo, remedio, & auctore dederit. Pſalm. 93: 2. Cum quibus concordat iſtud Sapientiæ de ſe encomium apud Salomonem in Proverbiis, cap. 8: 22. *Genuerat me*, vel *habebat me genitam, principium viæ ſuæ, ante molitiones ſuas pridem.* מֵאָז / q. d. ante omne אָז / ſcil. etiam illud, de quo eſt Geneſ. 1: 1. *In principio* &c. *Ante omnem rerum durationem*, ſive ante omnes res, quæ habent circumſcriptam limitatamque durationem, ſive ſint ſpirituales ſive corporeæ, *Ego uncta ſum*, mihi regnum decretum eſt. Significatur verò, regnum Dei in Chriſto jam mox à condito mundo, in homine lapſo erectum, atque ita hoc regnum principium viarum, operumque Dei omnium, quæ hinc in mundo & Eccleſiâ ordine gerenda erant, factum eſſe. Conf. ex Art. I. Pſalm. 90: 2. Et huc referri poteſt, quod *Filius* inter alia *nominetur Pater æternitatis*. Eſai. 9: 5. Et, *cujus egreſſiones ſunt ab initio, à diebus ſæculi.* Mich. 5: 1.

§. 34. Quamvis autem ſic in Chriſto fundaretur gratia Dei & beneficentia erga mundum & genus humanum omnis, quia tamen Chriſtus nondum venerat, aut præſtiterat id, cui Deus decenter & glorioſè ſalutem & vitam electorum, & propter illam omnia, donaret; hinc factum eſt, ut Tempus gubernationis mundi, quod fuit antequam Chriſtus appareret, diverſam ab eo, quod ſecutum eſt hanc apparitionem, acceperit, ut formam, ita in Sacris nomenclaturam. Scilicet totum tempus gubernationis mundi & Eccleſiæ, inde ab ipſo rerum creatarum principio ad finem uſque, *Diem* appellant Prophetæ, & quidem *Diem Jehovæ*. Vid. Eſai. 2: 12. In eoque tempore toto articulatim enucleando deinceps verſatur omnis prophetia. Quoniam verò, prout Chriſtus vel ut venturus, vel ut jam miſſus & conſummatus princeps ſalutis, ſperandus aut credendus erat in mundo, ita aliam atque aliam faciem hæc gubernatio mundi erat habitura; hinc *Diem* jam dictum diſtribuunt Prophetæ in duo, ſive *Tempora*; ut Eſaias cap. 8: 23. & Daniel cap. 7: 25. 8: 19. ſive *Annos*; ut Eſaias cap. 34: 7. 61: 2. 63: 4. & Habaccuc, cap. 3: 2. ſive *Dies*; ut Eſaias cap. 2: 2. & locis proximè citatis; & Jeremias, cap. 17: 11. ſive *Sæcula*; ut Apoſtolus, 1. Corinth. 2: 6. unum *Prius*, & alterum *Poſterius*; Eſai. 8: 23. Quorum etiam priori *Statum tempus* Daniel cap. 11: 27. & 35. Item Habaccuc, cap. 2: 3. Et *Finem*, ſive *Extremum*, rurſus Eſai. cap. 2: 2. Daniel cap. 8: 19. 11: 27. 35. & Habaccuc, l. c. Utrique autem commune *Medium*, in quo ſe attingant ſcil. Habaccuc, cap. 3: 2. & Jerem. 17: 11. attribuunt.

§. 35. *Prius* tempus, (Ita enim eſt Eſai. 8: 23.) quatenus eo vigebat Promiſſio, & eminùs tum verbis, tum figuris oſtendebatur Chriſtus, *Tempus S. Annus Viſionis*; Dan. 10: 14. Hab. 2: 3. Quatenus verò interim Deus, quanquam peccato nondum per Filium expiato, variis beneficiis genus humanum afficiebat, ſicque peccatores tolerare, & diſſimulare aut connivere ad peccata eorum, nec velle promerito ea punire videbatur, phraſi Apoſtolicâ tempus S. dies Ἀνοχῆς, *Tolerantiæ*; Rom. 3. 25. Propheticâ, *Silentii*, ex Pſal. 50: 3. & 21. 109: 1. *Clementiæ*, ex Ezech. 7: 4. & Zach. 11: 7. 10. quâ nim. Deus *parcebat* mundo. Ezech. 7: 4.

§. 36. *Poſterius*, propter Chriſtum datum & annunciatum, Tempus *Obſignationis Prophetæ ac Viſionis*, ex Dan. 9: 24. Et propter abrumpendam tum maximè tolerantiam, & decretum puniendi eos, qui Evangelio non obſequuntur, sive recalcitrant, *Dies Iræ*, ex Pſal. 2: 12. 110: 3. Eſai 34: 1. 63: 6. & *Ultionis*, ex Eſai. 34: 7. 61: 2. 63: 4. &c. in Scripturis appellatur. Accepere hæc duo tem-

 pora

pora & alia nomina: De quibus infra ad Art. VII. dabitur locus dicendi. Add. quoque Per. III. Art. IV. & V.

§. 37. Notandumque eſt, utrique Tempori iterum ſua aſſignari *Tempora* minora, h. e. *Annos*, *Septimanas*, *Menſes*, *Dies*, *Horas*; &c. eaque ut totidem Articulos, per quos gradatim ad finem alterutrius eatur, ſpectari, in Prophetiâ. Priori quidem adſcribuntur *Tempora*, Dan. 9: 25. *Anni*, Zach. 1: 12. 7: 5. *Septimanæ*, Dan. 9: 25. 26. 27. Menſes, Zach. 11: 8. *Dies*, Dan. 10: verſ. 14. Mich. 4: 1. qui & *Poſtremum*, ſive *Finem*, iiſdem adſcribunt. Poſteriori quoque *Tempora*, Dan. 7: 25. 12: 7. & Apoc. 20: 3. *Anni*. Eſ. 23: 15. Apoc. 20: 2. 3. 7. *Menſes*, Apoc. 11: 2. 13: 5. *Dies*, Dan. 12: 11. 12. Apoc. 2: 10. 11: 3. 9. 12: 6. Et *Horæ*, Apoc. 8: 1.

§. 38. Quoniam autem ſic Deus manifeſtare regnum ſuum in duplici œconomiâ moliebatur, hinc dicitur *conſtabiliviſſe montes*, h. e. regna; Pſal. 65: 7. Scil. *duos*, ut innuitur Zach. 6: 1. Sed reliqua Articuli præſentis componamus.

§. 39. Regimen Dei circa homines in vitæ abbreviatione & afflictione ob peccata, nos jubet intueri regius Propheta, Pſal. 90: 6. —— 10. hâc meditatione: *Manè homo ut herba floret & recentatur: veſperi carpitur & areſcit.* Homo licet initio dierum ſuorum videatur adoleſcere, vireſcere, creſcere viribus, &c. tamen citò, quovis malo, ut herba anque, tactus elangueſcit & exſtinguitur. Citò, quaſi ante veſperam. verſ. 6. Ratio; quæ etiam ad moriendi neceſſitatem extenditur: *Nam conficimur per iram tuam, & per æſtum tuum percellimur.* verſ. 7. *Ponis delicta noſtra coram te, ignorata noſtra in aprico vultus tui.* verſ. 8. ubi τὸ עֲלֻמֵנוּ poſſit etiam verti *juvenilem vecordiam noſtram.* ut Job. 20: 11. Unde eſt, quòd & pueri moriuntur. Tum deinde brevitatem & ærumnoſitatem vitæ evolvit ex allegoriâ, & nudè exponit, cum allegatione cauſæ: *Nam omnes dies noſtri inclinant ob excandeſcentiam tuam; conficimus annos noſtros, ut halitum.* minimè durabilem. q. d. omnes dies noſtri tenebrantur, nullus eſt purus & liquidus, nullus ſine maculâ, ſine nube, ſine mœrore aut triſtitiâ. verſ. 9. *Dies*, i. e. ſumma, *annorum noſtrorum partim ſunt ſeptuaginta anni: &, ſi in robore, octuaginta anni: & eximium illorum*, in quo quis poſſit μεγαλοφρονεῖν ϗ φενάκιζ, *miſeria & vanitas. Nam impetu ruit celeriter, & avolamus.* verſ. 10.

§ 40. Finem quoque, in quem hæc meditatio ſit dirigenda, ibidem verſ. 11. indigitat: *Quis noſcit* ſive perpendit *vim iræ tuæ, & juxta timorem tui*, id eſt ita ut convenit ad te verè & ſeriò timendum, *excandeſcentiam tuam?* Quibus verſ. 12. ſubjicit petitionem hujus finis, ſcil. timoris Dei, ex iſtâ meditatione conſequendi: *Ad numerandum dies noſtros ſic*, nim. juxta timorem tui, *facias cognoſcere* nos iram atque excandeſcentiam tuam, *ut accipiamus cor ſapientiæ.* Da nobis ἐπίγνωσιν iræ tuæ talem, qualis operatur timorem Dei, illamque ἐπίγνωσιν redde in nobis efficacem, ut vigilemus, & ſobrii atque attenti ſimus ad omnes actiones noſtras, & ad Dei judicia atque beneficia; tandemque iſto modo effice, ut vetus homo in nobis enecetur, contrà novus homo in nobis ad perfectam formam & ſtaturam perveniat, ut, qui cor non habemus, cor accipiamus.

§ 41. Scilicet ex contemplatione miſeriæ ac mortalitatis humanæ poteſt ac debet unusquiſque incitari ad quærendum Deum, eumque verè ac ſeriò timendum: Siquidem non eo fine agnoſcamus Deum condidiſſe, ex uno ſanguine genus humanum, ut illud planè deſtruatur ac perdatur rurſus; Sed contrà potius, ut ſint, quibus fiat in Deum, quique glorificent Deum, & virtutes ejus enarrent. Hinc pro

argu-

argumento finiendæ iræ, quam peccatum operabatur ſub V. Teſt. & accelerandæ gratiæ in Chriſto, adducit Propheta ærumnoſam vitam & brevem omnium hominum: adeo ut, hoc ſpectato, ſi cum tantis malis homo vivere debeat, imò ſi Chriſtus non veniat cum regno ſuo, fruſtrà homines condidiſſe videri poſſit. Pſal. 89: 47. — 49. *Quouſque, ô Jehovah, occultaberis indeſinenter? ardebit, tanquam ignis, æſtus tuus?* verſ. 47. *Recordare, Ego quid ævi? Quare fruſtrà credſſes omnes filios hominum?* verſ. 48. *Quis homo vivit, & non videbit mortem? eripiet animam ſuam è manu inferni? Selah* verſ. 49.

§. 42. Huc refer, quòd Deus quidem dicatur *redigere hominem ad contritionem*, per mortem, cui inde à nativitate ad ſenium uſque continuatæ ſubjectus eſt; Sed *& dicere* vel *dixiſſe*, *Redite, filii hominis*. Voluiſſe nempe atque imperâſſe, ut per mortem ac reſuſcitationem tandem ad immortalitatem tranſiret, in eâque vel beatitudinem vel miſeriam ſine fine haberet. Pſal. 90: 3.

ARTICULUS IV.

VIſitat Deus *filium Adami*, vocando illum, & faciendo ut compareat inter viventes coram ſanctâ facie ſuâ; atque ita porrò genus humanum ex uno ſanguine, per continuam generationis legem, condit & conſervat.

DEMONSTRATIO.

Vid. Pſalm. 8: verſ. 4. Ita impleri cœpit prophetia de *Semine mulieris* exſtituro; Gen. 3: 15. Et *facta eſt Eva mater omnis viventis*; Ibid. verſ. 20. Et hâc quoque parte fiebat, quòd legitur Pſal. 90: 3. *Redigis hominem ad nihilum, & dicis, Redite, filii hominis.* Quare & deſcribitur Deus tanquam is, *qui format ætates ab initio.* Eſai. 41: 4.

ARTICULUS V.

SUmit Deus ex genere humano per mulierem propagato ſemen quoddam ſanctificandum.

DEMONSTRATIO.

Hoc ſcil. *ſemen* illud *mulieris* eſt, inter quod & ſemen Satanæ *ponenda* erat *inimicitia*; juxta promiſſionem, Geneſ. 3: verſ. 15. Sic quoque *factâ Evâ matre viventium*; Ibid. verſ. 20. Et Deo in Chriſto *formante ætates*, inprimis ſcil: ſemen ſanctificandum, *ab initio*; Eſai. 41: 4. Et per *unum illud*, unam carnem duorum, unum principium generationis, *quærente ſemen Dei.* Mal. 2: 15.

ARTICULUS VI.

HOmo tantùm cogitat malum à pueritiâ ſuâ. Gen. 6: 5.

DECLARATIO: Scilicet tempore Enos factum eſt ſchiſma inter homines, parte aliâ in nomen Jehovæ (jam tùm notum) ſacramentum quaſi dicente; aliâ in ignorantiâ & erroribus & vitiis jacente. Henoch exemplum ſanctificationis, juſtificationis, & glorificationis factus eſt. Piorum, nomen Dei agnoſcentium,

tium, confeſſio non diu manſit vinculum amoris, vertit etiam in vinculum iniquitatis. Filii Dei non in Domino nuptias contraxerunt: filii, matrum ſimiles, facti ſunt potentes in terrâ, & viri NOMINIS. Ita vel à nomine Jehovæ nuncupando diſceſſum, vel nomini Jehovæ nomen hominum ſociatum eſt, ut, ſub colore Confeſſionis piorum & diſciplinæ, mundana regnatio, & religionis ad hominum nutum & imperium revocatio, quæreretur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque, cum *Semine mulieris* ſanctificando, mox exſtitit *Semen ſerpentis*; ſicut prædictum erat, Gen. 3: 15. Et factum eſt, quod repetit Pſalmiſta, Pſ. 14: 1. *Dixit ſtultus*, de quo ſuprà Art. II. *in corde ſuo*, *Non eſt Deus*. Sive negaverit, 1. Quoad exiſtentiam, Deum eſſe; quatenùs vel non aſſerebat hoc; vel, ſi aſſereret, non perſuadebat ſibi; ac denique non amabat eum, adeoque eum volebat non eſſe, & ſine reverentiâ Dei vitam agebat. Sive 2. quoad officium, Eum veritatem patefacere ad fidem, & cuique redditurum ſecundùm opera ſua; quatenus vel non quærebat veritatem, vel non timebat judicium, vel cultus à ſe excogitatos obtrudebat. Sive Deum negaverit, 3. quoad naturam; quatenùs omnia ejus attributa vel ignorabat vel obſcurabat; denique eum, quem ſanctificavit Pater, & Spiritum ejus blaſphemabat. *Perdite egerunt*, cùm in genere, tùm in ſpecie per idololatriam; ut Deut. 4: 25. *abominanda facinora commiſerunt.* non tantùm fingendis ſibi numinibus, ſed & in ſe & inter ſe faciendo τὰ μὴ καθήκοντα.

§. 2. Hæc corruptio Ibidem extenditur ad omnes homines & actus: *Non erat qui faceret bonum*. aut, ſi faceret, id benè faceret.

ARTICULUS VII.

COgitat Deus exſequi decretum de humiliatione hominum ad alta ſibique minimè competentia, ut nomen humanum, juſtitiam ex operibus, & ſimilia, oculos efferentium, & Virorum, S. aliquâ auctoritate eminentium; idque ut Ipſe ſolus agnoſcatur Doctor, Sacerdos, & Rex in mundo & Eccleſiâ. Igitur corrupto in tantum priſco illo ſæculo, & vitiis ſuis immerſo, ut omne remedium aſpernaretur, immiſſo diluvio exſtinctâque univerſâ illâ factione improborum, primum exemplum edidit ſeveritatis, in poſterum in omnes illos, qui ſimiliter peccarent, ſimiliter adhibendæ.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Summatim repetit ac proponit hoc Decretum Eſai. cap. 2: 10.—22. facitque argumentum adhortationis ad reſipiſcentiam, hoc modo: *Intra in rupem & occulta te pulvere, propter pavorem Jehovæ & majeſtatem elationis ejus.* q. d. Vah, quàm ſtultè facitis, qui fiduciam ponitis in opibus, & munitionibus veſtris, &c. & in hâc fiduciâ in peccatis veſtris perſeveratis, & lucem Jehovæ aſpernamini. Melius eſſet vobis in terram correpere. Nam dies eſt Jehovæ, quo iſtud omne, in quo confiditis, delebit: Quæ res tanto horrore eſt digna, ut quis optet terram ſe dehiſcere, & à conſpectu Dei tegere, quam illam experiri. Dignum itaque eſt, ut in ſummâ animi conſternatione in tempore pænitentiam agatis. verſ. 10. *Oculi alti hominum humiliantur, & deprimitur excellentia virorum: & ſublimabitur Jeho-*

Jehovah ſolus in die illo. verſ. 11. Hæc Propoſitio decreti Dei in ſummâ. Confirmatio ejuſdem: *Nam dies eſt Jehovæ Dei exercituum in omne erectum & ſupereminens, & in omne elatum & humile.* Non decet Deum patientiâ uti in infinitum, & permittere carni gloriari & efferri. Igitur conſtituit & fixit diem, quo opprimit omne procerum ſe erigens, & omne elatum, quod eſt humile. verſ. 12. Specificat eminentias quaſdam: *Et in omnes cedros Libani, ſuper extantes & elatas; & in omnes quercus Baſan.* Intellige Sacerdotes & Principes in populo. verſ. 13. *Et in omnes montes proceros, & in omnes colles elatos.* Intell. regna, imperia, & populos, ſive reſpublicas. verſ. 14. *Et in omnem turrim altam, & in omnem murum præruptum.* Intell. omnia munimenta regni humani militantis contra regnum Dei. verſ. 15. *Et in omnes naves Oceani.* Inſtrumenta ſcil. parata tùm ad accumulandas opes, tùm ad invadendas longinquas provincias, tùm ad conflictus maritimos; *& in omnes imagines amabiles.* Intell. omnia irritamenta concupiſcentiæ & illecebras oculorum, quales falſa religio quærit. verſ. 16. *Et deprimetur altitudo hominum, & humiliabitur proceritas virorum; & ſublimabitur Jehovah ſolus die illo.* Repetitur, quod dictum verſ. 11. quia non una manifeſtatio altitudinis Dei ſupra omnia erat futura. verſ. 17. Hæc de Decreto humiliationis hominum & virorum: Cui ſimile eſt, quod deinceps Propheta ſubjungit, Decretum abolitionis Idolorum. cujus Propoſitio: *Et Dii nihili univerſim abibunt.* verſ. 18. Confirmatio, explicans modum abolendi Idola: *Et intrabunt antra petrarum, & cavernas pulveris propter formidinem Jehovæ, & ob majeſtatem erectionis ejus, quum ſurget ad conſternandam terram.* verſ. 19. *Illo die projiciet homo deos-nihili argenteos ſuos, & deos-nihili aureos ſuos, quos fecerant ipſi ad adorandum, ad talpes & veſpertiliones.* verſ. 20. *Ut intret in foramina rupium, & in faſtigia petrarum propter formidinem Jehovæ, & ob majeſtatem elationis ejus, quum ſurget ad conſternandam terram.* verſ. 21.

§. 2. Hiſce tandem ſubjicitur Admonitio de omittendo Homine: *Deſiſtite vobis ab homine, in cujus naſo eſt anima.* Præcipuum quod habet, quo deficiente nihil eſt: *Nam in quo reputatur ille?* vel *reputabilis eſt?* Nulla ſcil. eſt hominis juſtitia; nulla potentia ad ſubjiciendum ſeſe Deo & in melius refingendum; nulla ſapientia, ad conſilium homini aut Deo dandum de cultu, qui Deo placeat, vel ad mentem Dei indicandam, vel ad conſcientiam regendam, vel ad Eccleſiam in unum continendam. Et hoc adeò evidens eſt, ut cujuſque conſcientiæ pateat; ad quam etiam eſt ἰσχύοντος. Nam Sp. S. dare non poteſt, cùm nihil ipſe habeat, niſi ſpiritum, quem per nares reciprocet. verſ. 22.

§. 3. Non dubitamus denuntiationem hujus Decreti ex Eſaia, quanquam longo tempore poſteriore, hîc recenſere: tùm quia hoc decretum generale eſt, nec unius ætatis; tùm quia ab illo tempore, quo aquarum illuvies genus humanum perdidit, exſecutio hujus decreti inſigniter cœpit; ac denique quia Scriptura teſtatur, Spiritum Chriſti in Noacho iviſſe prædicatum iis, qui hoc tempore perierunt: Qui idcirco haud dubiè hoc aut ſimili genere orationis eos ad reſipiſcentiam & fidem in Deum ſtuduit revocare. Eſt autem adeo univerſale hoc Decretum, & tam latè patet ejus exſecutio, quam metonymicè *diem*, & quidem *diem Jehovæ* appellat Eſaias ut utramque paginam faciat in Prophetiâ, in eoque ſolo die articulatim evolvendo vigilâſſe omnis induſtria noſtrorum vatum videatur. Quicquid enim illi cecinerunt, huc tandem redit, ut quod eſt altum in oculis hominum, humilietur, & ſolus Deus ſublimetur in totâ terrâ.

§. 4. Et quidem bis dicit Propheta, *Deprimetur altitudo hominum, & humiliabitur proceritas virorum; & ſublimabitur Jehovah ſolus in die illo:* quoniam pro diverſo habitu temporum, quæ vel anteceſſerunt Chriſti adventum, vel ſecuta ſunt, ita duplici modo ac reſpectu hoc decretum ſuum Deus exſequi meditabatur: 1. Quatenùs, per multa & ingentia judicia, demonſtratâ impotentiâ carnis ad ſubjiciendum ſeſe Deo, vel omninò aliquid faciendum, quod ipſi placeat, neceſſitatem gratiæ ac doni cœleſtis, tantiſper dilati, erat manifeſtaturus. 2. Quatenùs, exhibito jam Chriſto, & repræſentatâ in ipſo gratiâ & cauſâ ſalutis, humiliatis iterùm omnibus, qui detinent vel impediunt veritatem in injuſtitiâ, effecturus erat, ut tandem ipſe ſolus pro Doctore, Sacerdote, & Rege ſalvandorum ubique agnoſceretur in toto mundo.

§. 5. Itaque duo tempora humiliationis hominum, & exercendorum in mundo judiciorum Divinorum, habemus. Et quoniam, manente tranſgreſſione, donec Chriſtus eam expiaret, non poterant non judicia, tùm hominibus inflicta propter peccata, & ſi qui alii eſſent modi humiliandæ carnis, videri effecta iræ, quâ Deus juſtè exardeſcit in peccata; ideo tempus illud appellatur tempus זעם / id eſt *Excandeſcentiæ*, ſeu *ſeveritatis*. Dan. 8: 19. Et קצף / id eſt *Fervoris*; Eſ. 54: 8. Poſterius autem tempus, ſicut abolito reatu, & expiatâ tranſgreſſione, *annus* רצון / quoniam *acceptationis ſ. gratiæ*, Eſai. 61: 2. Ita eo Deus punit, non tam peccatum, ut exſtans adhuc in mundo, quàm profanitatem & ingratitudinem hominum, tantam ſalutem negligentium, non modò *Dies iræ*, ſed & *Ultionis*, ut viſum ſupra ad Art. III. appellatur.

§. 6. Convenit nobis hoc loco, quod priori tempore fuit primum in exſecutione decreti Divini jam commemorati, explanare, atque inde ad ſequentium cognitionem viam aperire.

§. 7. Primò itaque *proſpectavit Jehovah ex cœlo ſuper filios hominis*, & iram manifeſtavit in diluvio; ſicque partim ingenii humani malitiam denudavit, partim gloriam ſanctitatis ſuæ, etiam dum mundum toleraret, & neceſſitatem gratiæ aliquando in Chriſto exhibendæ, illuſtri ac horribili in omne ævum exemplo, approbavit. Pſal. 14: 1.

§. 8. Pſalmus hunc ponit finem dictæ proſpectationis ac manifeſtationis Divinæ: *Ut videret, an quis eſſet animadvertens ac quærens Deum.* An ſcil. caro, ſemel alienata à Deo, per tremenda iſtiuſmodi judicia poſſet adduci, ut ſeriò animadverteret, reſipiſceret, & quæreret Deum. Proculdubiò enim ſi quid in homine virium ad remedium & ſanationem ipſius ſuâpte naturâ ſupereſſet, exemplis iſtinsmodi horrendis, & ad correctionem ipſius per ſe aptiſſimis, id elici in actum, & poterat, & debebat.

ARTICULUS VIII.

Servat Deus Noachum cum familiâ ipſius; & reductis aquis in alveos & receptacula ſua, ſpondet & jurat ipſi de ſtatu rerum conſervando, & diluvio non reducendo ampliùs.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque Prophetia Evæ de ſemine in Setho, de quâ Geneſ. 5: 1. in illuſtri ſpecimine comprobata eſt. Fuit enim Noachus ex poſteris Sethi.

§. 2. Spon-

§. 2. Sponſionem Divinam de conſervando hoc ſtatu mundi, nim. diſcrimine dierum & noctium, temporibus frugiferis quotannis reſtaurandis, &c. repetit Jeremias cap. 31: 35. 36. in hanc ſententiam: *Sic dixit Jehovah, qui dat Solem ad lucem diei, leges Lunæ & Stellarum ad lucem noctis, qui movet mare, ut fremant undæ ejus, cujus nomen eſt Jehovah Deus exercituum.* verſ. 35. *Si recedent ſtatuta hæc à conſpectu meo, ait Jehovah*, &c. verſ. 36. Item cap. 33: 20. *Sic dixit Jehovah: Si irritum facietis fœdus meum diei & fœdus meum noctis, & ut non ſit dies & nox in tempore ſuo.* Et rurſus verſ. 25. *Sic dixit Jehovah: Si non fœdus meum diei & noctis, definitiones cœli & terræ non poſui.* &c.

§. 3. Meminit & juramenti, de aquis diluvii non reducendis, Eſaias, & firmitatem ejus ſubindicat, cap. 54: 9. his verbis: *Nam aquæ Noachi hoc mihi: Quemadmodum juravi non tranſituras aquas Noachi terram, ſic juravi, ne efferveſcam in te.* Scil. juramento cuidam alteri fidem facit ſervatione juramenti Noacho facti de diluvio non reducendo.

ARTICULUS IX.

INterjecto deinde tempore filii hominis, obliti eorum, quæ ſuperioribus ſæculis facta erant, ad ingenium rediere. Cùm *terra univerſa ſermone adhuc uno, & verbis eiſdem uteretur*; id eſt idem adhuc loquerentur omnes de rebus eiſdem, eadem ſacra, eadem profana haberent, eandem religionem, eadem dogmata profiterentur, eandem ſectarentur fidei, vitæque normam; quemadmodum ſolent unus populus; Geneſ. 11: 1. Jamque in eo eſſent, ut diſcederent habitatum in univerſâ terrâ, atque ita, ſecundùm Dei benedictionem Geneſ. 9: 2. irent *impletum terram: Ne diſpergerentur ſuper facie totius terræ*; id eſt, ne fierent diverſi populi, diverſa de rebus eiſdem loquentes, ſed quantùm in ipſis, illam populi, religionis, & fidei unitatem, etiam poſt diſceſſum ſuum, integram retinerent, Conſilium inierunt *faciendi ſibi NOMEN*; id eſt, erigendi auctoritatem ac poteſtatem, quæ ſit agnoſcenda ac nominanda omni homini, cui omnes debeant ſubjici, quâque adeo genus humanum in unum contineatur; Geneſ. 11: 4. Moliti quoque ſunt urbem & arcem, Sedem eorum, qui dictum Nomen ſuſtinerent, & futuram metropolin totius orbis terrarum.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ita rurſus, in & cum *Semine mulieris*, propagatum eſt *Semen ſerpentis*. Geneſ. 3: 15. Et, *Dixit Stultus in corde ſuo, non eſt Deus: Perditè egerunt; abominanda facinora commiſerunt. Non erat, qui faceret bonum.* Pſalm. 14: 1. Ut ſup. Artic. VI.

§. 2. Ita Babylon facta exemplar Civitatis ſive Reipublicæ, in quâ per nomen humanum; ſive auctoritatem perpetuorum in ætates traditionis antiquæ cuſtodum certam ſedem tenentium, omne genus humanum in unam religionis formulam adigeretur.

AR-

ARTICULUS X.

SEd Deus abominatus hoc conſilium, qui regnum ſuum à locis ſedibuſque non vult dependere, *proſpectavit ex cœlo ſuper filios hominis*, iramque manifeſtavit in confuſione linguarum, & abdicatione gentium à vocationis gratiâ; quas idcircò inde ab hoc tempore, à conſpectu ſuo dimiſſas, ſivit ire in viis ſuis, & alloquio ſuo non eſt dignatus, uſque ad Chriſtum, qui exortu ſuo novam lucem erat illaturus mundo, & tenebras gentium, per miſſionem Evangelii ad ipſas, illuſtraturus.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc *Dei proſpectatione ex cœlo* intelligendus iterùm eſt locus. Pſ. 14: 2. De quo ſuprà ad Art. VII. f.

§. 2. Et confuſionem quidem linguarum quod attinet, non dubitamus, Spiritum ad eam reſpexiſſe, quando regno adverſario, ceu novæ Babeli, interminatur *diviſionem linguarum*; Pſalm. 55: 10. Ut quæ poteſtas ſimilis erat facta antiquæ Babeli in genere delicti, eidem aſſimiletur in genere pœnæ.

§. 3. Abjectionem verò gentium à facie Dei innuit Pſaltes, Pſalm. 33: 13. 14. Ubi ſingularem curam mundi ei opponit in hanc ſententiam: *De cœlo proſpectavit Jehovah, vidit omnes filios hominis.* ſine diſcrimine. verſ. 13. *à loco parato*, cœlo, *quo ſedet, intendit omnibus habitantibus terram.* verſ. 14. Diſtinguit enim id tempus, quo Deus ſivit gentes ambulare in viis ſuis, Actor. 14: 16. (tempora ἀγνοίας, *ignorantiæ*, dicit Paulus, Actor. 17: 30.) ab eo tempore, quo omnibus ubique hominibus præcipit reſipiſcere. Ib. Et ſignificat, Deum, finitis temporibus averſationis gentium, denique proſpexiſſe de cœlo benignum, & animum curamque advertiſſe ad omnes filios hominis, ut ipſis innoteſceret, & viam ſalutis annunciaret.

§. 4. Præſignificaverat eandem oraculum editum per Noachum, deſignatis etiam in ſpecie gentibus, ad quas hoc ſeveritatis Divinæ exemplum pertineret. *Maledictus*, inquit, *Canaan.* En abdicationem Canaanitarum à vocationis gratiâ. Et: *Pelliciet Deus Japhetum, & habitabit in tentoriis Semi.* En diſtinctionem temporis duplicis; illius, quo Semus hæres benedictionis habebit Deum, & Japhetus erit ſine Deo in mundo; & illius, quo Japhet adducetur ἑλκυσικῷ verbo ad communionem Semi. Igitur Chami inprimis & Japheti poſteris hæc averſatio incumbebat. Geneſ. 9: 28. 29.

§. 5. Finis hujus tantæ ſeveritatis pro tempore exercitæ in mundo, eſt idem, qui fuit ſupra Artic. VII. f.

ARTICULUS XI.

NEc tamen ita Deus neglexit gentes, ut ipſas omni beneficio privaret, ſeque ipſis planè inteſtatum relinqueret. Namque præter illa, quæ communiter in genus humanum per illa tempora edidit patientiæ, longanimitatis ac beneficentiæ ſingularis teſtimonia, de quibus ſuprà ad Art. III. Hoc inſuper effecit, ut, quo certiùs ac tutiùs quiſque bonis & commodis hujus vitæ

vitæ frueretur, in cœtus irent, reſpublicas conderent, certis legibus atque inſtitutis vel ſe obligarent invicem, vel Rectoribus ac Magiſtratibus, ſibi impoſitis, aut tacito conſenſu admiſſis, ſe paterentur obligari: Excitatis etiam ſubinde, qui artes & ſcientias omnes in vitâ utiles excolendo, novis præclarè inventis, tùm harum pomœria feliciter extenderent, tùm vitæ commoda inſigniter amplificarent & juvarent.

DEMONSTRATIO.

De generali mundi & gentium curâ, in ſequentia etiam ſæcula continuatâ, agit Moſes Deut. 4: 19. Ubi Deum gentibus ait pro ſorte aſſignâſſe ſidera cœli. Diſciplinationem verò & eruditionem earundem agnoſcit, Deoque auctori adſcribit David, Pſalm. 94: 10. Ubi Deum *arguere*, id eſt convincere de veritate, & falſitate, juſtitiâ & injuſtitiâ, per verbum & Spiritum ſuum, probat ex duplici effectu: 1. quòd *corripiat gentes*. id eſt, quòd gentes, quæ ſunt extra politiam ejus, frenet legibus, inſtitutis humanitatem redolentibus, à malis multis abducat, ad virtutes aliquas ducat; pudore, reverentiâ ſapientum ac prudentum eos regat, det ipſis principes & magiſtratus ad vindictam malorum & laudem bonorum, tribunalia, judicia, honeſtas diſciplinas ad directionem, eloquentiam, philoſophiam ad *παιδείαν*, utiles artes ad occupationem honeſtam & mutuam adminiculationem vitæ, & omnia, quæ ad hominum civilem ſocietatem cum commodo ſervandam pertinent, illis largitur. Deinde judicium quoque ſuum inter gentes peragit, meliores tutando, deteriores puniendo. Adeò ut & gentes de Divinâ ultione loqui poſſint, & eam confiteri cogantur. 2. quòd ſit is, *qui docet homines ſcientiam*. Sive intelligas ſcientiam rerum terrenarum & civilium, omnemque prudentiam; ſive cognitionem eorum, per quæ homo invitatur ad Deum; ſive cognitionem Dei & reverentiam nominis ipſius.

ARTICULUS XII.

QUanquam ſatis apta ad correctionem generis humani, hæc, & præcedentia omnia, tùm judicia, tùm beneficia Dei, videbantur, ſaltem ab apertis flagitiis & ſceleribus unumquemque abſterrere debebant; tamen tantum abfuit, ut natura corrupta iſtis fuerit ſanata, ut ulteriùs fuerit progreſſa, & quaſi iret impletum menſuram infamiæ ſuorum majorum, nihil ad ſummam impudentiam ſibi fecerit reſidui. Cujus perditæ nequitiæ exemplum hoc tempore exſtiterunt incolæ quinque urbium, Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Zeboim, & Zoar. Gen. 18. & 19.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque in hoc hominum ſæculo factum rurſus eſt, quod queritur Pſalmus 14. *Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus. Perditè egerunt; abominanda facinora commiſerunt. Non erat, qui faceret bonum.*

§. 2. Enumerat peccata Sodomæ Ezechiel cap. 16: 49. 50. *Ecce hoc fuit peccatum Sodomæ ſororis tuæ: erectio, ſatietas, panis, & tranquillitas* (aut *felicitas*.) *conſtans erat illi & filiabus ejus, & manum inopis & egeni non apprehendit*. verſ. 49.

Et exaltatæ ſunt, & fecerunt abominationem coram me. nempe fecerunt id, quod honeſti homines non faciunt, ex ſecuritate & εὐθηνίᾳ. verſ. 50. Huc alludit Jeremias, cap. 23: 14. Ubi malitia Judæorum ab illâ Sodomitarum, ut ſimili, ita exaggeratur: *Confirmarunt manus maleficorum ..... Facti ſunt mihi omnes, ut Sodoma, & habitatores ejus, ut Gomorrha.*

ARTICULUS XIII.

NOn decebat Deum, quantumvis clementem & longanimem, tam turpem dictu, tamque univerſalem iſtius gentis inſolentiam, æquo animo præterire. Igitur, immiſſo cœlitùs igne & ſulphure, conſumſit illam, & regionem eorum univerſam, cum ipſis urbibus, eodem igne liquatam, & in ſtagnum peſtiferum verſam, funditùs evertit. Gen. 19,

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc iterùm facto *Deus proſpectavit de cœlo ſuper filios hominis.* Pſ. 14: 2. Et *removit illas* urbes à conſpectu ſuo, & facie terræ, *cùm vidit.* Ezech. 16: 50.

§ 2. Ad everſionem Sodomæ & Gomorrhæ crebra apud Prophetas eſt illuſio; Ut Deut. 29: 23. 13: 19. Eſai. 1: 9. Am. 4: 11. Zeph. 2: 9. &c. Ut illam in exemplum accidiſſe ſæculis futuris, hinc conſtet. Quod explicans Pſalmiſta ait, Deum proſpectâſſe eo fine, *ut videret, an quis eſſet animadvertens & quærens Deum.* Pſal. 14: 2. Conf. Art. VII. f.

§. 3. De cætero ad hunc ſcopum, quem indicavimus, Deum collineaſſe in electione & culturâ populi Iſraëlitici, docet Eſai. 5: 2. Ubi poſtquam ſub allegoriâ vineæ à Deo paſtinatæ, & elapidatæ, & plantatæ optimâ vite, & ædificatæ turris in medio ejus, atque etiam lacus excisi in eâ, recenſuiſſet beneficia Dei in populum Iſraëliticum collata, finem, ad quem omnia illa beneficia fuerint comparata, ſic proponit: *Et exſpectavit ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Nim. Deus ſub ἀνοχῇ & μακροθυμίᾳ prioris ſæculi, cùm inſigniter alicui populo benefaceret, inſtar habuit Domini vineæ & ἀμπελουργῷ, qui poſt cultum vineæ, non tàm exſpectat fructum, ſi bona ſit, quàm manifeſtationem malæ indolis, ſi ſit mala. Ut enim terra, viriditatem & ſpinas tribolosque protrudens, videtur ſæpe polliceri fructum, ſi colatur; ita caro ſe jactat coram Deo ſuâ poteſtate & bonitate, & imagines quaſdam virtutum oſtentat, flagitans quaſi Divinam inſtitutionem, & ei objiciens negligentiam colendi, cum promiſſione boni fructus, ſi colatur. Et ut oblatâ ejuſmodi terrâ, ſæpe agricola illam colit, non ſpe certâ fructus ex eâ prodituri, ſi colatur, quæ poſtea ipſum fallat, ſed aliquando, ut pravitatem ejus exploret & manifeſtet; Ita Deus aliquando hominem carnalem, de ſuâ poteſtate præſumentem, excoluit omnibus iis ſalutis mediis, quæ de ſuâ poteſtate præſumentes Deo poterant petere, atque exſpectare, quibus utentes propriis viribus ſalvarentur, non ſpe certâ futuræ emendationis, quâ poſtea per errorem vel ignorantiam exciderit, ſed ut exploraret ac manifeſtaret illius malignitatem & ineptitudinem ad faciendum bonum per cultum & ἀνοχήν. Ac denique ſicut talis agricola, propter ſimilitudinem apparentiæ fructus, quam habet hæc terra mala cum bonâ, poteſt dici per metaphoram exſpectare ut faciat fructus; ita & Deus ſimili metaphorâ hic dicitur *exſpectaviſſe, ut faceret uvas, & feciſſe labruſcas.*

§. 72. Eſſe

§. 3. Eſſe autem hunc, quem dedimus, ſenſum horum verborum, patet ex ſcopo hujus parabolæ, & ſic metaphoræ, qui non eſt docere hominis indifferentiam, ſed convincere hominem, quòd ſit inexcuſabilis. Hujus autem convincitur, non tantùm ſi ſit indifferens, ſed etiam ſi malus ſit, & impotens ſe ſubjicere Deo, & ſic ὑπόδικος.

§. 4. Cæterùm nullum huic populo ſalutis medium defuiſſe, & nominatim omnia, quæ poterat à Deo poſtulare, ab ipſo eſſe facta, conſtat ex hiſce contentionis verbis: *Quid faciendum ampliùs vineæ meæ, quod non fecerim in eâ.* q. d. Quæ ſalutis media defuerunt jactantibus ſuam poteſtatem, quaſi non indigerent Divinâ regeneratione, & cum Deo contendentibus contra judicium Dei, quo is condemnat omnem carnem? Ib. verſ. 4.

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ

PERIODUS SECUNDA.

De rebus geſtis à notificatione utriuſque Teſtamenti, uſque ad initium exſecutionis Prioris; id eſt à vocatione Abrahami ad exitum Iſraëlis ex Ægypto.

ARTICULUS I.

NEc tantùm ſic Deus editis in mundo exemplis clementiæ & iræ, ſed & beneficiis illuſtribus ac peculiaribus in unum certum populum collatis, & adhibitâ omni iſtius populi culturâ, experiri voluit, ecquid in carne virium ſupereſſet ad merendum juſtitiam & vitam per ſe ipſam: Quo ſic quoque demonſtratâ & convictâ carnis impotentiâ, neceſſitas gratiæ per Chriſtum dandæ plenè manifeſtaretur; & ipſe ſolus qualem ſe futurum promiſerat, Salvator & rex Eccleſiæ agnoſceretur, exſpectaretur, & revelatus crederetur in totâ terrâ. Eo fine Deus, abdicatis à vocationis gratiâ reliquis gentibus, populum ſibi peculiarem conditurus, Abrahamum, è poſteris Semi, elegit; eique in communionem fœderis gratiæ, in quo hactenùs inde ab Adamo ſteterant Patres, adducto, promiſit *Semen*, id eſt populum, vi promiſſionis ex lumbis ejus proditurum, ad hunc populum ſolum, idem fœdus & regnum gratiæ, durante tempore averſationis gentium, reſtricturus.

Nec tantùm: Sed etiam Conſilium ſuum de duplici hæreditate, unâ in communione ejuſdem fidei & ſalutis gentium, Alterâ, in ſymbolum, pignus, & figuram illius, terræ Canaan, Abrahamo & Semini ipſius dandâ, ipſi notificavit; indicatis etiam temporum circumſtantiis, quibus id erat exſecutioni mandandum. Atque ita effecit, ut Abraham, relictâ patriâ, iret peregrinatum in terrâ non ſua, A. M. 2078. poſt diluvium 419. ætatis 70. ante exitum ex Ægypto & datam legem 430. Vid. Gen. cap. 11:31. 12:1. 2. 12:7. 13:14.—17. 15:1. 15:4. 5. 15:13. 14. 15: 18.---21. 17:2.---9. 17:15. 16. 17:19. 21. 22:16. 17. Exod. 12:40. Gal. 3:17.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ad hiſtoriam eductionis Abrahami ex Ure Chaldæorum alludit Ezechiel, ubi hinc *Chaldæam* vocat *terram nativitatis* Judæorum. Ezech. 23:15.

§. 2. In vocatione autem iſtâ atque adductione Abrahami ad fœdus gratiæ, & ad interiorem conſilii Divini notitiam, impleri cœpit prophetia Noachi: *Benedictus Jehovah Deus Semi*. Quâ fœdus Dei cum Abrahamo, & Chriſtus ex Semo prodituris denotatur. Gen. 9:28.

§. 3. Meminit hujuſce duplicis conſilii Abrahamo notificati Propheta, Pſal. 105. verſ. 8.—11. Ubi in parænesi directâ ad poſteros Abrahami ultimi temporis, eos invitat ad recordationem veritatis Dei in præſtandâ promiſſione Abrahamo factâ, quæ promiſſione poſſeſſionis terræ Canaan obſignata & figurata eſt. *Recordatus eſt*, non pœnitet eum, jamque tempus ab ipſo definitum venit, ut hæreditatem terræ det ſemini Abrahami, *in ſæculum fæderis ſui*, quod contraxit cum Patriarchis, promittens eis, ſi crederent in ipſum, ſe hæc repræſentaturum; *verbi*, promiſſionis ſponte indicatæ, juramento confirmatæ, à nullâ conditione ſuſpenſæ, *quod edixit in mille generationes*, in omne ævum. verſ. 8. *Quod pepigit cum Abrahamo*, declaravit ipſi per ſymbola fœderalia, ut quaſi ex pacto penderet veritas; *& juramenti ſui*, quo verbum ſuum fecit irrevocabile, *ad Iſaacum*. verſ. 9. Quodque *conſtituit in legem Jacobo, & Iſraëli in fœdus perpetuum*. quod propoſuit ad credendum, & tanquam medium, per quod Deus ipſorum & illi populus ipſius futuri eſſent. verſ. 10. Intelligit promiſſionem, quòd Deus vellet eſſe Deus ipſius, & ſeminis ipſius poſt ipſum: Item, quòd in ipſo, & in ſemine ipſius, gentes eſſent benedicendæ. Quod in Scripturis hæreditas mundi appellatur. Nec enim hic eſſe ſermonem de hæreditate terræ Canaan patet ex eo, quia nec Abrahamo data eſt illa terra; & quia nec milleſimâ generatione data eſt, ſed quartâ, neque in milleſimam. Nam ter decimâ quartâ natus eſt Chriſtus, & paulo poſt expulſi ſunt ex terrâ. Vigeſimâ octavâ autem generatione jam X. tribus abierant, & Judæi deportati erant. Promiſſionem itaque illam priorem Deus ſancivit, *dicendo*, S. *quum diceret: Tibi dabo terram Canaan, funem hæreditatis veſtræ*. tanquam figuram hæreditatis mundi, & ſignaculum veritatis meæ. verſ. 11.

§. 4. Id conſilium quoniam eſt liberrimi atque immutabilis, & quaſi ultima voluntas de hæreditate, & in morte ejus, qui illud concepit, fundatur, Teſtamenti appellatione inſignitur. Ita enim Lxx. interpretes vocabulum בְּרִית, quo in V. T. hoc conſilium Sæpiſſimè exprimitur, verterunt; idque interpretamentum Scriptores

res N. Teſt. reſtinuerunt. Et quia ratione duplicis hæreditatis conſtat duabus quaſi partibus, quarum una alteram exſecutione antecedit, & alterâ repræſentatâ altera aboletur, in duo Teſtamenta, unum Prius ſive Vetus, alterum Poſterius ſive Novum, diſtinguitur in prophetiâ. Vid. Jerem. 31: 31. 32. Ezech. 16: 60. 61. Quod idcirco duplex Teſtamentum hîc primum revelatum, poſtea autem tempore quoque ſuo impletum, & rebus ipſis repræſentatum cognoſcitur in Hiſtoriâ. Vid. inf. Art. XI. & ſeqq. & Per. VI. Art. Ult.

§. 5. Quoniam vero hoc fœdere Deus cum Patribus, qui fuerunt ante V. Teſt. quotquot per fidem promiſſionis juſtificati ſunt, nominatim Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, q. matrimonium contraxit, nomine *Uxoris*, & quidem *Uxoris adoleſcentiæ*; Eſai. 54: 6. Et quia habuerunt promiſſionem de ſemine, eamque ſuâ fide ratificârunt, & exemplum credendi ad juſtitiam dederunt, nomine *Matris* hi Patres laudantur in Prophetiâ. Vid. Eſ. 54: 1.

ARTICULUS II.

NAſcitur Abrahamo in terrâ peregrinationum ipſius Semen, nempe Iſaacus; Gen. 21: 1. 2. quod idcirco ſemen, ſicut hactenùs, per annos 30 fecerat Abrahamus, mox incipit *peregrinari in terrâ non ſuâ*, id eſt ſibi non promiſſâ, & ad quam invadendam nullum jus haberet: Quæ peregrinatio abhinc, ſcil. à nativitate Iſaaci, duratura erat per *annos quadringentos*.

DEMONSTRATIO.

Natus eſt Iſaacus ſecundùm promiſſionem, quæ exſtat Geneſ. 17: verſ. 16. item verſ. 19. 21. De peregrinatione autem ſeminis Abrahami vid. Gen. 15: 13.

ARTICULUS III.

ABraham, cùm bonâ fide conſenuiſſet, tranquillè decedit; Geneſ. 25: 8, Deus autem filio ejus Iſaaco, Geneſ. 26: 2. --- 4. Et Ibidem verſ. 24. Et nepoti Jacobo, Geneſ. 28: 13. 14. 35: 9. --- 12. eaſdem promiſſiones iteratò inſinuat atque addicit; ſic quoque excluſis ad tempus à vocationis privilegio, cæteriſque Veteris Teſtamenti beneficiis, Iſmaële, & Eſavo, poſteriſque eorum, & benedictione per Iſaacum ad ſolum Jacobum, & ſemen ejus coarctatâ.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Talis vitæ exitus contigit Abrahamo ex oraculo, quod legitur. Gen. 15: verſ. 15.

§. 2. Repetitam verò Iſaaco & Jacobo promiſſionis paternæ & avitæ formulam indicat Pſ. 105: 8. — 11. quem locum paulo ante Art. I. illuſtravimus.

§. 3. De excluſione Iſmaëlis à fœdere & Teſtamentis promiſſionum agitur Gen. 17: 18. 19. 20 21. Eſavi quoque, antequam natus eſſet; Gen. 25: 23. Et poſtea rurſus Gen. 27: 29. 38. 41. coll. 33. 36. Quod repetitur Mal. 1: 2. 3. *Dilexi Jacobum, & Eſavum odi.*

ARTICULUS IV.

JAcobus, tametſi haberet benedictionem, & promiſſionem de terrâ hæreditandâ, tamen coactus eſt ex illâ exire, & fugere à conſpectu fratris ſui: etiam apud conſanguineos ſuos ſervivit pro uxoribus ſuis.

DEMONSTRATIO.

Hinc dicitur *Syrus periens*. ſive miſer, ταλαίπωρος. Deut. 26: verſ. 5. Et meminit hujus fugæ & ſervitutis Jacobi Hoſeas, facitque argumentum ad conſolationem eorum, qui coguntur fugere propter regnum Dei, & ærumnas pati; cap. 12: verſ. 13. *Et fugit Jacob in agrum Syriæ, & ſervivit Iſraël pro muliere, & pro muliere excubias egit.*

ARTICULUS V.

AUgetur Jacobus numeroſâ filiorum ſobole, per quos genere mox propagato, principibus nationum, & capitibus familiarum jam prognatis, prima populi lineamenta duci ac ſpectari in mundo cœpere.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque in domo Jacobi primùm impleri cœpit promiſſio facta Abrahamo, Geneſ. 12: 2. 13: 16. 15: 5. 17: 2. 4. 5. 6. 17: 16. 22: 17. & repetita Iſaaco, Gen. 26: 4. 24. ipſique Jacobo, Geneſ. 28: 14. 35: 11. de *multiplicatione ſeminis ipſorum*, & conſtitutione ejus *in populum*.

§. 2. Neque omittendum, quod in hoc ipſo populi Iſraëlitici exortu hîc notat Ezechiel, ubi Judæis Hieroſolymæ incolis originem ſuam ſic exprobrat: *Effoſſio tua & genitura tua ex terrâ Cananæi eſt: Pater tuus Amorræus, & mater Chittæa.* Quod etiam verum comperimus. Nam Geneſ. 38: 2. narratur, Judam (à quo in ſpecie Judæi Hieroſolymitani) apud Adullamitas vidiſſe filiam viri Cananæi, quam duxerit uxorem. Deinde quòd filio ſuo acceperit uxorem Thamar, ſine dubio etiam ex Cananæis, ex quâ fuerunt Peres & Zerach. Ergo Amorræi & Chittæi Judæorum avi fuerunt. Ezech. 16: 3.

ARTICULUS VI.

SIc itaque Patribus, Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, ac ſemini ipſorum, peregrinantibus in terrâ non ſuâ, non defuit præſens ubique inſpectio, cura, cuſtodia, & protectio Divina.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Juxta promiſſionem, de quâ vid. Gen. 15: 1. 26: 3. 24. 28: 15. 46: 4.

§. 2. Cuſtodiam & defenſionem patrum in terrâ, ut hoſpitum, celebrat David, Pſalm. 105: 12. — 15. hoc carmine: *Quùm eſſent homines numeri, parum, & peregrinarentur in eâ*, verſ. 12. *& ambularent à gente ad gentem, à regno ad populum alium.* h. e. à regno ad regnum; verſ. 13. Erant ſcil. pauci, Gen. 34: 30. deſpicabiles, & hoſpites, non reperientes, ubi conſiſtere poſſent. Una enim gens aliâ

erat

erat deterior. Nullibi ipſorum pietas ferebatur: opes verò oneri erant. *Non ſivit hominem illos injuriâ afficere*, Deus ipſos protexit: ut, quùm quinque reges Lotum captivum abduxiſſent, quum Sichimitas occidiſſent filii Jacobi, Geneſ. 35: 5. *& arguit ſuper ipſis reges*. ut Pharaonem, Gen. 12: 7. Abimelechum, Geneſ. 20 3. ob Saram & Rebeccam. verſ. 14. Dicendo: *Ne attingatis unctos meos*. h. e. principes meos & Sacerdotes; *& prophetis meis ne malè faciatis*. verſ. 15. *Prophetas* vocat, quia nomine Dei loquebantur, & pietatem docebant gentes, ad quas veniebant. Vide Gen. 20: 7. 23: 6.

ARTICULUS VII.

Spectata fuit inſigniter hæc Dei cura, cùm præparavit Jacobo & familiæ ejus ſubſidium in fame; ſimulque providentiâ admirandâ effecit, ut eâ occaſione hic Patriarcha cum familiâ ſuâ veniret in Ægyptum, ibique uſque ad finem quadringentorum illorum annorum, de quibus ſuprà Art. II. peregrinaretur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc Dei opus particulatim deſcribit Pſalmiſta Pſ. 105. verſ. 16. — 23. Ubi notatur

1. Famis adductio: *Et vocavit famem ſuper terram, omnem ſcipionem panis confregit*. verſ. 16.

2. Adminiculi præparatio. In quâ eſt Joſephi

a.) Venditio: *Miſerat ante ipſos virum*, hominem prudentem & fortem, cujus ſapientiâ & virtute adjuvarentur; *in ſervum vendebatur Joſeph*. verſ. 17.

b.) Incarceratio: *Debilitârunt compede pedem ejus, in ferrum venit anima ejus*, vita ejus venit in periculum, in anguſtiam ac deſperationem ſalutis. verſ. 18.

c.) Exploratio ſive experimentum ſapientiæ ejus & innocentiæ in eventu interpretati inſomnii publicati occaſione ſomnii Pharaonis: *Uſque ad tempus, quo venit verbum ejus*, ſc. Dei, quo is indicavit Pharaoni, quid ſequentibus annis futurum eſſet; *quo dictum Jehovæ ipſum conflavit:* quo ſomnium pincernæ & piſtoris ipſi fuit loco ignis, quo ſicut aurum & argentum demonſtratur purum & ſincerum, ita Deus ipſum purum & mundum à culpâ oſtendit, & Spiritu Dei præditum eſſe demonſtravit. verſ. 19.

d.) Eductio ex carcere & exaltatio: *Miſit Rex, & ſolvit ipſum, habens in poteſtate populos*, h. e. multarum gentium & civitatum Dominus, *& relaxavit eum*. verſ. 20. *Poſuit eum dominum domui ſuæ, & utentem poteſtate* (ἐξουσίᾳ) *in omnem poſſeſſionem ſuam*. verſ. 21. *Ad ligandum principes ejus*, præfectos populorum & magiſtratus, qui ipſius imperio ſubditi erant, *animâ ſuâ*, h. e. ſolo arbitratu; ut, quicquid vellet, ipſis tanquam jugum imponeret. *& ut ſeniores ejus doceret*. Sapientiam politicam: ut, quâ ratione tuerentur rempublicam tempore famis. verſ. 22.

3. Præbitio ſubſidii & copiæ, atque ita deſcenſus Jacobi, & familiæ ejus, in Ægyptum: *Et ſic venit Iſraël in Ægyptum, & Jacob peregrinatus eſt in terrâ Cham*. verſ. 23.

§. 2. Hæc Iſraëlis peregrinatio in Ægypto etiam ſignificatur Geneſ. 15: 13. in hiſce: *Scias, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terrâ non ſuâ ... annis quadringentis*.

ARTI-

ARTICULUS VIII.

DUrante peregrinatione Iſraëlitarum in Ægypto, Idumæorum conſtitutæ ſunt res; quæ adeò creverunt, ut multi jam principes & reges exſtiterint in Edomo, antequam Iſraëlitæ ullam formam reipublicæ haberent. Gen. 36: 29. 30. 31.

DEMONSTRATIO.

Itaque repræſentata eſt Eſavo benedictio, quam ei addixit pater Iſaac, Geneſ. cap. 27: 39. 40. *Ecce, opima terræ erit ſedes tua, idque à rore cœli deſuper. Et per gladium tuum vives.* Huc refer Gen. 17: 6.

ARTICULUS IX.

FAmilia Jacobi in Ægypto multiplicatur valdè, & fit populus, adeo ut impleret terram, & ſupra ipſos Ægyptios numero & robore invaleſceret. Exod. 1: 7. 9.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Vid. ſup. ad Art. V. Et ſpeciatim nunc addatur promiſſio, quæ facta eſt Jacobo, Geneſ. 46: 3. Ubi eſt: *Ne timeas deſcendere in Ægyptum: nam in gentem magnam conſtituam te ibi.* Hiſtoriam repetit Propheta, Pſal. 105: 24. *Et fructificare fecit populum ſuum valde, & fecit ipſum validiorem hoſtibus ſuis.*

§. 2. Statum hujus populi, quo die is natus, ſive populus factus eſt, h. e. cùm fuit in Ægypto, & tempus appeteret, quo Deus eum vellet ex medio populi educere, & populum peculiarem facere, hîc juvat ex Prophetis cognoſcere. Fuit is miſerabilis. Nempe, ut demonſtrat Ezechiel, cap. 16: 4. 5. ſimiliter ſe habuit, ut infans projectus in fœditate ſuâ, *non præſecto umbilico, nec aquis lotus, nec ſale ſalitus, nec faſciis involutus.* Nullum ſcil. in eo apparuit decus, vel juſtitia, propter quam præ cæteris populis à Deo diligeretur.

§. 3. Tria autem in ſtatu iſto notat Propheta, per quæ tam miſerabilis redderetur. 1. Reatum communem; qui ſignificatur per *ſanguinem*, in quo dicitur jacuiſſe volutatus. verſ. 6. 2. Defectum omnis hominis, qui poſſet remedium afferre: Quod notatur, cùm dicit, *oculum non condoluiſſe ipſi*, ut faſciis involveret, vel lavaret, &c. h. e. quicquam faceret, quod ad vitam aut ad decus pertineret. Ibid. verſ. 5. 3. Quòd fuerit *faſtidium animæ*. nempe aliis hominibus, v. c. ipſis Ægyptiis & aliis etiam gentibus; tùm quòd Ægyptiis eſſent diſſimiles, & non vellent unus cum ipſis populus fieri; tùm quòd verba, quæ à patribus acceperant, in oculis gentium ſtultitia viderentur. Ibid.

ARTICULUS X.

HActenùs Deus Iſraëlitis dederat gratiam in oculis Ægyptiorum. Cum maximè autem, illis in populum auctis, cùm vererentur Ægyptii, ne ſibi tandem prævalerent, & potentiam ſuam contra ipſos erigerent, Deus mutavit animum ipſorum. Quo factum eſt, ut Ægyptii in odium, & ad

dolos

dolos, converſi, Iſraëlitas gravi ſervitute premerent, conati hoc pacto incrementum ipſorum ſufflaminare, & ſervilibus operibus attritos à rerum novarum molitione abſtinere. Exod. 1: 10. 12.

DEMONSTRATIO.

Præviderat hoc ipſum Spiritus, prædicens Abrahamo, fore, ut *Semen ipſius*, labentibus *annis quadringentis* peregrinationis ſuæ, *ſerviant ipſis, & affligant eos.* Geneſ. 15: 13. 14. Rem ita narrat Pſalmiſta. Pſalm. 105: 25. *Vertit cor ipſorum, ad odiendum populum ſuum, ad dolum nectendum contra ſervos ipſius.* Et Pſalm. 129: 1. *Multum arctârunt me à pueritiâ meâ (dicat age Iſraël.)* Et hoc initium *Anguſtiæ*, & *oppugnationis* populi, de quâ eſt Eſ. 63: 9.

ARTICULUS XI.

FRuſtra! Deus enim hujus populi habuit rationem. *Innotuit ipſi in Ægypto*, in fœdus gratiæ ipſum aſſumſit, conſilium ſuum de hæreditate terræ ipſi danda, quod Vetus Teſtamentum appellatur, ei rurſus declaravit, addito, quod Patres non audiverant, ſe jam in eo eſſe, ut promiſſionem illam, atque ita vim nominis Jehovah, repræſentet; Et hâc tandem declaratione ipſum obligavit, ut alacris ad illam terram proficiſceretur, & eam occuparet. Tantùm ab ipſo fidem, amorem, omnemque affectum tantis beneficiis dignum reſtipulatus. Exod. 6: 2.—8.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Quòd Deus innotuerit Iſraëli in Ægypto ſic repetitur Ezech. cap. 20: 5. *Et innotui*, vel notificavi me, *ipſis in terrâ Ægypti.* Et verſ. 9. Ibid. *Ante quarum oculos innotueram ipſis.* Idemque ſignificatur Pſalm. 81: 6. Ubi dicitur Iſraël eo tempore, *quùm Deus exiret in terram Ægypti, labium ejus, quem non norat audiviſſe.* h. e. audiviſſe vocem ejus, quem antea non audiverant loquentem; quem etiam ignoraverant magnâ ex parte, etiamſi promiſſio patribus facta exſtaret. Certè quem omnis homo ignorat, niſi cui ipſe ſe, & cui Pater ipſius per Spiritum ſuum eum notificaverit.

§. 2. Tranſactionem Dei cum Iſraëlitis in Ægypto ita explicat Ezechiel, cap. 16: 6. *Dicebam tibi in ſanguine tuo, vive: Dicebam, inquam tibi, in ſanguine tuo, vive.* id eſt, jubebam te vivere, non obſtante reatu & morte, in quâ jacens inveniebare. Itemque cap. 20: 5. 6. Ubi Propheta incipiens ordine detexere tempora populi Iſraëlitici, ab Ægypto ſic orditur: *Sic dixit Dominus Jehovah: quo die elegi Iſraëlem*, h. e. incepi cum illis agere, tanquam cum populo meo proprio, omiſſis Ægyptiis, & aliis gentibus; *Suſtuli manum meam*, h. e. juravi, *ſemini domus Jacobi, & innotui* vel notificavi me *ipſis in terrâ Ægypti*; *ſuſtuli, inquam, manum meam ipſis, dicendo: Ego Jehovah Deus veſter.* Nota in hâc appellatione ſummam omnium beneficiorum contineri. Eſt enim in eâ redemptio, juſtificatio, ſanctificatio & glorificatio. verſ. 5. *Eo die ſuſtuli manum meam ipſis, de educendis ipſis ex terrâ Ægypti in terram, quam exploraveram illis, manantem lacte & melle, quæ eſt decus omnium terrarum.* verſ. 6.

§. 3. Quibus reſtipulationem gratitudinis tantis bonis reſpondentis ita ſubjugit: *Et dixi ad ipſos, quiſque abominationes oculorum ſuorum,* propria conſilia de bono & recto, *projicite, & ſtercoribus Ægypti ne inquinetis vos.* omnem cultum & inſtituta ipſorum habere pro ſtercoribus, & in nullâ re cum ipſis habere communionem: *Ego Jehovah Deus veſter.* Me ergo pro Deo veſtro habere, mihi ut Deo veſtro gratias agere ſtudete. In quibus manifeſta eſt ſtipulatio fidei, & reſipiſcentiæ. verſ. 7. Unde patet, non poſſe videri ullo modo legem operum eſſe datam Iſraëlitis hujus Teſtamenti vel fœderis causâ. Nam Decalogus, quem quidem putant eſſe legem operum, in Ægypto non fuit pronunciatus.

§. 4. Eandem tranſactionem intelligit Jeremias, cap. 31: 32. ubi eam vocat *fœdus, quod Deus pepigerit cum Patribus, die, quo apprehendit manum eorum, ut eos educeret ex Ægypto.* In quibus manifeſtum eſt per *Patres* non intelligi Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum; & ſi intelligantur ii, qui ex Ægypto educendi erant, cùm etiam Abraham, Iſaac, & Jacob fuerint fœderati Dei, ex Levit. 26: 42. indigitari novum fœdus ſ. Teſtamentum, quod ſucceſſerit, fœderi & Teſtamento, ſub quo fuerunt Patres, fueritque adeo quodammodo ab illo diverſum. Diverſitas illa 1. in eo conſiſtit, quòd Patres quidem habuerint promiſſionem, & facti fuerint hæredes pacis & amicitiæ cum Deo, juſtitiæ, & vitæ; jam vero ad promiſſionem & hæreditatem patrum acceſſerit & pignus. 2. quòd Deus quidem declaraverit patribus, ſe ipſis daturum terram Canaan, hoc tamen explicaverit de ſemine ipſorum: Jam nunc autem educendis ex Ægypto dixerit, quòd ipſis & generationi illi daturus eſſet hæreditatem terræ promiſſæ. In quo etiam novitas & diverſitas eſt. Sicuti diverſus eſt, qui aliquid promittit in futurum, ab eo, qui promiſſionem illam parat repræſentare, & hoc ſe parare profitetur.

§. 5. Ab hâc porrò diverſitate fœderum eſt, quòd Scriptura patres Iſraëlitarum quaſi proprios non tàm vocet illos, qui cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo vixerunt ante legem, quàm illos, qui educti ſunt ex Ægypto, & poſtea ſteterunt ad montem Sinai; ut Jerem. 31: 32. atque etiam alicubi duplices Patres ſub nomine duplicis Matris repræſentet illos, qui ex Ægypto deducti ſunt, & ſequentes deſignans matrem filiorum Veteris Teſtamenti; Patres verò anteriores matrem filiorum Novi. Vid. Eſai. 54: 1. & 50: 1.

§. 6. Meminit hujuſdem fœderis in Ægypto cum populo initi Ezechiel, cap. 16: 60. Ubi appellatur *fœdus Dei cum populo in diebus adoleſcentiæ ejus.* Et verſu 61. idem appellatur *fœdus populi.* nempe diſtinctè à *fœdere Dei*; de quo fœdere eſt verſu 60. ſ. & 62. Intelligitur autem per *fœdus populi* illud fœdus, quod poſt fœdus cum patribus factam cum Iſraëlitis fecerat, ex quo fœdere ipſis & hæreditas terræ, & templum, & politia, & alia ipſius generis, debebantur.

§. 7. Ad qualitatem hujus fœderis pertinet, quod non eſſet ἄμεμπτον & ſine querelâ. Hebr. 8: 7. Præterquam enim, quòd bona hoc fœdere promiſſa non erant talia, ut ipſis meliora non fuerint exſpectanda, relinquebatur in eo locus transgreſſione & dominationi gravi; quæ & poſtea eſt introducta. Hæc fœderis conditio facilè intelligitur ex iis locis, in quibus innuitur, eſſe abolendum. Ut Jer. 31: 32. *Non ut fœdus quod pepigeram cum parentibus ipſorum, die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto.* Item Ezech. 16: 61. *Non ex fœdere tuo.*

§. 8. Atque ita quidem Deus in Ægypto *elegit Iſraëlem.* h. e. eum ſeparavit à reliquis gentibus in populum peculii, & tanquam cum populo ſuo peculiari incepit agere. Ezech. 20. verſ. 5. Quam ſeparationem quoque ex notione *Vineæ*, cui compa-

comparatur hic populus, Eſai. 5: 1. proclive eſt intelligere. Quare etiam Eccleſia Apoſtolica commemorat apud Eſaiam, cap. 63: 8. Deum *dixiſſe: Certè populus meus illi ſunt.* h. e. hanc gentem ex omnibus gentibus elegiſſe, ut vocaretur populus Dei.

ARTICULUS XII.

AT populus infidelis exſtitit, & inobediens. Non tantùm abominationes ſuas, & ſtercora Ægyptiorum, non abjecerunt; ſed etiam habuerunt *ἰνδαλμα* in Ægyptiis & eorum moribus, libenterque fuiſſent ſerrituri Ægyptiis, &, omiſsâ etiam circumciſione, in unum populum cum ipſis coalituri. Exod. 6: 9.

DEMONSTRATIO.

Ita Ezechiel, c. 20: 8. *Et inobedientes exſtiterunt in me, & non voluerunt auſcultare mihi, quisque abominationes oculorum ſuorum non projecerunt, & ſtercora Ægypti non reliquerunt.* Et cap. 23: 3. *Et fornicatæ ſunt in Ægypto, in pueritiâ ſuâ fornicatæ ſunt, ibi compreſſa ſunt ubera earum, & ibi ſubagitârunt ubera earum virginum.* Loquitur ſcil. de duobus regnis populi Iſraëlitici ſub figurâ duarum mulierum ſororum, filiarum unius matris. Illis ſororibus adhuc exiſtentibus in Ægypto *pueritiam* attribuit, quia hæc initia populi fuerunt, & eo tempore verbum Dei habuerunt non in iſtâ copiâ, quâ poſtea. *Virgines* etiam appellat, quia non didicerant in familiâ Patriarcharum habere imagines, aut alium Deum præter Jehovam nominare.

ARTICULUS XIII.

ITaque Deus juſtam habuit cauſam, hunc populum in Ægypto conſumendi; cujus iræ juſtæ ſignum fuit, quòd Deus eos à Pharaone ſivit duriter tractari, & filios ipſorum occidi.

DEMONSTRATIO.

Id ſignificat Ezech. c. 20. 8. *Et cogitabam effundere excandeſcentiam meam ſuper ipſos ut conſumerem iram meam in ipſis in medio Ægypti.*

ARTICULUS XIV.

FEcit tamen Deus propter nomen ſuum, ne id profanaret coram gentibus, coram quibus ipſis innotuerat, (Sup. Art. XI.) ut parceret ipſis.

DEMONSTRATIO.

Vid. Ezech. 20: 9.

ARTICULUS XV.

Imò & benedixit populo, faciendo ut creſceret in multitudinem ingentem, adeo ut propter eam cœperit eſſe ſpectabilis in mundo.

DEMONSTRATIO.

Hoc in allegoriâ puellæ adhuc adoleſcentis ſic enatrat idem Propheta, c. 16: 7. *Amplificatam, tanquam gramen agri, dedi te, & ma or facta es, & magna facta es, & perveniſti ad pulchritudinem pulchritudinum: Ubera conſtiterunt, & capillus tuus germinavit.* Add. ex ſup. Art. XI. Pſ. 105: 24.

ARTICULUS XVI.

TAndemque cum potenter & miraculoſè eduxit ex Ægypto.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De eductione Iſraëlis ex Ægypto non una eſt mentio in Prophetiâ. Ut Pſ. 80: 9. *Vitem* h. e. ſtirpem hominum ab uno patre Abrahamo ceu radice oriundam, *ex Ægypto moveras.* Ut fructificaret. Pſ. 81: 11. *Ego ſum Jehovah Deus tuus, qui te eduxi ex terrâ Ægypti.* Pſ. 114: 1. *Quum exiret Iſraël ex Ægypto; domus Jacobi ex populo barbaro.* Pſ. 136: 11. *Et eduxit Iſraëlem ex medio illorum Ægyptiorum.* Eſ. 18: 2. *Ad gentem tractam.* ex Ægypto. Jer. 31: 32. *Die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto.* Jer. 32: 21. *Et feciſti ut exiret populus tuus Iſraël ex Ægypto.* Ezech. 20: 10. *Et eduxi eos ex Ægypto.* Am. 2: 10. *Et ego feci, ut aſcenderetis ex terrâ Ægypti.* Quod autem eductio iſta fuerit potens & miraculoſa, in genere patet ex ſequentibus: *Tu es Deus, qui facit admirandum: notificâſti populis,* ut Ægyptiis, *robur tuum* inſuperabile, & vim omnia perdomantem, eos vel exſtirpando, vel tibi ſubjiciendo. Pſ. 77: 15. *Coram patribus ipſorum feceras mirabilia in terra Ægypti, agro Tanitico.* Pſ. 78: 12. *Non recordati ſunt manus ejus, quâ redemit illos ab hoſte. Quum edidit in Ægypto ſigna ſua & prodigia ſua in agro Tanis.* Pſ. 78: 41. 43. *Miſit ſigna & prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaone & in omnibus ſervis ejus.* Pſ. 135: 9. *Manu forti & brachio extenſo.* Pſ. 136: 12. *Qui fecit ambulare ad dextram Moſis brachium decoris ſuum.* Eſ. 63: 12. *Qui poſuiſti ſigna & prodigia in Ægypto uſque in diem hunc & in Iſraële, & in hominibus, & feciſti tibi nomen, quale eſt hodie. Et feciſti ut exiret populus tuus Iſraël ex Ægypto, in ſignis & prodigiis, & manu validâ, & brachio extenſo, & terrore magno.* 32: 31. 32.

§. 2. Fuere hæc miracula conjuncta cum pœnâ Ægyptiorum, & ſalute ac tandem plenâ liberatione Iſraëlitarum. Pœna hoſtium intelligitur ex hiſce: *Immittebat illis æſtum iræ ſuæ, excandeſcentiam & ſeveritatem & anguſtiam, miſſile angelorum malorum.* Pſ. 78: 49. Salus Iſraëlitarum: *In te confiſi ſunt Patres noſtri, confiſi ſunt, & feciſti ipſos evadere. Ad te clamaverunt, & liberati ſunt. In te confiſi ſunt, & non ſunt pudefacti.* Pſ. 22: 5. 6. *At Deus eſt rex meus à priſco, parans ſalutes in medio terræ.* Pſ. 74: 12. *Tu, cujus ſubduxi ſarcinæ humerum, cujus palmæ ab ollis receſſerunt. Qui in arcto clamâſti, & quem liberavi.* Pſ. 81: 7. 8. *Et ſervavit ipſos nihilominus,* non obſtante infidelitate ipſorum, *propter nomen ſuum, ad notificandam potentiam ſuam.* Pſ. 106: 8. *Et ſervavit eos ex manu oſoris, & vendicavit eos ex manu Inimici.* Ib. vers 10. *Multùm arctârunt me à pueritiâ meâ, etiam non prævaluerunt.* Pſ. 129: 1. 2. *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat eos quisquam, & Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos, in dilectione ſuâ & in clementiâ ſuâ ipſe aſſerebat ipſos, & bajulabat illos & ferebat illos omnibus diebus ſeculi.* Pro ipſis tanquam ſponſor interceſſit, & eos tanquam ſibi datos, pro quibus receperit ſatisfacere, ſibi liberos dimitti petivit; & illos ſibi quaſi impoſitos tulit verbo potentiæ ſuæ. Eſ. 63: 9.

§. 3. Nec

§. 3. Nec tantùm ſic generaliter & in univerſum, ſed & in particulari, & cum ſuis circumſtantiis, hanc eductionem Iſraëlitarum ex Ægypto deſcribit ſecuta hiſtoriam Prophetia. Quod idcircò quomodo faciat, hîc operæ pretium eſt, ut videamus.

§. 4. Inprimis Scriptura hîc nominat miniſtros Dei, tam in educendo populo, quam in operibus miraculoſis in Ægypto edendis, homines contemptibiles, Moſen & Aäronem; quorum etiam Moſen ſignificat à Deo conſtitutum ac nominatum Pharaoni regi Ægypti in Deum, qui ſcil. Pharaoni dimiſſionem populi tanquam verbum Dei mandaret, & ni faceret imperata, ultionem ac pœnam cæleſtem denunciaret, & mox exſequeretur. Exod. 4: 16. 7: 1. Ita enim legimus, Pſ. 105: 26. 27. *Miſit Moſen ſervum ſuum: Aharonem, quem elegerat*, ſcil. ad legationem hanc & ſacerdotium. verſ. 26. *Qui poſuerunt in ipſis* Ægyptiis *verba ſignorum ejus* Dei, *& prodigia in terrâ Chami.* verſ. 27. Miſſi ſunt, ut denuntiarent, & invocato nomine Dei extenſo baculo, in ſignum venturi judicii, prodigia ederent. Hominis quippe eſt mitti à Deo cum *verbo ſignorum Dei*, h. e. ad prædicandum ſeu indicandum miraculum futurum, & nominandum nomen ejus qui id facturus eſt, Dei; Dei autem nominati eſt id facere. Et huc alludit. Pſ. 82: 6. *Ego dixeram: Vos iſtis Dii*, h. e. vobis credent homines, vobis parebunt, vel ad credendum & parendum obligati erunt, jubentibus aliquid in nomine Dei, à vobis etiam judicabuntur, quia ad vos verbum Dei factum eſt. Ita enim primus Moſes Deus Pharaonis nuncupatus eſt. Moſis quoque ut miniſtri Dei, fit mentio. Eſ. 63: 11. 12. *Et recordatus eſt dies ſæculi, Moſis, populi ejus. Ubi, qui fecerat illos adſcendere ex mari?* verſ. 11. *Qui fecit ambulare ad dextram Moſis brachium decoris ſuum?* verſ. 12. Item Hoſ. 12: 14. *Et per Prophetam fecit Jehovah Iſraëlem adſcendere.*

§. 5. Moſes itaque ſic inſtructus auctoritate & verbo Divino cum Fratre Aharone, adiit Pharaonem, juſſitque, ut Iſraëlem dimitteret: Eſſe enim hunc populum Dei & filios ejus. Quò reſpicit Eſ. 63: 8. *Et dixit: Certè populus meus illi ſunt, filii qui non mentientur.* Nam in Ægypto Moſes apud Pharaonem Iſraëlem vocavit *filios.*

§. 6. Quum Pharao non auſcultaret Moſi, ordine ſecutæ ſunt hæ plagæ:

1. Sanguis. Exod. 7: 17. 18. *Et mutavit in ſanguinem amnes illorum, ut fluenta ſua non biberent* Pſ. 78: 44. *Mutavit aquas illorum in ſanguinem, & occidit piſces illorum.* Pſ. 105: 29.

2. Ranæ. Exod. 8: 1. *Immiſit ipſis..... ranam, ut comederet ipſos.* Pſ. 78: 45. *Verminavit terra illorum ranis, quæ fuerunt in penetralibus regum ipſorum.* Pſ. 105: 30.

3. Pediculi. Exod. 8: 12. *Dixit, & venerunt pediculi in omni termino ipſorum.* Pſ. 105: 30.

4. Colluvies inſectorum. Exod. 8: 17. *Immiſit ipſis colluviem* inſectorum, *ut comederet ipſos.* Pſ. 78: 45. *Dixit, & venit colluvies.* Pſ. 105: 31.

5. Peſtis. Exod. 9: 3. *Librabat ſemitam iræ ſuæ, non comparſit à morte animam illorum, & vitam illorum peſti tradidit.* Pſ. 78: 50. Ad eam alludit Amoſus c. 4. v. 10. *Miſi in vos peſtem, more Ægypti.*

6. Ulcus. Exod. 9: 9.

7. Grando, commiſto igne. Exod. 9: 22. 23. *Interimebat grandine vitem illorum, & ſycomoros illorum pruinâ. Et tradidit grandini pecus illorum, & jumenta ipſorum ſcintillis.* Pſ. 78: 47. 48. *Dedit imbres illorum grandinem, ignem flammantem in terrâ ipſorum. Et percuſſit vitem ipſorum & ficum ipſorum, & fregit arborem* h. e. arbores *termini ipſorum.* Pſ. 105: 32. 33.

 8. Locuſta

8. Locuſta. Exod. 10: 12. *Et dedit erucæ proventum ipſorum, & laborem ipſorum locuſtæ.* Pſ. 78: 46. *Dixit, & venit locuſta, & bruchus ſine numero. Et comedit omnem herbam in terrâ ipſorum, & comedit fructum agri ipſorum.* Pſ. 105: 34. 35.

9. Tenebræ. Exod. 10: 21. *Miſit tenebras, & tenebroſum fuit; & non inobedientes fuerunt verbo ejus.* Pſ. 105: 28.

10. Ἐξολόθρευσις primogenitorum. Exod. 12: 23. 29. *Et percuſſit omne primogenitum in Ægypto, primitias virium in tentoriis Chami.* Pſ. 78: 51. *Et percuſſit omne primogenitum in terrâ ipſorum, principium omnium virium illorum.* Pſ. 105: 36. *Qui percuſſit primogenitos Ægypti ab homine uſque ad beſtiam.* Pſ. 135: 8. *Qui percuſſit Ægyptios in primogenitis ſuis* Pſ. 136: 10.

§. 7. Auctor hujus ultimæ plagæ vocatur Deus Jacobi, Pſ. 81: 6. Ubi dicitur *exiviſſe in terram Ægypti*, ad delenda primogenita illorum. Scil. *Deus Jacobi*, ex verſ. 5. Inſtrumentum autem hujus plagæ, ut & præcedentium omnium, videntur fuiſſe angeli mali, in quorum poteſtatem Ægyptii fuerint traditi. Innuere id videtur locus. Pſ. 78: 49. *Immittebat illis æſtum iræ ſuæ, excandeſcentiam & ſeveritatem & anguſtiam, miſſile angelorum malorum.* Quod ſi ita eſt, הַמַּשְׁחִית / ὁ ὀλοθρευτὴς, Exod. 12: 23. Significabit exercitum Angelorum malorum perdentium: Quemadmodum 1 Sam. 13: 17. הַמַּשְׁחִית dicitur turma hoſtilis λῃστῶν.

§. 8. Atque hæ ſunt decem plagæ Ægyptiacæ, quarum ordo horum vocabulorum literis deſignatur: דְּצַ״ךְ עֲדַ״שׁ בְּאַחַ״ב / h. e. דָּם צְפַרְדֵּעַ כִּנִּים עָרֹב דֶּבֶר שְׁחִין בָּרָד אַרְבֶּה חֹשֶׁךְ בְּכוֹרוֹת / Obtigerunt hæ plagæ Ægyptiis juxta prophetiam, Gen. 15: 14. *Atque etiam gentem, cui ſervient, judicabo ego.*

§. 9. Connexum ultimæ plagæ notat Prophetia *ſtatutum* aliquod, *judicium ac teſtimonium datum Iſraëli.* Ita enim eſt. Pſ. 81: 5. 6. *Nam ſtatutum Iſraëlis id eſt; judicium Dei Jacobi. Teſtimonium in Joſepho poſuit illud, quum exiret in terram Ægypti.* nim. Angelus percuſſor ad delenda primogenita illorum. Quid autem à Deo tùm ordinatum eſt, quum exiret in Ægyptios? Paſcha. Quod inter feſta Judæorum non poſtremum eſt.

§. 10. His ergo tot, tantiſque operibus potentiæ Divinæ cùm Deus ſibi jus in populum Iſraëliticum paráſſet, h. e. oſtendiſſet, ſibi jus in eum competere, & neminem alium poſſe in eum dominium ſibi arrogare, illum quaſi manu apprehenſum eduxit ex medio alterius populi, & liberavit ex manu Pharaonis, qui nolebat, ut ſibi ſerviret, & populus ſuus eſſet, fecitque ut rex potentiſſimus, qui hactenùs illum detinuerat, illum non tantùm ſineret ex terrâ ſuâ exire, verùm etiam exitum illius, expreſſo mandato, & commodato petentibus Iſraëlitis auro & argento, nec datâ facultate illud reddendi, accelerarct & urgeret.

§. 11. Jus à Deo in populum magno labore, nec ſine magnis operibus, quæſitum ſic explicat Prophetia: *Memento cœtus tui, quem emiſti olim*, in quem tibi non ſine maximorum operum impenſis jus paraviſti, *quem aſſeruiſti virgam hæreditatis tuæ.* tanquam hæreditatem tibi per virgam admenſam, & de quâ non paſſus es tibi quicquam alienari. Pſ. 74: 2. *Vindicâſti brachio populum tuum* ex manu Pharaonis, qui nolebat, ut tuus populus eſſet; *filios Jacobi & Joſephi.* Illum ſcil. populum, qui tàm amplus erat, ut duo valida regna in eo extitura eſſent. Pſ. 77: 16. *Non recordati ſunt manus ejus, quâ illos redemit ab hoſte.* Pſ. 78: 42. *Et ſervavit eos ex manu oſoris, & vindicavit eos ex manu inimici.* Pſ. 106: 10. *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat eos quiſpiam, & Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos, in dilectione ſuâ, & in clementiâ ſuâ ipſe aſſerebat ipſos. &c.* Eſ. 63: 9.

§. 10. De

§. 10. De eductione Iſraëlis ex Ægypto, & liberatione ex manu Pharaonis, jam diximus ſuprà. Hic ſpeciatim nota, quemadmodum hunc exitum Iſraëlis cum ſuis circumſtantiis depingat laudatio Prophetica: *Et eduxit eos cum auro & argento*, cum divitiis & opibus Ægyptiorum, *& non erat in tribubus ejus impingens*. Lapſans præ infirmitate. cum ſanitate igitur. *Lætata eſt Ægyptus, cùm exirent; quia ceciderat pavor illorum in ipſos*. Quatuor hîc magna. 1. Quòd *eduxit*, ex manu potentiſſimi regis. 2. Quòd *auctos opibus*. Flexerat enim animos Ægyptiorum, ut & petentibus darent, aurum & argentum, & habentes expellerent. 3. Quòd omnes inter ipſos fuerunt valentes & ſani ad iter faciendam. 4. Quòd Ægyptiis terribiles fuerunt, ideoque iis gratulantibus exiverint. Pſ. 105: 37. 38.

§. 11. Hoc nimirum illud eſt, quod prædixerat Deus Abrahamo, fore, ut *poſtquam* Deus *gentem illam* populi ſubactricem *judicaverit*, *exeant cum poſſeſſione magna*. Gen. 15: 14. Notatu dignum eſt, eadem temporis circumſtantiâ, eodemque die, quem Spiritus Abrahamo tam longo ante tempore deſignaverat, populum exiviſſe. Quippe *finitis quadringentis & triginta annis, eo ipſo die*, inquam, *egreſſi ſunt* Iſraëlitæ *ex Ægypto*. Exod. 12: 41. Scilicet computatis inde à profectione Abrahami ex Uræ Chaldæorum. Hoc eſt quadringentis à nativitate Iſaaci. Nam triginta annis poſt profectionem Abrahami ex patriâ, natus eſt Iſaac. Atqui prædictum erat Abrahamo, fore, ut *ſemen ejus*, quod ſcil. incepit ab Iſaaco, *peregrinaretur in terrâ non ſuâ, atque* interim etiam *in ſervitutem redigeretur, & debilitaretur per annos quadringentos; quibus finitis eſſet futurum, ut* idem ſemen *ex gente* affligente *exiret*. Gen. 15: 13. 14.

§. 12. Erat hæc profectio Iſraëlitarum commoda, tuta, & cum præſenti ubique atque efficaci Dei curâ, ſpectatâ in mitigatione viæ difficultatum caloris & tenebrarum, adhibitâ in eum finem columnâ nubis de die, & ignis de nocte. Ex. 13: 21. Ita enim eſt. Pſ. 78: 52. 53. *Et proficiſci fecit inſtar ovium populum ſuum*, clementer & commodè, *& deduxit ipſos ut gregem in deſerto. Et duxit illos tutò, ita ut non pavitarent*. Pſ. 78: 14. *Et duxerat ipſos nube de die, & tota nocte luce ignis*. Item Pſ. 105: 39. *Expandit nubem in tegmen, & ignem ad illuſtrandum noctem*. Sed cùm veniſſent ad mare rubrum, & Pharao cum gravi exercitu ipſis à tergo immineret, non memores priorum Dei magnalium, ad Deum clamârunt. Exod. 14: 10. 11. 12. Hanc ipſorum infidelitatem incuſat Propheta. Pſ. 106: 7. *Patres noſtri in Ægypto non conſiderarunt mirabilia tua, non meminerunt multitudinis gratiarum tuarum; & murmurarunt ſuper mari, ad mare algæ*. Et Pſ. 81: 8. *Qui in arcto clamâſti*. Item Pſ. 22: 6. *Ad te clamaverunt Patres noſtri*. Non poterat fides Dei per infidelitatem hominum fieri irrita. Igitur, ut oſtenderet, ſe eum eſſe, qui & hoſtes ſuos ſternere, & populum ſuum ferre, & ſervare, & peccata illorum in bonum dirigere poſſet; ſcidit mare & populum ſuum incolumem per id traduxit, Pharaonem verò cum copiis ſuis eâdem fiduciâ ſubſequentem ibidem ſtravit, ac ſubmerſit. Exod. 14: 21 — 29.

§. 13. Hoc planè admirandum Dei opus ita celebrant Prophetæ: *In te confiſi ſunt Patres noſtri, confiſi ſunt, & feciſti ipſos evadere*. verſ. 5. *Ad te clamaverunt, & liberati ſunt. In te confiſi ſunt, & non ſunt pudefacti*. Pſ. 22: 5. 6. *At Deus eſt Rex meus à priſco, parans ſalutes in medio terræ*. Quas? *Tu rupiſti vi tuâ mare* rubrum. *Tu fregiſti capita draconum*. h. e. dynaſtarum magnarum, & projeciſti *in aquas. Tu conquaſſaſti capita Balænæ*. Pharaonis, qui Balænæ comparatur. Ezech. 29: 3. Submergendo illum. *Dediſti illam cibum populo, eremicolis*. Pſ. 74: 12. 13. 14. *Vindicâſti brachio populum tuum* ex manu Pharaonis, *filios Jacobi & Joſephi*. *Viderunt te aquæ*,

aquæ, ô Deus, viderunt te aquæ, territæ ſunt: & contremuerunt abyſſi in diviſione maris. *Exundarunt aquis nubes, vocem dedit æther, etiam tela tua vagabantur. Vox tonitrui tui in orbe* S. toto cœli circulo, *illuſtrarunt fulgura habitabilem, tremuit & movit ſe terra. In mari erat via tua, & trames tuus in aquæ profundis, & veſtigia tua agnita non ſunt.* Id eſt, rediit aqua ad fluxum ſuum, & Pharaonem cum copiis ipſius merſit. Pſ. 77: 15 — 20. *Fiderat mare & traduxerat eos, & fecerat ſtare aquas inſtar cumuli.* Pſ. 78: 13. *Et duxit illos tutò, ita ut non pavitarent, (ſed inimicos ipſorum contexit mare.)* Ibid. verſ. 53. *Qui in arcto clamâſti, & quem liberavi; cui reſpondi in latebrâ tonitrui.* Pſ. 81: 8. *Et ſervavit ipſos nihilominùs propter nomen ſuum, ad notificandum potentiam ſuam. Et increpavit mare algoſum, & deſiccatum eſt, & duxit eos in abyſſis, ut in deſerto. Et ſic ſervavit eos ex manu oſoris, & vendicavit eos ex manu Inimici. Et obtexerunt aquæ hoſtes ipſorum, unus ex ipſis non ſuperfuit.* Pſ. 106: 8. 9. 10: 11. *Quum exiret Iſraël ex Ægypto; domus Jacobi ex populo barbaro. Mare videbat & fugiebat. Quid tibi, Mare, quod fugiebas?* Pſ. 114: 1. 3. 5. *Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ, (dicat age Iſraël.) Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ, etiam non prævaluerunt mihi.* Non Pharao in Ægypto potuit eum detinere, aut eum impune perſequi. Pſ. 12: 9. 1. 2. *Qui fecit mare algoſum in partes. Et traduxit Iſraëlem in medio ejus. Et excuſſit Pharaonem & exercitum ejus in mare rubrum.* Pſ. 136: 13. 14 15. *Qui increpatione ſuâ ſiccat mare,* ut rubrum. Eſ. 50: 2. *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat eos quiſquam, & Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos, in dilectione ſuâ & in clementiâ ſuâ ipſe aſſerebat ipſos, & bajulabat illos, & ferebat illos omnibus diebus ſæculi.* Eſ. 63: 9. *Et recordatus eſt dies ſæculi, Moſis, populi ejus. Ubi, qui fecerat illos adſcendere ex mari? Cum paſtoribus ovium ſuarum.* Ibid. verſ. 11. *Qui fecit ambulare ad dextram Moſis brachium decoris ſuum. Qui fidit aquas coram ipſis, ut faceret ſibi nomen ſæculi?* verſ. 12. *Qui fecit illos ambulare in abyſſis, ut equus in deſerto, non offendebant.* verſ. 13. *Ut jumentum, quem in vallem deſcendit. Spiritus Jehovæ faciebat ipſum acquieſcere, ſic duxiſti populum tuum, ad faciendum tibi nomen decorum.* verſ. 14.

§. 14. Connexum hujus Dei operis, reſpectu Iſraëlitarum, eſt plena liberatio ipſorum ex manu Pharaonis. Vid. ex ſuperioribus. Pſ. 22: 5. 6. 74: 12. 81: 7. 8. 106: 8. 129: 2. Eſ. 63: 9.

§. 15. Reſpectu Dei, vindicatio & aſſertio hujus populi in populum peculii, S. demonſtratio, ſibi ſoli in hunc populum competere jus & dominium, & redemtio ejus ex manu injuſti hoſtis. Vid. Pſ. 74: 2. 77: 16. 78: 42. 106: 10. Eſ. 63: 9. Quibus addatur. Pſ. 114: 1. 2. *Quum exiret Iſraël ex Ægypto; domus Jacobi ex populo barbaro. Ubi Juda facta ſanctum ejus, Iſraël dominium ipſius.* Ubi nimirum demonſtratum eſt, *Judam*, h. e. cœtum filiorum Judæ, *eſſe ſanctum ſuum*, h. e. gentem ſanctam, Exod. 19: 4. 5. 6. delectam ex omnibus gentibus, ut populus ipſius eſſet, *& Iſraëlem dominium ſuum.* h. e. quem imperio ſuo & legibus gubernaret, & in quem neminem præter ſe vellet habere poteſtatem. Item. Ezech. 23: 4. *Et exſtiterunt* (Ohola & Oholiba) *meæ.*

§. 16. Id quod Deum excitavit ad hanc tam potentem tamque clementem eductionem populi ex Ægypto, non fuit ullum populi meritum vel dignitas aliqua præ aliis gentibus; ſed ſola Dei gratia, quam juraverat patribus, & propoſitum immutabile eam exercendi. Ita enim Pſalmiſta: *Qui percuſſit Ægyptios, quia in ſeculum gratia ipſius. Et eduxit Iſraëlem ex medio illorum, quia in ſæculum gratia ipſius,* &c. Quæ vid. Pſ. 136: 10 — 15. Ezechiel id refert ad zelum gloriæ *nominis Dei, ne id*

profana

profanaretur coram gentibus, in quarum medio erant, ante quarum oculos Deus innotuerat ipſis. Ezech. 20: 9.

§ 17. Finis hujus glorioſi operis reſpectu populi, eſt manifeſtatio impotentiæ ejus ad faciendum grata Deo, niſi à Deo peculiari gratiâ ſanetur, & ad Deum convertatur. Tantum enim erat, tamque illuſtre hoc potentiæ ac beneficentiæ erga hunc populum Divinæ argumentum, ut ſi quid in carne fuiſſet ad bonam mentem vel recuperandam vel conteſtandam virium, id eo debuiſſet excitari. Indicat hunc finem Spiritus apud Eſaiam. c.63: 8. his verbis: *Et dixit: Certè populus meus illi ſunt, filii qui non mentientur.* Scilicet hæc gens ex omnibus gentibus fuerat electa, ut appellaretur populus Dei, ut ipſis notificarentur eloquia Dei; ad hoc in Ægypto apud Pharaonem vocati erant filii: Igitur veriſimile erat apud homines, & juſtum apud Deum, ut jam non mentirentur, ſed tam nobili nomenclaturæ, tantis beneficiis, & miraculis illuſtratæ, & aſſertæ, pari affectu reſponderent.

§. 18. Reſpectu Dei, notificatio & celebratio nominis ipſius in mundo. Hoc enim agebat Deus tam glorioſâ eductione Iſraëlis ex Ægypto, ut ſemel in perpetuum ſibi faceret nomen, quod ſufficeret ad reverentiam iſtius nominis animis hominum induendam, & Deum unicum auctorem ſalutis, ad veram fidem & amorem ipſius, credendum, ac nominandum. Ita enim eſt. Pſ. 106: 8. *Et ſervavit ipſos nihilominùs propter nomen ſuum, ad notificandum potentiam ſuam.* Item Eſ. 63: 12. *Qui fecit ambulare ad dextram Moſis brachium decorus ſuum. Qui fidit aquas coram ipſis, ut ſibi faceret nomen ſeculi.* Et verſ. 14. *Ut jumentum, quod in vallem deſcendit, Spiritus Jehovæ faciebat ipſum acquieſcere, ſic duxiſti populum tuum ad faciendum tibi nomen decorum.* Hinc Jeremias, cap. 32: 20. *Qui poſuiſti ſigna & prodigia in Ægypto uſque in diem hunc, & in Iſraële, & in hominibus, & feciſti tibi nomen, quale eſt hodie.* Nec immeritò. Iſtis enim operibus effectum eſt, ut non poſſit ignorari, creatorem cœli & terræ eſſe Deum Iſraëlis, & ad populum ſuum locutum eſſe, & quid ſit locutus. Adeo ut, qui credunt in Chriſtum, poſſint Deum nominare auctorem ſuæ fidei.

§. 19. Quod ſupereſt, hanc adeo illuſtrem ac gratioſam populi eductionem, & liberationem ex manu hoſtis, conſecuta eſt fides populi in Deum, & celebratio nominis ejus. Exod. 14: 31. &c. 15: Cujus rei ita meminit Pſalmiſta, Pſ. 106: 12. *Et* q. d. Tùm denique *crediderunt verbis ejus, & cecinerunt laudem ejus.*

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ

PERIODUS TERTIA.

De rebus geſtis ab exitu Iſraëlis ex Ægypto, uſque ad regnum Salomonis, & ædificationem Templi ſub eo; quo tempore res Iſraëlitarum antiquæ maximè floruerunt.

ARTICULUS I.

SIc itaque, uti demonſtratum, Iſraële educto ex Ægypto, & liberato à ſervitute & gladio Pharaonis, is poſitus eſt in deſertum, ibique porrò gratiam & clementiam Dei ſingularem eſt expertus.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Id totidem ferè verbis exprimitur. Ezech. 20: 10. *Et eduxi eos ex Ægypto, & dedi eos in deſertum.* Item Jer. 31: 2. *Invenit gratiam in deſerto populus ſuperſtitum à gladio.*

Deſertum, in quod deductus populus, vaſtiſſimum & triſtiſſimum fuiſſe teſtatur Moſes. Deut. 32: 10. Ubi vocat *terram deſerti, & vaſtum, ejulabile vaſtitatis.* Tale fuiſſe probant Ploratus & murmurationes populi frequentes. Nihil enim in eo deſerto fuit ad humanum victum, nec panis. nec aqua, neque fuit commoditas ad ſerendum terram. Et tamen, quàm leniter & clementer Deus in eo habuerit populum, oſtendit Moſes in Cantico, Deut. 32: 10. 11. Ubi beneficia populo à Deo exhibita in deſerto ita colliguntur. *Circumdabat eum, intelligere eum faciebat; retinebat eum, ut pupillam oculi ſui.* verſ. 10. *Ut aquila excitat nidum ſuum*, h. e. pullitiem ſuam *ſuper pullis ſuis fertur; pandebat alas ſuas, accipiebat illum, ferebat ipſum ſuper alâ ſuâ.* verſ. 11. Hic Primum Beneficium eſt *Circumdare*, ſive amplecti. Id intelligi poteſt de compactione populi in unum. Diſpergi enim facilè, partim etiam redire in Ægyptum potuiſſent, Deo eos non continente. Ideo Deus nunc in principiis, nunc in extremâ acie ſtetit, ut ſe oſtenderet & ducem & מאסף / ὀπισθοφύλακα. Secundum *Docere*. Quo intelligitur omnis promulgatio fœderis; de quâ poſtea dicemus. Tertium *Cuſtodia* accuratiſſima ab omni noxâ hominum & animalium. Quartum *Gubernatio* in viâ, ſpectata in excubatione pro eo, ad locum quieſcendi & tempus ac modum itineris indicandum, protectione adverſus incommoda, ſupportatione lapſantium, condonatis etiam peccatis. In quibus Deus ſe comparat cum *Aquilâ*

nidum

nidum excitante, ſuper pullis ſe agitante, fatigatos alis portante: Quâ ſimilitudine etiam utitur. Exod. 19: 4. His tandem verſu 12. ſubjicitur. Quintum Nimirùm ductus in viam certam, & quâ metam attingerent; *Jehovah ſolus ducebat ipſum.*

§. 2. Moſen ſecutus David hunc Articulum ita celebrat: *Duxiſti inſtar ovium populum tuum.* Pſ. 77: 21. *Et proficiſci fecit inſtar ovium populum ſuum, & deduxit ipſos ut gregem in deſerto. Et duxit illos tutò ita ut non pavitarent.* Pſ. 78: 52. 53. Eſaias quoque, cap. 63: 9. *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat eos quiſpiam, & Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos; in dilectione & in clementiâ ſuâ ipſe aſſerebat ipſos, & bajulabat illos, & ferebat illos omnibus diebus ſæculi.* Et verſ. 13: 14. *Qui fecit illos ambulare in abyſſis, ut equus in deſerto, non offendebant. Ut jumentum, quod in vallem deſcendit, Spiritus Jehovæ faciebat ipſum acquieſcere. Sic duxiſti populum tuum, ad ſaciendum tibi nomen decorum.* Hoſeas: *Ut uvas in deſerto inveni Iſraëlem.* Non aliter Iſraëlem exemi ex omnibus populis, & ad eos acceſſi ut fruiturus ipſis, atque aliquis viator defatigatus ſolet exhilarari, ſi quando paucas uvas inveniat in deſerto. Significatur non bonum, quod creatura ex ſe habuit, ſed quod habuit Dei dono. Hoſ. 9: 10. Amoſus, c. 2: 10. *Et ego duxi vos in deſerto.*

§. 3. Qualitatem hujus deductionis in univerſum, cum indicatione fontis hujus beneficentiæ, ita extollit Propheta: *Et eduxit populum ſuum cum hilaritate, cum cantu electos ſuos.* Quibus deſtinaverat dare terram, ut fuerunt Joſua & Caleb, & filii illorum, qui murmuraverant in deſerto. Pſ. 105: 43.

§. 4. Miniſtri Dei in ducendo populo hîc laudantur Moſes & Aaron; homines, ut pauci, ita imbecilles atque infirmi, & qui ſine ſtipatoribus, ſine ſatellitibus, ſine ducibus & cohortibus præfuerunt populo, nihil niſi verbum Dei annunciantes, ſed brachium Dei præſtò habentes tùm ad vindicandam inobedientiam, tùm ad populum ſuſtentandum & defendendum. Ita eſt. Pſ. 77: 21. *Duxiſti inſtar ovium populum tuum per manum Moſis & Aharonis.* Pſ. 99: 6. *Moſes & Aharon inter ſacerdotes ejus,* quales Melchiſedek, Abraham, Iſaac, Jacob, &c. Et *Samuel inter nuncupantes nomen ejus. Invocabant Jehovam & ipſe reſpondebat eis.* Eſ. 63: 12. *Qui fecit ambulare ad dextram Moſis brachium decoris ſuum.* Et Hoſ. 12: 14. *Et per prophetam fecit Jehovah Iſraëlem adſcendere ex Ægypto, & per prophetam cuſtoditus eſt.* Ubi notabile eſt, non ſine emphaſi quam indicat geminatio vocum, *per Prophetam*, Moſen *prophetam* appellari. Significatur enim, nil niſi prophetam Dei fuiſſe Moſen, non regem; quod nonnulli poſt Judæos ſibi videntur colligere ex Deut. 33: 5.

§. 5. Hanc Dei clementiam & gratiam erga populum ſingularem in quibuſdam etiam ſpeciminibus inſigniter ſpectandam exhibet ſcriptura. Ut

1. In datione coturnicum. Exod. 16: 13. *Invehebat Eurum in cœlis, & ducebat robore ſuo Auſtrum. Et pluebat ſuper ipſos pulverem carnem; & velut ſabulum marium volucres alatas. Et fecit cadere in media caſtra ipſius, circa tabernacula ipſius. Et comederunt, & ſatiati ſunt valde, & concupiſcentiam ipſorum præſtitit ipſis.* Pſ. 78: 26 — 29. *Petiit populus; & adduxit Deus coturnices.* Pſ. 105: 40.

2. In datione Mannæ, cibi cœleſtis. Exod. 16: 14. 15. *Et præcepit nubibus supernè, & fores cœli aperuit. Panem fortium comedebat Vir; commeatum miſit ipſis ad ſatietatem.* Pſ. 78: 23. 24. *Et cibo cœlorum ſatiabat illos.* Pſ. 105: 40.

3. In datione aquæ ex petrâ. Exod. 17: 6. *Tu effudiſti* h. e. findendâ rupe effluere feciſti, *rivum & torrentem.* Pſ. 74: 15. *Findebat petras in deſerto, & potabat tanquam abyſſis terram amplam. Et eduxit rivos ex petrâ, & fecit deſcendere inſtar fluminum aquas.* Pſ. 78: 15. 16. *Ecce percuſſit rupem, & fluxerunt aquæ, & torrentes exunda-*

exundabant. Ibid. verſ. 20. *Aperuit* ipſis petentibus *petram, & fluxerunt aquæ, iverunt in deſertis, ut fluvius.* Pſ. 105: 41.

§. 6 Hæc omnia beneficia ita complectitur Propheria: *Et viderunt opus meum* patres veſtri; quod ſcil. tentatione ſuâ elicuerunt. Quoties enim panem, panem; quoties carnem, carnem; aquam, aquam dedit illis Deus. Pſ. 95: 9. Item Pſal. 106: 15. *Et dedit ipſis Deus poſtulatum ipſorum.* Eoque illuſtriora hæc gratiæ ſpecimina fuerunt, quod quanquam populus querimoniâ & murmuratione adverſus Deum, ſeſe iis planè indignum, imò iram ejus juſtiſſimam meruiſſe oſtendiſſet, donata nihilominus ad ejus petitionem atque exercita fuere. De largitione cibariorum, carnis, & panis, id ita conjunctim notat Propheta: *Et tentarunt Omnipotentem in corde ſuo, petendo cibum pro concupiſcentiâ ſuâ. Et locuti ſunt contra Deum: dixerunt; poteritne Deus adornare menſam in deſerto? .... Numqvid etiam panem poterit dare; an præparabit carnem populo ſuo?* Pſ. 78: 18. 19. 20. Add. Pſ. 105: 40. Et inprimis Pſ. 106: 14. 15. *Et concupiverunt concupiſcentiâ in deſerto, & tentarunt Omnipotentem in vaſto. Et* nihilominùs ita ab ipſis tentatus *dedit ipſis poſtulatum ipſorum.* De petitione populi: *Ne induretis corda veſtra, ut in contentione, ut in die tentationis in deſerto. Nam tentarunt me patres veſtri, periculum mei fecerunt, & viderunt opus meum.* Pſ. 95: 5. 6.

§. 7. Hinc nullum populi meritum, ſed ſolam gratiam Dei, ut fontem horum operum collaudat Prophetia. Pſ. 105: 42. *Nam recordabatur verbi ſancti ſui, cum Abrahamo ſervo ſuo.* Sive, ad Abrahamum. Ut in his omnibus ſit remuneratio fidei Abrahami, ſecundùm illud. Ex. 34: 7. *Servans gratiam millibus.*

ARTICULUS II.

TAntis operibus potentiæ & gratiæ excitato populo, cùm jam ſatis præparatus ad Deum ita, ut oportet, ad agnoſcendum & amandum, ſicque ad dignè poſſidendum hæreditatem ſibi à Deo addictam videretur: Deus ipſe è cœlo, tempus adeſſe ratus, eum deducendi ad ſe, ad terram, inquam, illam, in quâ conſtituerat in medio ipſius habitare, & ſe ipſi familiarem reddere, & ipſum ſibi perfectiſſimè unire; publicè in anteceſſum & ſolenniter cum eo paciſci, & comitium quaſi agere inſtituit. Igitur ſtipatus frequentiſſimo ſanctorum Angelorum, futurorum præſentis actus teſtium & vindicum ſatellitio, cum adſpectabili formâ, & modo ad terrorem incutiendum compoſito, in monte Sinai eum adiit, & coram propriâ voce eum allocutus, tùm animum ſuum & propoſitum gratiæ, & hæreditatis jam jam repræſentandæ, cum promiſſione longi & fælicis ævi in eâ, ei ſignificavit, tùm eandem ſtipulationem fœderalem, quâ cum veteribus etiam convenerat & fœdus fecerat, nempe fidei per charitatem operoſæ, ei propoſuit atque intimavit; ſicque regnum ſuum peculiari modo in eo populo erexit, & exorſus eſt. Exod. cap. 19. & 20.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc populi viſitatione & tranſactione cum eo ita Moſes, ante factum: *Tuli vos in alis aquilinis, & deduxi ad me,* ad illum locum, ubi jam conſtitui vobiſcum

ſcum loqui, & inpoſterum vobiſcum habitare. *Et nunc, ſi auſcultabitis voci meæ obſervaveritis fœdus meum, fietis mihi peculium ex omnibus populis, nam mea eſt a terra; & vos eritis mihi regnum ſacerdotum* accedentium ad me cum grato ſaficio, *& gens ſancta*, ſanctificata ſcil. à me ſanctificatore veſtro. Exod. 19: 5. 6. ſt factum, Deut. 32: 10. *Inveniebat ipſum*, ſtitit ſe illi præſentem, ſeſeque exuit ad aſpectum ſigni & auditionem vocis, *in deſerto*. Et Deut. 33: 2. *Jehovah, ex Sinai venit, & ortus eſt ex Seir ipſis, eluxit ex monte Paran*, id eſt, qui polo ſuo obviam proceſſit quaſi ex loco & territorio ſuo in deſertum, & primò quin ex Sinai, deinde etiam è monte Paran illos allocutus, & vocavit ad ſe & haaculum ſuum; *& venit* proceſſit in medium *à myriadibus ſanctitatis; à cujus ꝺtrâ ignis legis ipſis extitit.* Angelis teſtibus & approbatoribus, ac futuris vindiꝺus, dedit legem, habentem ignem, à dextrâ eam dantis, qui ignis peccatores nſumit.

§. 2. Pſaltes quoque, Pſ. 14: 2. *Jehovah ex cœlo proſpectavit ſuper filios hominis.* is enim dubitet, quin admirabilis illa divinæ majeſtatis manifeſtatio in monte Si, quæ toties laudatur in Scripturis, quùm Deus, is, qui ſe יהוה nominaverat, qui ebat fieri juſtitia & gloriatio hominis, è cœlo cum myriadibus angelorum prolens & effulgens allocutus eſt populum ſuum, poſſit appellari proſpectatio Dei cœlo? Namque & ſic *proſpectatio* pro viſitatione gratioſâ uſurpatur. Pſ. 102: 20. & dationem legis cum maximo terrore conjunctam idem Vir ſanctus. Pſ. 68: 8. 9. commemorat: *Deus quùm egredereris coram populo tuo; quùm gradereris in vaate, (Selah.) Terra tremebat, etiam cœli ſtillabant à facie Dei: hic Sinai, à facie i, Dei Iſraëlis.* Qui locus eſt deſumptus ex Jud. 5: 4. 5. *Jehovah quùm exires ex r, quùm gradereris ex agro Edom, terra tremebat, etiam cœli ſtillabant, etiam bes ſtillarunt aquâ. Montes fluxerunt coram Jehovah, hic Sinai, coram Jehovah o Iſraëlis.* Significatur autem quùm Deus egrederetur ex terrâ Canaan tanquam bitaculo ſuo, ut populum deduceret ad ſe, factum eſſe terræ motum, & conctum eſſe ignem magnum, & viſos eſſe cœlos ardere, & nubes ſtillâſſe quaſi coluatas. Pſalmo item. 81: 6. teſtatur Iſraël, *ſe labium ejus, quem non noverat*, e. quem hactenùs non audiverat loquentem, quem etiam ignoraverat magnâ ex te, etiamſi promiſſio patribus facta extaret, *audiviſſe*. Huc reſpicit. Pſ. 147: 20 *Indicat verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua & judicia ſua Iſraëli. Non fecit ſic ulli ti & judicia, quod attinet, non cognoverunt ea.* Solos vos ex omnibus gentibus egit Deus, quibus promiſſionem & fœdus ſuum inſinuaret. Vos audiviſtis Anum Jehovæ loquentem ex igne, qui vobis dedit ſtatuta & judicia, quæ qui facit, it in eis; quique vobis dedit Sabbata ſua, in ſignum, quo cognoſceretur, quòd e ſit Jehovah ſanctificans vos. Eſaias, ad eandem Dei manifeſtationem alludens, facit eum loquentem: *Non in occulto locutus ſum, in loco terræ tenebrarum.* Sed blicâ voce, in Sinai. Eſ. 45: 19. Et Ibid. verſ. 20. Auctorem ſermonis, in Sinai blicati, ita deſignat: *Ego Jehovah* ſum is, *Qui loquitur juſtitiam, indicans recta.* Chriſtus quaſi in contentione cum populo: *Ego, ego locutus ſum. . . . Audite hoc, à capite in occulto locutus ſum.* Eſ. 48: 15. 16.

§. 3. Jeremias item ſatis clare: *Non ut fœdus, quod pepigeram cum parentibus rum, die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto.* Jer. 31: 32. elligit enim illud fœdus, quo ad promiſſionem, quam ante habuerant, acceſſit noris datio, & repræſentatio hæreditatis terræ promiſſæ.

§. 4. Ezechiel hunc Articulum ita illuſtrat: *Et tranſibam te & videbam te, & ecce*

ecce tempus tuum erat tempus amorum; & expandi oram meam ſuper te & texi nuditatem tuam, & juravi tibi, & intravi in fœdus tecum; ait Dominus Jehovah, & facta es mea. Ezech. 16: 8. Per hæc ſignificatur, quod Deus palàm coram omnibus gentibus populum Iſraëliticum aſſumſerit ad ſe, ut ſponſus ſolet ſponſam, deducens illum in terram ſuam, ut maritus uxorem domum, imò quaſi in lecto ſuo collocaverit; quodque cum ipſo matrimonium iniverit, ad quod ſignificandum dicitur, quod ipſi juraverit, nempe ſe fore ipſi in Deum, quemadmodum Sponſus Sponſæ dicit, ſe eam amare, & uxorem cupere, quòdque venerit cum eo in fœdus, quemadmodum Sponſus Sponſæ credenti ſe amari à Sponſo, & eum ſequenti obligatur, ut illam nunquam deſerere poſſit, quodque eâ ratione ipſius populus factus ſit, quemadmodum uxor, quæ ſequitur Sponſum, fit Sponſi. Meminit hujuſdem fœderis Ibidem verſ. 60. *Et recordabor ego fœderis mei tecum in diebus adoleſcentiæ tuæ.* Et verſ. 61. *Quum accipies ſorores tuas majores te ad minores te, & dabo illas tibi in filias, non ex fœdere tuo.* quo dedi tibi terram in hæreditatem. Et cap. 23: 4. *Nomina autem illarum ſunt: Obola major, & Oboliba ſoror ejus: & exſtiterunt meæ.* quum totam gentem eduxi ex Ægypto, & feci mihi populum, & cum eâ locutus ſum.

§. 5. Et his quidem omnibus locis hæc viſitatio tribuitur Deo. Nominatim filio Dei, Angelo Jehovæ, Angelo Teſtamenti, ea aſſignatur Deut. 33: 2. coll. verſ. 3: 4. & Pſ. 68: 9. coll. 19.

§. 6. Rem à Deo in monte pronunciatam, & materiam latæ legis quod attinet, eam tùm in genere, tùm in ſpecie indicant & repetunt Prophetæ. In genere ita Pſaltes: *Indicat verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua & judicia ſua Iſraëli.* Pſ. 147: 19. Quem locum explicat Ezechiel, c. 20: 11. 12. in hanc ſententiam: *Et dedi ipſis ſtatuta mea, & judicia mea feci eos cognoſcere, quæ facit homo, & vivet in illis.* h. e. præcepta illa, quorum natura talis eſt, ut qui ea fecerit, vivat in illis; quæ præcepta in Decalogo continentur. Alludit hîc Ezechiel ad Lev. 18: 5. Ubi Deus per Moſen hortatur ad obedientiam omnium præceptorum eo argumento, quòd ita futurum ſit, ut obſervarent ea ſtatuta & judicia, quæ qui facit homo, in illis vivit, id eſt, quod perventuri ſint ad veram ſanctitatem & imaginem Dei. Pergit Propheta: *Atque etiam Sabbata mea dedi ipſis.* Finis: *ut eſſent in ſignum inter me & ipſos, ad cognoſcendum, quòd ego Jehovah ſanctifico ipſos.* à reatu & ſervitute peccati. Hæc ſumpta ex Exod. 31: 13.

§. 7. In ſpecie, ſermo Dei, quem hoc tempore locutus eſt, Pſ. 81. ita reperitur: *Tu, cujus ſubduxi ſarcinæ humerum; cujus palmæ ab ollis receſſerunt;* verſ. 7. *Qui in arcto clamaſti, quemque liberavi, cui reſpondi in latebrâ tonitrui:* Scil. ad mare rubrum, Exod. 14: 24. *quem probavi ad aquas contentionis.* Exod. 17: 7. *Selah.* verſ. 8. *Audi, popule mi, ut conteſter te.* Id eſt, ut te faciam teſtem dictorum factorumque meorum; *Iſrael ſi audis me.* Id eſt, ſi verbum meum noviſti, & ad illud attendiſti. verſ. 9. Præfatio hæc eſt, qualis Decalogi, ſed ποιητικώτερον exornata. *Ne ſit in te Deus alius, & non adorabis Deum peregrinum.* Id eſt, non habebis alium pro vindice, Salvatore, ſanctificatore, juſtificatore, &c. præter illum, qui id promiſit Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo. verſ. 10 Ratio præcepti: *Ego ſum Jehovah Deus tuus, qui te eduxi ex terrâ Ægypti.* Explicatio, & ſuaſio præcepti à bono: *Pande os tuum, & implebo illud.* h. e. omnia beneficia à me propinante & porrigente in fide accipe, q. patulo ore. Hoc modo habebitis me pro Deo. Et hujus obedientiæ ac honoris præmium erit ſatietas. verſ. 11. Ita unica ratio ac via pervenien-

di ad

ad juſtitiam hîc traditur credere, quòd Deus ſit juſtitia noſtra, & ab eo omnia
tere & exſpectare. Et clarè docetur, quæ ſit mens Decalogi; cujus verba prima
c repeti manifeſtum eſt. In eâ ſcil. non eſſe fœdus operum, aut legem exigentem
era ad juſtitiam, ſed merum fœdus gratiæ, ſive legem fidei & reſipiſcentiæ.
§. 8. Simili ratione Eſaias argumentum & objectum ſermonis, in Sinai pronuncia-
facit hanc ſententiam: *Quærite me.* Ita enim Propheta: *Non in occulto locutus ſum, in*
o terræ tenebrarum: non dixi ſemini Jacobi, Incaſſum quærite me. Id dictum pecca-
ri eſt: Qui non poteſt, ubi hoc audivit, exiſtimare ſuum factum juſtitiam. *Neque*
c ei *fruſtra* dictum eſt. Nempe quæſtio Dei tendit ad vitam in communione Dei.
. 45: 19.
§. 9. Ex quibus claram expoſitionem habent, quæ Ibidem ſequuntur: *Ego Je-*
vah ſum is, *qui loquitur juſtitiam, indicans recta* vel *æqua.* Per *juſtitiam* enim in-
ligendum eſt præceptum fidei ad juſtitiam, & promiſſio juſtitiæ donandæ; per
ta bonum, quod Deo gratum eſt, in quo eſt רצון & certiſſima via vitæ.
§ 10. Nec alia mens eſt Michææ, doctrinam Dei de hominis officio ita repe-
itis: *Indicavit tibi, ô homo, quid ſit bonum.* quid ſit רצון quid ſit *δικαίωμα ἐν*
κῷ παραστῆναι. quid ſit bonum in oculis ejus, quid approbet; quum nos ma-
imus, ad hoc ut ſimus in gratiâ. Id igitur animadvertendum, & diſcendum, &
e apprehendendum eſt. *Et quid viciſſim Jehovah requirit à te, niſi facere judicium.* id
fugere malum & communionem cum malis; non condemnare, quos Deus ab-
vit; non juſtificare, quos Deus condemnat; *& diligere charitatem* vel dilectio-
m cum enixo ſtudio conjunctam; *& humiliter ambulare cum Deo tuo.* id eſt, coram
eo te humiliare, & ad verbum ejus trepidare, & in viis ejus ſollicitè ambulare,
e gloriatione in ſe ipſo, cum abnegatione ſuarum virium & juſtitiæ, idque in fi-
teſtamenti ipſius. Mich. 6: 8. Qui locus expreſſus eſt ex Deut. 10: 12.
§. 11. Finis tam glorioſæ Dei apparitionis, & inprimis terroris in eâ adhibiti,
n fuit, quaſi verbum terrificum, nempe legem operum vellet proponere; ſed *ad*
tandum Iſraëlem, & ut timor Dei eſſet coram ipſis, ne peccarent. Exod. 20: 19.
l tentandum. h. e. 1. Ad manifeſtandum ipſis debilitatem cordis ipſorum, & quam
llus ſit homo & ἀνδρώδης, ad audiendum verba Dei vivi, nedum ut poſſit ad eum
cedere, tanquam reſponſurus Deo vocanti ipſum in judicium, utque intellige-
t, ſe non decere adire Deum ſine angelo faciei oratore, eo, qui loquutus eſt in
nte Sinai. 2. Ad manifeſtandum, quid eſſet in corde ipſorum, ſive an fide in
um eſſent prædiri, an ad ipſum confugere auderent. Ut ita denudatâ impoten-
& malitiâ cordis, neceſſitas gratiæ & regenerationis per Spiritum S. demonſtra-
ur, eoque cupidiùs amplecterentur fædus propoſitum, & feſtinarent cum Deo
onciliari, ſicque *timor Dei eſſet ante oculos ipſorum.*
. 12. Quibus convenit, quod dicit Pſalmus 14. *Jehovam proſpectâſſe ſuper filios*
inis, ad videndum, an eſſet animadvertens, quærens Deum. verſ. 2. Scil. fuit illa
nifeſtatio Dei in Sina præter alios fines, tentatio & exploratio humanæ condi-
nis; an ſcil. caro ſemel alienata à Deo & tot ſpurciſſimis peccati primi ac con-
nnationis fructibus contaminata, ſi Deus iterùm ſe illi quàm aptiſſimè ad fidem,
aciam & timorem revelaret, an, inquam, vires haberet animadvertendi, reſi-
cendi; & Deum quærendi. Conf. Per. II. art. ult.
. 13. Hâc legis datione *paſtinata* eſt *vinea Domini*, quam ſibi elegerat, & à re-
uis gentibus ad ſpecialem culturam ſeparaverat; ſup. Per. II. art. x1. h. e. malæ
bæ, ſpeciem frugis habentes, ex illâ eruncatæ fuerunt. Eſ. 5: 1. Et *gens, tracta*

ex

ex Ægypto *terſa* eſt. Eſ. 18: 2. Et quoniam Deus, ſic viſitando populum ſuum, & legem ei ferendo, regnum ſuum peculiari modo in eo erexit, intelligitur cummaximè *conſtabiliviſſe montem* priorem, h. e. manifeſtâſſe regnum ſuum in veteri œconomiâ. Pſ. 65: 7. Zach. 6: 1. Quare & fatetur Eccleſia, Deum *Regem ſuum fuiſſe à priſco.* Tùm nimirùm, cùm fiſſione maris, & petræ in rivum, &c. pararet ſalutes in medio terræ. Pſ. 74: 12. Et *Firmum fuiſſe thronum Dei pridem.* etiam ſub Veteri Oeconomiâ ſcil. Pſ. 93: 2.

§ 14. Erat hoc regnum peculiariter uni populo alligatum. Igitur & ſolium hujus regni in terrâ, delecto loco, in medio iſtius populi, Deus conſtituere paravit; nimirùm inter Cherubinos in propitiatorio ſuper arcâ; in eoque loco Deus ſe in poſterum in nube habitaturum, & ad Iſraëlitas locuturum, promiſit. Exod. 25: 10. 17. 18. 22. Hinc Deus vocatur. *Sedens inter Cherubinos* Pſ. 99: 1. diciturque *in columnâ nubis locutus eſſe ad Moſen, Aharonem & Samuelem.* Ib. v. 7. coll. Et quoniam, poſt apparitionem & legis dationem in monte, tum locum occupavit, dicitur *Jehovah, qui ex Sinai venit.* Deut. 33: 2. Hæc habitatio Dei ſuper arcâ innuitur Pſ. 8: 2. Ubi Propheta de modo regni Dei ſub N. T. agens, ita loquitur: *Jehovah, quàm ingens eſt nomen tuum in totâ terrâ: quod* h. e. cujus rei causâ *eſt ponere majeſtatem tuam ſupra cœlos.* Subindicat enim, Deum antea poſuiſſe ſolium gloriæ in terrâ; nim. habitâſſe inter Cherubim, in propitiatorio ſuper arcâ. Et Pſ. 22: 4. *Atqui tu, ô Sancte, habitas gloriationes Iſraëlis.* h. e. reſides in ἱλαστηρίῳ ut ſolio gloriæ tuæ, in quo Iſraëlitæ gloriantur. Et Pſ. 33: 13. 14. Ubi *cœlum*, ſub N. T. dicitur *locus ſedis Dei.* Quod oppoſitum eſt habitationi in propitiatorio inter Iſraëlitas. Item Pſ. 93: 1. Ubi *Jehovah*, iterùm *rex factus*, prædicatur *erectionem induiſſe.* Hæc enim erectio opponitur demiſſioni, quæ antea fuit ſub V. T. quum apud unam gentem Iſraëliticam thronum terreſtrem habuit. Et apud Eſaiam, c. 6: 1. quando *vidit Dominum* regem ſub formâ humanâ *ſedentem in throno celſo & elato.* parantem ſcil. regnum ſuum manifeſtare altiùs & excelſiùs, quam olim. Add. Eſ. 66: 1.

§. 15. Nec fuit otioſa aut inefficax hæc Dei regnatio & habitatio in populo, ad veram fidem & timorem ſui animis quorundam ex eo, vi propoſiti gratiæ etiam in monte repetiti, ingenerandum. Hoc beneficium clarè exprimitur, & ſuperiori confœderationi ſubjungitur, Ezech. 16: 9. *Et lavi te aqua, & eas affundendo ablui ſanguines tuos à te.* id eſt, addixi tibi vitam æternam, & condonavi reatum, ſive præterivi, licet adhuc exſtares; *& unxi te oleo.* h. e. Spiritum meum in medio tui collocavi. Atque hæc propriè *excifio lacus* eſt *in medio vineæ.* nim. ad excipiendum vinum illius; Eſ. 5: 2. Nihil enim aliud eſt hæc excifio lacus, quàm excitatio ac præparatio ſanctorum inter Iſraëlitas, qui exciperent fructus ipſorum recipiendos & conſervandos in æternis manſionibus.

§. 16. Nec tantùm ſpectata fuit hæc obedientia in ætate provectis, ſed & in juvinibus; nec tantùm ad qualemcunque cultum, ſed etiam ad voluntarium: qualis erat Naziræorum, qui ſuâ ſponte ſe coram Deo humiliabant, preces ſuas coram Deo effundebant, vota ſolemnia nuncupabant, & ea coram toto populo tum gratiarum actione ſolvebant. Num. 6: 1. &c. Meminit Amoſus c. 2: 11. *Et ſuſcitavi ex juvenibus veſtris in Naziræos.*

§. 17. Acceſſit & hæc cura Dei regis. Quum adhuc nudus eſſet populus, & diſcoopertus, nullumque ſtatum haberet, quo vel tutus adverſus externorum injurias, vel ſpectabilis in mundo appareret, conſtitutis Senioribus, Judicibus, Doctoribus, Prophetis, Sacerdotibus, Rempublicam condidit, itaque exaltavit ut nihil ad ornatum

m populi deeſſet. Id ita parabolicè depingit Ezechiel, c. 16: 10. 11. 12. coll.
7. *Et indui te acupicto, & calceavi te taxo, & cinxi te byſſo, & operui te ſerico.*
rnavi te ornamento, & dedi armillas in manus tuas, & torquem ad guttur tuum. Et
monile ſuper naſum tuum, & circulos ad aures tuas. Veſtes enim & ornamenta
nihil aliud deſignant, quàm conſtitutionem & exaltationem reipublicæ, tàm in
ine Politico, quàm Eccleſiaſtico.

. 18. De Prophetis nominatim in populo excitatis ita Amoſus c. 2: 11. *Et ſuſ-*
vi ex filiis veſtris in Prophetas. h. e. ſanctificavi vos per quotidianam inſtitutionem,
uidem per fratres & filios veſtros, ita ut certi eſſe poſſitis per illos vobis patefie-
oluntatem Dei.

. 19. Addita fuerunt per Moſen, cùm ipſius Dei vocem populus ampliùs audi-
on ſuſtineret, præcepta quædam ſpecialia, partim legem fidei & charitatis,
in Decalogo expreſſa, explicantia, partim ad ſtatum populi civilem pertinen-
partim ceremonialia; quæ tamen omnia, quod ſingulariter hîc notat Prophe-
fœdus tantùm gratiæ, hactenus auditum, continerent, nec quicquam detra-
nt libertati Iſraëlitarum. Quippe, ut profitetur Deus apud Jeremiam, c. 7: 22. 23.
locutus ſum cum patribus veſtris, neque præcepi ipſis quo die adduxi ipſos ex Ægy-
de iis, quæ ad holocauſtum vel ad ſacrificium pertinent Sed verbum hoc præcepi ipſis:
ndo: Auſcultate voci meæ, & ſiam vobis Deus, & vos fietis mihi populus, & am-
te in omni viâ, quam præcipiam vobis, ut bene ſit vobis. Quibus ſignificat, in le-
œderis, quod Deus initio Iſraëlitis obtulit nullum locum habuiſſe verba de ho-
uſto vel ſacrificio: Nec potuiſſe illa imperari, ut legem fœderis: Tantùm per-
um fuiſſe ipſis holocauſta ſua offerre in altari terreo aut lapideo non dolato,
gradibus. Exod. 20: 23. 24. 25. Poſtea autem impoſita fuiſſe ſacrificia pro pec-
offerenda. Quod non fuit à gratiâ, ſed ab irâ. Statum verò libertatis populo
ngulari dignatione prorogatum & donatum fuiſſe ſignificant iſta Ezech. 16: 12.
dedi coronam ornatus in caput tuum. Quòd omnes in populo eſſent liberi ſcil., &
uam filii Dei agerent.

. 20. De miniſterio Moſis & Aharonis in ſignificandâ populo voluntate Dei,
Deut. 33: 3. 4. *Ut acciperet à loquelis tuis, legem, quam præcepit nobis, Moſes.* Item
99: 6. 7. *Moſes & Aharon inter ſacerdotes ejus,* quales fuerunt & Melchizedek,
aham, Iſaac, Jacob &c. *Invocabant Jehovam, & reſpondebat eis. In columnâ nu-*
loquebatur ad ipſos. Et verſ. 8 *Jehovah, Deus noſter, tu reſpondiſti eis.* Qui & I-
m à fidelitate & pietate ita laudantur: *Obſervârunt teſtimonia ejus; ſtatutum,*
dederat ipſis. v. 7. conf. Mal. 2: 6.

21. Ac denique ne quid perfectionis aut gloriæ in hoc novo fœdere deſiderare-
ad confirmandum illud, & gratiam inprimis in eo addictam, Deus nomen,
per Moſen Iſraëlitis notificavit. Exod. 34: 5. 6. 7. Quod ita repetitur Pſ.
03: 7. 8. 9. *Notificabat vias ſuas* (id eſt conſilium & opera ſua, quibus ſeipſum
glorificare. Atque ita nomen Dei etiam vocatur. Exod. 33: 14. Deus vocat
atem ſuam. Exod. 33: 19. quum Moſes ſibi peteret demonſtrari *gloriam Dei.*
18.) *Moſi, filiis Iſrael facinora ſua.* verſ. 7. Magnum autem id nomen & glo-
m cumprimis & amabile & timendum. *Miſericors* ab eo, quòd miſeros & ex-
eos vult per fidem ſalvari, *& gratioſus* ab eo, quòd vult liberali dono juſtitiæ
am ſuam demonſtrare, *eſt Jehovah; longanimus* ex eo, quòd homines impios
at diu, & vocat ad pœnitentiam, antequam puniat, *& multus gratiâ,* quòd
o amore & mirabili potentiâ electos perducit ad ſalutem, & eorum fidem non

tantùm ipſorum æternâ beatitudine, ſed & miſeratione filiorum uſque in milleſimam progeniem, maximè eorum, qui ſunt ſecundùm promiſſionem, remuneratur. verſ. 8. *Non in perpetuum contendit.* Contendit quidem & judicium exercet in peccatum, ſed non in perpetuum. Nam primò peccatum noſtrum conjecit in Chriſtum. Deinde in iis, qui ſunt Chriſti, peccatum magis magiſque abolet. Denique *non in ſæculum ſervat iram*, quemadmodum in milleſimam progeniem ſervat gratiam, ſed ipſi ſatis eſt nunc in filiis, nunc in nepotibus, nunc in pronepotibus demonſtrare juſtitiam & iram ſuam. verſ. 9.

ARTICULUS III.

NOn erat, ut ante dictum ad Per. II. Art. XI. hoc fœdus ἀμεμπτον; Relinquebatur locus transgreſſioni pleræque partis populi. & dominationi gravi, atque exſpectationi melioris. Igitur ut ante, ſic & ſæpiùs poſtea, Iſraëlitæ, multipliciter & graviter peccando, inprimis autem horribili idololatriâ, ſub ipſam fœderis publicationem & auditam legem patratâ, & contemptu terræ promiſſæ, à viâ juſtitiæ receſſerunt, & fœdus Dei rejecerunt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ad hunc Articulum referenda eſt hæc Pſalmi 14: 3. querela: *Quicquid eſt, receſſit, pariter ſorduerunt*, non tantùm omnes homines in univerſum, ſed etiam illi, quibus manifeſtatio Dei (Art. præced. ex verſ. 2. ejuſd. Pſ.) eſt facta, Iſraëlitæ ipſi ſtatim poſt acceptam legem. *non erat faciens bonum* ſecundùm legem, *non erat vel unus* populus ex tot populis, tribus ex duodecim tribubus, homo ſingularis ex tot myriadibus. Idemque in re præſenti teſtatur Deus, Exod. 33: 6. 7. *Populus tuus corrupit. Receſſerunt celeriter à viâ.*

§. 2. Huc pertinet quod legitur Pſ. 78: 8. *Et non fiant ſicut Patres ipſorum, ætas refractaria & immorigera; generatio, quæ non defixit cor ſuum, & cujus non conſtabat cum Deo animus.* Et verſ. 10: & 11. Ibidem. *Non obſervârunt fœdus Dei, & in lege ejus recuſârunt ambulare. Et obliti ſunt facinora ejus, & mirabilia ejus, quæ fecerat ipſos videre.* Item verſ. 40. *Quoties exacerbarunt illum in deſerto? dolore affecerunt eum in vaſto?* Jeremias hujus transgreſſionis ita meminit: *Qui irritum fecerunt* non acceptarunt *fœdus meum.* Jer. c. 31: 32. Itemque Ezechiel, c. 20: 13. *Et inobedientes exſtiterunt in me domus Iſraël in deſerto, in ſtatutis meis non ambulârunt, & judicia mea ſpreverunt, quæ faciens homo vivet in illis: & Sabbata mea profanarunt admodùm.*

§. 3. Catalogum quoque peccatorum Iſraëlis, ante & poſt fœdus acceptum, ſubminiſtrat Scriptura Prophetica. Notatur

1. Concupiſcentia. Pſ. 78: 17 — 20. *Et addiderunt ultra peccare ipſi, ut exacerbarent Altiſſimum.* verſ. 17. *Et tentarunt Omnipotentem in corde ſuo, petendo cibum pro concupiſcentiâ ſuâ.* verſ. 18. *Et locuti ſunt contra Deum, dicentes: poteritne Deus adornare menſam in deſerto?* verſ. 19. *Ecce percuſſit rupem, & fluxerunt aquæ, & torrentes exundabant. Nunquid etiam panem poterit dare? an præparabit carnem populo ſuo?* verſ. 20. Hîc Pſaltes conjungit cupiditatem carnis, de quâ eſt. Exod. 16: 3. 13. Et de quâ Num. 11: 4. 6. 20. Nam priorem illam quod attinet, jam tranſierat, quum Deum tentarent de aquâ. Vid. Exod. 16: 13. Et ex verſu 30. Pſalmi collato cum Num. 11: 32. patet, eum de poſteriori tentatione inprimis loqui. Conjungit tamen

men utramque, quia ab eodem animo & ab eâdem diffidentiâ utraque erat orta, quum utramque ingentia Dei facinora præceſſiſſent. Fons peccati: *Quia non crediderunt Deo, & non confiſi ſunt mirabilibus ejus.* Ibid. verſ. 22. Huc facit, quod eſt. Pſ. 95: 8. 9. *Ne induretis corda veſtra*, per incredulitatem & inobedientiam cæleſtis vocationis, *ut in contentione, in die tentationis, in deſerto.* Vid. Exod. 17: 7. Num. 20: 1. 3. 13. Deut. 6: 16. Num. 14: 20. 21. *Nam tentârunt me Patres veſtri, periclitati me ſunt.* Tangit obiter hoc peccatum. Pſ. 105: 40. 41. *Petiit* populus *& adduxit Deus coturnices, & cibo cœlorum ſatiabat eos. Aperuit*, ipſis petentibus, *petram, & fluxerunt aquæ, iverunt in deſertis.* Et planiùs Pſ. 106: 13. 14. 15. *Celeriter obliti ſunt opera ejus, non præſtolati ſunt conſilium ipſius. Et concupiverunt concupiſcentiâ in deſerto, & tentarunt Omnipotentem in vaſto. Et nihilominus ita tentatus ab ipſis dedit ipſis poſtulatum ipſorum.* Ad hiſtoriam Ex. 15: 22. 23. inter alias reſpiciens.

2. Invidia. Pſ. 106: 16. 17. 18. *Et inviderunt Moſi in caſtris, Aharoni, ſancto Jehovæ.* Vid. Num. 16.

3. Idololatria ad Horebum Pſ. 106: 19 — 22. *Fecerant vitulum ad Chorebum, & incurvaverant ſe ſuſili.* verſ. 19. *Et mutaverant gloriam ſuam in figuram bovis comedentis herbam.* verſ. 20. *Obliti fuerant Omnipotentem ſervatorem ſuum, qui fecerat magna in Ægypto.* verſ. 21. *mirabilia in terrâ Chami, terribilia apud mare algæ.* verſ. 22. Vid. Exod 32: 8. Nota, videri in Catalogo Pſ. 106. obſervari non ordinem temporis, ſed gradationem. ſcil. Magnum erat peccatum ob concupiſcentiam murmurare & tentare Deum: Majus, Aharoni invidere; ſcil. quatenùs illud erat rejicere ſacerdotium à Deo inſtitutum figuram ſacerdotii Chriſti: Maximum alios Deos colere; vel Deum in ſimilitudine vel ſigno colere.

4. Contemptus terræ promiſſæ, & diffidentia in Deum. De diffidentia eſt. Pſ. 78: 32. *In hoc omni peccaverunt ampliùs, & non crediderunt mirabilibus ejus.* Et ſic Num. 14: 11. Ubi hæc hiſtoria: *Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis?* De contemtu terræ, & diffidentiâ. Pſ. 106: 24. 25. *Et contemſerunt terram deſiderii, non crediderunt verbo ejus. Et murmurarunt in tentoriis ſuis, non obedierunt voci Jehovæ.* Juſſi terram ingredi. Deut. 9: 23. & rurſus juſſi abſiſtere. Deut. 1: 43. Hiſtoria eſt. Num. 14: 1. & Deut. 1: 21. 32.

§. 4. Hæc peccata intelligit Eſaias, ubi *pravitatum & defectionum Iſraëlitarum* facit mentionem, pro quibus ſint venditi, ac traditi in ſervitutem. Eſ. c. 50: 1. Et ſic Eſ. 48: 11. *Defector ab utero vocatus es.*

ARTICULUS IV.

Hâc adeo multiplici, & indignâ contumaciâ & rebellione fatigata patientia Dei in iram vertit: Qui idcircò mutato regimine populi laxiore & clementiore, quale hucuſque extiterat, adductiùs & ſeveriùs gubernare in poſterùm conſtituit. Et primò quidem gentem illam peccatricem virorum eductorum ex Ægypto variis caſibus conſumſit ac proſtravit in deſerto, donec tota conficeretur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De adductiori regimine occaſione tranſgreſſionum populi introducto ita inquit Jeremias: *Qui irritum fecerunt fœdus meum, & ego Dominationem exercui in*

 ipſos

ipſos. Jer. 31: 32. pro quo Apoſtolus, *ἠμέλησα αὐτῶν. neglexi ipſos*. q. d. non habui ampliùs ut pueros deliciarum, ſed neglectim, tanquam, captivos & ſervos tractavi, & jus victoris & *δεσπότου heri* in ipſos exercui. Et c. 3: 14. *Revertimini, filii averſi, quia ego dominationem exercui in vos*. h. e. retinui imperium ac jus Domini in vos, & non ſivi vos è poteſtate meâ elabi, nec miſſos vos feci, quanquam averſos. Item Eſaias c. 54: 8. *Abſcondi faciem à te*. Quemadmodum & Pſaltes: *Quouſque, ô Jehovah, occultaberis indeſinenter?* Pſ. 89: 47.

§. 2. Fuiſſe autem hanc duriorem populi tractationem ab irâ, ſignificatur voce *Excandeſcentiæ*, hâc in re adhibitâ. Dan. 8: 19. Item *Ferveris*, Eſ. 54: 8. nec non *æſtus*, Pſ. 89: 47. Et quia hæc ſeveritas duratura erat toto tempore Veteris Teſtamenti, hinc tempus illud *Tempus excandeſcentiæ*, & *ferveris*, & *æſtus*, non tantùm reſpectu univerſalis gubernationis mundi, ut ſuprà Per. I. Art. VII. ſed etiam reſpectu ſpecialis œconomiæ populi Iſraelitici, dictis locis appellatur.

§. 3. Longum futurum fuiſſe id tempus, à deſerto uſque ad apparitionem Chriſti, innuitur. Pſ. 89: 47. per *Quouſque, ô Jehovah, occultaberis indeſinenter? ardebit tanquam ignis æſtus tuus?* In comparatione tamen ſecuturi temporis id *parvum momentum* appellat Deus apud Eſaiam, c. 54: 7.

§. 4. Quamvis autem ſic occaſione non unius tranſgreſſionis hæc ſeveritas fuerit introducta, quia tamen non ante Deus illam exercuit, quàm Iſraelitæ vitulum fecerunt, quo tempore partem illorum juſſit occidi, & jugum grave ipſis impoſuit, ab hoc ipſo tempore merito initium ſæculi excandeſcentiæ deducimus; ita tamen, ut ſimus memores, ut antecedentem, ita & conſequentem omnem defectionem in eâ fuiſſe vindicatam.

§. 5. Primus effectus Excandeſcentiæ fuit caſus illorum omnium, qui primi poſt eductionem ex Ægypto, Deum exacerbârunt, non quidem ſimul & ſemel, ſed, quod ſingularis erat clementiæ, diverſis occaſionibus & vicibus, donec tota illa generatio, eſſet deleta, in deſerto. De hoc opere excandeſcentiæ intelligi poteſt illud Davidis: *Et viderunt opus meum* patres veſtri. h. e. judicium meum varium in deſerto. Pſ. 95: 9. Hæc clades initium habuit à cæde, operâ Levitarum editâ in populo, quum idololatriam commiſiſſent ad Horebum. Exod. 32: 27. 28. Ad eam alludit Moſes in Benedictione Levi. Deut. 33: 9. *Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ; non vidi illum: & fratres ſuos non attendit; & filios ſuos non cognovit.*

§. 6. Continuata eſt in peſte illorum, qui Deum tentaverunt ſuâ concupiſcentiâ. Num. 11: 33. 34. *Non receſſerant à cupiditate ſuâ, adhuc cibus illorum erat in ore ipſorum; Et ira Dei adſcendit in ipſos, & occidit multos in opimis ipſorum, & juvenes Iſraelis fecit procumbere.* Pſ. 78: 30. 31.

§. 7. Nec non in horribili interitu illorum, qui per invidiam peccaverant. Num. 16: 35. Nimirùm, ſicuti eſt Pſ. 106: 16. 17. *Aperiebat ſe terra & abſorbebat Dathanem & operuit cœtum Abirami. Et exarſit ignis in cœtum illorum, flamma incendit improbos.*

§. 8. Conſummata denique eſt hæc plaga in conſumtione illorum, qui Deo diffidebant, quum exploratores miſſi eſſent. Num. 14: 29. 30. 31. 32. &c. *Et conſumſit in vanitate dies illorum.* ut in miſeriâ, fame & ſqualore in deſerto, inter varia ſupplicia, ſine aſſecutione hæreditatis terræ Canaan morerentur. Pſ. 78: 33.

§. 9. His caſtigationibus effectum eſt, ut populus Iſraeliticus purus eſſet ab omni publicâ corruptelâ, quum plantaretur in terrâ. Sic que *paſtinavit* Deus *vineam ſuam*. Eſ. 5: 2. Conf. ſup. Art. II.

§. 10. Hanc

§. 10. Hanc poſtremam ſtragem cogitaverat quidem Deus repræſentare, h. e. ſtam habebat occaſionem eam mox & uno pedatu infligendi, ſed tamen intercedente Moſe hanc ſeveritatem omiſit: ita tamen, ut juraverit, iſtos homines terram on viſuros. Num. 14: 11. & 19. 21. 22. Hanc mixturam clementiæ & vindictæ Divinæ ita celebrat Prophetia: *Quadraginta annos nauſeavi in generatione unâ; & icebam: Populus errantium corde illi ſunt, & illi non norunt vias meas. Uſque dùm juavi in irâ meâ: ſi intrabunt in quietem meam!* Pſ. 95: 10. 11. *Et decreverat ipſos delere: niſi Moſes ſtetiſſet in rupturâ coram ipſo ad avertendum iram ipſius, ne perderet.* Pſ. 106: 23. *Et extulit manum ſuam ipſis, quod effecturus eſſet, ut caderent in deſerto.* Ib. v. 26. *Et cogitabam effundere excandeſcentiam meam in ipſos in deſerto, ut conſumerem ipſos: Et feci propter nomen meum, ut non profanaretur ante oculos gentium, ante quarum oculos eos eduxeram.* Nibilominùs *tamen ego ſuſtuli manum meam ipſis in deſerto de non introducendis ipſis in terram, quam dederam manantem lacte & melle, quæ decus eſt omnium terrarum. Eo quod judicia mea ſpreverunt, & ſtatuta mea, non ambularunt in eis, & Sabbata mea profanarunt, quia poſt ſtercora illorum cor illorum ibat.* Ezech. 20: 13 — 16. *Et indoluit oculus meus ſuper ipſis, ne perderem eos, & non feci* ſtatim *cum ipſis conſummationem in deſerto.* Ibid. verſ. 17. *Et duxi vos in deſerto quadraginta annos.* Am. 2: 10.

§. 11. Quoniam itaque non ſtatim & rectâ conſtituerat Deus populum introducere in terram, circumduxit eum Idumæam, & Moabitiden, & prope Kadeſcham, quæ eſt in limite Idumæorum, Num. 20: 16. in deſerto Paran ſederunt diebus multis. Et quia in omni parte deſerti ipſis apparuit, hinc dicitur *exitus eſſe ex Seir ipſis, & eluxiſſe ex monte Paran.* Deut. 33: 2. Item: *Deus venit ex Theman,* h. e. Idumæâ, *& Sanctus è monte Paran.* h. e. Arabiâ. Hab. 3: 3.

§. 12. Nec tantùm in hâc ultimâ parte pœnæ Iſraëlitis inflictæ, ſed & in prioribus, ut ſemper aliàs, hæc Dei μακροθυμία ſpectata eſt. Ita enim Pſaltes, Pſ. 78. *Si occidebat,* vel occidere aggrediebatur, *ipſos, quærebant ipſum,* nunquam ſine malo & flagro voluntatem Dei ad animum revocabant, *& convertebantur* (non loquitur de verâ pœnitentiâ plerorumque) *& quærebant Deum* omnipotentem. v. 34. *& recordabantur, quòd Deus,* teſtis Patribus factus ad fidem in ipſum, *rupes ipſorum eſſet, & Deus altiſſimus vindex ipſorum.* Sic demum cogitabant, quod non ſuo robore ſed Dei adjutorio ſuſtentarentur, ſine quo nequirent ſubſiſtere, quòdque illi ſoli confidere deberent; & quòd ille ipſos maximis beneficiis affectos tanquam ſuos aſſereret, propter Chriſtum venturum, ex omnibus anguſtiis. v. 35. *Attamen decipiebant eum* (conatu non effectu) *ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiebantur ipſi.* v. 36. *& cor ipſorum non erat confirmatum cum ipſo, neque perſtabant in fœdere ejus.* v. 37. *Sed ipſe miſericors expiabat* h. e. condonabat propitiatione conſtitutâ, quæ erat figura Chriſti, ne putes aut veram ipſorum pœnitentiam fuiſſe, aut Deum ab ipſis deceptum, *delicta, & non deſtruebat, & ſæpiùs revocabat iram ſuam, & non excitabat totum ardorem ſuum.* v. 38. *& cogitabat, quòd caro* h. e. peccatores miſeri & impotentes per ſe, nec dum ita à ſe ſanctificati, ut vetus homo in iis eſſet planè deſtructus, *eſſent, ventus abiens, & non revertens.* v. 39. Quod autem vera non fuerit pœnitentia, probat, quia identidem reciderunt. *Quoties exacerbarunt illum in deſerto, dolore affecerunt eum in vaſto?* v. 40. Quibus convenit, quod eſt. Eſ. 48: 11. *Defector ab utero vocatus es. propter nomen meum prolongabam iram meam & propter gloriationem meam continebam me tibi, ne exſcinderem te.*

§. 13. Et hiſce quidem ac ſimilibus aliis, de quibus infra ſuis locis dicemus, pa-

tientiæ & clementiæ Divinæ, quanquam in perpetuâ populi contumaciâ & de. fectione, documentis, factum eſt, ut totum tempus Veteris Oeconomiæ, non tantùm, ut ſuprà Per. I. Art. 3. reſpectu totius mundi, ſed inprimis etiam reſpectu populi Iſraëlitici, appellatur Tempus *ἀνοχῆς Θεοῦ tolerantiæ Dei*; Rom. 3: 25. *Silentii*, Pſ. 50: 3. 21. 109: 1. *Clementiæ*; Eſ. 63: 9. Ez. 7: 4. & Zach. 11: 7. 10. quâ nimirùm *parcebat Iſraëli*. Ezech. 7: 4. Et *Præteritionis* denique. Am. 7: 8.

§. 14. Fuit itaque in univerſum ſub V. T. temperamentum quoddam iræ & gratiæ; excandeſcentiæ & clementiæ; quale temperamentum Ezechiel vidit in *ſpecie hominis viſi ſuper throno*, id eſt Chriſti regnantis in mundo & Eccleſiâ. Dicit enim, quòd fuerit huic ſpeciei *aſpectus Chaſmal*. Id eſt, uti ipſe explicat, *Iridis*, non tantùm *à lumbis deorſum*, h. e. in inferiori, ſeu poſteriori parte regni Chriſti, ſub N. T. ſed etiam *à lumbis ſurſum*, h. e. in ſuperiori ſeu priori ejus parte, ſub veteri. Ezech. 1: 26. 27. 28. Eſt autem in Iride mixtura colorum ignei, rubri, & viridis: quâ non incommodè mixtura iræ & gratiæ deſignatur. Et quidem ita ſibi commenſurabantur ira & gratia ſub V. T. ut quemadmodum parciùs hæc exercebatur in mundo, & in populo maximam partem defectore, ita quoque fuerit major iræ cohibitio in refractarios. Indicat Ezechiel, l. citato, ubi ſpeciem humanam modò dictam ita deſcribit, quòd fuerit *ut ignis introrſum undiquaque plenus à lumbis ſurſum*. ſignificatur enim, Deum ſub Veteri Oeconomiâ iram exercuiſſe in mundo, ſed parcè, ita ut illam tunc magis cohibuerit.

ARTICULUS V.

POtuiſſet Divina dominatio ſubſtitiſſe intra hunc modum, ſi ſpes ulla fuiſſet, filios hoc paternæ calamitatis exemplo à peccando abſterritos, Dei ſui & viæ ab eo monſtratæ obſervantiores futuros fuiſſe. Sed quia jam ſatis ſuperque conſtabat, nulla beneficia aut judicia ſatis valida ad emolliendam duritiem carnis, & timorem Dei in eâ generandum eſſe, animum indomitum, & propriarum virium fiduciâ ferocem, ulteriùs ita coërcuit. Speciem legis operum legi fidei & reſipiſcentiæ hactenùs auditæ ſuperaddidit; non ut ex eâ juſtitiam affectarent, ſed ut cognito, quid ad juſtitiam legis requiratur, ab illâ quærenda deterrerentur, & adigerentur ad confitendum peccatum & condemnationem ſibi incumbentem. Multa inſuper ipſos facere tanquam juſtitiæ causâ coëgit, quæ ab homine quovis irregenito, & factis ſuis juſtitiam quærente, fieri poſſunt; quæ tamen reverâ ad juſtitiam & vitam inutilia eſſent, & legi operum, eique annexæ maledictioni, ſubordinata tantùm indicarent lapſum & reatum, qui per lapſum introductus eſt, adhuc exſtantem, needum expiatum, eumque exprobrarent; Conſtitutis etiam, qui ad exactam obſervationem horum omnium, tùm metu mortis & pœnarum, ex præſcripto legis transgreſſoribus ejus exſpectandarum, tùm etiam præceptis & pœnis arbitrariis, populum adigendi poteſtatem haberent; Angelorum denique vigili miniſterio in id excubante, ut & Rectores illi facerent officium, & Populus illis debitam reverentiam exhiberet, atque etiam interdum plagam lege adjudicatam repræſentante.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hæc inprimis eſt *Dominatio*, de quâ Jer. c. 3: 14. Item. c. 31: 32. Et *bſconſio faciei*, de quâ Eſaias, c. 54: 8. Et David; Pſ. 89: 47. verbis ad Art. æced. laudatis.

§. 2. Quatenùs enim hæc dominatio exercita eſt in commemoratione & expro- ıtione peccati, & impoſitione jugi legis, & imperii humani, utriuſque illuſtria ſtant teſtimonia in Prophetiâ. Commemorationem peccati olim factam ita innuit ıltes: *verba pravitatum exſuperâſſant me.* Intelligere enim Prophetam verba illa, bus Deus olim peccata, etiam fidelium, utpote nondum expiata, accuſabat, et ex oppoſitione, quæ Ibidem eſt: *Tu illas expias.* Pſ. 65: 4. Eſaias quoque ſdem ita meminit. Eſ. 54: 9. *Juravi ne efferveſcam in te & increpem te.* Ubi *incre- io* hanc ipſam accuſationem peccati ſignificat.

§. 3. Factam autem hanc commemorationem peccati per impoſitionem jugi le- , (h. e. Sermonis illius omnis, qui ab officio, cui inſerviebat, quodque tante peccato in mundo, propriè eſt legis operum, *Lex in* ἀντιδιαστολῇ *promiſſio-* appellatur.) docemur iiſdem locis, quæ de dicti jugi impoſitione agunt. Horum num ſuppeditat Eſaias, cap. 9. verſ. 4. In quo mentio eſt *Jugi bajulationis popu-* quod teſtatur Deum illo tempore, quo puer natus eſt, &c. *ab illo conſternaviſſe.* o autem hîc implicantur; *Jugum* bajulationi ſubjiciens, & *onus* ad bajulandum oſitum. *Jugum* eſt reatus peccati, ut necdum per ſanguinem Chriſti expiati: jus jugi nervus eſt, lex moralis, hoc fine repetita à Moſe, ut directè contra ninem ſtaret, eumque reum Deo perageret; quod facit demonſtrando peccatum catum & in irregenitis irritando. *Onus* eſt Lex ſubintroducta poſt Teſtamentum promiſſionem & fidem Patrum ratificatum: Quæ eſt Lex ceremonialis, lata per oſen, & hoc fine introducta, ut eſſet tanquam accuſatio & commemoratio quo- ana peccati.

§. 4. Alterum Jeremias, c. 7: 22. ubi teſtatur, *Deum non locutum eſſe cum Patri-* Iſraëlitarum, *neque præcepiſſe ipſis, quo die adduxit ipſos & Ægypto de iis, quæ inent ad holocauſtum vel ad ſacrificium*; Innuit, præcepta de holocauſto & ſacri- non in remedium, ſed in chirographum, impoſita fuiſſe.

§. 5. Tertium, eumque maximè inſiggem, c. 20: verſ. 25. & ſeqq. Ubi poſt- m Propheta priorem modum caſtigationis Iſraëlitarum in deſerto, quem enar- mus ad Art. præced. explicuiſſet; hunc alterum ei ſubjicit in hanc ſententiam: *ue etiam ego dedi ipſis ſtatuta non bona, & judicia, in quibus non viverent.* h. e. talia cepta, qualia habere aut feciſſe non ſit ad vitam peccatori utile aut neceſſarium, eum in maledictionem conjiciat. verſ. 25. *Et impuros illos* ſeu reatu peccati adhuc rictos, *declaravi* & hoc nomine ab altari rejeci, *cum oblationibus ipſorum.* Scili- olim Patres ſacrificabant omnibus in locis; & Exod. 24: 5. Sacrificant juvenes rum Iſraël: Cujus ſacrificii ſanguine adſpergitur populus, atque is ſanguis ap- atur ſanguis Teſtamenti, ſive fœderis. Poſt illa autem Deus elegit Aharonem ilios ejus Sacerdotes; qui offerent victimas in altari, quod conſtituendum erat m tabernaculo; omneſque alii ſub pœnâ mortis vetiti accedere. Atque ab hoc pore ſacrificiis Iſraëlitarum attribuitur pravitas; Exod. 28: 28. Imò omni loco ter altare, ipſique adeo tabernaculo; Lev. 16: 16. Denique vetantur Iſraëlitæ rre Deo ſacrificia alto in loco; Deut. 12: 5. 6. Et cùm Dathan & Abiram di- nt, totum populum eſſe ſanctum; Num. 16: 3. Deus interlocutus eſt, & de- monſtravit,

monſtravit, quisnam ſanctus eſſet, & quem vellet ad ſe accedere, Ibid. verſ. 5. Atque ita quando Aharon & filii ejus appellati ſunt ſancti, reliquus populus appellati ſunt impuri. Illuſtri documento, nec in oblatione ſacrificiorum veram ſanctitatem conſiſtere; &, quamdiu illa offerenda erant per miniſterium Aharonis & filiorum ejus, tamdiu omnibus Iſraëlitis ſine exceptione impuritatem incumbere, à quâ eſſent ſanctificandi per Deum, qui ſe appellaviſſet ſanctificatorem ipſorum. verſ. 26.

§. 6. Porro teſtatur Deus, ſe ſic impurum declaraſſe Iſraëlem, *cum traduceretur* vel *tranſire faciendo ſibi omne aperiens vulvam*, h. e. omne primogenitum. Exodi enim cap. 13: 32. juſſit Deus omne primogenitum ſibi traduci, cùm in terram intráſſent. Idque exſecutus eſt in deſerto, Primò, inſtituendo, ut ſoli primogeniti ad ſe accederent, ſibique miniſtrarent; Exod. 19: 22. & 24: 5. Deinde, declarando, ſe pro primogenitis filiorum Iſraël Levitas accipere; Num. 8: 6. 19. & jam ante. Num. 3: 40. 41. 45.

§. 7. Pars legis ceremonialis erat interdictio ciborum nonnullorum, aliàs licitorum. Quo ſignificabatur omnium rerum uſus impurus factus propter peccatum. Ea interdictio olim facta innuitur, ubi ſub regno Chriſti, peccato expiato, omnia poſita ſub pedes Chriſti, ſpeciatim *oves & boves univerſa iſta, atque etiam beſtiæ agri: Volucres cœli, & piſces maris*, &c. dicuntur: Pſ. 8: 8. 9.

§. 8. Acceſſit premendo oneri & gravis dominatio hominum, quos eo fine Deus populo dedit, ut obedientiam legis Divinæ ab eo exigerent, additiſque pro re natâ legibus & placitis humanis, quantum in ipſis, promoverent, & inobedientes partim ex formulâ in lege præſcriptâ partim κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς caſtigarent. Ii Gen. 49: 10. appellantur *legiſlatores*. Pſ. 68: 28. *Principes*; Eſaiæ c. 9: 3. & Zach. 9: 9. *Exactores*; Eſ. c. 49: 7. *Dominantes*; c. 50: 1. *Creditores Dei*; qui quaſi pretio aliquo emerint populum à Deo, ut illum in ſervitute haberent; c. 63: 11. *Paſtores gregis Dei*. Intelliguntur autem Lxx. Seniores, qui conſederunt in cathedrâ Moſis cum ipſo. De quibus eſt, Pſ. 82: 6. *Ego dixeram: Vos eſtis Dii*. Ideſt, vobis credent homines, vobis parebunt jubentibus ea, quæ ad παιδείαν faciunt, à vobis judicabuntur, quia ad vos verbum Dei factum eſt. Exemplum hujus nuncupationis vid. in Moſe, Exod. 7: 1. 14: 16. & conf. cap. 18: 19. *Et filii Altiſſimi omnes vos*. Vobis datum eſt ſedere in throno Dei, & ſocios Chriſti videri, & populum Iſraëliticum, qui eſt hæreditas Dei, habere in poteſtate. Et Mal. 2: 7. *Nam angelus Jehovæ Dei exercituum eſt*.

§. 9. Horum poteſtas ſignificatur. Eſ. 9: 3. per *virgam humeri*, & *ſceptrum exactoris*. Nam *virga humeri* eſt poteſtas coërcitiva ſeu κολάσεως Seniorum ſeu patrum carnis παιδευόντων κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς. Heb. 12: 10. Quo pertinet tota lex forenſis, puniens transgreſſiones Legis ceremonialis; quæ *Judicia* vocabantur. *Sceptrum exactoris* eſt auctoritas & poteſtas ſubjiciendi legibus & placitis humanis ad conſervandum populum in obedientiâ Legis Divinæ cum neceſſitate parendi etiam indiſcretis & iniquioribus mandatis: de quibus Matth. 23: 3. 4. Quæ auctoritas maxima erat in Rege & ſummo Synedrio.

§. 10. Hæc ſubjectio Iſraëlis in poteſtatem Principum erat *dimiſſio* quædam ejus, h. e. traditio in manum virorum aliorum præter Deum; & *venditio*, h. e. traditio ejus facta dominantibus, qui jugum legis ipſi imponerent, & in ſervitute illum continerent. De quâ dimiſſione, & venditione eſt apud Eſaiam, c. 50: 1. *Sic ait Jehovah: Quis eſt liber repudii matris veſtræ, quo dimiſerim illam? aut quis ex creditoribus meis, cui vos vendiderim? Ecce pro pravitatibus veſtris venditi eſtis, & pro defectionibus*

fectionibus

ſectionibus veſtris dimiſſa eſt mater veſtra. Quibus convenit, quod Eſaiæ cap. 54. Mater quædam dicatur *deſolata*, verſ. 1. & *uxor deſerta*; item *Uxor juventutis ſpreta*; verſ. 6. Quam Deus *parvo momento dereliquerit*, verſ. 7. Et *à qua faciem ſuam abſcondiderit*; Ibid. verſ. 8. Scilicet tota multitudo Patrum, qui ante Legis dationem, ſive etiam poſt eam ſub V. T. promiſſioni crediderunt, ſive in hâc vitâ libertate uſi fuerint, ut Abraham, ſive etiam fuerint ſub jugo conſtituti, quia promiſſionem de Semine habuerunt, eamque ſuâ fide ratificarunt, & exemplum credendi ad juſtitiam dederunt, nomine *Matris* indigitantur; Qui verò præter promiſſionem de ſemine etiam habuerunt promiſſionem de Terrâ Canaan, ut hæreditate h. e. Patres omnes Iſraëlitarum, inprimis illi, qui egreſſi ſunt ex Ægypto, & in viâ fuerunt ad illam terram, *Mater Iſraëlitarum* propriè ac diſtinctè appellantur. Et hactenùs quidem populus Dei, quocunque tempore, loco, & ſtatu fuerat in mundo, egerat in libertate, ſine jugo præceptorum per ſe inutilium, ſine neceſſitate adigente ad confeſſionem peccati quanquam conjecti in Sponſorem, ſine ſervitute hominum, neminem alium præter Deum agnoſcens Regem, nulli legi præterquam fidei & charitatis, quæ lex eſt regia libertatis, operatus. Unde quemadmodum, poſtquam promiſſa fuit hæreditas, eaque cœpit repræſentari, una Mater non erat extra alteram, ſed una eademque multitudo hominum, diverſo tamen reſpectu & conſiderandi modo, utramque conſtituebat, non potuere non hæ duæ Matres ſtatum libertatis habere communem; & ſi quid huic ſtatui contrarium acciderèt, communiter de ipſis prædicari. Atque ideo non tantùm Mater Iſraëlitarum, in ſpecie ſic dicta, jam tradita in manum Principum, dicitur *dimiſſa & vendita*, Eſ. 50. Verùm etiam Mater illa, quæ ante eam exſtiterat, nec ſine eâ porrò exiſtebat, eodem ſenſu, ob eandemque cauſam, vocatur *uxor deſerta*, & *uxor adoleſcentiæ* ſpreta; Eſ. 54: 6. & *derelicta* à Deo; verſ. 7. quia ſc. à Deo neglecta quaſi, & tradita Principibus.

§. 11. Quamvis autem ſic commune fuerit utrique Matri, dimitti à Deo, & deſeri, proprium tamen fuit illi, quæ Terræ Canaan hæreditatem exſpectabat, poſſe venire in manum ac poteſtatem aliorum, atque ita accipere ſpeciem *Maritatæ*; quo idcirco nomine inſignitur illa civitas, quæ accepit Vetus Teſtamentum ſub monte Sinai, & cum eo tabernaculum ad inhabitationem Dei, & cathedram principum ac legiſlatorum, qui Dii vocati ſunt. Eſ. c. 54: 1. Idque diſtinctè à priori, quæ Ibidem *Deſolata* vocatur, & verſ. 4. *Vidua*; quia nunquam habuerunt Patres priores faciem populi, nec maritos in terrâ, h. e. principes, legiſlatores, nuncupatos Deos. Ac denique quoniam hoc pacto Mater Iſraëlitica facta eſt ſerva, generavit filios, durante V. T. in ſervitutem. Et quamdiu ſic peperit filios, tamdiu Patres priores non habuerunt filios ſuos genuinos, ejuſdem hæreditatis hæredes. Igitur & comparantur cum *ſterili* Sarâ, & ipſis attribuitur *nec peperiſſe*, quia nullus ex filiis ipſorum fuit ſimilis ipſorum, durante V. T. *nec parturiviſſe*, quia etiam ipſi neſciverunt, dum in carne verſarentur, quo in ſtatu filii ſui genuini futuri eſſent. Nam quæ Deus præparabat exſpectantibus ſe, ſuperabant hominis cogitationem Ib. v. 1.

§. 12. Hâc legis datione *paſtinata eſt vinea Domini*. i. e. effectum eſt, ut populus eſſet purus ab omni publicâ corruptelâ. Eſ. 5: 2. *Et gens, extracta* ex Ægypto, ut ſup. Art. XVI. Per. II. *terſa* eſt. Eſ. 18: 2.

§. 13. Cœterùm, quod populum præcipuè in officio continebat, erat metus mortis & pœnarum pluſquam vulgaris: Quippe queis longævitas cum omni benedictione temporali in terrâ, ut præmium obedientiæ, & ut ſymbolum quoddam vitæ ac beatitudinis æternæ, mors autem matura, cum omni genere malorum, ut

 pœna

pœna contumaciæ & defectionis, ſanctione legali erant propoſita. Atque hinc eſt, quòd Mater illa derelicta, de quâ ante, quoniam acceperat Spiritum ſervitutis ad metum. Eſ. 45:11. *Horrens* appelletur. Hic ſtatus Eccleſiæ deſignatur, Pſ. 120: 1. verbis: *In arcto mihi*. h. e. quum mihi valdè arctum eſſet. *Arctum* enim ſignificat ingentem timorem. Nec mediocriter hunc horrorem intendebat obſcuritas ſermonis gratiæ, ſeu minor claritas; quam *Noctem* appellat Prophetia. Eſ. 26: 9. inde orta, quòd omnia tùm eſſent involuta *ænigmatis*; Pſ. 78: 2. fuerintque *retenta* quam plurima, quæ poſt clara fuerunt; Deut. 29: 29 Eſ. 48: 6. Non enim, quod prædictum erat futurum, poterat narrari ut factum; neque tam clarè prædictum erat, ut factum eſt, ut potuerit ſic recitari, ut videtur & auditur; cjuſque adeò partes quædam non erant dictæ, & totus ordo & *καιροὶ tempora* in Dei poteſtate repoſita manſerunt. Ac præterea propter ſpeciem legis operum ſermoni gratiæ ſuperadditam, quam ſignificabat *velum* faciei Moſis radianti imponendum, quoties ad populum loquebatur, factum eſt, ut quamvis Moſes expreſſè teſtaretur, ſe vitam & mortem, bonum & malum, ipſis propoſuiſſe, & ad vitam & bonum eligendum hortaretur; Deut. 30: 15. 19. tamen plerique in populo à lege juſtitiæ, quæ eſt lex fidei, aberrarent, & juſtitiam ex operibus ſectarentur quidem, at non invenirent. Hæc verò obſcuratio & minor explicatio ſalutaris doctrinæ, ſicuti debebat metum mortis & plagarum augere in illis, qui legi operum, ut tali, ſerviebant, ita in illis, qui fide promiſſionis cor purificatum habebant, non poterat illum imminuere; tùm quia etiam his obſtabat ſpecies legis operum quo minùs hujus diſcrimen à lege fidei æquè clarè ubique viderent; tùm inprimis quia propter communionem externam cum improbis, ſæpè iiſdem, ut peccatis, ſaltem per conniventiam aut ſilentium, ita & pœnis, implicabantur; eaſque idcirco tantò magis exhorreſcere, quanto gaudio, quod capiebant ex longâ & pacatâ ſymbolorum poſſeſſione, magis delibabant, neceſſariò & poterant & debebant. Nec tantùm ibi erat minor Lux, ſed & Gratia illuminans & convertens magis rara: *Nec enim Deus dederat* huic populo *cor ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum*; Deut. 29: 4. Unde & multiplex toto tempore V. T. erat in Populo *infirmitas*; cùm non tantùm myſterium reconciliationis non eſſet paſſim & vulgo notum, & in quæſtionibus legalibus languerent, & jugum ferrent ægrè, ſed & Spiritus convertens & ſanans ab averſione, & faciens ex corde duro & lapideo carneum, nondum eſſet in tantâ copiâ datus, ut ſub N. T. Pſ. 103: 3. quo idcirco tempore Deus dicitur *accinxiſſe robur*, nim. irreſiſtibile & vincens: quale robur opponitur debilitati legis & gratiæ reſtrictioni ſub V. T. & ſignificat claritatem Euangelii & efficaciam Spiritus Sancti ad expugnanda omnia ὑψώματα & convertendos plurimos Deo. Pſ. 93: 1. Ab hâc penuriâ & Gratiæ & Doctrinæ ſalutiferæ Eccleſia V. T. vocatur *Inops*, & hinc *Horrens*, & *quæ conſolationem non eſt accepta*; utpote continuo metui mortis & afflictionum, etiam ultra naturalem modum, per omnem vitam obnoxia. Eſ. 54: 11.

§. 14. Hoc quidem ergo metu, velut flagello, acti veteres, mancipiorum viliſſimorum, aut *pecudum*. (Jo. 2: 22.) more, in neceſſitatem jugi ferendi, velut in carcerem aut piſtrinum compulſi & incluſi fuere; in eâque neceſſitate, vinculis moleſtarum legum, & coërcitione eorum, qui Dii nuncupabantur, & Divino brachio, ipſo quoque timore mortis contenti, ne inde poſſent exire, indigniſſimam filiis Dei per omnem vitam ſerviverunt ſervitutem. Unde & *Vincti*: Eſ. 49: 9. Zach. 9: 12. & *Vincti in clauſtro*, Eſ. 42: 7. & *Vincti in foveâ*; Zach. 9: 11. πεφρουρημένοι ὑπὸ τὸν νόμον, appellantur.

§. 15. Hanc

§. 15. Hanc ſervitutem aliquando Populo imponendam, prævidit Jacobus patriarcha, Gen. 49: 10. ita vaticinans: *Non recedet legislator à Juda, donec, &c.*

§. 16. Effectus hujus ſervitutis, tam in fidelibus, quàm in univerſo populo, erat *Spiritus hebes*, id eſt animus demiſſus, non audens accedere ad Deum, affixus elementis mundi, &, ſicut Apoſtolus vocat, Rom. 8: 15. *δυλία*. Eſ. 61: 3.

§. 17. Et quia non erat hæc ſervitus tranquillandæ conſcientiæ, vel ullo unquam tempore in vitâ dimittebat ſuum cultorem; hinc & intolerabilem fuiſſe indicatur, Pſ. 65: 4. ubi dicuntur *verba pravitatum*, eas commemorantia ſcil. & exprobrantia, *exſuperâſſe* pios V. T. Et vocatur *fovea, in quâ non erat aqua.* Refrigerii ſcil. & conſolationis; Zach. 9: 11.

§. 18. Ac denique erat hæc ſervitus univerſalis, adeo ut nemo in populo ab eâ exciperetur, ne quidem illi, quibus populus erat ſubjectus, Sacerdotes inquam & Levitæ. Quos propterea Spiritus de miniſterio ſuo, à benedictione Dei ex Sione exſpectandâ, ſic ſtatuit conſolandos, Pſ. 13: 4. *Ecce, benedicite Jehovæ, omnes ſervi Jehovæ, qui ſtatis in domo Jehovæ in noctibus.* verſ. 1. *Tollite manus veſtras ad ſanctuarium, & benedicite Jehovæ.* verſ. 2. Scilicet Iſraël ſerviebat Deo dies & noctes in exſpectatione promiſſionis patribus factæ, Act. 26: 7. Sacerdotum quoque & Levitarum miniſterium erat grave jugum, Act. 15: 10. quod nec noctibus ceſſabat; Num. 1: 53. 18: 1. 1 Chron. 9: 33. Jugum verò id erat etiam propter moleſtiam carnis, quæ conſumebatur in elementis mundi ſive rebus terreſtribus, ſed magis, quia conſtituti erant ad avertendam iram, quæ imminebat, ſi quid neglectum eſſet, ſi quis alienus acceſſiſſet. Quippe lex Iſraëlitas immundos declaraverat cum donis ſuis, & quotidianam commemorationem peccati & impuritatis imperabat. Atque ita aditus ſanctorum adhuc erat quaſi interclusus. Heb. 9: 8. 24. & 10: 12. 19. Deinde ſerviebant umbræ, & ſciebant, nobis, h. e. iis, qui in N. T. ex Judæis & gentibus vocandi erant, non ſibi parata eſſe illa bona, quæ ſignificabantur, ut illa viderent, & prædicata audirent, & fructum plenum ex illis perciperent. Hos igitur jubet benedicere Deo in ſpe Chriſti, qui per ſanctuarium terreſtre ſignificabatur, & ipſis gratias agere, quòd remedium iræ tantæ & tam juſtæ promiſiſſet, quòdque ipſos dignatus eſſet admovere ad miniſterium ſuum, gentibus, aliiſque in populo abercitis. Ratio: *Benedicet tibi Jehovah ex Sion, qui fecit cœlum & terram.* Dabit vobis Deus, ſtante adhuc miniſterio veſtro, Redemtorem omnis benedictionis uctorem. verſ. 3. Quibus convenit, quòd eſt, Mal. 2: 5. *Teſtamentum meum fuit um ipſo,* (Levi, id eſt cum Aharone & filiis ejus, Levitis miniſtris meis) *vitæ & acis; & dedi ea ipſi in timorem,* non ad ſuperbiendum vel obtorpeſcendum, *atque deo timuit me; & propter nomen meum conſternabatur ipſe.* Scil. timor in ipſo tantus at, ut paveret & contremiſceret totus, quia nomen meum poſueram in tabernalo, in quo ipſum volui verſari die & nocte, ut cogitaret ſe juſſum eſſe propè accere ad Deum illum magnum, qui ſub pœnâ capitis omnem alienum arcebat, & in ius conſpectu verſari, ut illud nomen nullo peccato contaminaret.

§. 19. Et hîc quidem alterum effectum *Excandeſcentiæ* Divinæ, Dan. 8: 19. & *voris,* Eſ. [illegible]: 8. & *Æſtus*, Pſ. 89: 47. poſt priorem illum, de quo Art. præc. *emus.* Referri enim hujus adeo gravis ſervitutis impoſitionem ad Iram Dei, ut am, patet ex locis Pſ. Eſ. citatis: Namque ita Pſalmus: *Quouſque ô Jehovah Iraberis indeſinenter? Ardebit tanquam ignis æſtus tuus?* Eſaias: *Pauxillo fervoris ndi faciem meam à te.* Et ſic Ibid. verſ. 9. *Juravi ne iterùm efferveſcam in te, & epem te.*

 Occaſio-

Occaſionem huic ſeveritati exercendæ dedere transgreſſiones. Id eſt. 1. Quòd transgreſſio legis, quam Adamus accepit, nondum expiata eſſet. 2. Quòd Iſraëlitæ transgreſſionibus ſuis, de quibus ſuprà Art. III., meriti eſſent, ut lex, quæ iram operaretur, & grave jugum ſervitutis, ipſis imponeretur, & Deo occaſionem dederint eam imponendi & ipſis & poſteris ipſorum. Id perſpicuè docet Eſaias, c.50: 1. *Ecce pro pravitatibus veſtris*, nondum expiatis, *venditi eſtis*, *& pro defectionibus veſtris*, h. e. quia nec patres nec filii in fœdere Dei ſtetiſſent, *dimiſſa eſt mater veſtra.* Item Jeremias, c. 31: 32. Patres *irritum fecerunt fœdus meum*, non acceptarunt, ſed rejecerunt, à viâ juſtitiæ recedendo; *&*, h. e. idcirco, *dominationem exercui in ipſos.*

§. 20. His accedit, quòd ſtatui Iſraëlis, in quo tum maximè erat, apta eſſet hæc ſeveritas. Talis enim erat hic ſtatus, qui requireret Pædagogum, actores, curatores & tutores, cum elementis mundi, quibus manciparentur. Puer enim erat Iſraël, h. e. infirmus quoad majorem partem, ab officio faciendo averſus, & ad vitium proclivis; quemadmodum pueri ſolent. Ita Hoſeas, cap. 11: 1. *Quum puer eſſet Iſraël, dilexi eum.* Et ſic *Pueritia* tribuitur *Iſraeli*, Pſ. 129: 1. Add. Pſ. 71: 5.

§. 21. Finis, quem Deus intendit hâc ſeveritate, hic erat, *ut Iſraëlitas in ſtuporem adigeret.* Id eſt, ut ipſos redigeret ad ſilentium, ut nullam invenirent cauſam & occaſionem præſumendi de propriâ juſtitiâ, atque ita omne os obturaretur, fierentque unà cum toto mundo obnoxii judicio Divino. Ezech. 20: 26. Add. Period. II. Art. 1.

§. 22. Duratura erat hæc ſervitus toto tempore Veteris Teſtamenti, nimirùm uſque ad adventum Chriſti, qui, quicquid à reatu adhuc exſtante fuit irarum ſub Veteri Oeconomiâ, tàm in mundo, quàm in Eccleſiâ, expiato peccato, & juſtitiâ ſæculorum adductâ, inperpetuum erat aboliturus, & pacem adducturus, tùm populo, tùm gentibus. Ita enim Jacobus in extremis: *Non recedet ſceptrum à Judâ, & Legislator è medio pedum ejus, donec veniat ſchiloh.* q. d. *Pacator*, & *ipſi erit obedientia populorum.* Gen. 49: 10. Hinc *Excandeſcentiæ*, quocunque modo olim exercitæ tribuitur מוֹעֵד *προθεσμία ſtatutum tempus.* Dan. 8: 19.

§. 23. Hoc verò tempus, quanquam ſatis longum à datione legis uſque ad Chriſtum, quod innuit Pſaltes, Pſ. 89: 47. per *Quouſque?* tamen comparatum tempori Gratiæ ſub N. T. *Parvum momentum*, Eſ. 54: 7. appellatur. Quemadmodum & *Fervori*, à quo hæc ſervitus, quanquam in ſe, ut ſupra viſum, intolerabili, reſpectu abundantiæ gratiæ futuræ ſub N. T. *pauxillum*, ſeu parvitas, tribuitur, Ibid. verſ. 8.

§. 24. Quamvis autem ſic Deus populum ſubjeciſſet Principibus, qui eum ſubjicerent jugo legis, eoque regnum Dei non parum obſcuraretur, non tamen idcirco ipſe curam ejus gerere, & Rex ejus eſſe plane deſiit. Quippe & fatetur Eccleſia, *Deum regem ſuum fuiſſe à priſco*; Pſ. 74: 12 Et, *Firmum fuiſſe thronum Dei pridem*; Pſ. 93: 2. Et negat Chriſtus Eſ. 50: 1. Se illos dimiſiſſe vel vendidiſſe Principibus, ſeu Patribus carnis, quaſi illorum proprii ſint, & ut illos in perpetuâ ſervitute tenerent. Dati enim erant populo, ut tutores & curatores, imò ut paranymphi, qui ſponſam ad Chriſtum deducerent. Nam *ſic ait Jehovah*: *Quis eſt liber repudii matris veſtræ, quo dimiſerim illam? aut quis ex creditoribus meis, cui vos vendiderim?* q. d. non dimiſi, non vendidi. Igitur quemadmodum, non obſtante tam gravi ſervitute, ſemper ipſos coëgit audire verba promiſſionis, verba fœderis, & præcepta, quæ qui facit, in eis vivit, in quibus ambulare eſt veræ μετανοίας; ita elementis mundi

mundi eos hoc pacto noluit ſervire, ut iis operari aut frui pro causâ vel præmio juſtitiæ haberent, ſed ut ea, tanquam figuras umbraſque rerum futurarum, quibus promiſſio illuſtrabatur, & ad eam conſiderandam adigebantur coram oculis ſemper cernerent, & manibus quoque ſuis adminiſtrarent; in eo etiam puerili ipſorum ingenio ſe accommodans, quod eis dedit ſtatuta, quæ ad illorum captum eſſent; ſi vel per illa docerentur, & per moleſtiam, quam in iis obſervandis habebant exantlandam, poſſent excitari ad regnum juſtitiæ & libertatis deſiderandum, & oblatum recipiendum.

§. 25. Hunc modum docendi per figuras & umbras, innuit Spiritus, ubi eas vocat *Ænigmata ab antiquo*; Pſ. 78: 2. Et hinc totum tempus veteris Oeconomiæ quia eminùs demonſtrabat Chriſtum, & juſtitiam, quæ per ipſum paranda erat, & regnum ejus; idque partim in verbo, partim in ſignis & figuris; *Tempus*, ſeu *Annus Viſionis* Hab. 2: 3. & Dan. 10: 14. denominatur. Quin etiam ad eundem finem voluit Deus aurigari terrorem & ſtuporem illum, ad quem Lex hominem, ut ſuprà viſum cogebat. Ita enim Ezechiel, c. 20: 26. *Et impuros illos declaravi cum donis ſuis, ut ipſos in ſtuporem agerem, ut cognoſcerent, quòd ego Jehovah*, qui ſio quod ſum; ſio in Deum, ſio ſanctificator. Oportet enim de ſe deſperare, qui vult Deo placere, & ſe planè abnegare, qui vult Deum glorificare.

§. 26. Ac præterea, quo meliùs valorem promiſſionis, & mentem horum ænigmatum, pro modulo ſuo in illâ infantiâ, & quantum ſatis eſſet, perciperent, ordinavit Deus, ut doctrina veritatis, quæ eſt ſecundùm pietatem, quoad primaria ſaltem ejus capita, qualia ſunt de Chriſto, deque paſſionibus & regno ejus, in ore Principum & Doctorum populi, tanquam ſucceſſorum Moſis, quanquam de cætero minimè infallibilium, ita conſervaretur, ut ſemper aliqui eorum eſſent, per quos populo communicaretur: Qui ut ſupereſſent, miſſis etiam ſubinde Prophetis, porrò effecit.

§. 27. Huc reſpiciunt Judæorum illi, qui ſub excidium noviſſimum urbis & templi, *recordati ſunt paſtorum gregis Dei*, h. e. LXX Seniorum, qui conſederunt in cathedrâ Moſis cum ipſo, quorum ſucceſſores Hieroſolymis præſidebant, requirentes, *Ubinam eſſet, qui poſuerat in medio Iſraëlis Spiritum ſuum.* Itaque ſtomachabantur, quòd Spiritus Sanctus à Senatoribus Hieroſolymitanis, à ſynedrio illo, diſceſſiſſe videretur, quos tamen, ut olim rectè ſenſiſſe de Chriſto & juſtitiâ & regno ejus, ita jam non poſſe labi, errare, & non agnoſcere Chriſtum & doctrinam ejus putabant. Eſ. 63: 11.

§. 28. Huc facit id, quod de officio Sacerdotum legitur. Mal. 2: 4 — 7. *Et cognoſcetis, quod miſerim ad vos præceptum hoc*, id eſt, hoc legis depoſitum, de dandâ gloriâ nomini meo, verſ. 2. vobis commendaverim, *quòd eſſet Teſtamentum meum cum Levi*, id eſt, quaſi lege me Aharoni obligaverim; *dixit Jehovah Deus exercituum.* verſ. 4. *Teſtamentum meum fuit cum ipſo, vitæ & pacis*, id eſt, Teſtamento quaſi Legavi ipſi ſalutem, & interfectionem inimicitiæ in carne Chriſti, ut quemadmodum antea erant Sacerdotes miniſtri literæ interficientis & ſervitutis; ita ſuo tempore fierent hæredes mundi & miniſtri Spiritus & gratiæ. Alludit autem ad Num. 25: 12. *Ecce do illis fœdus meum pacis; & dedi ea ipſi in timorem*, ut quo majora bona ipſi promiſeram, eo magis me amaret, & propter infirmitatem carnis, timeret quoque ne fortaſſis præterflueretur; *& idcirco timuit me; & propter nomen meum* magnum, quod poſueram in tabernaculo, in quo ipſum volui verſari, & ſub pœnâ mortis ob neglectum officium, mihi ſervire, *conſternabatur ipſe.* verſ. 5. Ef-

fecta timoris: *Doctrina veritatis fuit in ore ipſius, & injuſtitia non fuit inventa in labiis ipſius. In pace & in plano ambulavit mecum*, non rebellavit mihi, neque quæſivit anfractus, aut inſtitit altioribus ſe, *& multos reduxit à pravitate*, qui in rebellione & viis curvis ambulabant, i. e. doctrinam veritatis corrumpebant. verſ. 6. *Nam labia ſacerdotis ſervant ſcientiam, ut legem requirant ex ore ejus.* Non quod Deus ipſis dediſſet non errandi privilegium, quanquam hæc fuerit multorum præſumptio. Hoc tantùm habuit Divina promiſſio: 1. Inter ſacerdotes uſque ad Chriſtum ſemper ſervare ſemen aliquod fideles. 2. Per Seniores & ſacerdotes conſervare legem, & ejus exercitium externum, eò uſque. 3. Conſervare Cathedram Moſis in fundamentalibus. *Nam angelus Jehovæ Dei exercituum eſt.* Sic eos populo præfecit tanquam *angelos Dei*, &, ut loquitur Pſ. 82. tanquam *Deos*, h. e. ut vice Dei loquerentur ad populum aliquid, quod omnibus non eſſet ſtatim æquè clare patefactum, ſed per ipſos deberet patefieri. verſ. 7.

§. 29. Neque caruit effectu hæc inſtitutio in populo: ſemper enim in eo exſtiterunt aliqui, qui verbum promiſſionis haberent manens in ſeſe, & adventum Chriſti & regni ejus exſpectarent; quæ quidem exſpectatio in ipſis incendebatur tum terrore legis intentantis iram, tùm etiam beneficiis quotidianis, figuris & ſymbolis meliorum, imò ſignis adventus Chriſti, & veſtigiis quibuſdam ejus paulatim appropinquantis.

§. 30. Hinc Eccleſia vetuſta in oratione ad Deum: *Tibi*, inquit, *manet celebratio, ô Deus, in Sion.* h. e. pii celebrantes te manent, *προσδοκῶσιν*, in occurſum tuum in adventum tuum ſine interruptione perſeverant celebrare; donec ſc. venias. Pſ. 65: 2. Item: *Tu es exſpectatio mea, Domine Deus, ſecuritas mea à pueritiâ meâ.* h. e. quum adhuc eſſem conſtituta in puerilitate meâ, necdum perveniſſem ad ſapientiam adultorum, non exſpectavi regnum humanum & civitatem terreſtrem, vel alium Sacerdotem, regem, prophetam. Solum exſpectavi adventum Chriſti ad ſubjiciendum Eccleſiæ omnia. Etiam propter te non metuo. Pſ. 71: 5. Neque aliter Sponſa, exprimens deſiderium Eccleſiæ iſtius ſæculi, quatenùs cupiebat & audire Chriſtum loquentem verba Dei, quæ ipſi reſervata erant dicenda: *Oſculetur me aliquo de oſculis oris ſui.* Cant. 1: 2. Quæ Ibidem hoc deſiderium auctum beneficiis Dei, ceu ſignis temporis adventus Chriſti appropinquantis, ſic declarat: *Nam meliores ſunt amores tui vino.* Et hoc exemplo David, ut peracto judicio Dei in Doegum, gratitudinis causâ ita vovet: *Confitebor te*, ut juſtum judicem, *in ſæculum, quia perfeciſti; & exſpectabo nomen tuum*, i. e. eventum promiſſionis per nomen Dei mihi factæ, & omnis gratiæ propoſitæ fidelibus. Ratio: *Quia bonum eſt* nomen tuum *coram piis tuis.* i. e. promiſiſti te clementiſſimum & largiſſimum fore, idque coram iis, qui te ſtudioſè diligunt, ut minimè dubitare poſſint de gratiâ tuâ. Pſ. 52: 11. Conf. inf. Art. XXI. & Per. V. Art. CXXXIV.

§. 31. Ab eâdem ſpe atque deſiderio eſt, quod Veteres cùm non ignorarent Chriſtum Regem ſuum jam tum cum populo ſuo in omni anguſtiâ ejus communicantem, & pro eo intercedentem; uti eſt Eſ. 63: 9. Deum in nomine Filii ut regis ſui invocârent & liberationem Eccleſiæ ex anguſtiis pro reſponſione ad interceſſionem Chriſti haberent. Cujus orationis inſtar eſt. Pſ. 20: 2. *Reſpondeat tibi Jehovah in die anguſtiæ.* Quamvis enim hic Pſalmus in maximâ emphaſi propriè competat in tempus Novi Teſtamenti, quo fidelibus ampliùs conceditur, ut in nomine Chriſti dati, mortui, & ad dextram Dei collocati petant omnia; piis tamen ſub V. T. idem tribui poteſt, ut ſpem & initium habentibus fiduciæ illius propter promiſſionem.

nem. Item Pſ. 84: 10. *Clypeum noſtrum* regem noſtrum, qui nos defendit, ut ſine metu tibi ſerviamus, *vide, ô Deus, & aſpice faciem uncti tui.* Quippe in oratione hâc, quâ Eccleſia V. T. bonum ſuum petit in rege, tanquam charo apud Deum, & intercedente pro illâ, eſt myſtica ſignificatio orationis fidelium ſub Novo Teſt. apertiùs in nomine Chriſti orantium. Et eâdem fiduciâ Daniel ſupplicans pro reſtitutione Sanctuarii, & populi: *At nunc exaudi, Deus noſter, orationem ſervi tui; & ſupplicationem ejus, & fac, ut luceat facies tua ad ſanctuarium tuum vaſtum, propter Dominum.* Dan. 9: 17.

§. 32. Et ſic quidem Eccleſia habens deſiderium & exſpectationem eorum, quæ promiſſa erant, vocatur *Sitiens*; Deut. 29: 19. Et Exſpectantes *Sitientes*; Eſ. 55: 1. Et *Vincti* nimirùm *in lacu, in quo non erat aqua* conſolationis, Zach. 9: 11. Qui idcirco & *vincti exſpectationis*, Ibid. verſ. 12.

§. 33 Et quia non poterat non hæc Sitis, præſertim longiùs protracta, & terrore legis ac malorum multitudine irritata, magnam afferre moleſtiam & dolorem, hinc quoque Eccleſia iſtius temporis *Cruciata Spiritu*, Eſ. 54: 6. appellatur.

§. 34. Ac denique quia pro conditione ſæculi prioris non ex fide, ſed ex obſervantiâ externâ legis, quanquam ſine fide cordis, totus Iſraël quoad hominem pro populo Dei peculiari cenſebatur, hinc factum eſt, ut verè pii ac fideles tùm temporis in populo laterent; nec extrinſecus ab aliis verba Moſis loquentibus poſſent diſcerni. Quæ cauſa eſt, cur fideles Vet. Teſtamenti dicantur *ſedere* & *eſſe in tenebris*, atque ut tales denominentur; Eſ. 42: 7. 49: 9.

§. 35. Propter hos tamen verè pios ac fideles & reliqui in populo pro *filiis* habebantur, & *filii* dicebantur; non quod reverâ tales eſſent, ſed φανερῶς, quia multa ſimiliter ut filii faciebant, quamvis eſſent ſervi. Vid. Eſ. 1: 2.

ARTICULUS VI.

NOn poterat fœdus gratiæ, ſemel propoſitum Iſraëli, per defectionem ejus reſcindi, vel poſt illud novum fœdus operum introduci. Igitur, ut conſtaret, Iſraëlem verbo ſpeciem legis operum præferente ad fœdus operum non vocari, ut ante à patribus, ita poſtea à filiis ipſorum, Deus ſtipulatus eſt obſervationem fœderis gratiæ, h. e. ut crederent, Jehovam eſſe Deum ipſorum, & ipſos ſanctificaturum.

DEMONSTRATIO.

Sic refert Ezechiel cap 20. quòd Deus poſt negatam patribus introductionem in terram, egerit cum filiis ipſorum, & ipſis inculcaverit idem, quod & patribus ipſorum inculcaverat; *Et dixi ad filios ipſorum in deſerto: In ſtatutis patrum veſtrorum ne ambuletis, & judicia ipſorum ne obſervetis, & in ſtercoribus ipſorum ne polluamini.* verſ. 18. *Ego Jehovah Deus veſter, in ſtatutis meis ambulate, & judicia mea obſervate & facite ea.* verſ. 19. *Et Sabbata mea ſanctificate, & erunt in ſignum inter me & vos, ad cognoſcendum, quòd ego Jehovah Deus veſter ſim.* verſ. 20.

ARTICULUS VII.

SEd & illi, cùm nihilo meliores eſſent Patribus ſuis, *in Deum inobedientes exſtiterunt, in ſtatutis Dei non ambularunt, & judicia ipſius non obſervarunt, ut facerent ea, quæ faciens homo vivet in illis, & Sabbata Dei profanârunt*: Sicque nec reſipiſcentiam egerunt, nec fidem ſalutis obſervatione ſigni ſunt profeſſi.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc ipſum conqueritur Deus apud Ezechielem, cap. 20: 21. Et ad hanc quoque filiorum inobedientiam reſpicit Propheta, Pſ. 78: 40. *Quoties exacerbârunt illum in deſerto? dolore affecerunt eum in vaſto?*

§. 2. Peccata eorundem nonnulla etiam ſpecificantur in Prophetiâ: Nimirum.

1. Copulatio cum Baal Peor. Num. 25: 1. 2. 3. *Et copularunt ſe Baal Pehor* per ſcortationem cum filiabus Midianitarum, *atque* etiam ſcil. dum *comederunt ſacrificia mortuorum*, in honorem ſcil. Divi, loco Pehor dicto (Num. 23: 32.) patroni ac tutelaris, qui fortè, dum viveret, ibi habitaverat, oblata. *Et ægrè fecerunt Deo operibus ſuis.* Pſ. 106: 28. 29. *Et venerunt ad Baal Pehor, & ſepararunt* (conſecrarunt) *ſeſe pudendo* idolo. Hoſ. 9: 10. Nota, Iſraëlitas ab hoc facto, cùm ſe maculâſſent ſcortatione cum fœminis Moabiticis, atque ita quaſi in familiam Moabitarum tranſiiſſent, *Moabum & vitim Sibmæ* appellari in prophetiâ; Eſ. 16: 6. 7. 8.

2. Murmuratio ob aquæ penuriam. Num. 20: 12. *Et fervorem excitarunt propter aquas Litigii.* Pſ. 106: 32. Ubi & Moſis exacerbatio & vaniloquium notatur: *Et malè fuit Moſi propter ipſos.* verſ. 32. *quia contumaces ſe exhibuerunt erga Spiritum ejus, & effutivit* aliquid *labiis ſuis.* verſ. 33. Verba, quæ effutivit Moſes, habentur. Num. 20: 10. *An ex petrâ hâc producemus vobis aquas?* Quæ ſpeciem dubitantis præ ſe ferunt. Acceſſit factum non conveniens præcepto, *bis percutere*: cùm juſſus eſſet non populum, ſed petram alloqui, & non eam percutere. Moſis & Aharonis culpa in Numeris *incredulitas* nominatur.

3. Notat Spiritus & cultum idololatricum Iſraëlitarum in deſerto, Amoſ. 5: 25. 26. *An ſacrificia & munus obtuliſtis MIHI in deſerto, quadraginta annis, ô domus Iſraël?* Abnegat ſcil. ſacrificia Iſraëlitarum, quòd, licet obtulerint, Deo tamen non obtulerint, quem nondum verè cognoſcebant. v. 25. *At tuliſtis tugurium regis veſtri* idololatrici cujuſdam regis, qui & מולך & מלכם dicitur, *& baſin* ſeu *locamentum imaginum veſtrarum, imaginum ſtellæ Deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis.* Nam quum Deum in Chriſto non agnoſcerent; Cherubinos autem ut ſymbola angelorum haberent ſupra arcam, non injuriâ illos vocat *imagines ſtellæ Deorum ipſorum*, & arcam *locamentum* iſtarum imaginum. Idem enim de iſtis cogitabant, quod gentiles colentes ſydera, quia putabant ea eſſe vel animalia, vel corpora geniorum, quos *intelligentias* vocabant, aut eorum ſaltem quaſi vehicula. v. 26.

ARTICULUS VIII.

HAnc populi inobedientiam cùm ad apertam ſcortationem & copulationem cum Idolis gentium fuiſſet progreſſa, præſenti plagâ Deus vindicavit. Num. 25: 4.

25:4.5.9. Ipſi quoque Moſi & Aharoni in pœnam incredulitatis impoſitâ neceſſitate moriendi in deſerto. Num. 20: 12.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ita factum eſt, quod narratur Pſal. 106: 29. *Et erupit in ipſos plaga.* Et ſic rurſus Deus *excandeſcentiam ſuam effudit* in populum, Ez. 20: 21. Dan. 8: 19. & *Paſtinata eſt vinea Domini.* Eſai. 5: 2. conf. ſup. Art. IV. De moderatione plagæ ita loquitur Pſaltes: *Et ſurrexit & judicium exercuit, & coërcita eſt plaga.* Pſalm. 106: 30. Vid. Num. 25: 6. 7. 8. Atque ita Ezechiel: *Et cogitavi effundere excandeſcentiam meam in ipſos, ut conſumerem, iram meam in ipſis* i. e. juſtam habui cauſam ipſos delendi *in deſerto. Et reduxi manum meam, & feci propter nomen meum, ne profanaretur ante oculos gentium, ante quarum oculos eos eduxeram.* Ezech. 20: 21. 22.

§. 2. Addidit Spiritus apud Ezechielem: *Nihilominùs tamen ego ſuſtuli manum meam ipſis in deſerto, de diſſipandis ipſis per gentes, & de ſpargendis ipſis per terras.* Cauſa: *Eo quòd judicia mea non fecerunt, & ſtatuta mea ſpreverunt, & ſabbata mea profanârunt, & poſt ſtercora patrum ſuorum fuerunt oculi ipſorum.* Ibid. verſ. 23. 24. Pſaltes verò hanc comminationem ſubjicit ei, quâ Deus juraverat, ſe Patres ipſorum conſumturum in deſerto; de quâ ſup. Art. IV., quia per conſumtionem illam, ut ſimilem, confirmata eſt. *Et* ſcil. extulit manum ſuam ipſis, *quòd projecturus eſſet ſemen illorum inter gentes, & diſſipaturus in terris.* Pſalm. 106: 27. Hæc comminatio proponitur Levit. 26: verſ. 33. 38. 39. 41. 44. Repetitur Deuter. 4: 26. 27. 28: 36. 30: 1.

§. 3. Cæterùm Pinchaſo zelus ipſius, & opus præſtitum in cauſâ Dei adverſus ſcortantes cum Midianitis, *reputatum eſt in juſtitiam,* ſ. jus ſacerdotii, *in ætatem & ætatem, uſque in ſæculum.* i. e. uſque in omne tempus, quo duraturus erat cultus Dei per manus ſacerdotis Aharonici. Pſalm. 106: 31. Vid. Num. 25: 12. 13. Moſen verò & Aharonem culpa ipſorum, quantumvis in comparatione continuæ populi defectionis levis, & condonata ipſis, tamen traxit in pœnam, & à terrâ promiſſâ excluſit. Ita Pſaltes: *Deus condonans fuiſti ipſis, & ulciſcens mala opera ipſorum.* Pſ. 99: 8. Item: *Et malè fuit Moſi propter ipſos.* Pſ. 106: 32.

ARTICULUS IX.

Sic itaque tùm legis datione, tùm caſtigationibus, expurgato à publicis corruptelis Iſraële, cùm jam ſatis dignè hæreditatem terræ promiſſam accepturus & uſurpaturus videretur, Deus tandem illum introduxit in terram, fiſſo mirabiliter Jordane, & expulſis ante faciem ejus gentibus.

DEMONSTRATIO.

§. 1. In hâc populi introductione in terram repræſentata eſt promiſſio facta Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, de terrâ Canaan ſemini ipſorum dandâ: quæ promiſſio Vid. Geneſ. 12: 7. 13: 14. 15. 15: 16. 15: 18 — 21. 17: 8. 22: 17. 26: 4. 28: 13. 35: 12. *Et venit ſuper Iſraëlem benedictio,* quatenùs hæc benedictio ſpectata eſt in victoriis de Cananæis. Deut. 30: 1. Et factum denique, quod legi-[tur] Deut. 31: 3. *Jehovah Deus ipſe tranſit ante te; ipſe profligabit gentes has à facie [tua], & hæreditabis ipſas.* Et verſ. 4. *Et faciet Jehovah ipſis, quemadmodum fecit Sichone*

choni & Ogo regibus Amoræi & terræ illorum; quos profligavit. 5. *Et dabit Jehovah illas coram vobis.* 7. *Nam tu intrabis cum populo hoc in terram, quam juravit Jehovah patribus ipſorum ſe daturum ipſis; & tu illam hæreditariam dabis illis.* 20. *Nam introducam illum in terram, quam juravi patribus ipſius, fluentem lacte & melle.*

§. 2. Poſt factum narratio Prophetica hunc Articulum ita celebrat: O *Deus; auribus noſtris audivimus; patres noſtri narraverunt nobis opus, quod operatus es in diebus ipſorum; diebus priſcis. Tu manu tuâ gentes expuliſti, & plantâſti illos; conquaſſabas nationes, & propellebas eas. Nam non gladio ſuo hæreditârunt terram, & brachium ipſorum non præſtitit ipſis ſalutem; ſed dextra tua & brachium tuum, & lux faciei tuæ, quum acceptos haberes ipſos.* Pſal. 44: 2. — 4. *Et perduxit ipſos ad terminum ſanctum ſuum, montem, quem comparavit dextera ipſius. Et expulit coram illis gentes, & fecit ipſos jacere per funiculum ſortem hæreditatis: & fecit habitate in tentoriis iſtorum tribus Iſraëlis.* Pſalm. 78: 54. 55. *Vitem ex Ægypto moveras;* Expuleras *gentes, & plantaveras illam. Vacuaveras coram illâ,* &c. Pſalm. 80: 9: 10. *Et dedit illis terras gentium, & laborem nationum hæreditârunt.* Pſalm. 105: 44. *Qui percuſſit gentes magnas, & interfecit reges validos. Sihonem regem Amorræorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Canaan. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſraëli populo ſuo.* Pſalm. 135: 10. 11. 12. *Qui percuſſit reges magnos (quia in ſæculum gratia ipſius.) Et occidit reges ingentes (quia in ſæculum gratia ipſius.) Sihon regem Amorræorum (quia in ſæculum gratia ipſius.) Et Og regem Baſam (q. i. ſ. g. i.) Et dedit terram illorum hæreditatem (q. i. ſ. g. i.) Hæreditatem Iſraëli ſervo ſuo (q. i. ſ. g. i.)* Pſalm. 136: 17. — 22. *Vinea fuit dilecto meo in cornu oleoſo. Et paſtinavit illam, &* propulſis gentibus è medio terræ, ne ipſis eſſent ſcandalo & propagationi impedimento, *elapidavit illam, & plantavit illam optimâ vite.* Eſai. 5: 1. 2. *Et dediſti ipſis terram hanc, quam juraveras patribus ipſorum, terram manantem lacte & melle. Et venerunt & hæreditarunt eam. Vagatæ per deſertum, propagines* vitis Sibmæ, de quâ ſup. Art. VII. *diffuſæ ſunt, tranſierunt mare.* Jordanem ſcil. & terram Canaan, Judeam inprimis, ultra mare mortuum ſitam, occupârunt. Eſai. 16: 8. Jerem. 32: 22. 23. *Quippe introduxeram eos in terram, quam ſuſtuleram manum meam me daturum ipſis.* Ezech. 20: 28. *Atqui ego profligavi Amorræum à facie ipſorum; quorum proceritas erat ut proceritas cedrorum; & erat pollens ut quercus: & profligavi fructum ejus supernè & radicem ejus deſubter. Et ego feci ut adſcenderetis ex terrâ Ægypti; & duxi vos in deſerto quadraginta annos, ad hæreditandum terram Amorræi.* Am. 2: 9. 10.

§. 3. De exſiccatione Jordanis in ſpecie ita canit Propheta: *Tu exareſeciſti fluvios validos.* Ut aquas Jordanis. Pſal. 74: 15. *Quum exiret Iſraël ex Ægypto; domus Jacobi ex populo barbaro. Mare videbat, & fugiebat, Jordanes retroagebatur.* Pſal. 114: 1. 3. *Quid tibi, mare, quòd fugiebas, Jordanes, quòd retroagebaris?* Ibid. verſ. 5. *Qui fidit aquas coram ipſis, ut ſibi faceret nomen ſæculi. Qui fecit illos ambulare in abyſſis, ut equus in deſerto, non offendebant. Ut jumentum, quod in vallem deſcendit, Spiritus Jehovæ faciebat ipſum acquieſcere: Sic duxiſti populum tuum, ad faciendum tibi nomen decorum.* Eſ. 63: 12. 13. 14.

Ad operationem potentiæ Divinæ in Amorræis, in valle Gibeon, de quâ eſt Joſ. 10: 10. & ſeqq. alludit Eſaias, cap. 28: 21. *Nam ut in valle, quæ eſt in Gibeon, iraſcetur Dominus.*

§. 4. Et his quidem in locis Scriptura rei geſtæ ita meminit, ut ſimul ſignificet, non humanâ, ſed Divinâ manu, eam deſignatam ac perpetratam eſſe. Vid. nominatim Pſal. 44: 2. 3. 4. Eſai. 28: 21. Amoſ. 2: 9. 10.

§. 5. Du-

§. 5. Ducem tamen huic expeditioni & potentiæ ſuæ miniſtrum dedit Joſuam. Ita enim Moſes: *Joſua tranſit coram te, quemadmodum locutus eſt Jehovah.* Deuter. 31: 3. Qui & ad hunc ducatum ita illum inſtruit: *Fortis eſto & conſtringe vires. Nam tu intrabis cum populo hoc in terram, quam juravit Jehovah patribus ipſorum ſe daturum ipſis; & tu illam hæreditariam dabis illis. Et Jehovah eſt is, qui præcedit te, ipſe erit tecum: non omittet te, multo minùs deſeret te. Ne metuas; nedum conſterneris.* Deut. 31: verſ. 7. 8.

§. 6. Id quod movit Deum ad populum hunc expulſis aliis in Terrâ collocandum, fuit mera ipſius gratia, quâ illum in Chriſto proſequebatur, & propoſitum hujus gratiæ plenè aliquando in hâc terrâ populo exhibendæ. Ita enim Pſaltes: *Nam non gladio ſuo hæreditârunt terram, & brachium ipſorum non præſtitit ipſis ſalutem; ſed dextra tua & brachium tuum, & lux faciei tuæ, quum acceptos haberes ipſos.* Pſ. 44: verſ. 4. Et particulatim: *Qui percuſſit reges magnos (quia in ſæculum gratia ipſius.) Et occidit reges ingentes (quia in ſæculum gratia ipſius.) Sihon regem Amorræorum (quia in ſæculum gratia ipſius.) Et Og regem Baſan (quia in ſæculum gratia ipſius.) Et dedit terram illorum hæreditatem (quia in ſæculum gratia ipſius.) Hæreditatem Iſraëli ſervo ſuo. (quia in ſæculum gratia ipſius.)* Pſ. 136: 17. — 22.

§. 7. Atque hinc jam eſt, quòd hoc ipſum Dei opus, nim. datio terræ promiſſæ, ſpectetur ut inchoatio & molitio majoris; quòdque ab eo Eccleſia petat argumentum ſperandi & petendi, ut Deus tandem aliquando omnimodam ſalutem Jacobi præcipiat & ſiſtat. Ita enim eſt Pſalm. 44: 2. 3. 4. 5. O *Deus, auribus noſtris audivimus; patres noſtri narraverunt nobis opus, quod molitus es in diebus ipſorum, diebus priſcis. Tu manu tuâ expuliſti gentes; & plantâſti illos; conquaſſabas nationes & propellebas eas. Nam non gladio ſuo hæreditarunt terram, & brachium ipſorum non præſtitit ipſis ſalutem; ſed dextra tua & brachium tuum, & lux faciei tuæ, quùm acceptos haberes. Tu idem es rex meus, ô Deus. Præcipe ſalutes Jacobi.* Quòd autem ea, quæ Deus olim in diebus patrum fecit, eſſent initium & προοίμιον majoris operis & melioris regni & ſalutis omnis, cognoverunt patres ex promiſſionibus, quas à ſuis patribus acceperunt, & ex verbo Dei, quo pollicitus eſt, *ſe ipſis fore in Deum*, & ipſos *ſanctificaturum*, & miſſurum ad ipſos *angelum ſuum, angelum Teſtamenti*, qui *ſanguine Teſtamenti* ipſos liberos faceret. Quare etiam opus, quod Deus tùm, fecit, pro teſtimonio & obſide promiſſionis habendum fuit. Ex eodem principio eſt, quòd Scriptura terram ut hæreditatem datam nemini adſcribat, niſi vero Iſraëli, qui eſt populus Dei, cujus ipſe Deus eſt, quem elegit ſibi hæreditatem. Ita enim canit Propheta: *Et dedit terram eorum hæreditatem*, h. e. poſſeſſionem non auferendam, ut filiis, *hæreditatem Iſraëli populo ſuo.* Pſalm. 135: 12. *Et dedit terram illorum hæreditatem, quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Hæreditatem Iſraëli ſervo ſuo, quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* Pſalm. 136: 21. 22. In quibus per Iſraëlem populum Dei, & Iſraëlem ſervum Dei, intelligitur verus Iſrael. h. e. Tùm ex Iſraëlitis ii, qui in mandatis Dei ambulant, tùm & reverâ Chriſtus & populus ejus, qui non tantùm terram ſeptem gentium, quæ Iſraëli data eſt hæreditas, ſed & totum mundum debet poſſidere.

§. 8. Indidem porrò eſt, quòd Deus illos, quos primos introduxit in terram, priùs ſanctificaverit, & poſuerit in exemplum poſteris; quò ſignificaret, non ad alios, quàm tales, hæreditatem pertinere. Hoc enim eſt, quod dicitur. Eſai. 5: 2. *Et plantavit illam* vineam *optimâ vite.* Quod ita explicat: *Domus Jehudæ eſt plantatio voluptuoſa Dei.* verſ. 7. Et ſane primi, qui viderant manum Dei potentem in

deſerto, & cum patribus ſuis exiverant ex Ægypto, & experti fuerant Dei veritatem & potentiam in exſtirpatione gentium, & terram inter ſe diviſerunt, fuerunt planta bona quatenus nulla in ipſis fuit publica corruptela. Multi etiam inter ipſos fuerunt in omnibus tribubus viri timentes Deum & amantes veritatem.

§. 9. Hinc quoque eſt, quòd Terra fuerit data ut incentivum ad obedientiam, non ut prœmium obedientiæ. Nam, uti eſt, Pſalm. 105: 44. 45. *Dedit illis terras gentium, & laborem nationum hæreditarunt propterea ut ſervarent ſtatuta ejus & leges ejus retinerent.* Unde ſequitur, terram fuiſſe ſpectandam, ut ſigillum promiſſionum Dei, confirmandæ fidei Iſraëlitarum & omnium ad quos promiſſiones pertinent. Nam data eſt ut ſervarent ſtatuta Dei. Servantur autem per fidem: Et fides atque obedientia habet promiſſiones alias. Porrò ſi incentivum eſt terra, non prœmium, aliud igitur præmium eſt & melius; nempe hæreditas mundi ſub regno Chriſti; & quod anima percipere poteſt poſt hanc vitam.

§. 10. Quod etiam confirmatur eo, quòd neque terra Canaan, nec quicquam eorum, quæ terra iſta Iſraëlitis dabat, pro quibus laborabant, potuerit ſatiare rectum appetitum atque efficere, ut in eo acquieſceret. Quod ita declarat Eſaias: *Quare appenditis argentum pro non pane, & laborem veſtrum pro eo, quod non eſt ad ſatietatem?* Eſ. 55: 2.

§. 11. Ac denique hinc eſt, quòd Deus terram hanc voluerit conſiderari, ut terram ſuam, in quâ ipſe habitare propoſuerit, & ſe manifeſtare ipſis, ut populo ſuo. Ita dicit Exod. 19: 4. *Vos vidiſtis, quod feci Ægyptiis, & quòd tulerim vos in alis aquilinis, & deduxerim vos ad me.* Et populus id recognoſcit Exod. 15: 13. *Duxiſti per gratiam tuam populum, quem vindicâſti, egiſti robore tuo ad habitaculum ſanctum tuum.* Terram, in quam ducebantur per mare rubrum, vocant *habitaculum ſanctum Dei.* Et ita eſt Pſalm. 78: 54. *Et perduxit ipſos ad terminum ſanctum ſuum.* ubi nim. conſtituerat domicilium figere & habitare, & Iſraëlem ac domum ſuam viſitare, & gloriam ſuam omni carni videndam exhibere. Atque hinc Hoſ. 9: 3. ea terra vocatur *terra Jehovæ.* Et Amoſ. 7: 17. *Terra impura* dicitur, quæ non eſt terra Iſraëlis.

§. 12. Ingenium terræ quod attinet, deſcribitur ut *terra manans lacte & melle.* Exod. 3: 8. 17. Deut. 31: 20. Ezech. 20: 6. Ut *cornu, filius olei.* Eſai. 5: 1. Ubi *cornu* ſignificat locum editum; *filius olei* locum feracem olei, & abundantem omnibus bonis: qui etiam ſic appellatur, quia Deus eum locum elegerat, ut iſtic tanquam in publico theatro mundi, in meditullio gentium, chariſmata ſpiritus ſui effunderet. Ut *terra deſiderii.* Pſalm. 106: 24. Zach. 7: 14. Ut *decus omnium terrarum.* Ez. 20: 6. Atque ita *decus.* Dan. 8: 9.

§. 13. Limes hæreditatis Abrahamo Gen. 15: 18. explicatus eſt, *à fluvio Ægypti*, apud Rhinocoiuram, *uſque ad fluvium magnum Euphratem.* Cui deſignationi convenit iſta, quæ legitur Exod. 23: 31. *A mari rubro uſque ad mare Philiſtæorum, & à deſerto uſque ad Euphratem.* Item Deut. 11: 24. *A deſerto & Libano, à fluvio Euphrate & uſque ad mare poſtremum.* h.e. mare ſalis. Hic ſanè non eſt modus hæreditatis diſtributæ tribubus. Nam Num. 34. terræ inter 9. tribus diſtribuendæ limes eſt verſus Auſtrum mare mortuum & torrens Ægypti, ubi oppidum Rhinocoiura: ab occaſu mare magnum: à Boreâ mons Hor, qui Hermon Joſ. 13: 5. & Chamatha: ab ortu mare Geneſareth & Jordanes. Sed enim apparet, terminos proprios terræ Iſraël diſtinguendos eſſe à terminis Imperii in ſummo flore aut in maximâ latitudine. Namque & ſub Solomone latiſſimum fuit Iſraëlitarum imperium; 1 Reg. 4: verſ. 23.

verſ. 23. & Judæorum habitatio ac dominium ampliſſimum erat futurum, quum Chriſtus ad regnum occupandum erat venturus. Unde & pomœria regni Chriſti ad terminos ejus laxiores extenduntur, Pſal. 72: 8. Zach. 9: 10.

§. 14. Gentes, in quarum ditiones Iſraëlitæ ſuccedebant, fuere numero ſeptem; Chittæi, Girgaſæi, Amorræi, Cananæi, Perizzæi, Hivvæi, Jebuſæi. Deut. 7: 1. add. Exod. 23: 23. 34: 11. Abrahamo Geneſ. 15: 19. 20. 21. ita nominantur: Kenæi, Kenizzæi, Kadmonæi, Chittæi, Perizzæi, Rephaim, Amorræi, Cananæi, Girgaſæi, Jebuſæi.

§. 15. Mandata populo data de hiſce gentibus vid. Exod. 23: 23. & ſeqq. Item Deut. 7. Reſpicit ad ea Moſes in inſtructione populi ſtantis in procinctu ad adeundam terram: *Et dabit illas Jehovah coram vobis, & facietis ipſis ſecundùm omne præceptum, quod præcepit vobis.* Deut. 31: 5. Ubi & ad fidei fortitudinem, & ponendum gentium illarum metum, ita ipſum adhortatur: *Fortes eſtote & contendite vires; ne timeatis, neque formidetis ab ipſis. Nam Jehovah Deus tuus is eſt, qui it tecum; non omittet te, multo minùs deſeret te.* verſ. 6.

§. 16. Hoc Dei erga populum beneficium illuſtrat injuria ac vis, quam Idumæi hoc tempore in fratres Iſraëlitas exercuerunt. Obſtiterunt enim ipſis, quum vellent adire hæreditatem ſuam, neque permiſerunt illos per terram ipſorum tranſire. De hâc injuriâ eſt Obad. verſ. 10. & 11. *Ab injuriâ fratris tui Jacobi operit te pudor.... In die, quo ſtabas ex adverſo.* Et exaggerat illam Amoſus, cap. 1: 11. ut procedentem ad perſecutionem: *Sic dixit Jehovah: Ob tres defectiones Edomi, imò ob quatuor, non revocabo illud: eo quòd perſecutus eſt cum gladio fratrem ſuum.* Vid. hiſtoria Num. 20: 18: 20.

ARTICULUS X.

HActenùs Iſraëlis quaſi pueritia; & jam primùm legibus, rectoribus, & Terrâ propriâ allevatus reipublicæ corpus faciebat. Succedit ejuſdem quaſi adoleſcentia quâ, bonis terræ ſatiatus ita invaluit, & crevit, ut & hoſtibus & terræ implendæ ſufficeret, per eamque totam, propagines ſuas mittendo, paulatim diffunderetur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc Iſraëlis ætatem deſignant ſequentia: *Et comedet* introductus in terram, *& ſatiabitur & pingueſcet.* Deut. 31: 30. *Faciebat ipſum ſuperinſidere arcibus terræ; & comedit germina agri: & fecit eum ſugere mel de petrâ, & oleum de duro rupis; Butyrum armenti, & lac ovium, cum adipe renum tritici: Et ſanguinem uvæ bibis merum.* Deut. 32: 13. 14. *Et impinguatus eſt Jeſchurun.* Ibid. verſ. 5. *Vacuaveras coram illâ* vite, *ita radicaverat radices ſuas, & impleverat terram.* Pſalm. 80: 10. *Vinea fuit dilecto meo in cornu oleoſo. Et paſtinavit illam, & elapidavit illam, & plantavit illam optimâ vite.* Eſai. 5: 1. 2. *Diffuſæ ſunt propagines* vitis Sibmæ, de quâ ſup. Art. VII. *tranſierunt mare* mortuum, & totam terram occuparunt. Eſai. 16: 8. *Et ornâſti te auro & argento: & fuit veſtimentum tuum byſſus & ſericum & acupictum: ſimilam & mel & oleum comedebas: & pulchra evaſiſti vehementer admodum.* Ez. 16: 13. *Et panem meum, quem dederam tibi (ſimilam & mel & oleum feci te comedere.)* Ibid. v. 19. *Et pepererunt* Ohola & Oliba *filias & filios.* Ez. 23: 4.

 §. 2. In

§. 2. In hoc populi proceſſu, & expulſione aut ſubactione externorum tribubus exemplo præivit Juda. De cujus hoc in genere ducatu, & victoriis de Cananæis, ita cecinerat Jacobus, Gen. 49: 8. *Jehudah, tu, confitebuntur te fratres tui; manus tua incumbet cervici inimicorum tuorum.*

§. 3. Notat & Scriptura effectum harum benedictionum in piis iſtius ſæculi, incrementum nimirùm deſiderii, quo cupiebant videre & audire Chriſtum loquentem verba Dei, quæ ipſi reſervata erant dicenda, quatenus hoc deſiderium indies augebatur beneficiis Divinis tanquam ſignis temporis adventus Chriſti. Vid. quæ in hanc rem collata ſunt ad Art. v. haud procul fine.

ARTICULUS XI.

Debebant eſſe Iſraëlitæ, tot tantiſque beneficiis à Deo ſuo mactati, populus ſingularis, populus ſapiens & ſanctus, magiſter eorum, qui in tenebris erant, lux mundi, ſal terræ, tanquam arcus & telum, Zach. 9: 13. ut gladius in manu Domini, (Eſai. 49.) ad ſubigendos errores, idololatriam & dura corda gentium, angelus & ſervus Dei, Eſai. 42: 19. Sed in contrarium verſi ſunt, ut non modò inutiles fierent, ſed etiam contra Deum & regnum ejus ſervirent Diabolo, & à fœdere ejus turpiter declinarent. Jud. 2: verſ. 2. 10: 6.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc populi defectionem atque inobedientiam prævidens Spiritus, his futuram docuit vaticiniorum luculentiſſimorum exemplis: *Ne ſit in vobis vir aut mulier, aut familia, aut tribus, cujus cor reſpiciat hodie à Jehovah Deo noſtro, ad diſcedendum, ut ſerviat Diis gentium illarum. Ne ſit in vobis radix fructificans veneno & abſinthio: Et fiat, quum audierit verba adjurationis hujus, & benedicat ſibi in corde ſuo, dicendo, Pax erit mihi, quum in duritie cordis mei ambulabo.* Deut. 29: 18. 19. *Et dixit Jehovah ad Moſen: Ecce tu decumbes cum patribus tuis, & ſurget populus hic, & ſcortabitur poſt Deos alienigenarum terræ, in quorum medium ille venit; & relinquet me & irritum faciet fœdus meum, quod pepigi cum ipſo.* Deut. 31: 6. *Propter omne malum, quod fecerit, quum reſpexerit ad Deos alios.* Ibid. verſ. 18. *Et comedet & ſatiabitur & pingueſcet & reſpiciet ad Deos alios, & ſervient illis, & ſpernent me, & irritum facient fœdus meum.* Ibid. verſ. 20. *Novi figmentum ipſius, quod ille facit hodie, antequam introducam ipſum in terram, quam juravi.* Ibid. verſ. 21. *Nam ego novi inobedientiam tuam & cervicem tuam duram. Ecce me adhuc vivente vobiſcum hodie rebelles exſtitiſtis cum Jehovah, quantò magis poſt mortem meam?* Ibid. verſ. 27. *Nam novi, poſt mortem meam quòd corrupendo corrumpetis, & recedetis à via, quam præcepi vobis.* verſ. 29. *Quum facietis malum in oculis Jehovæ ad ægrè ipſi faciendum per opus manuum veſtrarum.* Ibid. *Et impinguatus eſt Jeſchurum, & recalcitravit.* Deut. 32: 25.

§. 2. Quibus ſuccenturiatur, hiſtoria Prophetica: *Et non fiant ſicut patres ipſorum, ætas refractaria & immorigera, generatio, quæ non dexit cor ſuum, & cujus non conſtabat cum Deo animus. Sicut filii Ephrajim . . . . Non obſervarunt fœdus Dei, & in lege ejus recuſarunt ambulare. Et obliti ſunt facinora ejus & mirabilia ejus, quæ ipſi monſtraverat.* Pſal. 78: 8. 9. 10. 11. *Et repetiverunt & tentarunt Deum, & ſan-*

& ſanctum Iſraëlis circumſcripſerunt. Ibid. v. 41. *Et tentarunt*, inquam, *& exacerbarunt Deum Altiſſimum & teſtimonia ipſius non obſervarunt. Et retroceſſerunt, & perfidè egerunt*, violato fœdere, *ut Patres ſui, converſi ſunt, ut arcus doloſus.* Ibid. v. 56: 57. *Filios educavi & magnificavi, & illi defecerunt à me.* Eſ. 1: 2.

§ 3. Nominatim Scriptura hic notat peccata ſequentia:

1. Inobedientiam: *Non exſciderunt populos, quos præceperat Jehovah ipſis ut exſcinderent*, Pſ. 106: 34.

2. Connubium cum gentibus: *Et permiſcuerunt ſe gentibus.* Pſ. 106: 35. Vid. Jud. 1: à verſ. 21.

3. Imitationem gentilium: *Et didicerunt opera ipſorum.* Pſ. 106: 35. In ſpecie per idololatriam; quam ſic explicat: *Et ſculptilibus ſuis ad æmulationem provocabant ipſum.* Pſ. 78: 58. *Et coluerunt imagines illorum, & fuerunt ipſis in laqueum.* Pſ. 106: 36. *Et accepiſti ornamenta tua, de auro meo & argento meo, quod dederam tibi, & feciſti tibi imagines maſculi, & fornicata es erga eas. Et accepiſti veſtes tuas acupictas, & cooperuiſti eas, & oleum meum ad ſuffitum meum poſuiſti coram ipſis. Et panem meum dederam tibi (ſimilam & mel & oleum feci te comedere.) eum inquam dediſti coram eis in odorem gratum: & factum eſt; ait Dominus Jehovah.* Ez. 16: 17. 18. 19. Vid. hiſtoria Jud. 10: 6. & alibi. Quam hiſtoriam, eique ſuccenturiatam exprobrationem Propheticam, ſic non eſt neceſſe intelligere, quaſi apertè ac directè, cultu Moſaico & nomine Jehovæ relicto, idola iſta coluerint: Sed interpretativè, quòd cùm Iſraëlitæ carnales Deum non aliter, quàm gentiles, cognoſcerent, nec diverſos ab ipſis de juſtitiâ & viâ ſalutis conceptus foverent, dùm Deum non ex fide in Chriſtum, quantumvis ex perſuaſione legis Moſaicæ, colerent, id Spiritus ita reputet ac ſi vel Baalim, vel Aſtharot, vel quidvis aliud, quàm verum Deum, honorarent: quòdque qui ſic animo gentili tractat cultus inſtrumenta à Deo inſtituta, nihilo ſit melior, quàm qui coram imagine procumbit. Conf. Art. VII. Demonſtr. Num. 3.

Neque in hoc facto ſubſtitit impietas; ſed, *Et ſacrificarunt filios & filias ſuas dæmoniis.* Omne inſtitutum & doctrina, & quicquid religionis causâ ſuſcipitur vel creditur, ſi non eſt à Deo, eſt à dœmone: & eo dœmones honorantur, quantamcunque habeat ſpeciem. *Et fuderunt ſanguinem innoxium, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quos ſacrificârunt idolis Canaanis. Et ſic profanata eſt terra ſanguinibus*, adeo gravem reatum contraxit, ut niſi illos homines aut evomeret aut devoraret, maledicenda videretur, tanquam hypocriſeos rea, *& impurati ſunt operibus ſuis*, ut apud domum Dei vel in terrâ ejus ferri ampliùs non poſſent; *& fornicati ſunt in operibus ſuis.* h. e. omni ſtudio ſe à Deo averterunt. Pſ. 106: 37. 38. 39. Neque aliter Ezechiel: *Et accepiſti filios meos & filias meas, quos pepereras mihi, & mactâſti illos ad comedendum. Numquid parum id eſt præ fornicationibus tuis? Et jugulâſti filios meos, & dediſti illos, cùm tranſire feceris eos ipſis.* c. 16: 20. 21. Scil. non ſufficiebat ipſis ſcortari. Parum hoc erat, niſi etiam adderent homicidium & cædem filiorum Dei, eoſque darent ἐκδότως, transferendo illos ad ipſas, quaſi non eſſent Dei.

4. Addit Propheta, quòd cœtus filiorum Iſraël, comparatus, ut ſup. Art. x. uxori pulchræ, *pulchritudine ſuâ*, id eſt ornamentis ſuis, inprimis cohabitatione Dei, tanquam propriâ ſibi & inamiſſibili, *confiſus* ut argumentis, ſi non cauſis, gratiæ Divinæ, remiſſionis peccatorum, juſtitiæ & vitæ; *ſcortatus fuerit ſuper nomine ſuo.* i. e. hinc falſum Judaiſmum proſelytis inſtillaverit, iiſque ſic ſibi aſſimilatis tanquam ejuſdem fœderis conſortibus adblanditus ſit: Quòdque hanc *ſcortationem*

ſuam

ſuam effuderit in omnem tranſeuntem; qui ea potitus ſit. i. e. quòd omnes accedentes ad terram Canaan imbuerint talibus opinionibus, ut Judæorum nomine ſuſcepto, tanquam membra ejuſdem civitatis & populi haberentur, & in eâ commixtione mutuò exultarent. Ez. 16: 15.

5. Notat & culpat Scriptura ἐθελοθρησκείαν & cultum electitium in conſtitutione Celſorum. *Et ægrè ipſi fecerunt celſis ſuis.* Pſalm. 78: 58. *Et ſumſiſti de veſtibus tuis, & feciſti tibi celſa variegata, & ſcortata es ſuper illis: quæ non intraverant,* ſive *non venerant, & quod fieri non debebat.* Ezech. 16: 16. *Sic dixit Dominus Jehovah: Adhuc hâc de re blaſphemarunt me patres veſtri, dùm contra me prævaricati ſunt. Quippe introduxeram eos in terram, quam ſuſtuleram manum meam me daturum ipſis, & viderunt omnem collem altum, & omnem arborem frondoſam, & ſacrificârunt ibi ſua ſacrificia, & dederunt ibi ægritudinem oblationis ſuæ, & poſuerunt ibi odorem fragrantiæ ſuum, & libaverunt ibi ſua libamina. Et dixi ad ipſos: Quid celſum? quo qui veniunt vos eſtis: & nuncupatum eſt nomen ejus Bamah uſque ad diem hunc.* Ezech. 20: 27. 28. 29. Scilicet Deus inſtituto ſacerdotio Aharonis, & collocatâ arcâ in tabernaculo, ac deinceps in templo, non voluit extra locum, quem ipſe elegiſſet, & non in altari, quod non eſſet ante arcam Dei, ipſumque adeò tabernaculum ſed templum, ſacrificia offerri, ut ita doceret populum, per unum ſacerdotem & uno ſacrificio juſtitiam noſtram confici, neque ſe delectari multitudine victimarum, ſed fide & ut eſſet in uno altari præparatio ad totum ſacerdotium Aharonicum abolendum. Quare & Joſ. 22: 19. 26. 27. 29. eſt ſeria deteſtatio ararum aliarum; & confeſſio, quòd non niſi uno in loco coram Domino ſua ſacrificia offerre poſſent. Aliud igitur altare ſibi facere, & aliis in locis, etiam poſtquam Deus certam habitationem elegiſſet uno in loco, ſacrificare, erat, vero Mediatore abnegato, alium quærere. Id jam facere Iſraëlitæ inſtituerunt. Et loca illa, in quibus ſic adoleverunt, Scriptura appellat celſa. Cæterum Ezechiel hujus cultus vanitatem ipſo vocabulo Bamah, quod Celſum ſignificat, Iſraëlitis exprobrat. 1. quatenùs per παρονομασίαν ad id alludens, oſtendit בָּמוֹת eſſe לֹא בָאוֹת, *non venientia*, ſcil. ad Iſraëlitas certo Dei inſtituto, ſed quæ ipſi commenti ſint ex corde ſuo; Ezech. 16: 16. Et 2.° quatenus ad vocis ſonum attendentes vult eam dividere in בָּא מָה *venit? quid?* q. d. putatiſne eò venire quicquam? & quid eſt, quod eò venit? Non Deus eò venit, quemadmodum promiſit ſe venturum ad Iſraëlitas in omni loco, ubi commemoraturus eſſet nomen ſuum; Exod. 20: 23. Soli vos eò venitis. Quid igitur eſt Bamah? Nihil certè eſt. Ezech. 20: 29. Quin & *prævaricationem*, i. e. occultam mœchationem, & idololatriam, cum *blaſphematione Dei* conjunctam, in eo cultu contineri docet, quaſi Deus Iſraëlitarum ita vellet coli, ut Dii gentilium & honor ipſius eſſet, multas victimas in nomine ipſius paſſim cædi. Ibid. verſ. 27. Quod verò notet, hæc celſa fuiſſe ab Iſraëlitis *variegata*; cap. 16. & *vidiſſe* ipſos, aliiſque locis prætuliſſe, *omnem collem altum & omnem arborem frondoſam*; cap. 20. in eâ ſuperſtitione & concupiſcentiam oculorum argunt. Significat enim ſine dubio, quòd imitati fuerint ornamenta tabernaculi, & ſculpturas ac texturas ejus: quæ non ad otioſam contemplationis voluptatem, ſed ad inſtitutionem facta erant; & quòd magis voluptatem oculorum & celebritatem ſumtuoſæ ſacrificationis affectaverint, quàm gloriam Dei.

6. Denique exaggerantur hæc facta mala eo, quòd *cum omnibus abominationibus & fornicatione ſuâ non fuerit recordata Synagoga dierum adoleſcentiæ ſuæ, cum eſſet nuda & projecta:* & *exiſteret ſe conculcandam præbens in ſanguine ſuo.* Nam oportebat

cebat Judæos non putare, juſtitiam eſſe poſitam in eo, quod quis nominetur Judæus, & habeat circumciſionem & reliqua legis, & ita fornicari ſuper nomine ſuo: cùm antea fuiſſent nudi & proculcationi. Nam quæ à dignatione Divinâ eis datur gratia, ea non poteſt eſſe cauſa; ut homo ſuperbiat, & ſibi quicquam arroget, & putet ſe juſtum eſſe. Præterea cùm omnia beneficia à Deo accepiſſent, non debebant putare, ſi in omnibus locis ſacrificia offerrent, ſe eo gratiores Deo fore: Multo minùs debebant iſtis rebus, quas acceperant, ſervire Diis aliis, aut mactare iis ſuos filios, &c. Ezech. 16: 22. Tùm etiam eo, quòd non ſint recordati, Deum in deſerto jam ipſis pronnnciâſſe diſperſionem eorum in gentibus. Vid. Ez. 20: 27. coll. v. 23.

ARTICULUS XII.

EXarſit ira Dei in populum rebellem. Itaque tradidit eum in manum hoſtium; qui identidem eum ſubegerunt, & duriter tractârunt. Vid. hiſtoria Judicum.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hunc Articulum ita explicat Prophetia: *Audivit Deus & excanduit, & reprobavit valde Iſraëlem.* Pſ. 78: 59. *Et exarſit ira Dei in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Et dedit eos in manum gentium, & dominati ſunt in ipſos oſores ipſorum. Et preſſerunt eos inimici ipſorum, & flexi ſunt ſub manibus ipſorum.* Pſ. 106: 40. 41. 42. *Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ (dicat agè Iſraël) Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ.* Pſ. 129: 1. 2. *In omni anguſtiâ ipſorum non* i. e. vix *oppugnabat eos quiſquam, & &c.* Eſ. 63: 9. Add. Dan. 8: 19.

§. 2. In ſpecie Ammonitæ preſſerunt Iſraëlitas tertio ſæculo ab introitu in terram. Jud. 10: 8. 9. Nominatim Gileaditidos iſtic eſt mentio: Ut huc reſpexiſſe videatur Amoſus, c. 1: 13. *Ob tres defectiones filiorum Ammon, imò ob quatuor, non revocabo illud: eo quòd fiderint gravidas Gilead ad prolatandum terminum ſuum.*

§. 3. Non poterat non Eccleſia Veteris Teſtamenti, permixta iis, qui ſic propter defectionem & mala opera à Deo puniebantur, & propter communionem iiſdem judiciis involuta, ut pote privata ſacramentis Divinæ unionis, vehementer triſtari atque commoveri. Quod innuit Pſaltes, ubi loquens de ſtatu Eccleſiæ ſub regno Dei: *Etiam*, inquit, *confirmatur frugifera, non nutabit.* Ad variam *Terræ*, h. e. populi illius & multitudinis, in quâ cætus fidelium, ut frugifera, comprehendebatur, commotionem ſub V. T. alludens. Pſ. 93: 1.

ARTICULUS XIII.

SIc ſæpe in anguſtias redactus Iſraël ad Deum ſuum converſus eſt, & clamavit: Qui ſubinde datis judicibus eripuit eum, & avitæ juri libertatis reddidit. Vid. hiſtoria Judicum: & add. 1. Sam. 12: 7. & ſeqq.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc Dei beneficium ſic laudatur. Pſ. 22: 5. 6. *In te confiſi ſunt Patres noſtri, & feciſti eos evadere. Ad te clamaverunt, & erepti ſunt. In te confiſi ſunt, & non ſunt*

pudefacti. Item Pſ. 106: 43. *Vicibus multis eripiebat eos* Et Pſ. 129: 2. *Multùm arctarunt me à pueritiâ: etiam non prævaluerunt mihi.* Ac denique Eſ. 63: 9. Ubi & ad Chriſti intercellionem hoc beneficium refertur: *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat unquam ipſos, & Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos; in dilectione ſuâ & in clementiâ ſuâ ipſe aſſerebat ipſos, & bajulabat illos, & ferebat illos omnibus diebus ſeculi.*

§. 2. Nominatim hiſtoria; quæ eſt Jud. 4. attingitur. Pſ. 83: 10. 11. *Fac illis, ut Siſeræ, ut Jabino in valle* vel *ad torrentem Kiſchon. Profligati ſunt* Siſera & Jabin, h. e. Jabinis exercitus.. *ad Endor*, locum prope Meguduntem, *facti ſunt ut fimus agri.* Quæ Jud. 7. Ibid. Pſ. 83: 10. 12. *Fac illis, ut Midianitis ..... Pone illos, principes illorum, ut Oreb & Zeeb, ſicut Zebach & Zalmunna omnes unctos ipſorum.* Quatuor duces Midanitarum. Item Eſ. 9: 3. *Virgam exigentis ab ipſo conſternâſti, ut in die Midian.* Significat enim, quòd quemadmodum Midianitæ inter ſe conflixerunt ad clangorem Gideonis; ita ad clangorem Evangelii principes Judæorum conſternati ſunt, & non minùs acriter inter ſe digladiari cæperunt, quàm plerique ipſorum à regno Chriſti abhorrebant.

§. 3. Sic itaque ſub judicibus *populus* factus eſt *terribilis ab inde ubi ipſe eſt, & ultrà.* Eſ. 18: 2.

ARTICULUS XIV.

PAce ab externis redditâ, & vitia rediere; Ephraimitis, qui hoc tempore ob ducatum, (Nam ex iis Joſua) & potentiam, (Vide Joſ. 17: 14.) & prærogativam tabernaculi locati Silunte, Joſ. 18: 1. atque ita Sacerdotii & omnis generis hieratici, inter cæteras tribus eminebant, & Sacerdotibus ipſis impietati ducatum ac dignitatem ſuam accommodantibus.* Id graviſſimè indignatus Dominus, occiſo in prælio contra Philiſtæos populo, & ablatâ arca, Iſraëlem reprobavit. 1. Sam. 4.

DEMONSTRATIO.

Ita factum, quod iterat Prophetia: *Deus, rejeceras nos; ruperas nos, iratus eras.* Pſ. 60: 3. *Nonne tu, Deus, qui rejeceras nos? At qui non exibas, ô Deus in exercitibus noſtris.* Ib. v. 12. *Et non fiant ..... ſicut filii, Ephraim armati jaculantibus arcu, qui verterunt terga in die belli. Non obſervârunt fœdus Dei, & in lege ejus recuſarunt ambulare. Et obliti ſunt facinora ejus & mirabilia ejus, quæ ipſis monſtraverat.* Pſ. 68: 8. 9. 10. *Audivit Deus & excanduit, & reprobavit valde Iſraëlem. Et deſeruit Tabernaculum Siluntis, tentorium quod collocaverat inter homines. Et dedit in captivitatem Robur ſuum*, h. e. Arcam, per quam, tanquam ſymbolum gratioſæ inhabitationis, inſignia & ſummæ potentiæ opera perfecerat. Quale erat fiſſio Jordanis, dejectio murorum Hierichuntis, tot hoſtium profligatio. Vide modò ipſam confeſſionem Philiſtæorum, 1 Sam. 4: 8. *& decus ſuum*, id in quo Deus gloriatur, quod eſt viſitatio, quâ fit Deus & juſtitia peccatoris cujus viſitationis habitatio ſuper arcâ erat figura, *in manum hoſtis. Et incluſit* (tradidit) *gladio populum ſuum, & in hæreditatem ſuam excanduit. Juvenes ejus comedit ignis.* (Metaphora. ut Apoc. 20: 9. Intelligitur autem de occiſione juventutis Hebraicæ. Vide 1 Sam. 4: 10.) *Et virgines ejus non ſunt celebratæ.* nim. epithalamio: cùm ſperatis nuptiis per mortem ſponſorum excidiſſent. *Sacerdotes ejus gladio ceciderunt*, Chophni & Pinchas. *& viduæ ejus non plorabant.*

plorabant. Sive quòd & ipſæ ob magnitudinem doloris exanimatæ ſint, ut uxor Pinchaſi, ſive quòd multitudo occiſorum excluſerit publicam plangendi ſolennitatem. Pſalm. 78: 59—64. *Ecce, qui audiveramus illam* arcam *in Ephrathâ* amiſſam ſc. in tribu Ephrajim, & locum iſtum à facie Dei abjectum. Tegit rem triſtem verbis tenuioribus. Pſalm. 132: 6. Huc refer communia iſta: *Etiam confirmatur frugifera non*, ut olim ſæpe ſub Vet. Teſt., *nutabit*, Pſalm. 93: 1. *Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ (dicat age Iſraël.) Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ.* Pſalm. 129: 1. 2. *In omni anguſtiâ ipſorum non* i.e. vix *oppugnabat quiſquam ipſos.* Eſai. 63: 9. Et nominatim rurſus iſtud Hoſeæ, cap. 8: 3. *Rejiciebat Iſraëlem bonus.* Ubi in appellatione Dei *bonus* & rejectionis cauſa continetur. 1. quia ſanctus eſt, & ſeipſum abnegare non poteſt. 2. quia illi bonitatem ipſius non agnoſcunt, ſed affingunt ipſi mendacia: ideoque etiam non poſſunt eſſe hæredes gratiæ ipſius: quin ſi ipſis ignoſceret, fœdus & Teſtamentum ſuum abnegaret. In hâc populi rejectione novum & illuſtre eſt documentum *Excandeſcentiæ*, quatenùs erat propria œconomiæ iſtius temporis. Dan. 8: 19. Quare & ad *Excandeſcentiam*, Pſ. 78: 62. *Iramque*, Pſ. 60: 3. refertur.

ARTICULUS XV.

CAptâ ac triumphatâ à Philiſtæis arcâ, cùm ſic Deum ipſum Iſraëlis triumphare ſibi viderentur, ignominiam hanc in caput ipſorum refudit, percutiendo ipſos, & Dagone ante arcam proſtrato. 1 Sam. 5: 3—6. & cap. 6: 4. 5.

DEMONSTRATIO.

Sic Propheta: *Et evigilavit tanquam dormiens Dominus, ut heros jubilans à vino. Et percuſſit hoſtes ejus* Iſraëlis *retrò*, in poſterioribus; *opprobrium æternum dedit ipſis.* Ut triumphare iſtâ victoria, Deo Dagonem triumphante, non poſſent. Pſ. 78: 65: 66.

ARTICULUS XVI.

SIc coactis Philiſtæis remittere arcam ad locum ſuum, reſtitutâ illâ poſt ſeptem menſes, Deus populum tamdiu abjectum quaſi reaſſumſit, & ad eumque propitius rediit. 1 Sam. 6. & cap. 7: 1.

DEMONSTRATIO.

Ad hunc Articulum reſpicit Propheta ita canens: *Deus, rejeceras nos; ruperas nos; iratus eras: reddis te nobis.* Pſalm. 60: 3. *Ecce, qui audiveramus illam arcam in Ephratâ, inveneramus illam in agris nemoris.* Prope Kirjath Jearim, quòd ſonat *Civitatem nemorum.* Pſalm. 132: 6. Vid. 1 Sam. 6: 22. & 7: 1. 2 Sam. 6: 3. Huc pertinent generalia, quæ ſup. ad Art. XIII. citavimus ex Pſal. 22: 5. 6. Pſal. 106: 43. 129: 2. Eſai. 63: 9.

ARTICULUS XVII.

NOn fuit hæc reductio arcæ, ut neque antea abductio ejus, ſine ſeveritate. Quam non tantùm experti ii, qui primi illam invenerunt; 1 Sam. 6: 19. 2. Sam. 6: 3. 7. 10. Sed inprimis Ephraimitæ, eo quòd ad ipſos non reverſâ arcâ, vel Siluntem, vel in tabernaculum, ſed in loco aliquo tribus Judæ in poſterum reſidente, tabernaculo etiam, cum eoque Sacerdotibus proculdubio, migrantibus Nobem vel Gibeonem, ſic factum eſt, ut prærogativis ſuis omnibus, non tantùm inhabitationis arcæ, & Sacerdotii, ſed & ducatus atque eminentiæ inter reliquas tribus, exciderent atque privarentur.

DEMONSTRATIO.

Prioris ſeveritatis memoriam ita faciunt pii, ut ſimul minuendæ triſtitiæ cauſâ extenuent, verbis: *Ecce, qui audiveramus illam in Ephratâ* amiſſam ſc., *inveneramus illam in agris nemoris.* Pſalm. 132: 6. De poſteriori hæc leguntur: *Et deſeruit tabernaculum Siluntis, tentorium quod collocaverat inter homines.* Pſal. 78: 60. *Et reprobavit Tentorium Joſephi*, h. e. Tabernaculum à Moſe conditum, quod erat penes filios Joſephi; *& tribum Ephraimi non elegit.* Scil. ad utrumque, ad ſedem Sanctuarii & regnum. Ibid. verſ. 67. Intelligi enim hîc electionem non tantùm ad locum cultus, ſed & ad regnum, vel ducatum, patet ex oppoſitione, quæ eſt verſ. 68. *Elegit autem tribum Judæ.* Item verſ. 70. *Et elegit Davidem ſervum ſuum . . . ut paſtor eſſet in populo ſuo.*

ARTICULUS XVIII.

HÆc eſt Iſraëlis ſecunda ætas & quaſi adoleſcentia, quam poſtquam natus in Ægypto, pueritiam egerat in deſerto, habuit in terrâ ſub judicibus. Jamque auctus admodùm & numero & copiis, ille ſibi populus verè robuſtus & juvenis, & dignus non tantùm hæreditate, ſed & imperio promiſſo, videri cœpit. Igitur conſilio carnali, quaſi tantæ amplitudini non ſufficeret niſi regiam majeſtatem præferendo; non contentus leni hactenus & pro conditione iſtius ſæculi laxiore, nec multùm libertati populi incommodante, Prophetarum, Sacerdotum, Judicum, & Patrum carnis imperio, petivit Regem dominum, & principes imperia ejus exſecutioni mandantes. Quod conſilium cùm vehementer Deo diſpliceret, dedit ipſi regem non ſecundùm cor ſuum, ſed quem homines digniſſimum regno judicarent, Saulem, Benjaminitam.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc populi conſilium prævidit Moſes Deut. 17: 14. *Et dices, ponam mihi regem, ut omnes gentes, quæ ſunt circa me.* Additque mandatum, non, ut volunt Rabbini, conſtituendi regis, ſed conſtituendi eum, quem Deus elegiſſet: *Ponendo*

ponas

pones tibi regem, quem elegerit Jehovah Deus tuus. Et quidem non alienigenam, ſed ex fratribus ſuis: *Ex medio fratrum tuorum pones tibi regem, non poteris dare tibi* regem *virum alienigenam, qui non eſt frater tuus.* Ibid verſ. 15. Quantopere autem Deo diſplicuerit hoc conſilium, patet ex iis locis, in quibus Scriptura id graviſſimè inſectatur. Deus id interpretatur, quod *ſe ſpreverint, ne Rex ipſorum eſſet.* 1 Sam. 8: 7. Scil. in iſtâ ſervitute, quæ erat propria in univerſum Veteris Teſtamenti, de quâ dictum ſuprà ad Art. v. inſignes dabantur graduum differentiæ. Nam ſub Senioribus, Judicibus, & Sacerdotibus, qui non abſolutam habebant poteſtatem, major erat libertas. Quippe quum in illo regimine ſumma & unica auctoritas eſſet legis, nec Judices ſumma hoc tempore poteſtas, Seniorum erant, exempti cenſuris, quibus tantùm præſidebant, & liberum quiſque ſuffragium afferre poterat ad ordinandam rempublicam. Ut ita imperium Seniorum in verbum Dei & conſenſum populi propemodum reſolveretur. Ideoque evenit ut, Rege nondum exiſtente in Iſraële, quilibet faceret, quod rectum erat in oculis ipſius; & quanquam multi (licet per negligentiam præſidum populi, tamen cum ſigno libertatis) ſcortarentur poſt judicium oculorum ſuorum, tamen in illis, qui conſtanter perſeverabant in ſincero cultu veri Dei, magis conſpiciebatur, regnum Dei, h. e. efficacia Spiritus Dei, quâ, quos vult, trahit ad liberale & ingenuum obſequium ſui. Sed ſub regibus, in quibus illis quæcunque δῦλοι in ſuis heris, ferre cogebantur, 1 Sam. 8: 11. &c. dum cogerentur Regi malè & mala imperanti, & valido exemplo præeunti, favoris regii ſpe, aut regiæ indignationis metu, vel parere vel cedere, & ſi quid rectè imperanti obtemperarent, id magis ex neceſſitate & coactione hominis, quàm ex fide & amore Dei plerumque provenire videretur; ſic regnum Dei cum libertate obſcurabatur: Ut quantum hoc poſtulato ſibi adimerent libertatis, aut imponerent ſervitutis, tantum de regno Dei & ſubjectione voluntariâ Deo debitâ detraheretur. Hinc non tantùm l. c. ſpreviſſe Deum, ne rex ipſorum eſſet, ſed & Pſalm. 106: 43. *rebelles extitiſſe conſilio ſuo*, dicuntur. Et conqueritur Deus apud Hoſeam, cap. 8: 4. *Illi fecerunt regem, & non à me*, ſed ab inſtinctu & conſilio carnis; *principes*, qui regum imperia exſequerentur, *& non fui conſcius*: non fui auctor, impulſor, vel effector hujus conſilii. Ac denique hinc eſt, quòd Eccleſiæ ſub N. T. ad ſimilitudinem vetuſti Iſraëlis hoc in genere peccanti, Spiritus objiciat, quod dixerint; *Da mihi regem & principes.* Quòdque *ſe daturum ei regem* minetur, ſed *in irâ ſuâ, & ablaturum in excandeſcentiâ ſuâ.* Prorſus quemadmodum Saulem dedit Iſraëli in irâ ſuâ, & abſtulit in excandeſcentiâ. Hoſ. 13: 10. 11. Indulſit quidem igitur Iſraëlitis facere regem; ſed πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν *convenienter duritiei ipſorum*, & in caſtigationem ipſorum (quid enim eſt libertatis imminutio & ſervitutis injectio, niſi caſtigatio?) & in judicium multorum, ut exitus docuit.

§. 2. Quamvis autem ſic regalis poteſtas multùm libertati populi & regno Dei officeret, & permiſſio ejus eſſet ab irâ; clementiæ tamen erat ſingularis, 1. quòd cùm daret Deus regem populo ad defectionem inclinanti, id multo melius eſſet, quàm permitteſe populo, ut rebellaret. Hoc enim cum interitu reipublicæ conjunctum futurum fuiſſet. 2. quòd non infinita eſſet poteſtas regum. Non enim habuiſſe reges poteſtatem tollendi Synedrium & Sacerdotium, & inſtituendi aut mutandi cultus ex libitu, & in eâ re potuiſſe ipſis reſiſti, patet ex cohibitione Uſiæ regis. Quid, quod Principes culpantur, quòd non laceraverint veſtes, quum Jojakimus librum prophetiarum Jeremiæ laceraret & in focum conjiceret? Quid au-

tem ſummus Sacerdos in reipublicæ reformatione potuerit in tyranno, & eo, qui ſe feciſſet regem, aut ſolo populi conſenſu factus eſſet rex, non verò à Deo unctus, liquet in Athaliâ. Ex quo apparet, quantopere peccaverint, tùm principes, qui non interceſſerunt actionibus malis & nefariis regum, tùm ſubditi, qui regum ſuorum mandatis injuſtis paruerunt, & actiones ipſorum imitati ſunt: quanquam ſit fatendum, omnem illam regum exorbitantium cohibitionem non ſeditione, ſed reverenti reprehenſione, faciendam fuiſſe.

§. 3. Sed & fuit hæc rerum mutatio cum inſigni populi gloriâ conjuncta. Namque & magnitudinem populi demonſtrat, ut qui jam tantus evaſiſſet, ut jure merito regiam majeſtatem induere, per eamque formidabilis exiſtere vicinis regibus & populis potuerit: Et, regno conſtituto, magna erat gloria, ſub illo tranquillitatem, opulentiam, victorias adipiſci; & vicinis populis imperare, eoſque ſub poteſtate habere: idque ipſum regnum ab hoſtibus non exſcindi aut dejici. Adde, quòd cùm ſoleant victoriæ regum redundare in bonum totius populi, & ad tuendam regiam dominationem ex populo victore ſumi legati, vicarii regis, & regium imperium exercentes, non potuerit non regale faſtigium facere multos in populo celebres & illuſtres. Quare inter benedictiones ponitur. Gen. 17: 6. *Et reges ex te exibunt.* Gen. 17: 16. *Reges populorum ex ipſâ erunt.* Geneſ. cap. 35: verſ. 11. *Et reges è lumbis tuis prodibunt.* Ezech. 16: 13. *Et profeciſti ad regnum.* Ab hoc tempore populus incœpit magis, quàm ante, *inſidere arcibus terræ*, victoriis regum terras vicinas peragrando; Deut. 32: 13. Et *Jeſchurun incraſſari.* Ibid. verſ. 15. *Et filii*, ita dicti non verè, ſed φερωνύμως, quia multa ſimiliter, ut filii faciebant, & inter ipſos veri filii erant, *amplificari.* Eſai. 1: 2. Et *populus* fieri *terribilis ab inde, ubi eſt, & ultra.* Eſai. 18: 2. Denique & *evadere* è manu hoſtium, & *eripi*; Pſalm. 22: 5. 6. ita ut, qui ipſum arctabant, *non prævalerent ipſi.* Pſalm. 129: 2. Quemadmodum &, quum viderentur eſſe planè victi à Philiſtæis, Deus ipſis regem dedit.

§. 4. Regem inquam, dedit Saulem ex tribu Benjaminis ad paucitatem redactâ ſub judicibus; Jud. 19: 20. 1 Sam. 9: 21. Quâ de re vaticinans Jacobus, *Benjamin*, inquit, *lupus, qui rapit manè* (h. e. ſub auroram temporis regni & reip. ſub legislatoribus) *comedet prædam, & veſperi* (h. e. ſub occaſum iſtius temporis) *diſtribuet ſpolia.* In utroque tempore inſignis eſt Benjamin. Nam Saulus incepit regnare in Iſraële & hoſtes profligare. Alter Saulus diviſit ſpolia ex Judæis & gentibus erepta Satanæ. Geneſ. 49: verſ. 27. Idem innuit Propheta, ubi veterem œconomiam cum regno Chriſti comparans de illa ita canit: *Ibi erat Benjamin parvus imperans eis.*

ARTICULUS XIX.

ET quò magis populum abalienaret à ſe & traderet in manum regum, immiſit populo Nahas Ammonitam, qui obſedit Jabeſch in Gilead: eâque occaſione confirmavit regnum in manu Saulis. 1 Sam. 11. & 12.

DEMONSTRATIO.

Hanc hiſtoriam illuſtrat Hoſeas cap. 8: 3. 4. *Inimicus* Nahas *perſequebatur ipſum* Iſraëlem: *Illi fecerunt regem & non à me; principes & non fui conſcius.* Et Amoſus,

c. 1: 13. *Sic dixit Jehovah: ob tres defectiones filiorum Ammon, imò ob quatuor, non revocabo illud: eo quòd diſſciderint gravidas Gilead ad prolatandum terminum ſuum.* Generalia ex Pſ. 129: 1. 2. Eſ. 63: 9. &c. hîc non repetimus.

ARTICULUS XX.

POſtea Saule mandatorum Dei oblito, elegit Davidem, virum ſecundùm cor ſuum, adhuc juvenem, atque ordinavit in regem; ſicque tribum Judæ prærogativis non tantùm ſedis arcæ & cultus, ſed etiam regni, Ephraimiticæ, ut ſuprà viſum, ablatis, excoluit atque honoravit. 1 Sam. 13: 13. 14. Item c. 15. & 16.

DEMONSTRATIO.

Itaque impleri cœpit vaticinium Jacobi de tribu Judæ: *Juda tu; .... adorabunt te filii matris tuæ.* Eſt enim in eo manifeſta promiſſio regni. Gen. 49: 8. Ipſe hoc beneficium rex David, collatum in ſe ac tribum ſuam honorem, non minus ſuavis canticis Iſraëlis, quàm regimine & victoriis glorioſus, non ſemel decantat. Ad ſe enim & familiam ſuam reſpicit Pſ. 68: 28. *Ibi* in Veteri populo ſcil. *principes Jehudæ purpura illorum.* Purpura enim regum color. Pſ. 68: 28. Item Pſ. 78: 67. 68. *Et reprobavit tentorium Joſephi, tribum Ephraimi non elegit,* ad ſedem cultus & regnum. *Elegit autem tribum Judæ, montem Sionis quem diligebat.* Et expreſſiùs Ibid. verſ. 70: 71. *Et elegit Davidem ſervum ſuum, & accepit eum à caulis ovium. A ſequendis fœtis abduxit eum, ut paſtor eſſet in Jacobo populo ſuo, & in Iſraële hæreditate ſuâ.* Item Pſ. 89: 20. 21. *Tunc locutus es in viſione pii tui: Poſui adjutorium in præpollente,* virtus mea in Davide erit efficax ad victoriam omnium malorum; *extuli juvenem è vulgo. Inveni Davidem ſervum meum, oleo ſancto meo inunxi eum.* Ubi unctio non tam externa intelligitur, quàm interna, quâ ad officium regium neceſſariis donis ornatus fuit; cujus unctionis Symbolum fuit unctio per Samuelem peracta juſſu Dei, à quo inter omnes filios Iſraëlis & Jeſſæ *ὀψίγονος* rex à Deo electus. Quare & David *unctus Dei Jacobi,* & à regiâ dignitate *Vir, qui conſtitutus eſt ſuprà,* in extremis Davidis. 2 Sam. 23: 1. & ſæpiùs alibi *unctus Dei* appellatu.

ARTICULUS XXI.

DAvid verbo Dei quaſi fundatus deinde conflixit cum Goliatho, & bella geſſit pro Iſraële. Nec tantùm Deus gratioſè ſemper ipſum ſervavit, ſed & in gratia omnium eſſe fecit: Quæ res Saulis invidiam in eum concitavit. A quo idcirco fugere coactus, quùm eum perſequi non deſiſteret, partim apud exteros, partim in deſertis extorris aris & focis oberravit, & ſæpè in latebris deprehenſus, Deo ipſum mirabiliter cuſtodiente, incolumis manſit, & evaſit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hunc Articulum paucis complectitur David, ita Deum appellans & glorificans: *Benedictus Jehovah, rupes mea, qui aſſuefecit manus meas ad conflictum, digitos meos ad bellum. Gratia mea, Arx mea.* Pſ. 144: 1. 2. Et generatim. Pſ. 89: 22. 23.

in repe-

in repetitione Divinæ declarationis de defenſione Davidis: *Cum quo manus mea firma manebit, etiam brachium meum roborabit eum. Non aget exactorem inimicus in eum, & filius injuſtitiæ non ſubiget illum.* Huc pertinent orationes compoſitæ Pſalmis variis, inprimis 7. 42 & 58. Quarum orationum hæc eſt ſententia.

§. 2. Pſalmus 7. in titulo præfert ipſum, de quo hîc agitur, argumentum: *Aſſidua cura Davidis*, voluit enim David hoc Pſalmo perpetuas exilii ſui curas exponere, *quam cecinit Jehovæ propter verba* h. e. calumnias *Cuſchi Benjaminitæ*. Ita Saulem appellat, non quod diſſimularet nomen ob timorem vel reverentiam, ſed infamanlæ pertinaciæ & malitiæ incurabilis cauſâ. v. 1. Oratio Pſalmi eſt bimembris. Eſt I. Oratio ad Deum. II Oratio apud homines. Oratione ad Deum. 1. Petit opem, uſque ad v. 7. hoc modo: *Jehovah, Deus mi, ad te recepi me. ſerva me ab omnibus perſequentibus me, & eripe me.* v. 2. *Ne prædetur* vel *laniet tanquam leo animam meam, frangens, nemine eripiente.* Saulem leoni comparat ob crudelitatem inſatiabilem, & potentiam, cujus terrore nemo audebat Davidi ſuccurrere. v. 3. *Jehovah, Deus mi, ſi feci hoc, ſi eſt injuſtitia in manibus meis*, v. 4. *Si maleſeci pacifico meo*, ſi in regem dominum & ſocerum meum auctoremque dignitatis meæ ex ſuperbiâ inſurrexi, eumque regno ſpoliare volui, (*Atqui liberavi eum, qui me arctabat; ut nihil eſſet reliqui.*) v. 5 Vid. 1 Sam. 24. *Perſequatur inimicus meus animam meam & aſſequatur, & proculcet humi vitam meam, & gloriam meam* præſtantiſſimum mei, Spiritum Dei in me habitantem, *faciat in pulvere procumbere*, Mors æterna hoc ultimo gradu ſignificatur. v. 6.

2. Petit judicium, v. 7. ad 11. *Surge, Jehovah, in irâ tuâ*, diſplicentiam tuam oſtende aliquo ſigno, *& extollere in excandeſcentiis hoſtium meorum*, objice te illis, ut ſe contra te ferri ſentiant, *& vigila ad me*, me tutum præſtâ hiſce actibus ab impetu hoſtium. v. 7. Efficaces hæ preces Davidis apud Deum fuere. Nam, ut ſacra hiſtoria teſtatur, quoties Saul quæſivit Davidem, toties ſingularis cura Dei apparuit, toties conſcientia Saulis excitata eſt, ut intelligeret, ſuum peccatum Deum non latere. Aliquando etiam quum Davidem præſentem haberet, ita conſtrictus & obrutus terrore fuit, ut non auderet impetum in illum facere, ſed etiam ſe damnare & Davidem abſolvere cogeretur; non aliter atque ſi Deus objectu majeſtatis ſuæ impetum ejus retardaret & frangeret: *Nam judicium præcepiſti.* Oſtendiſti, velle te agi judicium cùm ſuper omnium hominum factis, tùm inprimis meâ cauſa v. 7. *Et cœtus nationum* 12 tribuum Iſraëlis *circumdat te* animis ſuſpenſis judicium & ſententiam tuam exſpectantes, *&* h. e. igitur oſtendendo, quem velis regnare, & in ſolio tuo ſedere, *ſupra illum in altum redi.* v. 8. *Jehovah judicet populos*, duas partes populi Iſraëlitici, quarum una me regem à Deo unctum benevolo affectu proſequitur, altera cum Saule facit in me perſequendo. *Judica me Jehovah, ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm integritatem meam, quæ eſt apud me*, v. 9. *Finiatur, quæſo, malum improborum, & confirmes juſtum.* Et h. e. Nam *explorans corda & renes eſt Deus juſtus.* verſ. 10.

Oratione apud homines. 1 Illuminatio & quaſi reſponſio Spiritus Sancti ad petitionem Davidis exhibetur, v. 11 — 17. *Clypeus meus eſt apud Deum*, habet Deus clypeum, quo me defendat, & conſtituit ſervare, Filium Dei mediatorem & cauſam ſalutis apud Deum, *qui ſervat rectos corde.* v. 11. *Deus judicat juſtum, & Deus omnipotens ſeveritatem exercet* in malos *omni die.* v. 12. *Si non reſipiſcet* inimicus, *gladium ſuum acuit, arcum tendit & aptat.* v. 13. *Et ſibi præparavit tela mortis; ſagittas ſuas paras, ut ſint ardentes.* v. 14. *Ecce enitebatur iniquitatem, & conceperat laborem,*

& pe-

& peperit mendacium. Sauli ſane non miſeria, ſed, ut ipſi videbatur, maxima felicitas propoſita fuerat; nempe tranquilla regni poſſeſſio cum ſpe id tranſmittendi ad liberos ſuos. Sed quia per calamitatem & oppreſſionem Davidis, ipſiusque populi cum detrimento & cum offenſâ Dei volebat regnum retinere, *labor* hic finis dicitur. Conabatur autem ad finem ſuum obtinendum capere Davidem & de medio tollere. Sed tantùm conatus eſt, quemadmodum mulier quæ tantùm enititur, nihil parit. Peperit autem, h. e. aſſecutus eſt omni conatu ſuo mendacium, h. e. fruſtrationem, pudorem & indignationem. v. 15. *Foveam fodit & excavavit, & incidit in foſſam, quam præparaverat.* Saul aliquoties quæſivit & quaſi indagine cingere voluit Davidem, & tùm opinione citiùs traditus eſt in ipſius manus, quâ occaſione ſi abuti voluiſſet David, periiſſet ille. v. 16. *Redibit* vel *redit moleſtia ejus in caput ejus, & in verticem ejus injuſtitia ipſius deſcendet* vel *deſcendit.* Quemadmodum fecit Achimelecho, & cogitavit facere mihi, ita fiet ipſi, &, quod injuſtâ vi geſſit regnum, id injuſtâ vi hoſtium cum vitâ amittet. v. 17. conf. 1. Sam. 24: 14. & 26: 10. 2 Profeſſio gratitudinis: *Confitebor Jehovam ſecundùm juſtitiam ejus, & pſallam* ſ. *canam nomen Dei altiſſimi.* Ut illud innoteſcat & glorificetur ab omnibus. v. 18.

§. 3. Pſalmo 42. indicatur ſummum deſiderium conjunctionis cum Deo, & animus conſolatione ſpei adverſus triſtitiam & impatientiam confirmatur. Partes duæ poſt titulum, qui eſt v. 1. I. Explicatio deſiderii videndi Deum; v. 2. 3. *Quemadmodum anima cervi anhelat ad alveos aquarum; ita anima mea anhelat ad te, ô Deus! Sitit anima mea Deum, Deum viventem. Quando veniam & comparebo ante faciem Dei!* Scil. toto tempore Veteris Teſtamenti deſiderium fidelium fuit adire Deum viventem, fontem omnis virtutis nim. veritatis, ſapientiæ, rectitudinis, bonitatis, juſtitiæ, gaudii. Nam ejus nomen quidem audiebant, ſpeciem autem non videbant. Nec tantùm: ſed & comparere coram Deo, h. e. adire templum & altare Dei, inque eo ſacrificia offerre, preces fundere, apud Deum animum ſuum effundere, apud Eccleſiam ſe oſtendere ut viva unius corporis membra; & viciſſim per ſacerdotes benedictionem & conſolationem reportare. Et hæc quidem, quæ in figurâ ſunt, conveniunt Davidi exulanti; quemadmodum is quæritur. 1 Sam. 26: 19. *Expulerunt me, ne adjungar hæreditati Domini; dicentes, Abi, cole Deos alios.*

II. Explicatio certaminis deſiderium augentis in tentatione non unâ. v. 4 — 12. Id certamen duplex eſt: 1. Cum triſtitiâ ex illuſione veterum ſociorum in quærendo Deo. *Extitit mihi lachrima mea cibus nocte & die, quùm dicant mihi omni die, Ubi eſt Deus?* verſ. 4. *Hos recordor* qui ſcil. convitium faciebant, quum fuiſſent ſocii, (*& effundo apud me animam meam*) *quum tranſirem in cœtu frequenti, procedeban cum ipſis ad domum Jehovæ, cum ſono jubili & confeſſionis; turbâ feſtivâ.* v. 5. *Quid dejicis te, anima mea, & fremis apud me? Exſpecta Deum. Nam adhuc confitebor ipſum, ſalutes faciei ipſius.* h. e. quas ipſe præſens, ſive manifeſtans potentiam & gratiam ſuam circa me, mihi præſtabit. v. 6. 2. Cum tentatione Dei, oblivionem præ ſe ferentis: *Deus mi, apud me anima mea dejicit ſe. Ideò recordor tui ex terrâ Jordanis,* reſpecto ad te, quatenùs undique vaganti circa ſanctuarium tuum, non licet ad illud accedere, & quidem ſic reſpecto ultra Jordanem ejectus; mox *& ex terrâ Chermonitarum,* quum ad eos devenio, qui in Chermone habitant, ad ipſos fines hæreditatis tuæ; demum ſuſpiro ad te *& monte Mitz-ar* ſive *parvo,* in montanis Judæ, quæ reſpectu Libani & Chermonis ſunt colliculi; vel in monte prope Tſoharem, quæ & Mitz-ar, in deſerto Engedi prope mare mortuum; ex Gen. 19: 20. & 30. In his poſſunt præcipua quædam loca exſilii Davidis intelligi. Nam & in Moabiti-

de egit, quæ eſt terra ad vel ultra Jordanem; &, quia Talmæi Geſuritarum regis filiam duxit, videtur etiam Geſuræos acceſſiſſe, qui Hermonitæ ſunt. Jam in montanis Judæ & Engedi apud mare mortuum ſine dubio egit. Philiſtæorum mentionem neglexit, ut accommodata eſſet anteriori tempori hæc oratio; tùm etiam, quia ſufficiebat terram Jordanis poni ad indicandam ſeclusionem à ſanctuario; Hermonitas, ad indicandam expulſionem ad gentes extra reipublicæ limites; Montem Mitzar ſive Engedi ad ſignificandum vel excluſionem ab hominibus, quia in ſolitudine in rupibus rupicaprarum habitabat, 1 Sam. 24: 1. 2. 3. vel terrificam memoriam judicii Dei in Sodomitas. q. d. Ibi vivo, ubi Lot ſervatus ab incendio Sodomæ & Gomorrhæ vix denique ſecurus fuit. v. 7. *Abyſſus ad abyſſum* una pars Oceani ad aliam, Borealis ad Auſtralem, *clamat*, h. e. ſonitum edit, ita fremit quaſi uno alterum incurrente. Mundus tumultuatur, *dum ſonant canales tui*, nubes tuæ emittunt tonitrua & procellas, *omnes fluctus tui & undæ tuæ tranſierunt ſuper me* h. e. dum mirabili & terribili tuâ gubernatione oſtendis diſplicentiam eorum, quæ homines agunt; ac ſpeciatim tibi regnum Saulis diſplicere. Quæ res, cùm non ad nutum omnia ſuccederent, & Samuel propheta Saulem regem reprehendiſſet, variè ab hominibus excepta eſt; ſuntque eorum, qui verbo Dei ſubſcribebant, & eorum qui regis præſentis ac dominantis gratiam aucuparentur, concertationes excitatæ, quæ in caput Davidis innocentis, per invidiam & ſuperbiam Saulis, tanquam fluctus decumani reciderunt. v. 8. *Interdiu jubebat Jehovah* extare *gratiam ſuam*, h. e. dona ſua vocabat potenti juſſione, ut eſſent præſentia, *& de nocte* etiam noctibus *carmen ejus erat mecum, oratio ad Deum vitæ meum.* v. 9. Hactenùs cauſæ impulſivæ confugiendi ad Deum, quæ ſunt imbecillitas carnis cum ereptione omnis opis & conſolationis, & memoria veteris gratiæ à Deo ſibi exhibitæ: Jam ſuccedit ipſa commemoratio orationis, quâ cum Deo ſuo negligente egerat: *Dicebam ad Deum rupem meam: Cur oblitiſceris mei? Cur atratus incedo in oppreſſione inimici?* v. 10. *Cum diffractione in oſſibus meis probro afficiunt me coarctatores mei, quum dicunt ad me omni die, ubi eſt Deus tuus?* v. 11. Item conſolationis: *Quid dejicis te, anima mea, & fremis apud me? Expecta Deum. Nam adhuc confitebor illum, ſalutes faciei meæ,* mihi coram exhibitas, vel ſalutes faciei meæ ab omni rubore, pudore, & confuſione, *& Deum meum.* v. 12.

§. 4. Pſalmus 58. etiam in genere cauſæ Saulis & Davidis eſt accommodatus, in quâ Davidi nullum pugnandi vel animo ſive voto vel armis, ſed unicum fugiendi conſilium fuit. Titulus qui in eâdem cauſâ etiam eſt Pſalmi 57. 59. & in ſimili, Pſ. 75. oſtendit ſcopum & ſummam Pſalmi per illa, *Ne perdas.* Hoc enim eſt quaſi compendium orationis pro ſalute. Cæterùm in ipſo Pſalmo David. I. Hoſtes ſuos & Eccleſiæ accuſat & damnat. 1. Hypocriſeos, v. 2: 3. *Scrione manipulus juſtitiæ* ſ. tanquam talis, *loquimini; æquum judicatis; filii hominis? Etiam* cùm vos pro manipulo juſtitiæ geritis, quùm ita loquimini & æquum judicare videri vultis, interim *in corde injuſtitiam molimini, in totâ terrâ violentiam manuum veſtrarum ad libellam* quàm cautiſſimè, certiſſimè, occultiſſimè, *libratis.* Ita ut dum ubique facitis injuriam, id agatis tamen ut juſti videamini, & nemo ſentiat injuriam, quam facitis. 2. Impœnitentiæ. *Alieni fuerunt* à Deo & vitâ ejus *improbi ab utero: erraverunt à ventre loquentes mendacium* in doctrinâ & applicatione doctrinæ. v. 4. *Venenum habent, quale eſt venenum ſerpentum;* venenatam habent naturam & radicem. Ita Deut. 32: 33. *tanquam aſpidis ſurdæ, quæ obturat aurem ſuam.* v. 5. *ne audiat vocem muſſantium, incantatoris peritiſſimi.* verſ. 6. Itaque adverſus omnem admonitionem

& hor-

& hortationes ex verbo Dei factas obdurueruut, & malitioſè ſeſe obſtinarunt.

II. Seſe & pios ſolatur judicio in hoſtes: quod 1. Petit, ita ut gradatim illud deſcribat. *O Deus, dirue dentes ipſorum in ore ipſorum, mandibulas leonum juvenum deſtrue, Jehovah.* Adime inſtrumenta nocendi, anteſignanos, per quos principes plurimùm valent. verſ. 7. *Diffluant inſtar aquæ, quæ decurrit.* Enerventur, ut non audeant, ſi etiam poſſint, nocere: *Intendat ſagittas ſuas, ſint tanquam conciſa*, contuſæ & languidæ; quod ſolet fieri, quando languidâ manu excutiuntur. verſ. 8. Quòd ſi nihilominùs in ſuâ malitiâ perſeverent, *Ut limax, quæ tabeſcit, evaneſcant*, vel inſtar *abortus mulieris, qui non viderunt Solem.* Qui retorreſcit & contabeſcit, calore uteri exhauſtus & conſumtus. De tabe conf. Zach. 14: 12. & ſeqq. 2. Denuntiat: *Antequam percipiant ollæ veſtræ rhamnum, ut vivum, ut æſtus erit, quem borreat.* Antequam ſeriò vis hoſtilis adoriatur civitates veſtras, in iis plagæ Dei graſſabuntur, & carnem veſtram quaſi torrebunt. verſ. 10. 3. Fructus judicii, tùm Lætitia piorum ex deſtructione regni Satanæ & incremento regni Dei: *Lætabitur juſtus, quia vidit ultionem; veſtigia ſua lavabit ſanguine improbi.* verſ. 11. tùm Pœnitentia multorum: *Et dicet homo: certè habet juſtus fructum; Certè eſt Deus judicans in terra.* verſ. 12.

§. 5. Præter haſce generales, quæ ad ſtatum Davidis exulis ſpectant in univerſum, ſunt & particulares multæ orationes in Pſalmis, quas diverſis caſibus conceptas Vir ſanctus perpetuo uſui Eccleſiæ conſcripſit ac dicavit. Harum prima eſt Pſal. 59. quæ, ut ex inſcriptione verſ. 1. apparet, accommodata eſt ei tempori, *quum miſiſſet Saul, qui obſervarent domum, ut morte afficerent illum.* Vid. hiſtoria 1. Sam. 19: 11.

Ineâ I. Petitio liberationis tanquam in præſenti diſcrimine renovatur. Ea conſtat 1. Propoſitione: *Erue me ab inimicis meis, Deus mi; ab inſurgentibus in me ſublima me.* verſ. 2. *Erue me ab operam dantibus vanitati: & à viris ſanguinariis ſerva me.* verſ. 3. 2. Confirmatio *a.* ab hoſtium propoſito: *Nam, ecce, inſidiantur animæ meæ. b.* ab hoſtium potentiâ: *Congregantur contra me robuſti. c.* à ſuâ innocentiâ: *non delicto meo, & non peccato meo, Jehovah.* verſ. 4. *d.* ab hoſtium felicitate: *Sine lapſatione currunt & inſtruunt ſe.* Non eſt in me pravitas lapſus aut offenſio, nihil, quod vel reprehenſionem mereatur. Et tamen illi currunt illorum inſtar, qui hoſtes perſequuntur, & in aciem ſe diſponunt, tanquam congreſſuri cum publico hoſte & arma ipſis inferente. *e.* A fœdere Dei. Ubi præmittitur petitio accommodata huic argumento: *Excitare obviam mihi, & vide.* inſpice, quomodo illi ſe inſtruant, ut me inſontem proterant. verſ. 5. *Etenim tu, Jehovah, Deus, Deus exercituum, es Deus Iſraëlis. Evigila ad viſitandum omnes gentes*, eos omnes, qui non ſunt in fœdere tuo, & quorum tu Deus non es, non tantùm eos, quibus non es revelatus, ſed etiam eos, qui nati ſecundùm carnem ex ſervis fidelibus tuis, & vocati ad fœdus, te tamen & regnum tuum oppugnant. *Ne miſereat te ullorum fallentium vanitate.* verſ. 6. *f.* ab hoſtium malitiâ, pertinaciâ & contemptu Dei judicis: *Revertuntur ad veſperam, ganniunt inſtar canum, & circumeunt civitatem.* Inſana & inſatiabilis nocendi ſanctis cupiditas hoc modo depingitur. Et tales erant, qui domum, ubi erat David, cuſtodiebant. verſ. 7. *Ecce, quum eructant ore ſuo, gladii ſunt in labiis ipſorum.* Intelligit calumnias, criminationes, adhortationes, quibus inſtigabatur Saul, ut tolleret Davidem. *Nam quis audit? quis compeſcit ipſorum furorem?* Impunitas ipſis eſt incentivum audaciæ & pertinaciæ. verſ. 8. 3. Explicatione fidei & ſpei ſuæ, ſecundùm quam petit. Ubi eſt

a. Judicium ipſius de Divinâ diſſimulatione: *Sed tu, Jehovah, irrides ipſos; ſubſannas omnes gentes.* verſ. 9. *b.* Propoſitum exſpectandi Divinum judicium: *Cujus robur in te eſt, obſervabo. Nam Deus eſt ſublimatio mea.* verſ. 10. *c.* Gloriatio in Divinâ ope: *Deus meus, Deus gratiæ occurret mihi*, ut ſuſtentet, adjuvet; *Deus faciet, ut ſpectem obſervatores meos.* verſ. 11.

II. Explicatur, quale ſupplicium & judicium hoſtium exſpectet: *Ne occidas ipſos* ſubitò, *ne obliviſcantur populares mei.* Sed *agita illos ſtrenuitate tuâ, & dejice ipſos*, paulatim à ſtatu ſuo, *clypeus noſter Domine:* verſ. 12. *Peccatum oris ipſorum, verbum labiorum ipſorum* (*& capiantur in faſtu ſuo*) *& ab exſecratione & ab abnegatione, quas proferunt.* detrude illos. verſ. 13. *Abſolve cum ardore, abſolve, & non ſint*, ſive potiùs *nihil ſint.* nim. in comparatione priſtini ſtatus. h. e. ut ipſorum potentia & impietas nuſpiam compareat: *& cognoſcent, quòd Deus poteſtatem habeat in Jacob uſque ad fines terræ. Selah* verſ. 14. Quodque verſ. 7. in crimine fuit poſitum, id in pœnam ipſis ſit; nim. ut eſurientes & famelici *redeant veſperi, ganniant ut canis, & circumeant civitatem.* i. e. ut invideant bonis & ringantur, quòd iis nocere non poſſint. verſ. 15.

III. Gratiarum actione 1. narratur in antitheſi ſtatus Davidis & hoſtium: *Illi vagantur, ut edant; ſi non ſatientur, etiam pernoctant.* verſ. 16. *At ego cano robur tuum & decanto matutinò gratiam tuam; quia extitiſti ſublimatio mihi & perfugium in die, quo arctum mihi erat.* verſ. 17. 2. Deus prædicatur, ut verax & gratioſus: *Ego, cujus robur in te eſt, pſallam. Nam Deus eſt ſublimatio mea, Deus meus Deus gratiæ.* verſ. 18.

§. 6. Secunda oratio exſtat Pſalmo 56. Cui dedit occaſionem, quòd *tenerent Davidem Palæſtini Gathi.* verſ. 1. Hiſtoria eſt 1 Sam. 21: 11. ſubjectum indicat titulus: *Super columbâ manipuli elongatorum.* Columba dicitur anima pia; quia 1. Imbecillis. 2. Simplex. 3. Munditiei amans & ſplendida. 4. Pernix, ut ad Deum confugiat. Dicitur columba manipuli ſ. gregis, quæ eſt de grege. Is grex eſt elongatorum, ſcil. columbarum elongatarum à ſe invicem, propter communionem ſpiritus, & unitatem corporis in diſſipatione, quæ eſt ſecundùm carnem. Talis autem columba fuit David. In perſonâ itaque Davidis repræſentatur quorumvis fidelium in ſuâ disjectione & tentatione fiducia ad Deum. Repræſentatur illa dupliciter:

I. In petitione: *Gratioſus eſto mihi.* verſ. 2. Hæc petitio explicatur verſ. 8. f. Confirmatur autem 1. à cauſâ impulſivâ confugiendi ad gratiam Dei: *Nam anhelat in me homo-mortalis: Toto die impugnans premit me.* verſ. 2. *Anhelant obſervatores mei toto die. Nam multi impugnant me ex alto.* vel, *Quia multi propugnant mihi* in *alto*. h. e. quo magis è cœlo excubant angeli ſatellites Dei circa me, & pugnant pro me, eò magis accenduntur ad iram & anhelant curſu & certamine contra me. verſ. 3. 2. A fiduciâ ſuâ in Deo: *Die, quo timerem, ego in te confido.* verſ. 4. *Cum Deo celebro verbum ejus: in Deo confido. Quid faciet caro mihi?* verſ. 5. 3. Ab injuriâ, malitiâ, & impietate hoſtium: *Omni die verba mea* quæ ſunt verba ſalutaris doctrinæ, *contorquent. Contra me ſunt omnes cogitationes illorum in malum.* verſ. 6. *Conveniunt, occultant ſe illi, ut qui exſpectant animam meam.* verſ. 7. *In vanitate ipſis eſt liberatio.* Innuit εἰδωλολατρείαν. Hiſce ſubnectitur petitio explicatior: *In irâ tuâ populos dejice, ô Deus.* nim. à fiduciâ ſuâ. Nec tantùm Palæſtinos, ſed & omnes malos. verſ. 8. 4. A ſuâ patientiâ: *Jactationem meam numeraſti tu ipſe: pone lachrymas meas in utre tuo; imò in rationibus tuis.* verſ. 9.

II. In gratiarum actione. Ea habet 1. Narrationem exauditi clamoris ſui: *Tunc convertuntur inimici mei retrò, quo die clamo. Hoc novi*, id eſt expertus ſum, *quòd Deus ſit meus*: ex partibus meis ſit. verſ. 10. 2. Propoſiti de celebrando verbo Dei confirmationem: *In Deo celebrabo verbum, in Jehovah celebrabo verbum.* verſ. 11. *In Deo confido: non timebo. Quid faciet homo mihi?* verſ. 12. Exſtimulat ſcipſum in propoſito celebrandi & apud omnes prædicandi verbum Dei; ex fiduciâ in Deo, quam opponit timori omnis *hominis*, qui ſapientiâ aliquâ præſtare videtur. 3. Confeſſionem debiti ob acceptum beneficium: *Mihi incumbunt vota tua, ô Deus. Solvam confeſſiones tibi.* verſ. 13. *Quia eripuiſti animam meam ex morte, quinimo pedem meum à truſione: ut ambulem coram Deo in luce vitæ.* Finis liberationum Divinarum eſt, ut pii *ambulent coram* Deo, ut tanquam ſervi coram Domino diſcipuli coram magiſtro, liberi coram parentibus agant, *in luce vitæ.* i. e. cum donis intelligentiæ, & Sapientiæ, ſine obſcuratione mendaciorum, & cum lætitiâ. verſ. 14.

§. 7. Tertiæ orationi quæ eſt Pſalm. 34. eadem hiſtoria, 1 Sam. 21: 11. dictavit argumentum: Concepta enim eſt, *quum David mutaſſet geſtum coram Abimelecho, & hic expuliſſet illum, atque ita abiiſſet.* verſ. 1. In eâ eſt I. Profeſſio gratitudinis propriæ: *Benedicam Jehovæ omni tempore; ſemper laus ejus in ore meo erit.* verſ. 2. *In Jehovah gloriabitur anima mea, audient manſueti & lætabuntur.* verſ. 3. II. Exhortatio 1. Manſuetorum ad communes laudes: *Magnificate Jehovam mecum, & evehamus nomen ejus pariter.* verſ. 4. *Quæſivi Jehovam & reſpondit mihi; & ex omnibus timoribus eripuit me*: verſ. 5. *Proſpexerunt ad ipſum & illuſtrati ſunt*, quicunque ad ipſum reſpexerunt, hoc. animus ipſorum repletus eſt ſapientiâ, prudentiâ, gaudio, atque ita vultu ſereno is animi habitus effulſit; *& facies illorum minimè pudore ſuffuſæ ſunt.* verſ. 6. *Hic inops clamavit; & Jehovah audivit, & ex omnibus anguſtiis ejus ſervavit ipſum.* verſ. 7. *Metatur Angelus Jehovæ* princeps angelorum Chriſtus, cum exercitu angelorum ei miniſtrantium, Angelus interceſſor, *circa timentes ipſum, & eruit ipſos.* verſ. 8. *Guſtate & videte, quòd bonus eſt Jehovah: beatus vir, qui confugit ad ipſum.* verſ. 9.

II. Sanctorum Dei ad timorem ejus: *Timete Jehovam, ſancti ejus*, quos Deus ſanctificat ſanguine Chriſti, verbo & vocatione, ſpiritu. *Nam non eſt defectus timentibus ipſum.* verſ. 10. *Leones juvenes*, potentes, qui quærunt carnalia, *depauperantur & eſuriunt*, ſufficere ſibi, quæ volunt, non poſſunt: *ſed quærentes Jehovam non deſtituuntur ullo bono.* Suum bonum in Deo habent abundè & paratum ad vitam æternam. verſ. 11. *Venite, filii*, Propheta inſtituens ſanctos Dei in Spiritu Sancto patris perſonam induit; & ſunt illi filii reſpectu Dei regenerantis, & reſpectu ſanctorum præeuntium exemplo. *Auſcultate mihi; timorem Jehovæ docebo vos.* verſ. 12. *Quis eſt vir, qui delectatur vitâ*; intellige vitam, quam nulla mors exſtinguit; *amat dies, videre bonum?* Sine viſione boni, h. e. fruitione in ſenſu & lætitiâ, non ſunt dies, qui hic vivuntur, ſed noctes. verſ. 13. *Cuſtodi linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur fraudem.* verſ. 14. *Recede à malo, & fac bonum. Quære pacem, & perſequere eam.* verſ. 15. *Oculi Jehovæ ad juſtos, & aures ejus ad implorationem eorum.* verſ. 16. *Vultus Jehovæ in facientes malum, ad exſcindendum ſemen eorum de terrâ.* verſ. 17. *Clamarunt & Jehovah audivit, & ex omnibus anguſtiis illorum eripuit illos.* verſ. 18. *Propinquus eſt Jehovah fractis corde; & conquaſſatos ſpiritu ſalvat.* verſ. 19. *Multa ſunt mala juſti & ex omnibus illis eripit ipſum Jehovah.* verſ. 20. *Servat omnia oſſa ejus: unum ex illis non frangitur.* Quod etiamſi frangantur & diſſipentur in oculis hominum, tamen apud Dominum

minum non ſunt fracta; quia reconcinnabit illa in gloriâ, ac ſplendore induet. verſ. 21. *Interimit improbum malum, & oſores juſti rei fiunt*, luunt pœnam hujus odii. verſ. 22. *Redimit Jehovah animam ſervorum ſuorum, & non fiunt rei omnes recipientes ſe ad illum.* Deus non imputat ipſis peccata; & hæc eſt maxima conſolatio ipſorum in malis, quòd fideles ſciunt, ea non eſſe ab irâ verſ. 23.

§. 8. Quarta in eo genere quæ legitur oratio Pſalm. 52. in titulo hoc argumentum vel potius occaſionem habet: *Quum veniens Doëg Edomæus nunciâſſet Sauli, & dixiſſet ei, adivit David domum Achimelechi.* verſ. 2. Vide 1 Sam. 22: 9. 10. 18. 19. 20. Igitur Pſalmus hic inſectatur Doëgi ſcelus, & fiduciam Davidis in Deo declarat. Partes ſunt I. Propoſitio contendens gloriationem improbi in malitiâ, & ſuam in Deo: *Quid gloriaris in malitiâ, ô Heros?* i. e. eligis facinus malum tanquam medium utile ad impediendum rem odioſam, nim. regnum Davidis, & ad conſequendum bonum jucundum, gratiam Saulis, & lætitiam in ſucceſſu illius mali. *Gratia Dei exſtat toto die.* verſ. 3. II. Illuſtratio. Ea agit 1. De vanâ gloriatione in malo: Hic oſtendit *a.* in ſpecie gloriationem in malitiâ: *Infortunia cogitavit lingua tua, ut novacula acuta faciens dolum.* verſ. 4. *Dilexiſti malum præ bono: falſitatem præquam loqui juſtitiam.* apud Saulem, magis approbando ejus furorem, quàm æquitatem conſervorum tuorum. verſ. 5. *Dilexiſti omnia verba noxia, linguam fraudis.* Uſus es oratione in ſpeciem verâ ad nocumentum & exitium. Nam quod indicabat Sauli de Achimelecho, verum erat; & quod juſſus interficere Sacerdotes, id fecit, poterat dicere, ſe non potuiſſe imperium regis detrectare. Interea Sauli occaſionem dederat ſuſpicione gravandi Davidem & Achimelechum initæ conſpirationis contra ipſum: & quod alii ſervi impunè & rectè detrectaverant, ipſe patravit. verſ. 6. *b.* Malitiæ noxam, ſive gloriationis in malo abſurditatem, tùm à pœnâ Dei: *Etiam Deus everret te etiam atque etiam; auferet & everret te ex tentorio; & eradicabit ex terrâ viventium.* Videris eſſe arbor plantata in domo Dei, ſed Deus manifeſtabit te, qualis ſis verſ. 7. Tùm à juſtorum horrore & riſu: *Et videbunt juſti & timebunt, ſuper illo ridebunt.* verſ. 8. *Ecce vir qui non ponebat Deum arcem ſuam, & confidebat in amplitudine divitiarum ſuarum; invaleſcebat in nequitiâ ſuâ,* verſ. 9. 2. De gloriatione in Dei gratiâ: *At ego ero ut olea viridis in domo Dei (Nam fretus ſum gratiâ Dei) in ſæculum & æternitatem.* verſ. 10.

III. Epilogus εὐχαριστικός: *Confitebor te in ſæculum, quia perfeciſti; & exſpectabo nomen tuum, quia bonum eſt coram piis tuis.* Dicuntur hæc à Davide, ut peracto judicio Dei in Doëgum. Promittit gratitudinis cauſâ 1. *confeſſionem Dei*, ut juſti judicis. 2. *exſpectationem nominis Dei.* i. e. eventus promiſſionis per nomen Dei ipſi factæ, & omnis gratiæ propoſitæ fidelibus. Ratio: *Quia bonum* eſt nomen tuum *coram piis tuis.* h. e. quia tu demonſtrâſti, te clementiſſimum, & largiſſimum fore, idque coram iis, qui te ſtudioſè diligunt & colunt. verſ. 11.

§. 9. Quinta oratio occurrit Pſalm. 54: 1. Hæc reſpondet hiſtoriæ, quæ legitur 1 Sam. 23: 15. 19. & rurſus 1 Sam. 26: 1. & ſeqq. Quod patet ex titulo: *Quum venientes Siphæi dixiſſent Sauli, Annon David latitat apud nos?* verſ. 2. Eſt hîc I. Petitionis propoſitio: *Deus, nomine tuo* i. e. demonſtratione gratiæ tuæ, *ſerva me, & præ potentiâ tuâ judica* i. e. vindica, *me.* verſ. 3. II. Confirmatio: 1. à malitiâ hoſtium: *Deus, audi orationem meam; auribus percipe dicta oris mei.* verſ. 4. *Quia hoſtes ſurrexerunt contra me, & violenti quærunt animam meam: qui non ponunt Deum in conſpectu ſuo.* verſ. 5. 2. A ſuâ fide in Deum: *Ecce, Deus eſt auxiliator mibi,*

mihi, Dominus in ſuſtentantibus animam meam. vers 6. *Reddet malum inſidiatoribus meis.* vers 7. p. p. Hinc concludit partem propoſitionis alteram de judicio: *In veritate tuâ exſcinde eos.* vers 7. p. 2. III. Epilogus εὐχαριστικῶς pro liberatione: *Liberaliter ſacrificabo tibi: confitebor nomen tuum, ô Jehovah, quia bonum eſt.* vers 8. *Quia ex omni anguſtiâ eripuit me & inimicos meos ſpectavit oculus meus.* v. 9.

§. 10. Sexta oratio, quatenùs ejusdem eſt temporis, præcedenti aptè ſubjungitur. Exhibet eam Pſalmus 63. compoſitus à Davide occaſione jactationis, ſ. *quum eſſet in deſerto Jehudæ.* v. 1. Nam deſertum Judæ eſt deſertum Siph. Eſt in hoc Pſalmo. I. Exploratio & denudatio affectus ſui erga Deum: *Deus, Deus meus es tu. Quæro te, ſitit te anima mea, intabeſcit tibi caro mea in terrâ ſterilitatis & vertiginis, ſine aquâ,* v. 2. *(Sic in ſancto vidi te)* i. e. Adeo in Eccleſiâ te mihi per verbum tuum, ſacramenta & ſpiritum tuum notificâſti. *ad videndum robur tuum & gloriam tuam* vers 3. *Quia bona eſt gratia tua præ vitâ, labia mea laudant te.* v. 4. *Sic benedicam tibi in vitâ meâ, in nomine tuo elevabo palmas meas.* verſ. 5. *Tanquam adipe & opimitate ſaturatur anima mea, & labiis jubilorum celebrat os meum.* vers 6. *Si* h. e. quoties *reminiſcar tui in ſtratis meis, in vigiliis, meditor de te.* vers 7. *Quia extitiſti auxilium mihi; & in umbrâ alarum tuarum jubilo.* vers 8. *Agglutinata eſt anima mea ad te: Me tenuit dextra tua.* vers 9. II. Ὑπόστασις & gloriatio ſpei. 1. De interitu hoſtium: *At illi, qui ad vaſtitatem quærunt animam meam, intrabunt in inferiora terræ.* vers 10. *Laniabunt ILLUM* (Saulem indigitat) *gladio: Ferculum vulpium fient.* vers 11. 2. De piis: *Sed rex* h. e. ipſe David regnum adeptus, *lætabitur in Deo, gloriabitur omnis jurans per ipſum: quia obturabitur os loquentium falſitatem.* Falſi prophetæ & doctores confundentur, convincentur, erubeſcent, nec habebunt ampliùs ἀνοίξῃ στόματος vers 12.

§. 11. Septima Pſ. 57. & Octava Pſ. 142. ad eandem hiſtoriam & tempus reſpiciunt: Quam exhibent tituli: *Quum fugeret metu Saulis in ſpeluncam.* Pſ. 57: 1. *Quùm eſſet in ſpecu.* Pſ. 142: 1. Vide 1 Sam. 24. Pſalmo 57. eſt. I. Imploratio. Ejuſque 1. Propoſitio: *Gratiam fac mihi, ô Deus, gratiam fac mihi.* 2. Confirmatio a. à fide ſuâ: Cujus notat. α. Sinceritatem: quòd toto animo & ad ſolum Deum & prorſus penitusque confugiat: *Nam ad te recipit ſe anima mea. Et in umbram alarum tuarum recipio me, donec tranſeant calamitates.* vers 2. β. Veritatem ſiue rectitudinem: *Voco Deum altiſſimum, Deum omnipotentem, qui totus eſt circa me.* q. d. Novi quem invocaverim. nempe Deum, qui eſt altiſſimus &c. v. 3. λ. Certitudinem. quia promittit ſibi ſalutem, tùm propter nominis ipſius gloriam, tùm propter gratiam & veritatem ejus: *Mittet è cœlis & ſalvabit me, is quem blaſphemat perſecutor meus, Selah: mittet, inquam, Deus gratiam & veritatem ſuam.* verſ. 4. b. A tentatione & anguſtiâ ſuâ: *Anima mea inter Leones eſt; cubo in flammantibus, Filii hominum; dentes ipſorum ſunt haſtæ & ſagittæ, & lingua illorum gladius acutus.* verſ. 5. c. A gloriâ Dei: *Extolle te ſupra cœlos, Deus: ſuper totam terram ſit gloria tua.* h. e. inſide throno tuo tanquam judex. & cœlitùs manifeſta, te omnium ſupremum eſſe, poſſe ponere reges in ſolio & eoſdem deponere. Ita gloria tua manifeſtabitur in totâ terrâ, quòd ſcil. in te ſit ſalus omnibus invocantibus te. vers 6. II. Εὐχαριστία. Hîc 1. Narratio judicii Divini: *Rete paraverunt veſtigiis meis, incurvavit animam meam: foderunt ante me foveam; ceciderunt in illam.* vers 7. Hæc patent ex hiſtoriâ. Conf. ſup. Pſ. 7: 16. 2. Promiſſio debitæ confeſſionis. Vide a. Affectum: *Paratum eſt cor meum, ô Deus, paratum eſt cor meum: canam & pſallam.* vers 8. b. Confeſſionis organa: *Evigila, gloria mea: evigila, Nablium & Cithara. Evigilabo manè.* vers 9. c. Confeſſionis

ſub-

ſubjectum recipiens: *Confitebor te in populis, Domine; pſallam te in nationibus.* v. 10. Chriſti gubernatione effectum eſt, ut hoc Davidis teſtimonium ad omnes gentes perveniret. d. Confeſſionis objectum: *Quia magna eſt ad cœlos gratia tua, & ad nubes veritas tua.* vers 11. 3. Concluſio in epiphonemate oſtendens ſanctorum ἀγαλλίασιν in exaltatione gloriæ Dei: *Evehere ſupra cœlos Deus. Per totam terram ſit gloria tua.* vers 12. Pſalmo 142. Propheta. I. Seipſum excitat ad invocandum Deum: *Voce meâ ad Jehovam clamabo: voce meâ ad Jehovam ſupplicabo.* vers 2. *Effundam coram ipſo meditationem meam: Anguſtiam meam coram ipſo indicabo.* vers 3. *Dum implicatur apud me ſpiritus meus. Et tu noſti tramitem meum. Viâ, quâ ambulo, abſconderunt mihi laqueum.* vers 4. II. Exponit apud Deum anguſtiam ſuam: 1. Quòd apud Saulem nemo ſit, qui ejus rationem habeat, cujus amicitiæ fidere poſſit. *Aſpice ad dextram, & vide: Et non eſt, qui me agnoſcat.* 2. Quòd fugiendi nulla via: *Periit effugium à me.* 3. Quòd non ſit vindex animæ ſuæ, aut eam curans: *Non eſt requirens animæ meæ.* vers 5. III. Convertit ſe ad Deum. 1. Per fidem: *Clamo ad te, Jehovah: Dico, tu es perfugium meum, Portio mea in terrâ viventium.* vers 6. 2. Per petitionem ſpei teſtem: *Attende ad clamorem meum, quia attenuatus ſum valde, eripe me à perſecutoribus meis; quia robuſtiores ſunt me.* vers 7. *Educ è carcere animam meam.* 3. Per argumentum glorificationis nominis Dei: *Ad confitendum nomen tuum. Me cingent* (vel *in me tanquam coronati triumphabunt*) *juſti, quum cumulatè benefeceris mihi.* verſ. 8.

§. 12. Ex hiſce orationibus videre eſt, quæ fuerit in fugâ iſtâ & jactatione Davidis habitudo animi, qui modus & forma intima cogitationum. Scilicet quatenùs cum aliis piis iſtius ſæculi ſortitus erat ſpiritum timoris & ſervitutis, & longævitas ac pacata poſſeſſio bonorum hujus vitæ ipſi pignus erat gratiæ Dei & hæreditatis cœleſtis, non poterat non primo adſpectu horum bonorum privatio ei admodum gravis & acerba videri? Et quatenùs altare, & ſacrificia, tanquam ſacramentum, gratiam Dei in Chriſto declarabant, per quam unionem cum Deo habemus, cùm ſe ab iis excluſum videret, & in diſſipatione eſſet, & perſecutione, & cruce, ſibi longè à Deo ipſo abeſſe videbatur. Atque hinc illa vehemens animi triſtitia, & fidei cum dubitatione pugna, & deſiderium unionis cum Deo plusquam vulgare: quæ produnt Pſalmi 42. & 63. Attamen quàtenùs idem Vir ſanctus præſens ubique Dei auxilium experiebatur, & identidem ſe liberari ex periculis cernebat, iterùm ſe erexit, nec animo concidit aut de Divino favore dubitavit unquam. Et quamvis ejectus ex terrâ, quæ erat hæreditas Jehovæ & populi ipſius, tamen quia noverat, eam tantummodò pignori datam & figuram meliorum, didicit illam, non nimis æſtimare, & στοιχείοις τοῦ κόσμου ἀσθενέσιν imbecillis mundi elementis non niti, aut iis in ſe delectari. Itaque animo celſo & infracto ſemper egit, Deum ſolum hæreditatem ſuam reputans, ad eumque in omni anguſtiâ confugiens. Eadem animi celſitudo illi morum quoque abſtinentiam edidit, nihil alienum concupiſcenti. Quamvis enim ſciret, ſe à Deo electum regem Iſraelis, & Saulem reprobatum, tamen neque terram concupivit, ut dives & abundans eſſet omnibus rebus, neque ſubjectionem populi, ut pro libidine dominaretur, nec ſuas rationes & conſilia attulit ad id obtinendum, quod Deus ipſi promiſerat. Animo tranquillo reliquit Deo omnem ſui curam, & ejus horam & providentiam exſpectavit, nihil ſibi relictum putans, niſi habere animum rege populi Dei dignum & γνησιότητι; idque unicè vovens, ut Deus rex agnoſceretur & celebraretur in totâ terrâ. Quod autem ſubinde ſupplicium hoſtium peteret, non fecit cupiditate vindictæ, aut quo maturiùs regno poti-

tiretur,

teretur, ſed motus juſto zelo, ut approbaret judicium Dei, quod ut propheta videbat hoſtibus ipſis imminere; in quo zelo typum Chriſti regis geſſit: Quemadmodum & ejectione ac jactatione ſua paſſionibus Chriſti, & populi ejus jactationibus præludebat. Namque & futurum erat, ut Chriſtus projiceretur extra caſtra; quod & ritus ſacri adumbrabant: Et populus ejus extra caſtra ad eum erat exiturus, & vagaturus per totum mundum, donec tandem, quod promiſſum erat, totum mundum hæreditaret.

ARTICULUS XXII.

COnſtituto regno, & rebus ab initio à Saule adverſus exteros feliciter geſtis, reſpublica Iſraëlitica ſatis fundata, & non tantùm ſuſtinendis, verùm etiam ſummovendis ac inferendis bellis, ſicque dilatandis imperii finibus, apta videbatur. Sed breve fuit id gaudium. Iterùm Deus iratus abjecit Iſraëlem; & occiſione Saulis & filiorum ejus factum eſt, ut id regnum non mediocriter commoveretur, & reſp. nutaret.

DEMONSTRATIO.

Hanc caſtigationem deſignat Propheta in ſequentibus: *Commoviſti terram.* Pſalm. 60: 4. *Nonne tu, Deus, qui rejeceras nos? atqui non exibas, ô Deus, in exercitibus noſtris.* Ibid. vers 12. *Confirmatur frugifera; non*, ut quondam, *nutabit.* Pſ. 93: 1.

ARTICULUS XXIII.

MOx in duas partes ſciſſum eſt regnum ſub Davide & Iſchbóſchet, diviſis animis, &, quò ſe verterent, ambiguis. 2 Sam. 2: 3: 4:

DEMONSTRATIO.

Hunc reipublicæ ſtatum depingunt iſta: *Fidiſti eam* terram, *ſarci fragmenta ejus, quia nutavit.* Pſ. 60: 4. *Videre feciſti populum tuum rem duram, potâſti nos, ut vino, vertigine.* Ibid. vers 5. Et forſitan has turbas ſignificat illud præced. Art. *Commoviſti terram. Tremor terræ* enim omnes tumultus, maximè inteſtinos & domeſticos, in Scripturis denotat. Huc quoque pertinet, quod eſt de *nutatione terræ*, Pſ. 93: 1. Et hic iterùm, ut & Art. præced., exemplum *Excandeſcentiæ*, de quâ Dan. 8: 19. habemus.

ARTICULUS XXIV.

TAndem Deus miſertus calamitatis publicæ ſanavit illam, Davide rege vexilli inſtar toti Iſraëli propoſito, totoque Iſraële ad illum aggregato. 2 Sam. 5:

DEMONSTRATIO.

In hunc ferme modum hic Articulus enunciatur. Pſ. 60: 6. *Dediſti timentibus te vexillum, ad quod concurrerent, propter veritatem.* i. e. propter promiſſiones Abrahamo & patribus factas de poſſeſſione terræ, primò carnaliter, deinde ſpiritualiter,

in ſemine dandâ. Selah. Cui ſubjicit Prophetia hanc orationem in futurum: *Ut liberentur dilecti tui* è manu hoſtium oppreſſorum, *ſerva dexterâ tuâ*, adſis mihi porrò, *& responde mihi* ipſo facto. Ibid. v. 7. Reſpicit autem ad promiſſionem. 2 Sam. 7:10. *Non addent injuſti Iſraëlem opprimere, ut antea.* Ad hunc quoque Articulum alludit Propheta: *Tunc locutus es in viſione pii tui.* (vel *de pio tuo*) *& dixiſti: Poſui adjutorium in præpollente, extuli juvenem* (vel *electum*) *è vulgo. Inveni Davidem ſervum meum, oleo ſancto meo inunxi eum.* Pſ. 89: 20. 21. Et quatenùs in hoc facto ſpectata fuit vindicatio Davidis, id celebrat Ibid. v. 24. *Et contundam à facie ipſius hoſtes ejus, oſores ejus plagâ afficiam.* Ac denique in extremis: *Dixit Deus Iſraëlis, de me locuta eſt rupes Iſraëlis. Erit dominans in hominibus juſtus dominator timoris Domini.* h. e. timens Dominum. 2 Sam 23: 3. Ubi quòd à timore Domini deſcribitur, lucem habet ex 1 Sam. 13: 14. Ubi eſt: *Quæſivit ſibi Jehovah virum ſecundùm cor ſuum, & juſſit eum eſſe principem ſuper populo ſuo.* Pſ. 89: 27. *Ille vocabit me, Pater meus es, Deus meus & rupes ſalutis meæ.* Generaliora, quæ huc pertinent, vid. Pſ. 22: 5. 6. 129: 2. Eſ. 63: 9.

ARTICULUS XXV.

DAvid, pacatis domi & foris inimicis, firmatoque regno, primùm omnium dat operam reſtitutioni cultus publici in Iſraële. Igitur enim quum Arca, thronus gloriæ Dei, & præcipuum cultus inſtrumentum, multis hactenùs in locis cum notabili cultus diſpendio, fuiſſet vagata, locum ei firmum ac manſurum in poſterum procuravit. Cùmque ſedem ei deſtinâſſet montem Sion, Deus oſtendit, hoc ſibi conſilium non diſplicere. 2 Sam. 6.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Pſalmo 132: 1 —— 5. introducitur populus orans pro Davide ſummo ſtudio promovente & reductionem arcæ, & cultus publici reſtitutionem: *Memento, Jehovah, Davidi omnem moleſtiam ejus.* vers 1. *Qui juravit Jehovæ, vovit Heroi Jacobi.* vers 2. *Si intrabo tentorium domus meæ, ſi adſcendam in ſpondam ſtratorum meorum.* vers 3. *Si dabo ſomnum oculis meis, palpebris meis dormitationem*; vers 4. *Donec repereo locum Jehovæ. tabernacula Heroi Jacobi.* h. e. Arcæ, ſuper quâ dicebatur Deus habitare reddens reſponſa è nube, quæ erat inter Cherubinos. v. 5.

§. 2. Quoniam verò Deus oſtenderat, montem Sion, quem David ad locum perpetuum Arcæ elegerat, ſibi non diſplicere; hinc Deo electio montis Sionis tribuitur, & conſilium inhabitandi eum in perpetuum. Ita enim eſt. Pſ. 78: 68. 69. *Elegit autem tribum Judæ, montem Sionis, quem diligebat. Et ædificavit inſtar collium ſanctuarium ſuum; inſtar terræ, quam fundavit in ſæculum.* Ut ſanctuarium non moveretur ampliùs aut agitaretur de loco in locum. Cœpit enim hoc fieri ſub Davide, qui & Arcæ fecit tabernaculum in monte Sion, & arcam conſtituit in areâ Arannæ. 2 Sam. 24: 18. 24. 1 Chron. 21: 26. 28. 22: 1. Ubi & appellatur *domus Jehovæ Dei*, non quòd jam tùm domus exſtructa eſſet, ſed quòd Deus ipſi illic per ignem è cœlo lapſum reſpondiſſet, itaque demonſtrâſſet, ſe eò tanquam domum & locum venire, ibique requiri velle: quemadmodum 2 Sam. 12: 20. locus arcæ, ubi adorabatur Deus, vocatur *domus Dei*, licet ea eſſet ſub cortinis. Confirmant eandem Dei electionem, quæ exſtant Pſ. 74: 2. *Memento .... montis Sion, in quo habitandi*

cauſâ

cauſâ conſediſti. Pſalm. 87: 2. *Amat Jehovah portas Sionis præ omnibus tabernaculis Jacobi.* Et Pſalm. 132: 13. 14. *Nam elegit Jehovah Sionem, appetivit in habitationem ſibi. Hæc requies mea in perpetuum; hîc habitabo. Nam appeto illam.* Quòd autem hæc habitatio in Sione dicatur perpetua futura, id ita intelligendum: 1. Quòd dum Deus domum habebit in terrâ, non erit alibi; quemadmodum ſic Judæi exſpectant templum tertium, quod Ezechiel alibi conſtituit, quàm in Sione. 2. Quòd ſemper erit domus Dei in Sion, ſi non profanent illam. Non quòd fieri potuerit, ut in Sione ſemper habitaret ſuper Arcâ ſcil. aut in templo. Nam in novâ Hieroſolymâ non eſt templum manufactum. Apoc. 21: 22. Sed quòd, quemadmodum in Eccleſiâ ubivis locorum, ita etiam in Sione habitaturus eſſet cum manifeſtatione Spiritus ſancti. 3. Quòd à Sione orietur Eccleſia perpetuum & verum Dei habitaculum. Ut ita Sionis habitatio ſit perpetua, ad eum modum, quo & regnum Davidis, & Sacerdotium Aharonis, eſt perpetuum, Jerem. 33: 18. verſâ ſcil. figurâ in veritatem. Porrò ab hâc montis Sion habitatione, & ſacramentis gratiæ ibi locatis, *Sion Mons ſanctus Dei*; Pſalm. 2: 6. & alibi; item *Perfectio pulchritudinis*, Pſ. 50: 2. appellatur.

§. 3. Ab hoc tempore competit Eccleſiæ Pſalmus 84. in quo Pſaltes prædicat amabilitatem domus Dei, ſuumque deſiderium illius adeundæ declarat, denique orat Deum, ut in protectionem ſuam regem & regnum recipiat, quò perpetuò liceat domui ejus affixum eſſe. In prædicatione amabilitatis domus Dei eſt I. Propoſitio: *Quàm amabilia ſunt tabernacula tua, Jehovah Deus exercituum!* Ibi enim noſcitur Deus, & nomen ejus; ibi invenitur bonus omnibus puris corde; ibi eſt ſapientia; ibi veritas; ibi lux; ibi pax; ibi vita. verſ. 2. II. Confirmatio propoſitionis; 1. à ſuo ſenſu & ſerio deſiderio atque ἀγαλλιάσει Spiritus atque omnium facultatum ad Dei domum: *Concupiſcit, imò conficitur anima mea, ad atria Jehovæ. cor meum & caro mea clamant ad Deum vivum.* Scil. ſpectabant pii domum Dei ut ſacramentum & ſymbolum inhabitationis Dei in Chriſto, ut ἱλαστηρίῳ, & Eccleſiâ, ut templo. Ad ſacramentum autem eſt deſiderium in piis non propter ipſum, ſed propter rem obſignatam ſacramento. Res obſignata eſt Dei vivi unio & fœdus & amicitia cum peccatore. verſ. 3. 2. A Divinâ bonitate: *Etiam avicula invenit domum, & hirundo nidum ſibi, quo ponit pullos ſuos, nimirum altaria tua, ô Jehovah, Deus exercituum, rex mi & Deus mi.* Tu tam benignus es & gratioſus, ut velis tibi in altari tuo offerri non tantùm tauros, vitulos, oves, columbas, ſed & paſſeres, & hirundines, creaturarum tuarum viliſſimas, ubi matres, ſi rationis compotes ſint, malint ponere pullos ſuos, quàm in nido: quantò igitur magis me, cujus tu rex & Deus es, admittes deſiderio tui calentem, meamque precationem humillimam, ſacrificium cordis & labiorum meorum, non mutam & brutam, ſed rationalem hoſtiam, acceptam gratamque habebis & ſanctificabis in Chriſto altari tuo, meque unies? Amabilia ergo tabernacula tua, in quibus tantam bonitatem teſtatam facis. verſ. 4. III. Propoſitionis illuſtratio à μακαρισμοῖς 1. illorum, qui domui Dei affixi ſunt & perpetuò laudant Deum: *Beati, qui habitant apud domum tuam, qui ſemper celebrant te. Selah.* Sacerdotes ac Levitas intelligit, & eos, qui in urbe Hieroſolymâ proximi erant templo, & quotidianis cultibus poterant intereſſe. verſ. 5. 2. Illorum, qui cum ſtudio & alacritate ex omnibus partibus terræ ſanctæ, ſpretis difficultatibus itineris, ad domum Dei ad feſta celebranda contendunt. *Beatus homo*, quivis, *cui robur eſt in te; in quorum corde ſunt viæ ſtratæ.* h.e. quibus ineſt animus generoſus, fortis, alacer, arduorum ſuſceptor, rerum huma-

narum, lucri & vanitatis contemptor, qui nihil aliud, quàm vias tendentes ad tabernacula tua, animo agitant, quot diebus quanta ſpacia conficere & quam citò ad te pervenire poſſint. verſ. 6. *Qui tranſeunt vallem mori*, locum tranſeundum viatoribus Hieroſolymam tendentibus, tunc notum, horridum, ut apparet, & ſiticuloſum, *& rivum reputant illam, atque etiam, quam in benedictionibus*, i. e. largiter, copioſè, affluenter, ad fœcunditatem terræ, *operit pluvia.* verſ. 7. *Qui eunt de turmâ ad turmam*, Catervas hominum proficiſcentium intelligit, quarum aliæ priores, aliæ poſteriores ſolent eſſe, *quæ compareat apud Deum in Sione.* verſ. 8.

§. 4. In oratione pro conſervatione politiæ & ſtatus Eccleſiæ eſt I. Propoſitio: *Jehovah, Deus exercituum, audi orationem meam; auribus percipe, Deus Jacobi. Selah.* verſ. 9. *Clypeum noſtrum*, h. e. regem noſtrum, qui nos defendit, *vide, ô Deus, & aſpice faciem uncti tui.* verſ. 10. II. Ratio. 1. Quia nulla vita aut locus in toto mundo ſine conjunctione Dei in Eccleſiâ, ubi verbum & Sacramenta Dei ſunt, optabilia ſunt: *Nam melior eſt Dies unus in atriis tuis præ mille: elegi limen ſervare in domo Dei mei, præquàm intro habitare in tentoriis improbitatis.* verſ. 11. 2. A bonitate Dei, quam exhibet ſuis. Dona Dei ſunt *a.* Illuminatio & exhilaratio: *Nam Sol... eſt Jehovah Deus. b.* Defenſio & conſervatio: Sol *& clypeus eſt Jehovah Deus. c.* Dotatio: *Gratiam* amicitiam Dei cum omnibus bonis ab eâ fluentibus, inprimis fidem in Deum, *& gloriam* honorem & abundantiam, *dat Jehovah. d.* Omnis boni communicatio: *Non negat bonum ullum illis, qui ambulant in integritate.* verſ. 12.

Claudit Pſalmum Epiphonemate, quo concludit bonitatem Dei & ſufficientiam, & μακαρίζει confidentes ipſo: *Jehovah Deus exercituum, beatus homo qui confidit tibi.* verſ. 13.

§. 5. Huic ſimilis eſt Pſalmus 87. Qui prædicat Sionem tùm in figurâ, tùm in veritate, Hieroſolymam terreſtrem & cœleſtem, quæ eſt Eccleſia electorum, cui ſe Deus revelavit in Sione. Partes. I. Theſis, verſ. 1. 2. *Cujus fundatio eſt in montibus ſanctitatis.* Qui habet Eccleſiam fundatam in multis montibus; h. e. regnis & populis, partibuſque terræ. *Amat Jehovah portas Sionis præ omnibus tabernaculis Jacobi.* Quanquam enim tabernaculum ſuum, & arcam, in multis olim locis conſtituerit, deſertis tamen iis locis omnibus, Sionem & ei adhærentem montem Morijam, ex omnibus tribubus elegit, in quo habitaret, quem pluribus beneficiis cumularet, in quo tandem omnium promiſſionum veritâtem probaret. II. Theſeos illuſtratio. 1. A verbi Dei annunciatione in illâ. *Glorioſa eloquio exponuntur in te, urbs Dei. Selah.* Sionem vocat civitatem Dei, non tàm ex eo, quod Deus aram & arcam apud eam habebat, quàm quòd Dominus ipſe & Angelus fœderis aliquando ad eam erat venturus. verſ. 3. 2. A conciliatione pacis & amicitiæ, inter Iſraëlitas, cives Sionis, & gentes, per fidem, ibi aliquando futurâ: *Faciam in memoriâ eſſe Rahab.* i. e. Ægyptum, *& Babylonem cognoſcentibus me? Ecce Palæſtinam & Tyrum, cum Æthiope, qui natus eſt ibi.* verſ. 4. 3. A totius mundi ſubjectione: *Et Sioni dicetur: Quilibet natus eſt in illa.* 4. A perpetuâ ſuſtentatione ipſius Dei: *Et ipſe conſtabiliet eam Altiſſimus.* verſ. 5. 5. A luſtratione Dei ad ſeparandum bonos à malis: *Jehovah recenſebit in deſcribendis populis, qui natus eſt ibi.* verſ. 6. 6. Ab Eccleſiæ lætitiâ & concordiâ & plenitudine: *Et canunt inſtar choreas ducentium omnes mei rivi* i. e. filii *in te.* verſ. 7.

§. 6. His adde, Pſalm. 132: 6. 7. ubi fideles ſe mutuò cohortantur ad exercitium

tium cultus in loco arcæ: *Ecce, qui audiveramus illam* arcam *in Ephratâ, invenera-mus illam in agris nemoris. Accedamus tabernacula ejus, adoremus ad ſcabellum pe-dum ejus.* h. e. eo in loco, in quo promiſit ſe venturum ad nos quærentes ipſum in fi-de.. Oratio autem ipſis apud Arcam præformatur Ibidem verſ. 8. & ſeqq. I. Pro occupatione tabernaculi hujus, ſive perpetuitate præſentiæ Dei in loco hoc: *Surge, Jehovah, ad locum quietis tuæ, tu & Arca roboris tui.* verſ. 8. II. Pro dono juſti-tiæ ad lætitiam amantium Deum. Ubi vide *a.* Petitionem: *Sacerdotes induantur juſtitiâ.* Oblationes ipſorum ſint apud te acceptæ & gratæ, expies eos, condones peccata ipſorum & eorum, pro quibus offerent; ac præterea fac, ut cauſa juſtitiæ exſtante illi etiam cum reliquis fidelibus ad te accedere poſſint in juſtitiâ libertate, *& amantes te jubilent.* verſ. 9. *b.* Confirmationem à fide Davidis in promiſſionem: *Propter Davidem ſervum tuum. Ne avertas faciem uncti tui.* verſ. 10. Promiſſio: *Juravit Jehovah Davidi verum, à quo non recedet, ex fructu ventris tui ponam in ſo-lio tibi.* verſ. 11. *Si ſervabunt filii tui fœdus meum, & teſtimonium meum, quod do-cebo illos; etiam filii illorum in perpetuum ſedebunt tibi.* verſ. 12. *Nam elegit Jeho-vah Sionem, appetivit in habitationem ſibi.* verſ. 13. *Hæc requies mea in perpe-tuum: hic habitabo. Nam appeto illam.* verſ. 14. *Commeatum ejus benedicendo be-nedicam: Egenos ejus ſatiabo pane.* verſ. 15. *Sacerdotes ejus induam ſalute, & pii ejus* Sionis *jubilando jubilabunt.* verſ. 16. *Ibi progerminare faciam cornu Davidi,* regem potentem & victorioſum, *diſpoſui lucernam uncto meo*: ad illuſtrandas tene-bras gentium, ut memoria Davidis nunquam intereat. verſ. 17. *Inimicos ipſius in-duam pudore, & ſuper ipſo florebit corona ejus.* verſ. 18.

ARTICULUS XXVI.

COgitavit exinde Rex de domo ædificandâ Arcæ. Verùm interceſſit Deus, & quid fieri vellet, ſuumque de Davide & ſemine ac regno ejus gra-tioſum propoſitum, per Nathanem prophetam, ei manifeſtavit. 2 Sam. 7:

DEMONSTRATIO.

Hoc ipſum Propheta ad hunc modum commemorat: *Deus locutus eſt in ſancto ſuo.* h. e. in cœlo. Q. d. Deus apud ſeipſum decretum fecit, &, miſſo Spiritu ſuo, qui excitavit prophetam, ut mihi verbis Dei ſignificaret, declaravit; Ideo, vel hoc Dei verbo, *exulto.* Pſalm. 60: 8. *Tunc locutus es in viſione pii tui.* vel *de pio tuo.* Pſal. 89: 20. Ut 2 Sam. 7: 17. Item: *Juravit Jehovah Davidi verum, à quo non recedet.* Pſal. 132: 11.

ARTICULUS XXVII.

INſtaurato cultu, & Arcâ in locum, quem Deus elegerat, adductâ; Deus hoc ſtudium regis ingenti gloriâ, quà domeſticâ, quà externâ, civili, & bellicâ, gratioſè remuneratus eſt. Domeſticâ ac civili, ſpectatâ in eo, quod totus Iſraël ipſum regem agnoſceret, eique pareret; Externâ ac bellicâ, quòd gentes viciinas omnes, Palæſtinos, Idumæos, Amalekitas, Moabitas, Ammonitas, Syros Tzobæos & Damaſcenos, perpacaverit, & primus an-te ſe regum & ducum Iſraëlitarum effecerit, ut Imperium, quod ante hæc tem-

tempora limites hæreditatis vix erat egreſſum, ab unâ parte in mari, ab alterâ in Euphrate flumine ſtaret. 2 Sam. 8: & 10:

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc Davidis gloriam tùm in genere, tùm per partes deprædicat Prophetia. In genere hoc pacto: *Et veritas mea ac gratia mea*, ſive impenſus amor ac ſtudium meum, *cum ipſo erit*, *& in nomine meo extolletur cornu ipſius.* Pſalm. 89: 25. *Etiam ego Primogenitum faciam illum.* Primas & potiores partes ei dabo præ omnibus principibus & magiſtratibus, rectoribus & ſervis Dei, qui filii Dei ſingulari modo dicuntur. Alterum tantum gloriæ & majeſtatis ipſi dabo. Ib. verſ. 27. Per partes, quatenùs totus Iſraël XII. Tribuum ei fuit ſubjectus: *Diſtribuo Sichem*, inſignem locum cis Jordanem; *& vallem Succoth*, in quâ nim. urbs Succoth, ultra Jordanem, in tribu Gad. Joſ. 13: 27. *metior*; ut Dominus & rex diſtribuens populo hæreditatem. q. d. Per me poſt multas calamitates & exagitationes populi & exilia Iſraëlitæ & ſingulæ tribus q. poſtliminiò in hæreditatis ſuæ poſſeſſionem mittuntur. Pſalm. 60: 8. Hæc de diſtributione terræ, in quam ſe imperium obtinere dicit. Deinde obedientiam populi collaudat. *Meus eſt Gilead*, extremi omnium Gaditæ ultra Jordanem in monte Hermonis & Gileaditide poſiti mei ſunt, h. e. me amant, me amplectuntur, mihi parent; *Manaſſes*, qui partim ultra, partim citra Jordanem erat, *meus eſt*, erga me benignè eſt affectus; *& Ephrajim* potentiſſimus *eſt arx capitis mea*, in quâ ego caput meum conſervandum ſecurè & tutò deponere poſſim, vel arx mea primaria; *Judah legislator meus.* Alludit ad Gen. 49: verſ. 10. Synedrium ſummum, quod penes Judam eſt, ut præcipuam tribum, in quâ & regnum, ſub me rege & præſide juſtitiam & judicium exercet. verſ 9. Tale eſt & illud: *Et elegit Davidem ſervum ſuum, & accepit eum à caulis ovium. A ſequendis fœtis adduxit eum, ut paſtor eſſet in Jacobo populo ſuo, & in Iſraële hæreditate ſuâ.* Pſalm. 78: 70. 71. Et hinc Eccleſia in oratione ad Deum: *Paſtor Iſraëlis, auſculta; ducens inſtar ovium Joſephum.* Per manum Davidis ſc. Pſ. 80: 2.

§. 2. Cæterùm adminiſtratio regni per Davidem qualis fuerit, & cum quo adjutorio Dei, intelligitur tum ex hiſce: *Et is paſcebat ipſos juxta integritatem cordis ſui, & ſummâ prudentiâ palmarum ſuarum ducebat ipſos.* Pſalm. 78: 72. Tum maximè è Pſalmo 101. in quo David ipſe formulam regiminis, ſecundùm quam ſe domumque ſuam componebat, principibus terrenis in exemplum, ita deſcribit, ut I. in Propoſitione ſummatim officium regium complectatur & promittat Deo: *Pietatem*, h. e. enixum ſtudium in bono erga Deum, & qui ejus ſunt, *& Judicium* ad diſcretionem bonorum à malis *canam. Tibi, Jehòvah, Pſallam.* h. e. Carmine & cantico explicabo, & promittam. verſ. 1. II. Explicet rem promiſſam 1. Studium; idque partim affirmatè: *Conſiderabo* tùm ſpe, tùm diligenter ad ſigna temporum attendendo, dum *in viâ integritatis* ambulabo, h. e. in eâ viâ, formâ, ac ratione agendi, quæ rectiſſimè ſine ambagibus atque anfractibus, ideoque breviſſimè & certiſſimè ad finem deducit, *quando venies ad me*, ut regnum occupes & fias omnia in omnibus: *Verſabor cum integritate cordis mei*, h. e. cum ſerio propoſito, ſine hypocriſi, non aliud oſtentans verbis, aliud agens, Ita, inquam verſabor *in medio domus meæ*, h. e. adero domui tuæ, quam mihi commiſiſti, & eam regam, eam ornabo, eique me communicabo. verſ. 2. Partim negatè: *Non ponam ob oculos meos verbum Belial*, h. e. verbum Diaboli, vel verbum nequitiæ: *Facere*

decli-

declinationes quicquid eſt adverſum veritati & puritati fidei, & ſanctitati cordis & morum, *odi, non adhæreſcet mihi.* verſ. 3. *Cor perverſum*, tortuoſum, duplex, *recedet à me*, longè aberit à me, *Malum*, Quicquid ad regnum Dei non pertinet, & extra viam ad Deum quæritur vel adamatur, *non agnoſcam*, h. e. non reſpiciam, non ſequar, non affectabo. v. 4. 2. Judicium, quod exerciturus a. in hoſtium regno adverſantium profligatione: *Qui obtrectat in occulto proximo ſuo, illum exſcindam. Altum oculis*, qui magna affectant, *& latum corde*, qui ad cupiditatem, ad crudelitatem & ſævitiam patent, *non poſſum ferre.* v. 5. b. In familiæ, tùm conſtitutione: *Oculi mei erunt in fideles terræ*, ſerios, ſinceros & conſtantes, quorum profeſſio verax eſt & fide digna, *ad habitandum mecum: ambulans in viâ integritatis, is miniſtrabit mihi.* verſ. 6. Tùm expurgatione ab hypocritis: *Non habitabit ſive manebit in domo meâ, qui facit dolum.* Qui ſub colore pietatis & verbi Dei propinat falſitatem, hypocriſin, idololatriam, falſam juſtitiam. Et mendaciloquis ac ſeductoribus: *Loquens mendacium* desertâ viâ integritatis, vel veritatis doctrinâ, quæ eſt ſecundùm pietatem, *non ſtabilietur coram oculis meis.* Ut ſtet coram me & miniſtret mihi. vers 7. c. In regni oppugnati & oppreſſi vindicatione: *Matutinus abolebo omnes Improbos terræ*, qui audaciam ſumunt ordinem conturbandi & innoxios opprimendi, maximè leges convellendi, *ad exſcindendum ex civitate Jehovæ omnes operarios vanitatis.* omnia ſcandala doctrinæ & vitæ. vers 8.

§. 3. Quatenùs verò, quæ altera pars eſt Articuli noſtri, & gloria Davidicæ, hæc gloria ſpectata eſt in victoriis gentium vicinarum, & amplificatione Imperii, de eâ ſic in anteceſſum Prophetia. De ſubactione inquam, gentium: *Servient tibi gentes, & adorabunt te nationes.* Gen. 29:29. *Faciebat ipſum ſuperinſidere arcibus terræ.* Deut. 32: 13. In ſpecie de Moabo ſubjungando: *Procedit Stella ex Jacobo, & ſceptrum ſurgit ex Iſraële, & defligit angulos Moabi.* Num. 24: 17. Ubi regnum Davidicum intelligitur. De Edomo eſt. Ibid. v. 18. *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Seir, inimici ejus; & Iſraële faciente ſtrenuè.* Et jam ante, Gen. 29: 29. in vaticinio Iſaaci: *Adorabunt te filii matris tuæ.* eadem ſervitus ſignificata eſt. De Amalek exſtabat Prophetia: *Primitiæ gentium Amalek*, propter qualemcunque præſtantiam, vel quia primi ex gentibus Iſraëli adeunti hæreditatem ſe oppoſuerunt, eumque oppugnarunt, *& poſtremum ejus ad perdentem, ſ. interitum erit.* Num. 24: 20. De amplitudine imperii: *Semini tuo dedi* (h. e. do) *terram hanc à fluvio Ægypti uſque ad fluvium illum magnum, fluvium Euphratis.* Gen. 15: 18. *Et pono terminum tuum à mari algoſo uſque ad mare Philiſtæorum, & à deſerto uſque ad fluvium illum.* Euphratem. Exod. 23: 31. Add. Deut. 11: 24.

§. 4. In re præſenti hanc gloriam Davidis, Imperiique amplitudinem, eâdem manu, qua rem geſſerat, ita depingit & explicat Propheta: *Moab pollubrum meum.* Viliſſimum mihi præſtat miniſterium; *In Edomo projicio calceum meum.* Sic mihi ſerviunt, ut mediaſtini: in quos conjicio calceos, ut eos excipiant & auferant: *Super me, ô Palæſtina, jubila.* Cane mihi, Io triumphe, vivat rex David, & ſim. Pſ. 60: 10. Glorificat verò Deum, ut cauſam efficientem victoriarum: *Quis deducit me in urbem munitam? Quis deduxit me ad Edomum?* v. 11. *Nonne tu, Deus, qui rejeceras nos? atqui non exibas, ô Deus, in exercitibus noſtris.* v. 11. Addit & petitionem plenam fiduciæ opis in poſteruum: *Da nobis auxilium ab hoſte. Nam vanum eſt ſalvatio hominum.* vers 13. *Cum Deo ſtrenuè rem geremus, & ille conculcabit hoſtes noſtros.* v. 14. Conf. 1. Chron. 19: 13. *Fortis eſto, & fortiter agamus pro populo noſtro & pro urbibus Dei noſtri: Jehovah autem, quod bonum eſt in oculis ipſius faciet.* Huc

pertinet,

pertinet, quod eſt Pſ. 89: 26. *Et ponam in mari*, i. e. in Palæſtinâ, *manum ejus lævam*, *& in fluminibus*, id eſt in Meſopotamiâ, *dextram ejus*. Ad victorias item Davidicas de Palæſtinis reſpicit Eſaias, c. 14: 29. *Ne læteris, Palæſtina, tota tu, quod fractum eſt ſceptrum percutientis te.* David enim illos depreſſit, & eripuit illis *frenum cubiti*, ut eſt. 2 Sam 8: 1. h. e. Gath & filias ejus; 1 Chron. 18: 1. Item c. 28: 21. *Nam tanquam in monte Paritzim ſtabit Dominus.* Ubi nominatim tangitur hiſtoria, quæ legitur. 2 Sam. 5: 21. Et comparatur operatio Divinæ potentiæ in excidio Hieroſolymæ cum eâ, quâ operatus eſt olim in Palæſtinis; qui idcirco non tam humanâ quam Divinâ manu profligati ſignificantur. In genere autem ad victorias quaſcunque domus Davidicæ alludit Propheta, ubi populum Iſraeliticum vocat, *vitem Sibmæ, cujus generoſi palmites dominos gentium contuderunt.* Per palmites illos ſceptrum domus Davidis intelligens. Eſ. 16: 8.

ARTICULUS XXVIII.

Hâc tantâ rerum domi & foris geſtarum gloriâ quum rex David nomen eſſet adeptus inter Magnos terræ, hanc gloriam ſubitò, quùm bellum Ammoniticum gereretur, id eſt in medio victoriarum curſu, turpitudine adulterii atque homicidii offuſcavit. 2 Sam. 11.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Innuit hoc ſuum delictum ipſe David in oratione, quâ petit peccatorum ſuorum remiſſionem; Pſ. 51: 3. 4. *Secundùm amplitudinem miſericordiæ tuæ dele defectiones meas. Multùm lava me à pravitate meâ, & à peccato meo purifica me* Et ſic v. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes pravitates meas dele.* Vocat ſc. culpam ſuam *defectionem*, ſignificans, ſe tanquam nequam ſervum contra voluntatem Domini ſui feciſſe, obſecutum cupiditatibus ſuis. Vocat *pravitatem*, id eſt defectum rectitudinis, veritatis, & juſtitiæ, per quam aſſimulamur Deo. Et *peccatum* denique, h. e. non quæſtionem & contemptum Dei & conſequentem excluſionem à communione ejus ac reatum extremæ pœnæ. Atque ita rurſus. Ibid. verſ. 5. *Nam defectiones meas ego novi, & peccatum meum coram me eſt ſemper.* Et verſ. 6. *Tibi ſoli peccavi, & malum in oculis tuis feci.* Qui verſiculus ut rectè intelligatur, redeundum eſt ad hiſtoriam. Nathan objicit Davidi duo: 1. Contemptum verbi Dei. 2. Feciſſe malum in oculis Dei. *Quare ſprevisti verbum meum, ut faceres, quod mihi diſplicet?* Item, *Quia ſprevisti me, & accepiſti*, &c. Ibi reſpondet David, *peccavi Domino.* Hic autem dividit, & diſtinctè affirmat, Se & *ſoli Deo peccâſſe*, h. e. ipſum & verbum ejus ſpreviſſe, & inſimul *malum feciſſe in oculis Dei*, h. e. feciſſe in proximo ſuo adulterium & homicidium res Deo diſplicentes.

§. 2. Speciatim verò reſpicit Propheta ad crimen Adulterii, Ibid. ℣. 12. *Cor purum crea mihi, ô Deus.* Quod enim hæc petitio reſpiciat ad adulterium, ex reipsâ eſt clarum. *Cor purum* enim opponitur cordi impuro, & polluto. Cor verò immundum eſt illud, quod diligit id, quod non eſt bonum ſuum, quod fornicatur à Deo. Reſpicit quoque Ibid. v. 16. ad crimen Homicidii, in petitione. *Eripe me à ſanguinibus.* Nathan enim in talionem homicidii ei denunciaverat, gladium non receſſurum à domo ipſius, h. e. Davidem & filios ipſius cum multis bellis, calamitatibus, & miſeriis conflictaturos; interdum etiam ſanguinem fuſuros. Petit igitur, ſe & familiam ſuam à cædibus liberari & ſervari.

ARTI-

ARTICULUS XXIX.

Correptus à Nathane Prophetâ, remiſſionem petit tùm omnium peccatorum in genere, tùm in ſpecie criminis perpetrati. 2 Sam. 12:

DEMONSTRATIO.

Exſtat hæc Davidis precatio, ſecuta colloquium cum Nathane, Pſ. 51. Quod Titulus oſtendit: *Quum veniſſet ad eum Nathan propheta, quum intrâſſet ad Bath-ſebam.* v. 2. Partes: I. Petitio remiſſionis peccatorum ſimpliciter. Ubi vide. 1. Propoſitionem: *Gratiâ me complectere, Deus, ſecundùm bonitatem tuam: ſecundùm amplitudinem miſericordiæ tuæ dele defectiones meas.* Noli mihi eas tanquam ſeverus Dominus imputare, aut pœnam earum exigere. v. 3. *Multùm lava me à pravitate meâ,* penitùs tolle eam per condonationem ejus factam per mortem Chriſti; *& à peccato meo purifica me;* h. e. abole reatum illum, qui me non modò ſeparat à te, ſed me totum deſtructioni & morti æternæ addicit. v. 4. 2. Confirmationem fiduciæ impetrandi. a. Ab agnitione peccati cum glorificatione Dei, tùm in genere: *Nam defectiones meas ego novi, & peccatum meum coram me eſt ſemper.* v. 5. Tùm in ſpecie de peccato nupero, quod fuerat partim inter Deum ſolum & Davidem; partim inter Deum & proximum ſimul: *Tibi ſoli peccavi, & malum in oculis tuis feci.* h. e. Et verbum tuum contemſi, & inſimul feci in proximo meo adulterium & homicidium, res Deo diſplicentes. v. 6. Item de corruptione naturæ: *Ecce in pravitate editus ſum, & in peccato concepit me mater mea.* Nullo momento, quamdiu fui, abſque peccato & pravitate fui, ne in ipſo quidem conceptionis momento. Sum enim conceptus & natus planè impurus & ſordidus. v. 7. *b.* A ſignificatione Divinæ gratiæ: *Ecce veritate delectatus es in renibus.* Scil. dixerat David, *peccavi Domine*: & Nathan reſpondit: *Deus etiam removit peccatum tuum.* Quod nihil aliud erat, quàm dicere, *Deus videt veritatem tuam in renibus*, quòd ex animo confitearis & deteſteris peccatum tuum, & fide te ad ipſum converias; *& in occulto ſapientiam me facis cognoſcere.* Hoc dicit: Tu verbis tuis per Nathanem mihi allatis ſignificaſti mihi, quòd ut ex animo peccatum meum agnoverim, ita tu quoque transtuleris peccatum meum; atque ego etiam ſentio in me fidem, quâ amplector ſapientiam tuam, per gratiam & efficaciam tuam. Idcirco fiſus illâ duplici teſtificatione tuâ accedo ad te & rogo, ut mihi miſericordiam tuam impertiaris. verſ. 8. Sapientiam porrò illam Dei, quam dicit ſibi notificatam & applicatam, deſcribit. Concernit ea. 1. Expiationem peccati: *Expiabis me* à peccato me abſolves aſpergendo me *hyſſopo & mundabor.* Scil. Hyſſopi aſpergillo tincto ſanguine aviculæ effuſo in aquam vivam aſpergebatur expiandus: Eo & altera avicula, quæ viva erat, intincta, aſperſione peracta, dimittebatur. atque ita fiebat purificatio à leprâ. Lev. 14: 4. 5. 6. 7. Ad eam ceremoniam hîc alludit. Namque & peccatum habet inſtar lepræ, & David ſe peccatorem immundum & impurum profitetur, peccato tanquam leprâ inquinatum; & in Chriſto eſt *aqua*, h. e. obedientia pura & juſtificans, & *ſanguis*, quatenùs pro peccatoribus ſatisfecit; 1 Joh. 5: 6. & *aſperſio* applicationem & imputationem juſtitiæ & ſatisfactionis procul dubio ſignificat. Jam quatenùs Aſpergillum habebat manubrium è cedro, ligno vivaciſſimo & duriſſimo, id ſignificare poteſt Deum Patrem; hyſſopi faſciculus ei alligatus, germinis humilis, quod naſcitur in parietibus, 1 Reg. 4: 32. Chriſtum hominem; & filum purpureum, quatenùs purpura eſt ſanguinis color, & ſanguis eſt vehiculum Spiritus, Spiritum Sanctum. Avicula viva, quæ

tincta, aſperſione peractâ, dimittebatur. Chriſti, qui factus eſt victima, divinam & immortalem naturam ſignificat, quâ etiam concurrit unà cum Patre & Spiritu Sancto ad meritum ſuum applicandum. Senſus igitur eſt: Tu à peccato me abſolves per voluntatem tuam, quæ eſt Dei Patris, Filii Dei & Hominis, & Spiritus Sancti, mihi applicando ſatisfactionem & obedientiam Chriſti. Deinde concernit ſapientia Dei juſtificationis demonſtrationem: *Lavabis me*, effecta peccati, inprimis ſervitutem ejus, tollendo, ut conſtet de ejus remiſſione. Nota: Leproſus purificatus aſperſione ſanguinis & aquæ, inſuper abluebat veſtes. Lev. 14. Ad hunc itaque ritum reſpicit, id quod ſignificat, conſiderans. *& præ nive albeſcam*. Apparebo ſine rugâ & ſine maculâ. non quòd ejus inchoata ſanctitas ita ſit perfecta, ſed quòd ſit teſtimonium juſtificationis perfectæ. vers 9. Tertiò ſapientia Dei concernit gaudium ex juſtificatione: *Audire facies me hilaritatem & lætitiam, exultabunt oſſa, quæ contriviſti.* vers 10. II. Petitio diſtinctior remiſſionis duorum peccatorum adulterii & homicidii & amolitionis effectorum inde conſequentium. Cui petitioni præmittit petionem generalem remiſſionis repetitam; vice tranſitionis: *Averte faciem tuam à peccatis meis* obliviſcere eorum omnium, atque etiam omnem meritam caſtigationem, ſi poſſibile eſt, auferas miſericorditer, vel benignè mitiges ac finias, *& omnes pravitates meas dele*. v. 11. Ipſa petitio reſpiciens ad crimen adulterii, ejuſque caſtigationem, eſt hæc: *Cor purum crea mihi, ô Deus*, regenera, ſanctifica me, *& ſpiritum firmum* animum, voluntatem, firmam, conſtantem, & promptam, *innova in medio mei*. Ita conſerva, ut ſemper nova & recens ſit promtitudo & firmitas. vers 12. *Ne projicias me à facie tuâ*. ne removeas me à regni adminiſtratione, in quâ hactenus tibi ſervivi, quemadmodum Saulem rejeciſti, cum regni commotione & populi magno damno; *& ſpiritum ſanctum tuum* ſpiritum judicii, conſilii, timoris Domini, &c. *ne auferas à me*. Ne ſcil. alia peccata per injuſtitiam rege indignam committam, per quæ reus fiam ſeditionum & tumultuum in populo. v. 13. *Redde mihi hilaritatem ſalutis tuæ; & Spiritus ſpontaneus ſuſtentet me*. Ut præcedenti verſiculo conatur amoliri exilium ſuum; ita hoc verſu petit reſtitutionem: atque propter eam ſuſtentationem in tentatione. vers 14. Finis petitionis: *Doceam defectores vias tuas, & peccatores ad te revertantur*. v. 15. Ad crimen verò homicidii reſpicit in his: *Eripe me à ſanguinibus*, libera & ſerva familiam meam à cædibus quá patiendis, quà inferendis. Hanc petitionem ſuadet tùm à fœdere Dei: *ô Deus, Deus ſalutis meæ*. Tùm à gratitudine ipſius & gloriâ Dei: *Et lingua mea cantabit juſtitiam tuam*. quæ eſt in expiatione peccati, aſperſione conſcientiæ, purificatione peccatoris, donatione juris petendi gaudium ſalutis. v. 16. Hîc 1. Declarat, quid in glorificatione Dei, quam pollicetur, Deo & ſibi tribuat: *Domine, ſi labia mea aperias*, ſi des mihi voluntatem & facultatem & parrheſiam celebrandi te, *os meum indicabit laudem tuam*. vers 17. 2. In quo gloria Dei conſiſtat: *Nam non delectaris ſacrificio; aliàs darem; holocauſtum non accipis*. v. 18. *Sacrificia Dei ſunt ſpiritus fractus: Cor fractum & contritum, ô Deus, non ſpernis*. q. d. Deus, ut non delectatur ſacrificio, ita loco ſacrificiorum delectatur ſpiritu fracto h. e. Deus quum hominem dignatur aſperſione hyſſopi, i. e. imputatione juſtitiæ & ſatisfactionis Chriſti, non requirit ſacrificiorum mactationem, neque holocauſtorum oblationem habet in pretio; ſed dono juſtificationis coordinat tanquam ſacrificium ſibi acceptum, ſpiritum fractum, h. e. abnegationem ſui. Nam talis Spiritus ſive talis animi affectio eſt in adſtipulatione ad ſtipulationem Dei, & per eam Deus glorificatur. vers 19. Porro reſpicit ad pœnam homicidii quatenùs illa conjuncta erat futura cum

populi

populi & politiæ clade, quando petit: *Benefac in benevolentiâ tuâ Sioni, ædifica*, poſt deſtructionem templi & urbi per Babylonios, *muros Hieroſolymæ*. verſ. 20. Fructus petiti: *Tunc* veniente Chriſto ad templum Hieroſolymis exſtans, *delectaberis ſacrificiis* ipſius Chriſti, quæ ſunt ſacrificia *juſtitiæ*, *holocauſto*, *& integro* munere. Notatur, fore, ut ſi Deus conſervet Hieroſolymam, tanquam locum manifeſtandi filii ipſius in carne, ut delectetur victimis ab ipſo offerendis, h. e. perfectâ obedientiâ ipſius, & omnium peccatorum expiatione per ipſum factâ, & ſanctificatione omnium illorum, quæ dedit ipſi Pater, ad gloriam ipſius. *Tunc aſcendent in altare tuum juvenci*. Tunc in nomine filii, in quo tibi complacuit, offerentur tibi, non juvenci mortui & muti, ſed ſacrificium rationale, quod conſtat animæ ſenſu & affectu. verſ. 21.

ARTICULUS XXX.

REgi pœnitenti propriæ quidem mortis remiſſâ pœnâ, tamen ad ſanctificationem nominis Divini denunciaverat Propheta, quod gladius à domo ipſius non eſſet receſſurus, & quod ex domo ipſius quidam coram Sole cum uxoribus ipſius eſſet congreſſurus. Hoc igitur cùm ſine præſentis ſtatus concuſſione fieri non poſſet, excitavit Deus ipſi adverſarium filium Abſalomum, à quo ſeditione factâ pulſus, ſeceſſit in exilium. 2 Sam. 15: 16: 17: 18:

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque David factus eſt ſubjectum proximum Pſalmi 3. quod patet ex titulo: *Pſalmus Davidis, quum fugeret à facie Abſalomi filii ſui*. verſ. 1. I. Queritur de inimicorum multitudine & triumpho: *Jehovah, ut multiplicati ſunt hoſtes mei!* infeſti, vim intentantes atque undiquaque oppugnantes. *Multi ſunt, qui in me inſurgunt*. Qui conantur, me dejecto, invadere in locum meum, vel alios in eo collocare. Talis Davidi Abſalom, Achitophel, & cœteri ejus ſectæ. verſ. 2. *Multi dicunt de animâ meâ*; *Non eſt ipſi ſalus in Deo. Selah*. Multi, etiam vulgò ita de ſalute meâ ſentiunt. Sic David fuit damnatus à Simei, 2 Sam. 16: 18. & deſertus à toto Iſraële, ut homo meritus detrudi ſuis peccatis à throno. de quo agitur 2 Sam. 12: 11. II. Gloriatur in Deo. 1. de protectione adverſus vim hoſtilem: *At tu, Jehovah, es clypeus pro me*. Tueris me, & tuam manum ac potentiam opponis furori hoſtium, qui infeſtant me. Ita David ab hoſtibus ſuis tutus fuit. 2. de exaltatione, adverſus æmulos: Tu, Jehovah, es *gloria mea*. Ad tuam gloriam administro regnum, & tu es auctor & vindex gloriæ, quam habeo in regno tuo. A te enim electus & unctus ſum. 3. De ſuâ fiducia contra judicium vulgi de ſe: *& tu, Domine, es extollens caput meum*. h. e. facis me plenum ſpei, fiduciæ & παῤῥησίας. Fiducia Davidis in maximâ ejus humiliatione apparuit, quem non puduit vel ſuſtinere pœnam peccati ſui, vel injuriam inimici, & filium tanti peccati reum tam anxiè amavit, & omninò in nullâ re de judicio & voluntate Dei murmuravit. verſ. 4. Hanc porrò gloriationem confirmat ab experientiâ. quâ fretus teſtatur, ſe nihil timere in maximo diſcrimine. verſ. 5. 6. 7. *Voce meâ ad Jehovam clamabam, & reſpondit mihi à monte ſancto ſuo*. David reſponſum acceperat 1. per Prophetam Nathanem, qui ei denuntiaverat, peccatum ejus ablatum eſſe, & etiamſi carnaliter

ter

ter caſtigandus foret, non imputatum iri tamen. 2. In conſcientiâ ſuâ. Cujus tranquillitas in totâ fugâ multis ſignis manifeſtatur. Præcipuè verò cùm diſcederet ab arcâ & monte Dei, (2. Sam. 15: 25.) & deinde oraret Deum, ut infamare vellet conſilium Achitophelis, (2. Sam. 15: 31.) exauditus eſt: ut eventus comprobavit. verſ. 5. *Ego cubui & dormivi & evigilavi: quia Jehovah ſuſtentabat me.* Davidis tranquillitas & ſecuritas in fugâ his verbis intelligitur: quæ mirabilis fuit. quâ etſi nihil ageret, vel agere poſſe videretur, Deus tamen ſuſtentavit ipſum, ne inſurgentibus ſuccumberet. verſ. 6. *Non timeo à myriadibus populi, quæ circumquaque metantur contra me.* Populum dum vocat, intelligit cœtum hominum, qui habent aut videntur habere fœdus cum Deo. Neque eſt novum, ut populus Dei ὁ κὰ δι-ξω κὰὶ καταχρηστικῶς ita dictus, regi à Deo conſtituto rebellet. Quod patet ex hiſtoriâ Davidis. verſ. 7. III. Petit tùm judicium Dei, tùm ſalutem; *Surge, Jehovah,* ad exſequendum judicium, *ſalva me,* ab hoſtibus meis & inſurgentibus præſta me tutum & ſecurum, & ſtatum meum in melius muta, meque benedictionibus gratiæ cumula, *Deus mi.* Ratio petendæ ſalvationis, ipſum exordium judicii, quo demonſtravit; ſe Deum orantis eſſe. *Nam percuſſiſti omnes inimicos meos in malâ.* plagâ affeciſti ignominioſâ. Ita, quum Achitophel conſilium dediſſet de polluendis patris pellicibus, Dei ſάπορος fuit. Eo enim facto fœtorem contraxerunt conjurati apud Deum & homines. Sic, quum idem Achitophel, conſilio ejus ſpreto, vim ſibi attulit. *Dentes improborum confregiſti.* ademiſti iis anſam & inſtrumenta nocendi. verſ. 8. IV. Gratias agit cum δοξολογίᾳ: *Domini eſt ſalus. Super populum tuum eſt benedictio tua. Selah.* verſ. 9.

§. 2. Competit eidem ſubjecto & ſtatui Pſalmus 6. quatenùs eſt communis quaſi formula humiliationis omnium ſanctorum, quoties ſenſu iræ Dei ob peccata afficiuntur, & cum terrore mortis, non tam hujus carnis, quam animæ, luctantur: Cujusmodi luctam non modò David, ſed omnes Sancti Veteris Teſtamenti, qui hæreditatem terrenam, & annexa ei bona, ut pignus cœleſtium tenebunt, ſub ſervitute legis præcipuè verò in anguſtiâ & afflictione carnis, ut perſecutione hoſtium; exilio & diſperſione, conſtituti, ſæpiùs ſuſtinuere. Continet hic Pſalmus I. Humiliationem in duplici luctâ. 1. cum timore aut ſenſu iræ Dei: Hanc *a.* deprecatur: *Jehovah, ne in irâ arguas me.* nolis mecum agere ſecundùm meritum peccati, de cujus demonſtratione per afflictionem agitur; *& ne in calore tuo,* ad vindicationem læſæ tuæ majeſtatis, *caſtiges me.* tanquam ſervum. verſ. 2. *b.* Gratiam implorat: *Gratiam fac mihi, Jehovah.* Meritò peccati opponit benignitatem impromeritam. Cauſa impulſiva gratiæ: *Nam languidus ſum.* Ita irâ tuâ & præ triſtitiâ ac mærore exhauſtus ſum, ut nullus in me ſit vigor. *Sana me, Jehovah.* Opponit caſtigationi in excandeſcentiâ ſanationem, h. e. reſtitutionem in integrum. Ratio ducitur ab infirmitate: *Nam conturbata ſunt oſſa mea,* tota corporis mei compages ſoluta eſt, ut nequeam me ampliùs ſuſtentare. verſ. 3. *Et anima mea conſternata eſt valdè.* Non modò exhauſtus langueo, non modò ſpiritus ad ſtatum & motum corporis non ſufficit, ſed vix ad vitam. verſ. 4. p. p. 2. Cum dilatione auxilii. *Et tu, Jehovah, quouſque?* Scil. ſic ages mecum, & differes me ſanare. Si paulò diutiùs exſpectaveris, actum erit de me. verſ. 4. p. 4. *Convertere, Jehovah,* ac muta propoſitum. Specialiùs petit: *Expedi animam meam,* h. e. vitam meam periclitantem & cum morte confligantem ex illo diſcrimine libera. *Serva me.* redde mihi vitam, ſalutem, incolumitatem, vires, conſolationem, lætitiam. Rationes: *a.* A ſufficientiâ Dei, ſive abundantiâ bonitatis & miſericordiæ; *Propter gratiam tuam.* verſ. 5. *b.* A glo-

b. A gloriâ Dei: *Nam non eſt in morte recordatio tui.* Si me permittas ſuperari à morte vel corporis, vel à miſeriâ æternâ, & animæ & corporis, cum quâ certamen ei eſt, qui cum irâ Dei & dilatione auxilii luctatur, non erit tui recordatio, & tu debito tuo privaberis. *in inferno* h. e. poteſtate & regno mortis cùm naturalis tùm ſpiritualis, *quis confitebitur tibi?* quis gratias aget tibi & glorificabit te? Peribit & intercidetur omnis gratiæ & bonitatis tuæ fructus & effectus, neque hac ex parte ab ullo laudaberis. verſ. 6. *c.* A ſui humiliatione: *Fatigatus ſum ſuſpiriis meis, fœdo* vel *natare facio totâ nocte lectum meum.* ἀλύω, non quieſco, ſed jactor, & manante affatim ſudore, videor natare in lecto meo totâ nocte; quod tempus quietis eſt: *Lachrymâ meâ ſpondam meam liqueſeci.* Hyperbolica locutio; q. d. Si quis ita fleret, ut lachrymis ſuis ſpondam liquaret, majorem in animo ſuo triſtitiam, dolorem & mœrorem habere non poſſet. verſ. 7. *Corroſus eſt oculus meus præ ægritudine:* Impietas hominum, & quæ vidi fieri in profanationem nominis tui, fuerunt mihi ſpinæ & ſudes in oculo; *eduruit inter omnes hoſtes meos.* Quia jamdudum nihil gratum video, oculus meus propemodum hebet & ſtupet, tanquam ſi lapis eſſet, & ſine ſenſu. II. Erectionem. 1. in hoſtium objurgatione: *Recedite à me, omnes operarii vanitatis.* Eſt ſignificatio contemtus illorum & denunciatio pudoris. q. d. Æquo animo fero veſtram vel receſſionem vel damnationem ac excluſionem veſtri. Nec tantùm: Sed etiam me vos, ſi veniatis ad me, non recepturum declaro, quippe qui non afferatis doctrinam, quæ eſt ſecundùm pietatem. Ac denique nihil vos manet præter pudorem & confuſionem & διχοτομίαν ac ſeparationem à cœtu juſtorum æternam. Objurgationem hanc confirmat à favore Dei, quem jam compererit in exauditione ploratus ſui; & ſupplicationis ſuæ, unde argumentum facit, Deum & in poſterum orationem ſuam accepturum: *Nam audivit Jehovah vocem ploratus mei.* reſpexit humilitatem, pœnitentiam, diſplicentiam malorum & dolorem ex ſenſu miſeriæ meæ, zelum gloriæ ſuæ; qui omnis affectus lachrymas exprimere ſolet. verſ. 9. *Audivit Jehovah ſupplicationem meam.* de quâ verſ. 2. & 3. *Jehovah orationem meam accipiet.* Et, ut juſtus judex, contra hoſtes pro me ſententiam dicet, ac judicium ſuum incunctanter exſequetur. Quare recedite à me, & date gloriam Deo. verſ. 10. 2. In Triumpho fiduciæ de hoſtibus. Is geminus eſt: *a. Pudefient & conſternabuntur vehementer omnes inimici mei.* ob fruſtrationem conſilii ſui ſcil., & victoriam Dei. *b. Redibunt, pudefient* h. e. iterùm, denuò pudefient *momento.* Quum ſe recollegerint à pudore & conſternatione priore, & iram majorem conceperint, tum denuò pudefient; eritque hic pudor eorum ſubitus, neque diu differetur. verſ. 11.

§. 3. Ad idem ſubjectum atque argumentum commodè referri poteſt Pſalmus 38. In quo eſt oratio caſtigati & oppreſſi pro remiſſione & mitigatione pœnæ & auxilii. Partes ſunt I. Propoſitio: *Jehovah, ne in fervore tuo coarguas me,* pœnâ magnitudinem peccati æquante, *& ne in ardore tuo,* ut tuâ majeſtate dignum eſt, quæ requireret, ut nunquam fieret gratia, licet ego penitùs inteream, *caſtiget me.* verſ. 1. II. Illuſtratio à cauſa impulſiva petitionis, quæ eſt ſenſus iræ Dei: *Nam tela tua defixa ſunt in me, & deſcendit in me manus tua.* Eminùs, cominùs me affligis. verſ. 2. *Non eſt integrum in carne meâ propter ſeveritatem tuam: non eſt pax in oſſibus meis propter peccatum meum.* Senſus: Ita infirmus ſum, ut videantur omnia oſſa mea medullis exhauſta, luxata ab invicem, aut fracta eſſe. verſ. 4. conf. Pſal. 6. verſ. 4. III. Suaſio petitionis. 1. A gravitate peccatorum, pro quibus ſatisfaciendo non ſint vires humanæ; *Nam pravitates meæ excedunt caput meum; ut onus grave,*

graviores ſunt præ ut ego ſuſtineam. verſ. 5. Demonſtrat hanc impotentiam ex malis jam acceptis, & comparatione eorum cum minore reatu. Primus gradus: *Fœtent, putent tumices mei, propter ſtultitiam meam.* Plagas accepi, quas natura ſanare nequivit, idque quia aliquid per levitatem & incogitantiam egi. Secundus gradus: *Diſtortus ſum, incurvatus ſum valdè.* à languore corporis non intermittente. *Omni die* Malo non intermittente, ſed quotidie augeſcente, *atratus inceſſi.* In ſignum animi triſtis & contriti. verſ. 7. Tertius gradus: *Nam ilia mea repleta ſunt ſpurcitate, & non eſt integritas in carne meâ.* Omnes partes corporis mei corruptæ ſunt denique adeò, ut & circa & infra renes ipſos, quod è minimè vitalibus eſt, ſit putor & ſanies & ſpurcities. verſ. 8. Quartus gradus; in quo junguntur, extrema debilitas corporis: *Dirigui & comminutus ſum* ſive *enervatus valde.* ob defectum ſpirituum. Sonora reſpiratio: *Rugivi à fremitu meo.* Rhonchos duxi, quales ſolent extremè debiles & moribundi. verſ. 7. Votum anxium animi: *Domine, coram te eſt omne votum meum, & gemitus meus à te non abſconſus eſt.* Votum à dolore excitatum cum gemitu ſine effectu ſignificatur. Ne animus quidem ergo integer fuit, aut compos ſolatii. verſ. 10. Vertigo & deliquium animi, atque lucis oculorum: *Cor meum rotatum eſt, deſeruit me vis mea, & lux oculorum meorum, etiam illorum, non fuit mecum.* Senſus motuſque ablatus eſt. Proximè mortem fui. Et hæc à levi ſtultitiâ. Quid, ſi Deus pœnam omnium pravitatum velit exigere verſ. 11? 2. A ſcandalo ex calamitate ſuâ. *a.* Apud amicos: *Amantes me & ſocii mei longè contra plagam meam ſtant: & propinqui mei eminùs ſtant.* verſ. 12. *b.* Apud malevolos: *Et imminent quærentes animam meam, & quærentes malum meum loquuntur nequitias, & fraudes omni die meditantur.* Sunt, qui cupiunt ſublatum; ſunt qui afflictum. verſ. 13. Amplificatur hoc ſcandalum, quòd non poſſit ſeſe defendere & veritati teſtimonium dicere: *At ego, ut ſurdus, quaſi non audirem; & ut mutus, qui non aperit os ſuum.* verſ. 14. *Et extiti, ut vir qui non audit & in cujus ore non ſunt argumenta.* verſ. 15. *Nam ad te, Jehovah, ſperavi. Tu reſpondebis, Jehovah, Deus mi.* Hæc cauſa ſilentii prima. Spes nim., Deum pro ſe calumniis reſponſurum. verſ. 16. Altera cauſa ſilentii: *Nam dicebam: Ne lætentur de me, qui, nutante pede meo, contra me magnificârunt.* verſ. 17. *Nam ego ad claudicationem paratus ſum, & dolor meus eſt coram me ſemper.* Scil. infirmitas, dolor & timor lapſus impedit conteſtationem veritatis & παῤῥησίαν. verſ. 18. 3. A gloriâ Deo redditâ per indicationem & deteſtationem peccati: *Nam pravitatem meam indico, formido peccatum meum.* verſ. 19. 4. Ab inimicorum injuſtorum δυνάμει, & augeſcente cùm copiâ, tùm injuriâ: *Sed inimici mei vivi invaleſcunt, & multiplicantur, qui me oderunt ob falſimoniam.* verſ. 20. *Et reddentes malum pro bono adverſantur mihi, pro eo, quod ego perſequor bonum.* IV. Concluſio petitionis: *Ne relinquas me, Jehovah, ne longè à me abſis.* verſ. 22. *Feſtina ad auxilium meum; Domine, ſalus mea.* verſ. 23.

§. 4. Convenit denique huic ſtatui Davidis oratio Pſalmi 51: verſ. 13. & 14. *Ne projicias me à facie tuâ,* ſicut projeciſti Saulem, *& ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Sicut eum abſtuliſti à Saule. *Redde mihi hilaritatem ſalutis tuæ;* h. e. lætitiam & hilaritatem ob ſalvationem Dei ex omni periculo & certamine: *& ſpiritus ſpontaneus ſuſtentet me.* quò poſſim ferre hanc tentationem cum patientiâ & gaudio. Quæ voluntas ſatis etiam in Davide toto exilii tempore apparuit.

ARTICULUS XXXI.

RESTITUITUR rex in integrum: & gratias agit Deo pro reſtitutione.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ita factum, quod oraverat: *Surge, Jehovah, ſalva me, Deus mi. Nam percuſſiſti omnes inimicos meos in malâ; dentes improborum confregiſti.* Pſ. 3:8. *Gratiam fac mihi, Jehovah; ſana me, Jehovah.* Pſ. 6: 3. *Audivit Jehovah vocem ploratus mei. Audivit Jehovah ſupplicationem meam, Jehovah orationem meam accipiet.* Ibid vers 9: 10. *Pudefient & conſternabuntur vehementer omnes inimici mei; redibunt, pudefient, momento.* Ibid. v. 11. *Ne relinquas me, Jehovah, ne longe à me abſis. Feſtina ad auxilium meum; Domine, ſalus mea.* Pſ. 38: 22. 23. *Redde mihi hilaritâtem ſalutis tuæ.* Pſal. 51: 14.

§. 2. Gratiarum actionem vide Pſalmo 3: v. 9. *Domini eſt ſalus. Super populum tuum ſit benedictio.* Et Pſalmo 30. toto: quod indicat Titulus: *Pſalmus, carmen initiationis domus, Davidis.* Quum nim. ab exilio reverſus domum ſuam initiaret, h. e. iterùm eâ uti inciperet, in ſententiam eam, quæ hoc Pſalmo expreſſa eſt, Deo gratias egit pro reſtitutione. Partes. I. Gratiarum actio. In quâ. 1. Votum ſive promiſſio debiti officii: *Superexaltabo te, Jehovah.* Æſtimabo & prædicabo te ſupra omnia. 2. Indicatio beneficii. *Quod me ſursùm extraxiſti*, tanquam ex profundis locis. 3. Beneficii illuſtratio. *a.* A mali averſione: *& non affeciſti inimicos meos lætitiâ de me.* vers 2. *b.* A facili & benignâ ope: *Jehovah, Deus mi, imploravi te, & ſanâſti me.* h. e. reſtituiſti me, reſarciviſti ſtatum meum. vers 3. Conf. Pſ. 6: 3. *c.* A malo, unde ereptus: *Jehovah, eduxiſti ex inferno animam meam; vivificâſti me, ne deſcendam in foveam.* Primum de terroribus animæ & conſcientiæ in caſtigatione ipſius; alterum de periculo vitæ animæ & corporis, illius, propter peccatum, hujus, propter vim rebellium, accipere licet. v. 4. II. Beneficii ad uſum publicum tranſlatio. Hoc fit. 1. Præceptione: *Pſallite Jehovæ, pii ejus, & confitemini ad memoriam ſanctitatis ejus.* Vel *ad nomen* ſ. *nomini* ejus. Poteſt etiam, *ad memoriale ſanctum ejus.* h. e. ad templum, ubi memoriam nominis ſui conſtituerat. v. 5. 2. Inſtitutione, quâ præcepti ratio pandìtur in theſi: *Nam momentum eſt in irâ ejus.* Iram vocabant Sancti ſub Veteri Teſtamento, afflictionem & caſtigationem; non, quòd putarent, Deum ſibi reverâ pœnas irrogare; ſed quia, quemadmodum etiam Apoſtolus dicit. Rom. 4: 15. *Lex iram operatur. Ubi enim non eſt Lex, nec transgreſſio.* Significans, legem publicè promulgatam eſſe teſtimonium reatus & transgreſſionis nondum expiatæ; Ita afflictiones & caſtigationes iræ deputabantur, quippe habentes conjunctam exprobrationem peccati & reatus adhuc manentis. *Vita in benevolentiâ ejus. Veſperi adeſt fletus & manè jubilum.* Ita citò momento ira in benevolentiam vertitur. vers 6. 3. Probatione inſtitutionis in hypotheſi. Hîc, *a.* Narrat tùm caſum ſuum: *Et ego dixeram in tranquillitate meâ, Non movebor in æternum.* vers 7. *Jehovah, quem per benevolentiam tuam conſtituiſti in monte roboris, ſimul abſcondiſti faciem tuam, extiti conſternatus.* vers 8. Caſus eſt à ſtatu fundato, à ſecuritate, à benevolentiâ, in conſternationem & abſconſionem faciei Divinæ, & quidem cæler. Tùm precationem ſuam: *Ad te, Jehovah, clamabam, & ad Jehovam ſupplicabam.* v. 9. Formula precationis ſubnectitur, quæ habet. 1. Rationem ab inutili; *Quæ utilitas in ſanguine meo, ſi deſcendero in foveam;* A damno:

Numquid

Numquid confitebitur te pulvis, numquid indicabit veritatem tuam? vers 10. Conf. Pſ. 6: 6. 2. Petitionem: *Audi Jehovah, & gratiam fac mihi. Jehovah, exiſte auxiliator mihi.* Cum duobus malis conflictabatur; Terrore conſcientiæ, & rebellium perſecutione. Huc poſterius colon, illò prius referri poteſt. v. 11. Tùm & reſtitutionem ſuam: *Vertiſti planctum meum in tripudium mihi; ſolviſti cilicium meum, & cinxiſti me lætitiâ.* h. e. calamitatem omnem & miſeriam, in quâ eram ſuſtuliſti, meque reduxiſti domum meam, ad regnum & ad arcam tuam. Tùm etiam dolorem meum ob peccatum meum convertiſti in lætitiam ex remiſſione illius. v. 12. 6. Docet finem, quare Deus ſecum, & cum aliis, ut ſuprà. vers 6. Oſtenderat, tam benignè ageret, tamque promtè invocantibus ſubveniret: *Ut te pſallat gloria*, h. e. maxima multitudo hominum diligentium te, *& non conticeſcat.* verſ. 13. p. p. III. Concluſio per promiſſionis ſive voti repetitionem: *Jehovah, Deus mi, in ſæculum confitebor te.* Quamdiu vivam ſcil. perpetim, & ſine mutatione propoſiti, quocunque in ſtatu ſim. vers 13. p. a.

ARTICULUS XXXII.

DAvid in ſenectute in templo publicè coram Eccleſiâ Deo pro omni ope & benignitate gratias agit. 2 Sam. 22:

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque perpetuo uſui Eccleſiæ ſcripſit & Synagogæ tradidit Pſalmum tunc pronunciatum, qui ordine eſt 18. atque etiam exſtat 2 Sam. 22. quanquam, prout Eccleſiæ traditus eſt, fortaſſe magis ad Chriſtum pertineat, quàm ad Davidem; prout in hiſtoriâ exhibetur, à Davide in conſideratione ſui magis, quàm analogi, ſit pronunciatus. Nos ſententiam iſtius Pſalmi paucis hîc enarrabimus. Titulus: *Præfecto, Davidis ſervi Jehovæ* Pſalmus, *qui locutus eſt* publicè in templo *verba* h. e. ſententiam verborum *carminis hujus, illo die, quum eripuiſſet Jehovah ipſum ex manu omnium inimicorum ejus, &* h. e. præſertim *ex manu Saulis.* v. 1. *Et dixit.* Partes Pſalmi quatuor. I. Propoſitio. In quâ 1. Profeſſio affectus ſui erga Deum: *Diligo te Jehovah.* 2. Complexio ſummaria cauſarum iſtius affectus. Quæ ſunt beneficia Dei erga ſe. *a.* Intima; nim. corroboratio: *Jehovah, firmitas mea.* *b.* Externæ gubernationis, reſpectu adverſariorum, à principio ad finem. Hîc exponitur. 1. Varietas illius gubernationis, in octuplici gratiæ Dei differentiâ. *Petra mea*, cujus præſidio tutus fui ab omni vi adverſarii; *& Arx mea*, præſtans mihi latebram & *ἀσφάλειαν* in perſecutione; *& liberator meus*, adjuvans fugam meam, quò exirem è diſcrimine & clade; *Deus meus*, vel *potens meus*, ſuppeditans ſpiritum vitæ ac virium ad perſiſtendum in magnâ tentatione; *rupes*, *ad quam recipio me.* Ut hoſtibus me circumvallantibus non dejiciar; *Clypeus meus*, defenſor adverſus hoſtes; *& cornu ſalutis meæ*, quod profugatione & diſſipatione hoſtium meorum præſtat ſalutem mihi; *ſublimis locus meus.* Id in quo conſtitutus hoſtibus non modò ſim ſuperior, ſed multò ſuperior, adeóque ſublimis, ut attingere non poſſint. Hæc Davidis ſtatibus ex ordine conveniunt. verſ. 3. 2. Una perpetua ratio ſalutis obtinendæ in omni gubernationis varietate: *Laudandus, clamabam, Jehovah; & ab inimicis meis ſalvabar.* Me tantum præconium faciente, ſtatim ſalvatus ſum. v. 4.

§. 2. II. Exergaſia, ſive illuſtratio Divini adjutorii. Hîc 1. Anguſtia. Cujus quatuor gradus. *a. Ingruerunt mihi dolores mortis.* h. e. Dolores tam vehementes, qui

qui vitam intercipere poſſent, confertim, & longâ ac denſâ ſerie mihi incubuerunt. Notantur omnes infirmitates, miſeriæ, & ærumnæ, quas David in omni vitâ perpeſſus eſt. *b. Torrentes Belial*, h. e. nequitiæ, vel τοῦ πονηροῦ. Intelligit cumulum atque onus peccatorum ſuorum, *perterrefaciebant me.* Pii aliquando ſentiunt illud onus, &, quoties labuntur, ſeriò ipſos pudet peccati ſui. vers 5. c. *Dolores inferni*, animæ vitâ ſuâ ſpirituali privatæ, *circumdederunt me. d. Occurrerunt mihi laquei mortis.* h. e. incidi in laqueos mortis. Hæc Phraſis in Davide notat ſummum & inevitabile periculum; quale erat, quum Saul ab unâ, David ab alterâ parte montis eſſet, vel quum inter Philiſtæos ageret & agnoſceretur dux Iſraelitarum, qui Goliathum occiderat. vers 6. 2. Medium ad liberationem ex anguſtiâ. *a.* Preces. *Quum arctum mihi eſſet, vocabam Jehovam, & ad Deum meum quiritabar. b.* Divina precum acceptatio: *Audiebat à templo ſuo*, i. e. cœlo, *vocem meam, & imploratio mea coram ipſo venit in aures ejus.* vers 7. 3. Auxilium, in quo judicium ſpectatur. Hic ὑποτυποῦται ſermone ἐσχηματισμένῳ. *a.* Ira Dei in adverſarios demonſtrata antè decretorium judicium. Eſt climax, in quo aliquot gradus ut iræ, ita & ſignorum iræ. 1. Motus terræ à diſplicentiâ: *Et ſatiſcebat ac contremiſcebat terra; & fundamenta montium commovebantur; & convellebantur; quia ægrè erat ipſi.* Is terræ motus tempore Davidis non eſt factus, quod conſtet ex hiſtoriâ. Poteſt tamen, ut & reliqua, ad Davidem referri κατ᾽ ὑπερβολήν, nim. ut ſignificet, Deum ſibi tam potenter & evidenter ſuccurriſſe, non aliter, ac ſi iſta omnia unà facta eſſent, & ſuam liberationem tam inſignem fuiſſe ac glorioſam Deo, atque Iſraelitarum ex Ægypto eductionem, in quâ pleraque ita quaſi literaliter & ad oculum geſta ſunt. vers 8. 2. Fumus & ignis ab irâ: *Aſcendit fumus ab irâ.* Superiori verſu labefactatio indigitatur per diſplicentiam: Ei ſuccedit conſumptio per iram. Ejus inchoatæ ſignum eſt fumus; *& ignis ex ore ejus vorabat.* Hoc notat conſumtionem evidentiorem & ampliorem; *prunæ ardebant ab ipſo.* q. ab ipſius contactu pars ligni, ſ. populi, exurebatur in prunas, mox redigenda in cineres. vers 9. *b.* Appropinquatio Dei ad exercendum judicium cum apparatu. Eſt autem ea appropinquatio duplex. 1. Deſcenſio à ſupremo cœlo: *Et inclinavit cælos, ac deſcendit*, viſitaturus hoſtium ſuorum ſcelera, & ſeipſum ac potentiam ſuam, quam contempſerant, ipſis monſtraturus. Apparatus deſcendentis: *Et caligo* triſtitiæ & angoris ſpectantium ipſum & opera ejus; *erat ſub pedibus ipſius.* vers 10. 2. Volatus: *Et inſidebat Cherub & volabat; & ferebatur alis venti.* Cum omni exercitu angelorum & miniſtrorum ſuorum, cum omni gloriâ ſuâ in conſpectum venit inopinatò & ſubitò, celerrimoque impetu omnes illos viſitavit, ubique terrarum. vers 11. Apparatus ſive habitus volantis: *Ponebat tenebras latibulum ſuum, imò circa ſe tugurium ſuum*, ne aſpiceretur facies ipſius, & ne aditus eſſet ulli clamori, ullisque precibus; *nimirum obſcuritatem aquarum, imò nubes nubium.* q. d. craſſiſſimas ac denſiſſimas nubes, unde tonitrua, fulmina, grandinesque ponderoſæ exſpectandæ. Significatur ſubtractio favoris, gratiæ, benedictionis in ſpiritualibus; concuſſiones, conturbationes, calamitates, terrores exſpectationem graviorum minantes. v. 12. *c.* Decretorii judicii inſtantis ſignificatio; per 1. Grandines & fulgetra: *A fulgore coram ipſo nubes ejus perrumpebant grandines & prunæ ignis.* Notantur ſubitæ, univerſales, & horribiles plagæ. vers 13. 2. Tonitrua & voces cum grandine & fulgetro: *Et tonabat in cælis Jehovah, & altiſſimus edebat vocem ſuam, grandines & prunas ignis.* vers 14. *d.* Judicium ipſum. quod eſt. 1. Iræ, in Supplicio irrogato: *Et mittebat ſagittas ſuas* id eſt, Fulmina, *& diſſipabat illos*, ſtrage editâ: *Fulgura jaculabatur, & conturbabat illos.*

los. Oculos ipſorum & animos præſtrinxit, itaque conturbavit, ut unus in alterum offenderet, & pariter corruerent. v. 15. Et ſupplicii effectu: *Et apparebant alvei aquarum,* ut quondam in mari rubro & Jordane; *& retegebantur ſundamenta orbis,* h. e. ſubſtructiones littorum & crepidinum ex imo fundo maris, *ab increpatione tuâ, Jehovah; ab hâlitu ſpiritus naris tuæ.* Intelligit ſublationem,. abolitionem & compreſſionem potentiæ tùm in Eccleſiâ tùm extra eam, illius, ut terræ viventium, peſtem quærentis. v. 16. 2. Gratiæ. quæ eſt Davidis liberatio. Ea exponitur ſeptem modis. *Mittebat ex alto* aliquid, puta manum, vel nubem, *accipiebat me.* Hic primus modus eſt. Secundus: *Extrahebat me ex aquis multis.* Ex poteſtate Satanæ, peccati & mortis, maledictione & irâ Dei. vers 17. Tertius: *Eripiebat me ab Inimico meo robuſto.* nim. Diaboli & ſervorum ejus. Quartus: *Et ab oſoribus meis, quum prævalerent mihi.* nim. ab hypocritis & hæreticis, qui averſantur & fugiunt unionem mei. vers 18. Quintus: *Occurrebant mihi* oſores alii, *in die calamitatis meæ; & fuit Jehovah in fulcrum mihi.* ne ſeducerer & perverterer cum cæteris, neque etiam ab illis exſtirparer. vers 19. Sextus: *Et educebat me in latum,* è regno & poteſtate oſorum abduxit me, inque eo ſtatu poſuit, in quo poſſim liberè ſervire Deo. Septimus: *Liberabat me.* Sive expediebat ex omnibus difficultatibus. Communis ratio omnis liberationis: *Quia delectabatur me.* vers 20.

§. 3. III. Laus Dei. Hujus ſcopus eſt, ut Deus ex opere ſuo cognoſcatur & colatur. Uſus igitur beneficii & auxilii Divini jam expoſiti hic eſt. Hîc 1. Judicium Dei laudatur, ut rectum. *a.* Ex parte liberati, à juſtitiâ in præmio reddendo pro obedientiâ & fide. Hoc 1. Proponit generatim: *Tribuebat mihi pro juſtitiâ meâ; pro puritate manuum mearum reddebat mihi.* 2. Speciatim aliquot modis exponit. *Nam ſervavi vias Jehovæ,* vias ab eo præſcriptas & delineatas tenui, *& non improbus factus ſum à Deo meo,* non per incredulitatem Dei juſtitiam rejeci. vers 22. *Nam omnia judicia ejus,* tùm quibus declarat, quid ſit rectum & Deo placens ad vitam & juſtitiam, tùm quibus præmium aut pœnam diſtribuit; *fuerunt coram me ſemper, & ſtatuta ejus* doctrinam illam, cui nihil addi demique poteſt, qualis eſt doctrina beneplaciti Dei in Chriſto, & leges rituales eam figurantes, *non removi à me.* vers 23. *Et exiti integer cum ipſo.* non adjunxi ipſi homines, quos amarem, timerem, quibuſquè crederem aut fiderem; *& cavi mihi à pravitate meâ.* Ad quam tentabar, & opportunitatem habebam. vers 24. *b.* Ex parte adverſâ in contentione partis liberatæ. Hic eſt. 1. Tranſitio per concluſionem præmiſſæ laudationis in hypotheſi: *Et* h. e. ergo, *reddidit Jehovah mihi ſecundùm juſtitiam meam, ſecundùm puritatem manuum mearum coram oculis ipſius.* vers 25. 2. Tranſlatio hypotheſeos ad theſin, quâ oſtenditur cauſa retributionis præexpoſitæ, & æquitas vindictæ ſubjungendæ. Ea cauſa eſt laudabilis Dei συγκαταβάσεως erga homines ſui amantes, ita ut excludatur dignitas humana. Hæc tribus gradibus exponitur. *Cum pio pium te geris,* diligis diligentes te; *cum viro integro integrum te geris.* illos, qui te etiamſi non perfectè, ſincerè tamen unicum timent, non aſpernaris aut negligis. vers 26. *Cum purificante ſe purum te præbes.* Illi declaras puritatem tuam, quò magis ſe purificet à ſordibus hujus ſæculi. 3. Oppoſitio juſtiſſimæ & laudabilis adverſationis contra malos: *Et* vel *At cum diſtorto* inſtabili, difformi, tibique diſſimili, *contortum te præbes.* Ut illi tortuoſus, præfractus, & intractabilis videare magis magisque, ut illius rationes à ratione Dei magis magisque declinent. vers 27. Porrò hanc rationem agendi, cum piis benignè & cum perverſis tortuosè, demonſtrat à gubernationis Dei admirabilitate, ſenſibus, judicioque & exſpectationi hominis illudente. Et hujus

gradatio

gradatio eſt: *Nam tu populum inopem ſalvas, & oculos elatos deprimis.* verſ. 28. *Tu lucere facis lucernam meam*, quæ mihi allucet, ut cognoſcam veritatem & non abducar à Deo, & quâ luceo in mundo, ut luminare; *Jehovah, Deus meus, ſplendore illuminat tenebras meas.* In ſummis anguſtiis, in dubitatione, in regno Satanæ Deus me illuminat, imò ſeipſum prodit & manifeſtat nomen ſuum. verſ. 29. *In te curro turma* h. e. turmatim, ut expeditus miles paratus ad confligendum cum hoſte; *& in Deo meo inſilio murum*, ipſum munimentum adverſariæ potentiæ, & expugno. verſ. 30. *c.* Ex parte judicantis, ubi virtus Dei in judicio teſtata, ut cauſa ejus, allegatur. nim. Dei I. Conſtantia: *Deus, integra eſt via ejus.* nullâ mutationis vel umbrâ. II. In ſermone infallibilitas: *Dictum Jehovæ eſt conflatum.* ita purum, ut ei nihil demi poſſit tanquam ſcoria ſuperflua; ita perfectè bonum, ut omnis ejus mutatio ſit bonitatis ejus corruptio & vitiatio. III. Εὐδοκία ἀπροσωπόληπτος: *Clypeus eſt omnibus recipientibus ſe ad ipſum.* h. e. Salvator credentium, & quidem omnium, ut nemo ob conditionem vel vilitatem externam excludatur. 2. Gloria Dei aſſeritur. Vide a. Theſin, quâ gloria ipſi vindicatur: *Nam quis eſt Deus, niſi Jehovah? Et quis eſt rupes, præterquam Deus noſter?* Solus eſt Deus, h. e. ſolus habet ſufficientiam ad miſerandum, liberandum, juſtificandum, glorificandum peccatorem. Solus eſt rupes, h. e. firmamentum, adjutorium, & immobile columen omnium confugientium ad ipſum. verſ. 32. *b.* Confirmationem 1. quòd Deus ſolus ſit rupes. quæ confirmatio ſumitur, tùm ab ope latâ, in virium primò datione: *Deus ille accingens me virtute*, dans mihi animum magnum erga incommoda & moleſta, *& qui dabat ſimplicem* rectam nec anfractuoſam *viam meam*; viam cœli. verſ. 33. *Ponens pedes meos ut cervarum: quique in clivis meis fecit ſtare me.* Pernicitas notat ſtudium progrediendi; in clivis ſtare eſt ſuperiora tenere, unde non poſſis dejici. verſ. 34. *Edocens manus meas ad prælium; ut curvent arcum æneum brachia mea.* verſ. 35. Tùm conſervatione: *Et dediſti mihi clypeum ſalutis tuum.* Clypeus fidelium eſt tùm Deus ipſe, in fidem eos recipiens; tùm is qui eſt apud Deum, Angelus aſſertor; tùm fides in Deum & Angelum illum vindicem; *& dextera tua fulciebat me*, ut nunquam deficerem; *& comitas tua augebat me.* h. e. faciebat me indies majorem & robuſtiorem. verſ. 36. Deinde in virium & facultatis felici uſu. Is eſt partim greſſus ſive gradus magnus ſine vacillatione: *Dilatabas gradum meum ſubter me, & non vacillârunt tali mei.* verſ. 37. Partim perſecutio hoſtium felix & pertinax: *Perſequebar inimicos meos & aſſequebar, neque abſtiti, donec conficerem eos.* verſ. 38. Partim percuſſio hoſtium vehemens: *Defixi eos, ut non potuerint ſtare; ceciderunt ſub pedes meos.* Tùm ab humiliatione hoſtium, ſpectatâ partim in privatione virium, in contraſurgentibus: *Et me quidem cinxiſti virtute ad prælium, at curvâſti inſurgentes in me* qui ſolium meum invadere nituntur, *ſubter me.* h. e. feciſti ipſos, ut ſe demitterent, neque auderent mihi reſiſtere, aut in me inſurgere. Exemplum eſt in Abſalomo & Sebâ, eorumque ſequacibus. verſ 40. In inimicis: *Et inimicos meos* qui quærunt malum meum *dediſti mihi cervicem obvertentes.* In oſoribus: *Et oſores meos* quod attinet, qui averſantur me, *profligavi illos.* verſ. 41. Partim in deſertione: *Quiritabantur; & non erat ſalvator: ad Jehovam; & non reſpondebat ipſis.* verſ. 42. partim deſtructione, eâque facili & penitiſſimâ: *Et contrivi illos inſtar pulveris coram vento; ut lutum platearum everri eos.* verſ. 43. Tùm denique ab exaltatione Davidis ſupra vim & potentiam alienorum, ſpectatâ partim in liberatione à litibus: *Feciſti me evadere lites populi.* partim in datione regni: *Poſuiſti me in caput gentium.* h. e. principem gen-

tium me effeciſti; *populus, quem non noram, ſerviebant mihi.* verſ. 44. *Pro auditu auris,* quamprimùm aures eorum attigit lex mea, ſtatim *auſcultabant mihi: filii peregrinitatis abnegabant mihi.* animum ſuum alienum à me, & regnum meum agnoſcebant. verſ. 45. *Alieni emarceſcebant,* quanquam per tempus viruiſſent inſtar oleæ, tamen mox emarcuerunt, ſpeciemque pulchritudinis & viroris amiſerunt; *& trepidabant à clauſtris ſuis.* adverſus vim meam ipſis imminentem ſe claudebant & muniebant, quæ munitio eſt à pavore. verſ. 46. II. Quòd Dominus ſolus ſit verus Deus. Hic primò Tranſitio jungens utramque partem theſeos, illam concludendo, hanc exordiendo: *Vivit Dominus!* Solus vitam, virtutem, ſapientiam, & potentiam, habet. *& benedicta rupes mea.* quia hæc tanta præſtitit mihi: *& exaltetur Deus ſalutis meus.* Supra omnia credatur, & timeatur is, qui eſt Deus verus, Deus meus, Deus ſalutis auctor. Hæc quaſi propoſitio. verſ. 47. Sequitur Confirmatio à cura ſedulâ fœderati ſui. Hujus curæ actus ordine exponuntur: O *Deus ille, qui dedit ultiones mihi* à regno adverſario; *& deduxit populos infra me.* ut & obedirent, & reſiſtere non poſſent. verſ. 48 *Qui liberavit me ab inimicis meis,* ut non opprimerent regnum meum, licèt plurimi homines à me averterentur, & actum de me eſſe videretur; *Quin etiam præ inſurgentibus mihi exaltabas me.* feciſti me ſuperiorem illis, qui affectabant, ut eſſent pari vel etiam majori auctoritate, quàm ego. *A viro injurio me eripiebas.* Talem David expertus eſt Saulem, & ereptus eſt. verſ. 49.

§. 4. IV. Gratiarum actio. Ea habet 1. Promiſſionem grati & digni his Dei beneficiis officii. *Ideoque confitebor te,* tuas laudes & perfectiones celebrabo, & te dicam meum, *inter gentes; & nomini tuo pſallam.* voce ac opere & paſſione, ſi opus ſit, lætitiam & lubentiam animi conteſtabor in honorem tuum. verſ. 50. 2. Rationem promiſſi: *O tu, qui* a. *maximas ſalutes præſtat regi ſuo.* ab omnibus malis liberat regem à ſe conſtitutum potentiſſimè & magnificentiſſimè. b. *Et faciet gratiam uncto ſuo, Davidi & ſemini ejus, in ſæculum.* perpetuâ ac perſeveranti gratiâ, amore, ac ſtudio proſequitur unctum ſuum, ut cumulet eum omnibus bonis. verſ. 51.

§. 5. His convenit initium Pſalmi 144. Ubi Propheta Deum ob varia & inſignia beneficia, ab eo per omnem vitam accepta, ita glorificat: *Benedictus Jehovah, rupes mea, qui aſſuefecit manus meas ad conflictum, digitos meos ab bellum.* ℣ſ. 1. *Gratia mea, Arx mea.* Hæc vid. ſup. ad Art. XXI. *Sublimatio mea.* qui tandem me ſalvum & victorem conſtituiſti; & *evaſionem præſtans mihi.* quum fugerem à facie Abſolomi; *Clypeus meus,* qui me defendit ab omnibus inimicis; *& apud quem receptum habui.* qui nunquam me confugientem ad gratiam tuam repuliſti, etiam quum magnis peccatis me reum iræ & rejectionis feciſſem; *Qui ſubjecit populum meum mihi.* verſ. 2. Omnia hæc in vitâ Davidis exempla habent diverſa: quæ omnia in ſuâ ſpecie proponuntur optimo ordine, eoque tempori, in exemplis maximè illuſtribus, accommodatiſſimo.

ARTICULUS XXXIII.

DE functo Davidi ſuccedit in regno filius ejus Solomon, curante Deo, ut regnum in manu ejus confirmaretur.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§. 1. Secundùm promiſſionem: *Indicavit tibi Jehovah, quòd domum faciet tibi Jehovah. Nam implebuntur dies tui, & cubabis cum patribus tuis: & excitabo ſemen tuum poſt te, quod exibit è lumbis tuis, & confirmabo regnum ejus.* 2. Sam. 7: 11. 12. Vel, ſicuti eſt 1 Chron. 17: 11. *Et erit, quum impleti erunt dies tui ad eundum ad patres tuos, & excitabo ſemen tuum poſt te, quod erit è filiis tuis, & ſtabiliam thronum ejus in ſæculum.* Quæ promiſſio repetitur. Pſal. 89: 29. 30. *In ſæculum ſervabo ipſi gratiam meam, & fœdus meum firmum ipſi eſt: Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus, ut dies cœli.* In quibus verum eſt, promitti ſemen, quod habeat regnum verè, & ſine exceptione, æternum; deque eo ſemine tantùm verba promiſſionis in plenâ ἐμφάσει intelligi poſſe. Sed & ſanctos hanc Prophetiam de Semine hærede regni ſecundùm modum carnalem accepiſſe, & æternitatem ei attributam intellexiſſe ſecundùm naturam iſtius regni, nim. de duratione longiſſimâ, quâ durare regnum mundanum poteſt; patet tùm ex iis, quæ Pſalm. 89: 31. ſequuntur: *Si deſerant filii ejus legem meam* &c. Ubi, quod in genere de omni ſemine dictum erat, de filiis ſucceſſoribus in regno mundano diſtinctè explicatur: Tùm ex Pſal. 132: 11. Ubi promiſſio ita repetitur, ut Davidem habiturum filium, qui ipſi ſuccedat in regno, ſimùl fiat manifeſtum: *Juravit Jehovah Davidi verum, à quo non recedet.* Quid? *Ex fructu ventris tui ponam in ſolio tibi. Si ſervabunt filii tui &c. etiam filii illorum in perpetuum ſedebunt in ſolio tibi.* verſ. 11. 12.

§. 2. Cæterùm æternitas regno Davidis mundano tributa non intelligenda eſt abſolutè, ne quidem pro conditione iſtius regni, & ſæculi prioris, quaſi ſcil. continuâ ſerie in throno Davidis ſedere debuerint ejus poſteri uſque ad Chriſtum; ſed ſub conditione obedientiæ: Quod patet ex Pſalm. 89: 39 — 45. Pſalm. 132: 12. 1 Reg. 9: 4. 5. 6. 7. Jerem. 22: 30. Ezech. 19: 14. 21: 31. 32. unde intelligitur, Deum non decreviſſe ſceptri apud domum Davidis conſervationem, quia decrevit illud propter peccata auferre.

ARTICULUS XXXIV.

PRomiſerat Deus Davidi, fore, ut filius ſucceſſor domum Deo ædificaret. Hoc igitur reſponſo Dei & præcepto paterno defuncturus Solomon, templum magnificentiſſimum Hieroſolymis in monte Sion, id eſt loco, quem Deus ad habitandum elegerat, excitavit, anno ab exitu quadringenteſimo octuageſimo, 1 Reg. 6: 1. ac dedicavit, anno ab introitu in terram circiter quadringenteſimo quinquageſimo. Actor. 13: 20. coll. verſ. 19. & 22. ſ.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Promiſſio illa exſtat. 2 Sam. 7: verſ. 13. *Hic ædificabit domum nomini meo.* Add. 1 Chron. 17: 12. Rem notat Eſaias, cap. 5: 2. *Et ædificavit turrim* ſ. arcem *in medio ejus* vineæ. In propatulo enim eſt hâc parabolâ templum tanquam munimentum perpetuæ habitationis, ſignificari.

§. 2. Hoc opus Solomonis Actor. 13: 22. dicitur *perfectio omnis voluntatis Dei*, ex Eſai. 44: 28. Ubi de Cyro hoc dictum uſurpatur, quando etiam is effecit ut tem-

templum & urbs reædificaretur. Davidi quoque hoc tribuit Apoſtolus, quamvis ipſe hoc non perfecerit; quia à filio ipſius ſecundùm ipſius præceptum, ex materiâ & bonis ab ipſo præparatis, præſtitum eſt. Atque ita templum, exſtructum à rege filio Davidis, *ſanctuarium Davidis* appellatur. Pſalm. 89:45. Anni vero illi *circiter* 450, de quibus eſt Act. 13. ita computantur. Anno 480 poſt exitum fundavit; 1 Reg. 4:1. Annis 7. ædificavit; Ibid. verſ. 39. Detrahe tempus deſerti, id eſt annos 40. Manent anni 447. h. e. ὡς 450.

§. 3. Cœterùm magnum beneficium eſt, quòd Deus teſtatus erat populo, ſe velle in medio ipſorum habitare, & illis præſtò eſſe invocantibus, & ipſis de neceſſitatibus proſpicere; & quòd ei rei etiam domum in medio ejus conſtrui juſſerat nomini ſuo, in quâ gloriam ſuam oſtenderet, imò ad quam aliquando veniret, facie ad faciem cum illis collocuturus. Hoc enim ſignificabat templum, Deum ipſis aliquando futurum מִקְדָּשׁ, Eſai. 8: Atque hinc ut beneficium id operis commemoratur. Eſ. 5:2.

§. 4. Hujus Articuli reſpectu conveniunt Iſraëli orationes, quæ exſtant Pſalm. 84:87: & 132:6. & ſeqq. ſuprà etiam recenſitæ ad Art. 25.

ARTICULUS XXXV.

Hanc regis pietatem non minore ſtudio proſecutus Deus, tùm regem ipſum Sapientiæ præclaro nomine inſignivit; tùm regnante eo, populum Iſraëliticum ad tam altum perduxit magnitudinis gradum, ut nihil ad ſummam ejus perfectionem deſiderari ampliùs poſſe videretur. Quippe ita illum auxit & numerò, ut reliquiis etiam ſeptem gentium, quas hactenùs expellere non potuerant, ad ſervilia miniſteria damnatis, 1 Reg. 9:21. ſolus propriæ hæreditatis fines undiquaque impleret; 1 Reg. 4: 20. & imperio, ut præter illos, quos David, ut ſuprà viſum Art. XXVII. imperio adjecerat, etiam domitis per Solomonem Syris Hamathenſibus, 2 Chron. 8:2. dominaretur in omnia regna, inde ab Euphrate, uſque ad terram Philiſtæorum, imò uſque ad limites Ægypti. 1 Reg. 4:21. Quibus rebus factum eſt, ut exiret Iſraëli celebritas nominis inter gentes, & illi quoque, qui immunes imperii erant, magnitudinem revererentur; partim etiam ad ſapientiam Solomonis cognoſcendam venirent ex omnibus populis, interque eos regina Noti. 1 Reg. 10: Eſr. 4:20.

DEMONSTRATIO.

De multiplicatione populi vid. promiſſio. Geneſ. 12:2. 13:16. 15:5. 17:5. 6. 17:16. 22:17. 26:4. 26:24. 28:14. 35:11. De occupatione terræ, & expulſione gentium, vid. quæ comportata ſup. ad Art. IX. De amplitudine Imperii, quæ dicta ad Art. XXVII. Quibus adde, quod eſt Deut. 32:15. *Incraſſatus es.* Item Eſai. 1:2. *Filios educavi & amplificavi.* Et generale iſtud, quod legitur Deut. 30:1. *Et erit, quum venient ſuper te omnia verba hæc, benedictio.* &c. De perfectione Iſraëlis, & famâ hinc increbeſcente, ita loquitur Ezech. 16:14. *Et exivit tibi nomen in gentibus ob pulchritudinem tuam. Nam perfecta res erat in decore meo, quod poſui ſuper te; ait Dominus Jehovah.*

ARTI-

ARTICULUS XXXVI.

ACceſſit ad cumulum beneficiorum, quòd non minore piorum & ſanctorum proventu, quam copiâ hominum rerumque opulentiâ hoc ſæculum floreret. Ut hâc etiam parte Iſraël adeptus ſuam perfectionem, & robuſtam quandam maturitatem videretur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Convenit itaque huic ætati, quod eſt Eſ. 5: 2. ***Atque etiam lacum excidit in ea.*** vineâ. ad excipiendum vinum illius. Omnibus enim conſideratis parabolæ huic reſpondet ſemen promiſſionis & cœtus ſanctorum, ſive τὸ κατάλειμμα, quod Deus ſervavit in populo Iſraëlitico: Nam quod Deum oblectat, id pro vino, pro aromate, melle, ſaccharo, omnique genere deliciarum habetur, Cant. 5: 1. 7: 14. & omnis εὐχαριστία & glorificatio Dei hieroglyphicè cibus Dei & odor fragrantiæ appellatur; & quivis unus piorum alteri eſt lacus ad excipiendum vinum illius, h. e. ei communicandum ſua chariſmata, & amplificandum illius gaudium: Ut nihil aliud hîc notetur, quàm Deum præparâſſe ſibi ſanctos ſuos inter ipſos, qui exciperent frûctus ipſorum ad honorem Dei, recipiendos & conſervandos in æternis manſionibus: & hoc illum quidem feciſſe omni tempore, ſed tamen copioſius uno tempore, quàm alio; & omnium maximè id præſtitiſſe, cùm ædificâſſet turrim, h. e. templum, in medio ejus. Ut tum maximè etiam Iſraël exſtiterit ***plantatio voluptuoſa Dei***; ut eſt Ibid apud Eſajam, verſ. 7.

§. 2. Finis horum omnium beneficiorum repetatur ex Art. 1. Per. II.

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ

PERIODUS QUARTA.

De rebus geſtis ab ædificatione Templi uſque ad ejus deſtructionem; & conſtitutionem Monarchiæ primæ; ſ. Babylonicæ.

HActenùs populum Iſraëliticum conſideravimus in ſuo incremento, ut cœperit, utque adoleverit, ut ad quendam quaſi juventæ florem pervenerit. Sequentibus ætatibus, ut vitioſus magis, ita haud grandis æquè, deficiente,

prout

prout ſcelera invaleſcebant, ita populi & imperii magnitudine; donec tandem, multis & magnis cladibus attritus & fractus, captivitatibus, Aſſyriacâ primò, deinceps & Babylonicâ, planè abſumeretur, & contabeſceret in peccatis ſuis. Hujus velut Imperii & populi ſenectæ qui ſequuntur, in prophetiâ memorantur articuli.

ARTICULUS I.

Quòd ſi poſteri Davidis, tàm reges, quàm ſubditi, tenaces fuiſſent fœderis Dei, ſpes erat, fore, ut præſens ſtatus rerum conſervaretur, & perpetuâ ſerie filii parentibus in throno Davidis ſuccederent. At retrorſum vota ceciderunt. Vix attigerunt Iſraëlitæ ſummum gradum magnitudinis & turpiter à Deo defecerunt, ſeſeque indigniſſimos habito honore demonſtrarunt. Exemplum in ipſo Solomone.

DEMONSTRATIO.

Prioris membri conſequentiam nectit Propheta. Pſ. 132: 14. *Si ſervabunt filii tui fœdus meum, & teſtimonium meum, quod docebo illos, etiam filii eorum in perpetuum ſedebunt in throno tibi.* Poſterius membrum declarant omnia illa loca, quæ de defectione atque inobedientiâ Iſraëlitarum, tùm in genere, tùm in ſpecie, ſup. ad Per. III. Art. XI. adducta fuere: Quibus adde nunc ſequentia: *Quòd ſi delinquat.* &c. 2 Sam. 7: 14. *Si deſerant filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulent; ſi ſtatuta mea violent, & præcepta mea non obſervent.* Pſ. 89: 13. 14. Et abſolutè id tanquàm futurum conſiderat rex idem, qui propheta, 2 Sam. 23: 5. *Nam non ſic* (vel *non recta aut ſtabilis*) *eſt domus mea apud Deum.* q. d. Equidem accepi promiſſionem de domo, quam mihi ſit facturus Dominus; Sed non eſt putandum, quod carnale ſemen meum *iſtiusmodi* ſit, vel etiam ſit *rectum* apud Deum. Id enim non ambulabit in ſtatutis Dei. Et in re præſenti Eſaias: *Et illi defecerunt à me.* Eſ. 1: 2. Ubi & cauſam defectionis notat ἀγνωσίαν Θεοῦ, ignorantiam nim. Teſtamenti & fœderis Dei, & inanes de religione & juſtitiâ opiniones; ex quibus, in quo conſtiterit hæc defectio, ſimul intelligitur: *Novit*, inquit, *bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui; Iſraël non agnoſcit*, quod agnoſcendum erat, ſc. & eſſe Deum, & remuneratorem eſſe quærentibus ſe; quæ agnitio eſt fidei, Heb. 11: 6. *Populus meus non animadvertit*, id, quod animadvertendum erat, nim. ea media, quibus Deus ſe revelat. Ibid. vers 3. Et porrò ibidem demonſtrat inexcuſabilitatem culpæ à privilegiis veri populi, quæ Iſraëli vocato propoſita erant: *Væ genti*, ſeparatæ à reliquis gentibus, ut eſſet gens ſancta, Deut. 4: 7. 8. Exod. 19: 6. Sed *peccatrici*, nihil niſi peccanti, irregenitæ, non ſanctæ; *populo*, qui erat juſtus, levatus peccatis: Deut. 26: 18 jam *onuſto pravitate*; *ſemini*, quod fuiſſet promiſſionis, cohæredes electionis & benedictionem patrum, jam *maleficorum*; *filiis*, quales in fœdere fuiſſent, domini omnium bonorum patris, & ſuo tempore ex ſervitute aſſerendi, jam verò *corrumpentibus*. ſcil. donum paternum & hæreditatem, ad inſtar Eſavi. Hæc probantur ordine retrogrado; *qui deſeruerunt Jehovam*, dum ab eo defecerunt.

fecerunt. Ergo illum non quærunt quo hæreditate ſuâ; *ſpreverunt ſanctum Iſraëlis.* Illum, qui ſanctificat Iſraëlem, eligendo, redimendo, & juſtificando; *abſcedunt retrò.* Non ergo gens ſancta, aut non gens peccatrix. vers 4.

ARTICULUS II.

HAnc regis & populi defectionem, præſenti defectione X. tribuum à rege & tribu Judæ, Deus vindicavit. 1 Reg. 11: 26. & ſeqq. & c. 12:

DEMONSTRATIO.

Hoc ſchiſmate factum, quod in ultimis innuit Jacobus, verbis: *Non recedet ſceptrum à Judâ.* Scil. quamvis in X. tribubus aliud oriatur ſceptrum, quod & amovendum ſit, illo amoto, non recedet à Judâ. Gen. 49: 10. Et David ſupplicans Deo: *Benefac in benevolentiâ Sioni.* Pſ. 51: 20. Et clariùs idem ſignificaverat Spiritus per Nathanem: *Cùm delinquet, redarguam ipſum virgâ hominum, & plagis filiorum hominum.* i. e. ſecundùm modum humanæ naturæ & conditionis, quantùm ea ferre poteſt, ſine deſtructione & exterminio. 2 Sam. 7: 14. Quod ita exprimit Pſalmus: *Si deſerant filii ejus legem meam . . . . Tùm viſitabo* quidem *virgâ defectionem illorum, & plagis pravitatem illorum. Sed* ita tamen, *ut gratiam meam non faciam irritam ab ipſo, & non fallam veritatem meam.* Pſ. 89: 31. 33. 34. Diſtinctiſſimè autem de hoc ſchiſmate loquitur Propheta: *At tu rejicis, & ſpernis* ſive reprobas, non eligis, *iraſceris cum uncto tuo. Rupiſti fœdus ſervi tui; profanâſti ad terram coronam ejus.* Ubi profanatio coronæ notat privationem regiæ poteſtatis: qualem ſenſit Rehabeam, à quo X. tribus defecerunt. Pſ. 89: 39. 40. Add. Pſ. 93: 1. Dan. 8: 19. Cum diviſo regno etiam diviſæ ſunt ſubactarum gentium ſervitutes. Quæ autem gentes cui parti ſervierint, intelligitur ex hiſce: Moab defecit ab Iſraële, mortuo Achabo; 2 Reg. 1: 1. 3: 5. Idumæi ſub Jehoſaphato; ſine rege, gubernabantur à præſide. 1 Reg. 22: 48. Eorundem defectio à rege Judæ, 2 Reg. 8: 20. & ſubactio; 2 Reg. 14: 7. proponitur. Damaſcus poſtquam, à Davide ſubjugata, rebellaſſet à Solomone, 1 Reg. 11: 24. à Jeroboamo II. rege Iſraëlis ad imperii reverentiam eſt revocata; 2 Reg. 14: 28. Idem Hamatham Zobæ, Davidi amicam, 2 Sam. 8: 9. 10. à Solomone poſtea debellatam, 2 Chron. 8: 3. unà cum Damaſco, cui ſerviebat, 2 Reg. 13: 25. reſtituit; 2 Reg. 14: 28. Eodem tempore rex Judæ Amazia cecidit Idumæos; 2 Reg. 14: 7. & filius ejus Azarja, qui & Uſſias, recepit Elotham, quæ erat in terrâ Edom ad mare rubrum; Ibid. vers 22. & Philiſthæos, atque Ammonitas, alioſque populos ad Ægyptum uſque perdomuit, 2 Chron. 26: 6. 7. 8.

ARTICULUS III.

REgno diviſo, non ſine prophetiâ Achijæ Siluntini, novo regi Deus permiſiſſe videbatur locum cultui Divino deſtinare. Igitur ne populus cultus exercendi gratiâ Hieroſolymam adire coactus, prioribus Dominis & aſſueto regno reconciliaretur, Jaroboamus templum fecit & altare ad ſimilitudinem Hieroſolymitani, & Cherubinos duos, ad eandem formam, quorum unum conſtituit Bethele, alterum Dane; de cætero volens; ut Deus

iiſdem ritibus ac ceremoniis, quibus Hieroſolymis ſolebat, ex præſcripto legis Moſaicæ, coleretur. 1 Reg. 12:26. & ſeqq.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Quibus argumentis uſus fuerit Jaroboam, ad cultum alibi, quàm Hieroſolymæ, conſtituendum, intelligi poteſt ex Amoſ. 7:13. Ubi Amazjah Sacerdos Bethel Amoſum vetat Bethele prophetare, additá ratione, quia *Sanctuarium regis hoc ſit, & domus regni iſta.* q. d. Rex & Regnum Iſraëliticum ſanctuarium hoc (intell. templum Betheleníe) inſtituerunt & frequentant: Ergo non licet tibi contra id prophetare. Scilicet hæ erant regis & populi Iſraëlitici cogitationes: Quòd Deus non adſtrinxerit cultum ſuum ad unum certum locum. Nam tempore Samuelis & Davidis ſacrificia oblata fuerant diverſis in locis. Solomonem auctoritate regiâ templum ædificâſſe, eandem auctoritatem à Deo eſſe datam Jaroboamo; qui æquè bono jure eſſet rex, ac Solomoh. Jam Iſraëlem eſſe diviſum in duo regna: Regnum non poſſe eſſe abſque ſacrario. Dixiſſe quidem Deum, *In loco, quem elegero.* Deut. 12:5. Sed illud vel non intelligendum eſſe de uno certo loco; quia Deus poſſit unum & alterum & tertium locum eligere. Et quando regna diviſit, & regi dedit auctoritatem, idcircò debere cenſeri, Deum elegiſſe eum locum, quem rex elegerit, vel certè diviſione regni factâ, hanc legem ceſſare, quemadmodum, hâc lege non obſtante, Samuel diſtinctis in locis obtulerit. Similiter, de ſacerdotibus ſi quæreretur, quandoquidem Levitæ nolebant fungi miniſterio extra Hieroſolymam, conſequenter redire videbatur ſacerdotium ad omnes tribus: quorum fuerat ſacerdotium antehac.

§. 2. Hiſce & ſimilibus ratiunculis ſine dubio, præeunte concupiſcentiâ, rex Jaroboam ſeductus, cultus Dei exercitium extra Hieroſolymam ſibi liberum putavit & clariſſimus exſtitit celſorum auctor. Quamvis autem ſic effecerit, ut Iſraëlitæ X. tribuum ad templum Hieroſolymitanum non accederent, nihilominùs tamen hoc templum erat decus ipſorum, nec minùs, quàm Judæi, in eo gloriabantur. Fatebantur enim, Deum ibi habere ſuam *σκήνωσιν*, & ſacerdotium Aharonicum à Deo eſſe inſtitutum; ut ita, quanquam extra Hieroſolymam, tamen Deo Hieroſolymis habitanti adolerent. Quod docemur. Eſ. 28:1. Ubi Templum Hieroſolymitanum vocatur *Flos marcidus decoris ornamenti ejus*, ſcil. Ephrajimi, *qui eſt in capite vallis oleorum.* i. e. Hieroſolymæ, quæ in duobus montibus mediâ valle diremptis erat poſita. Item Eſ. 16:1. Ubi Moabitæ occupantes loca Iſraëlitarum, in exilium abductorûm, jubentur agnoſcere & colere Dominum illius terræ, habentem domum in monte filiæ Sion. *Mittite agnos dominatoris terræ à Petrâ uſque ad deſertum, ad montem filiæ Sionis.*

§. 3. Hoc verò Jaroboami inſtitutum, quanquam ſpeciem præferret aliquam Divinæ auctoritatis, tamen ubique damnat Scriptura, templum ipſius *domum celſorum*, & Cherubinos per ſarcaſmum, *Vitulos* appellans. Namque & inter cæteras habebant formam vituli. Vid. Ezech. 1. & 10. Imò forma vituli in ſpecie Cherub ab Ezechiele nuncupatur, cap. 10:14. coll. cap. 1:7. 10. Quia nimirùm non erat iſtud templum, nec eæ formæ ſymbolicæ in templo Jaroboami ex inſtituto Dei, & quia Deus non volebat conſpici inter illas in nube, neque ibi ſe quæri & adorari juſſerat. Quare Ezechiel alludens ad vocem בָּמוֹת i. e. *celſa*, dicit illa eſſe לֹא בָאוֹת *non venientia*, ſignificans, illa non veniſſe ad Iſraëlitas, ſed Iſraëlitas illa commen-

tos

eos eſſe ex corde ſuo, quemadmodum dicitur de Jeroboamo, 1 Reg. 12: verſ. 33. 2 Reg. 17: 19. Vid. Ezech. 16: 16. Et dicitur in libris Regum Jeroboam hoc facto *feciſſe peccare Iſraelem.* Quæ autem ratio fuerit hujus peccati, & quæ loca Scripturæ ad hunc Articulum illuſtrandum faciant, vid. ſup. ad Per. III. Art. XI. ubi actum de cultu celſorum, & add. quæ de inobedientiâ & defectione populi in genere Ibid. convecta ſunt.

§. 4. Cæterùm non mutâſſe Jaroboamum cultum Moſaïcum, & voluiſſe, ut Iſraëlitæ in ſuis locis eadem omnia facerent, quæ Judæi Hieroſolymæ faciebant, probatur ex 1 Reg. 12: 32. Ubi legitur feciſſe feſtum menſe octavo, quinto decimo menſis, ſicut feſtum, quod in Judâ celebrabatur. Item Amoſ. 4: 4. Ubi propheta per ironicam permiſſionem cultum Iſraëlitarum rejiciens: *Venite*, inquit, *Bethelem, & defectionem peragite*; (Innuit, cultum, quem ſe Deo præſtare putabant, eſſe apoſtaſiam.) *Gilgalem, & multùm deficite: & afferte manè ſacrificia veſtra, in tertium diem decimas veſtras.* In quibus manifeſta ad Deut. 14: 28. ubi præcipitur, ut tertio quoque anno decimæ deponantur domi dandæ Levitis, viduabus & pauperibus, alluſio eſt. Per hyperbolen enim ipſis permittitur, in triduum afferre ſuas decimas, hoc ſenſu: Si in tridua ſingula decimaveritis proventus veſtros, donec perparum vobis ſuperſit, & fide in Deum careatis, nihil eſt. Similiter verſ. 5. Ibid. permittit facere, id quod eſt Lev. 7: 13. Sicque Iſraëlitis X. tribuum imitatio cultus à Deo inſtitûti, exercendi in loco electo, aſſignatur.

ARTICULUS IV.

NEque hic ſubſtitit defectio Iſraëlitarum. Ulteriùs progreſſa ad apertam idololatriam, ipſum nomen & cultum veri Dei ejuravit. Cujus criminis maximè reus Achab, ante ac poſt eum alii.

DEMONSTRATIO.

Hunc gradum peccati notat Moſes, Deut. 32: 15. *Et omiſit Deum, qui fecit ipſum.* Omittit enim Deum, qui nomine ejus ejurato, falſorum Deorum cultum invehit. Hæc *malitia Samariæ* eſt, de quâ loquitur Hoſ. 7: 1.

ARTICULUS V.

JUdæis etiam interim, qui domui Davidis adhæſerant, in impœnitentiâ & defectione à Deo ſuo permanentibus, Deus tam hos, quàm illos variis cladibus, terræque & urbium vaſtationibus, populi & regni direptionibus, per gentium devictarum defectiones, bella, incurſiones, ac deportationes hoſtiles, caſtigavit. Ut quando, 1. poſt defectionem Moabi ab Iſraële, 2 Reg. 1: 1. 3: 5. Moabitæ Idumæos, ſubditos, aut clientes regum Judæ, qui cum Joramo filio Achabi, & Joſaphato rege Judæ, ſteterant contra ipſos, domuerunt, & cum ipſorum reliquiis, itemque Ammonitis, conſpiraverunt adverſus Joſaphatum, eumque conjunctis copiis invaſerunt. 2 Chron. 20.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De caſtigationibus hiſce ita in genere conqueritur Pſalmiſta: *Diruiſti omnes macerias ejus, poſuiſti munitiones ejus conſternationem. Diripuerunt eum,* h. e. populum & regnum ejus, *omnes qui tranſeunt viam: factus eſt opprobrium vicinis ſuis. Extuliſti dextram hoſtium ipſius, lætificâſti omnes inimicos ejus. Imò retundis mucronem gladii ejus, & minimè feciſti ipſum ſtare in bello.* Quibus expugnatio urbium, ſpoliatio regni per quosvis, animatio & roboratio hoſtium, ademptio ſtrenuitatis, virtutis atque animi, deſignatur. Pſalm. 89: 41 — 44. Atque ita Eſai. cap. 1. demonſtrans inexcuſabilitatem defectionis Judæorum à caſtigationibus ſine emendatione inflictis: *Quare percuteremini ampliùs? Adderetis receſſionem. Omne caput eſt in morbum, & omne cor eſt languidum.* Notatur debilitas plagas conſequens per comparationem hominis lethaliter ægrotantis. verſ. 5. *A plantâ pedis uſque ad caput non eſt in ipſo* Iſraële *integrum: vulnus & livor & plaga ſanioſa: non exprimitur, & non obligatur, & non emollitur oleo.* Ita, inquit Deus, ipſos tractavi, ut veteribus plagis, iiſque necdum curatis novas & majores ſuperaddiderim. verſ. 6. *Terra veſtra vaſtitas eſt.* Ea in multis locis non colitur propter paucitatem hominum, bella, deportationes: *& urbes veſtræ concrematæ igne: tellus veſtra, coram vobis, hoſtes* (alieni) *comedunt illam: & eſt vaſtitas tanquam everſio hoſtium.* Hæc deſolatio terræ gradata. verſ. 7. *Et relinquitur filia Sion, ut tugurium in vineâ,* propter debilitatem & infirmitatem; *ut caſa in cucumerario,* quæ componitur ad pernoctandum, manè amovenda; propter periculum amotionis imminens; *ut urbi obſeſſa.* propter coarctationem. verſ. 8. *Abſque Jehovah Deo exercituum eſſet, qui reliquos fecit nobis ſuperſtites paucos, ut Sodoma facti eſſemus, Gomorrhæ aſſimilati eſſemus.* Parùm abeſt ſcil. quin judicia Dei in nos edita accedant ad everſionem Sodomæ & Gomorrhæ: per quæ maxima multitudo deleta ſit, paucis ſuperſtitibus. verſ. 9. Hinc *gentem* vocat *lineatim conculcatam.* diverſis vicibus ab hoſte. Eſ. 18: 2.

§. 2. His cladibus, populique & regni ſpoliatione factum eſt, ut imperii vigor paulatim decoqueret inque ſenectutem iret. Quod ita dicitur Pſalm. 89: 46. *Abbreviâſti dies juventutis ejus.* h. e. vigoris. conf. Job. 33: 25. Nam tantùm 470. annis duravit regnum in univerſum. Vigor autem duntaxat per 80. ſub Davide & Solomone. Reliqui 390. ſub plagis exacti ſunt. Item Hoſ. 7: 9. *Etiam canities ſe ſparſit in ipſo.* i. e. ex plagis inflictis ſenio laborare reſp. viſa eſt, nec diu ſupervictura.

§. 3. Idumæorum à Moabitis oppreſſionem videtur præceſſiſſe, quod legitur 2 Reg. 3: 26. 27. Et quod repetitur Amoſ. 2: 1. *Sic dixit Jehovah: Ob tres defectiones Moab, imò ob quatuor, non revocabo illud: eò quòd combuſſerit oſſa regis Edom in calcem.* Nim. quòd rex Moabi non proprium ſuum filium, ſed filium regis Idumæorum captum bello combuſſerit, tanquam holocauſtum, in muro civitatis ſuæ. Quo facto quum receſſiſſent reges Iſraëlis & Judæ, credibile eſt, Moabitas ſubjugâſſe Idumæos, & ſic cum ipſis veniſſe contra Joſaphatum.

§. 4. De hâc afflictione agit Pſalmus 83. eique orationem accommodat in hanc ſententiam: *O Deus, ne ſit intermiſſio tibi: ne ſileas: neque ceſſes, Deus* omnipotens. verſ. 2. Suaſio petitionis ducta ab hoſtium 1. Superbiâ: *Nam ecce inimici tui perſtrepunt, & oſores tui efferunt caput.* verſ. 3. 2. Propoſito concordi: *Contra populum tuum aſtutè conſilium ineunt, & conſultant contra reconditos tuos.*

Omnium

Omnium ſenſus idem eſt, tollere è mundo nomen Iſraëlis, & hoc conſilium aſtu tegunt; ſed fruſtrà. Nam id conſilium ſuſceptum eſt contra eos, quos Deus repoſuit, tanquam peculium & theſaurum electum ex mundo. verſ. 4. Propoſitum declaratur: *Dixerunt: Agite, exſcindamus illos. ne ſit gens; non commemoretur nomen Iſraëlis ampliùs.* verſ. 5. Concordia: *Nam conſilium capiunt corde unà, contra te fœdus pangunt.* verſ. 6. *Tentoria Edomi & Iſmaëlitæ, Moabitæ & Hagareni.* Hi ad Orientem Gileaditicæ, dubium, utrum ab Hagar, uxore Abrahami, an potiùs ab Ἀγὰρ monte, Gal. 4: 25. verſ. 7. *Gebal,* hi Septentrionales & Occidentales, *& Ammonitæ, & Amalekitæ, Palæſtina cum habitantibus Tyrum.* verſ. 8. *Etiam Aſſur adjunxit ſe illis; extiterunt brachium filiis Lot. Selah.* verſ. 9. Filii Lot igitur præcipui in hoc bello. Harum omnium gentium non fit mentio in hiſtoriâ Joſaphati, ſed tantùm Moabitarum & Ammonitarum & מֵהָעַמּוֹנִים q. d. illorum, qui ultra Ammonitas ſunt. De illis autem ſpecificantur habitatores montis Seïr. Et, quanquam non fuerint in exercitibus iſtæ omnes gentes, veriſimile eſt tamen, conſpirâſſe inter ſe, communique egiſſe conſilio, &, ſi initia benè cecidiſſent, cæteras ad ſupprimendum regnum Judæ collaturas fuiſſe omnem opem. Illuſtratio petitionis 1. per aſſimilationem plagarum. Ubi *a.* Deletionem hoſtium comparat cum duplici ſtrage priſcâ: *Fac illis ut Midianitis,* Jud. 7. *ut Siſeræ, ut Jabino in valle* vel ad torrentem *Kiſchon.* verſ. 10. Vid. Jud. 4. *Profligati ſunt* Siſera & Jabin, *ad Endor,* (locus propè Megidduntem.) *facti ſunt ut fimus agro.* verſ. 11. *Pone illos, principes illorum, ut Oreb & Zeeb,* Jud. 7. *ficut Zebach & ut Tzalmunna omnes unctos ipſorum.* Quatuor duces Midianitarum. verſ. 12. *Qui dixerunt: Hæreditemus nobis manſiones Dei.* verſ. 13. *b.* Diſſipationem illorum comparat turbini & paleæ: *Deus mi, pone illos, ut turbinem, ut paleam coram vento.* verſ. 14. *c.* Iram Dei perſequentem igni & procellæ: *Ut ignis ardet in ſylvâ, & ut flamma, quæ accendit montes.* ut Veſuvium, Ætnam. verſ. 15. *Ita perſequaris eos tempeſtate tuâ, & procellâ tuâ conturbes eos.* verſ. 16. 2. Per effectum plagæ. Ut *a.* partim pudore affecti Dei nomen requirant: *Imple faciem ipſorum ignominiâ, ut quærant nomen tuum.* ut incipiant cogitare, qualis quantuſque tu ſis. verſ. 17. *b.* partim intereant, atque ita Dei potentiam, veritatem, ſanctitatem, juſtitiam, regni majeſtatem, & cæteras virtutes ſuo malo per experimentum diſcant: *Pudefiant & conſternentur in æternum, & confundantur & pereant.* verſ. 18. *& cognoſcant, quòd Tu, cujus nomen Jehovah ſolius eſt, ſummus ſis ſuper omnem terram.* verſ. 19.

ARTICULUS VI.

Cùm deinde Idumæi ſub Joramo, filio Joſaphati, à Judâ defecerunt; &, quamvis in prælio victore Joramo, tamen in defectione perſtiterunt. 2 Reg. 8: 20---22.

DEMONSTRATIO.

Prædixit hanc defectionem Iſaacus, Gen. 27: 41. *Et erit, quum obſtinaveris, & avelles jugum ejus à collo tuo.* Et innuit eam Amoſus cap. 1: 11. Ubi Edomo tribuitur ira, creſcens in excandeſcentiam, & nunquam ceſſans: qualis ira apparuit in rebellione continuâ, & populatione Iſraëlitarum. Maximè tempore Jorami & Achazi. Verba prophetiæ ſunt iſta; *Sic dixit Jehovah: Ob tres defectiones Edomi,* imò

imò ob quatuor, non revocabo illud: eò quòd .... & excandeſcentia ejus retinuit etiam atque etiam. Huc quoque reſpicit Obadias, verſ. 11. *Ab injuriâ fratris tui Jacobi operit te pudor .... In die, quo captivam abducebant alieni copiam ejus; & peregrini intrârunt portas ejus, & ſuper Hieroſolymâ jaciebant ſortem, etiam tu unus ex illis.* Significat enim, Idumæos aſſociatos fuiſſe hoſtibus in captivatione copiæ ipſorum, & in oppugnatione urbium: id quod, ſi ipſis ſervierint, defectionem præſupponit.

ARTICULUS VII.

QUum ſub eodem Joramo populus afflictus eſt à Palæſtinis. 2 Chron. 21: verſ. 16. 17.

DEMONSTRATIO.

Hanc caſtigationem indicat Ezechiel: *Et extendi manum meam contra te, & diminui demenſum tuum,* ne tam lautè viveres, quàm antè, *& dedi te in animam* ſ. cupiditatem *odientium te filiarum* h. e. civitatum *Palæſtinorum, quas pudebat viæ tuæ ſceleſtæ.* cap. 16: 27. Scil. tribuit Palæſtinis odium: quia reliquiæ Cananæorum erant. Cauſam autem odii perſeverantis indicat, quòd eas puderet viæ Iſraëlitarum ſceleſtæ. Nam Palæſtinæ urbes, ut & Tyrus ac Sidon, etiam veteri ævo ſapientiæ & eruditionis claritate inſignes fuerunt; & conſtat, ab iis literaturam ad Græcos perveniſſe ex Phœniciâ: Inde quoque colonias in Africam fuiſſe deductas. Igitur erant Judæi ipſis ſcandalo, cùm nec veritatem de juſtitiâ Dei ipſos docerent, & in inſtitutis Dei, quem ſuum nominabant, non ambularent. Hanc cauſam dicit, quare eos dederit in manus ipſorum. In ſpecie autem ad invaſionem illam, quæ facta eſt ſub Joramo, alludit Amoſus, cap. 1: 6. *Sic dixit Jehovah: ob tres defectiones Gazæ, imò ob quatuor, non revocabo illud, eò quòd captivarint captivitate plenariâ ad tradendum Edomo.* Nam inter Arabes, quibus ſocii acceſſerunt Palæſtini, ſine dubio fuere Idumæi. Nam illi vix poterant venire niſi per Idumæam, & ita cum Idumæis.

ARTICULUS VIII.

QUum Chaſaël rex Syriæ Damaſcenæ cecidit Joramum, filium Achabi, regem Iſraëlis, in Ramoth Gilead. 2 Reg. 8: 28.

DEMONSTRATIO.

Meminit Amoſus cap. 1: 3. *Sic dixit Jehovah: Ob tres defectiones Damaſcii, & propter quatuor, non revocabo illud: propterea quòd trituraverint tribulis ferreis Gilead.*

ARTICULUS IX.

QUum idem Chaſaël ſub Joaſo filio Achasjæ ivit oppugnatum Hieroſolymam, eâque muneribus opimis direptâ reverſus eſt. 2 Reg. 12: 18. 19. 2 Chron. 24: 23. 24.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Huc forſan alludit Eſaias, c. 1: 6. 7. 8. quem locum vide ſup. ad Art. V.

ARTICULUS X.

QUum Chaſaël & Benhadad, filius ejus & ſucceſſor, iterùm afflixerunt Iſraelitas, vivente Joachazo filio Jehu; & vires illorum ita attriverunt, ut rex Joachaz non haberet, niſi quinquaginta equites, decem currus, & decem millia peditum. 2 Reg. 13: 3. 7.

DEMONSTRATIO.

Itaque inter cætera delicta, quibus Syri aliquoties Deo recalcitrarunt, ponitur nominatim, ut principale, *triturare Gileadem tribulis ferreis.* Amoſ. 1: 3. Prorſus ut 2 Reg. 13: 7. *Perdidit illos rex Syriæ, & poſuit illos ut pulverem ad triturandum.* Quare & denunciatio pœnæ apud Amoſum, v. 4. ad Chaſaëlem & Benhadadum, intellige ſecundum, refertur.

ARTICULUS XI.

MEruerant uterque populus ob peccata & defectiones ſuas ſemel in perpetuum exſcindi, & projici à facie Dei. Sed interceſſit Divina clementia; quæ ſemper hucuſque reliquias quaſdam conſervavit, nec paſſa eſt plagas excedere humanum ac vulgarem modum.

DEMONSTRATIO.

De hâc moderatione plagarum intelligendus eſt locus, 2 Sam. 7: 14. *Redarguam ipſum virgâ hominum, & plagis filiorum hominis.* Sive, uti eſt. Pſ. 89: 33. 34. *Viſitabo virgâ defectionem illorum, & plagis pravitatem illorum. Sed gratiam meam non faciam irritam ab ipſo, & non fallam veritatem meam.* Rem narrat Eſaias, c. 1: 9. *Abſque Jehovah Deo exercituum eſſet, qui reliquos fecit nobis ſuperſtites paucos, ut Sodoma facti eſſemus, Gomorrhæ aſſimilati eſſemus.*

ARTICULUS XII.

ACceſſit, quòd ſub Jeroboamo. II. Rege Iſraëlis, & eâdem tempeſtate ſub Uſſiâ rege Judæ, utriuſque populi imperium moverit lacertos, & redditâ quaſi in illâ ſenectâ juventute reviruerit. Nam & Jeroboam reſtituit terminum Iſraëlis; 2 Reg. 14: 25. 26. 27. 28. Et Uſſias Philiſtæos, & Arabes, inter quos Idumæi, debellavit, & ab Ammonitis ac Moabitis munera ferentibus, cultus eſt. 2 Chron. 26: 6. 7. 8.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Huc forſan reſpicit Eſaias, ubi eodem tempore & *coronam erectionis* tribuit Ephraimo, & *florem* ei, qui eſt in capite vallis oleorum, id eſt Hieroſolymæ. cap. 28: 1.

cap. 28: 1. Hic certè ſtatus Iſraëlis florens Hoſeæ prophetæ per nativitatem *filii*, fuit ſignificatus. Sexus enim maſculinus robur populi denotat. Hoſ. 1: 3. Qui & clarè de eo loquitur, cap. 7: 1. *Quum ſanâſſem Iſraëlem.* Atque hinc lætitia illa atque arrogantia Iſraëlitarum, quaſi ſuis viribus hanc potentiam ſibi acquiſiviſſent, quam culpat in illis Amoſus, cap. 6: 13. *Qui lætamini in re nihili; qui dicitis: An non robore noſtro accepimus nobis cornua?* Ubi res nihili poteſt ſignificare regnum Jeroboami ſecundi. Utpote anteceſſoribus paulò felicius.

§. 2. Eminentiam utriuſque regni comparatione vicinorum hic explicat Amoſus cap. 6: 2. *Tranſite, Chalanam,* quæ in Aſſyriâ, atque ut Bochartus demonſtrat, in Oſroënâ καλλίνικος, *& videte, & abite inde Chamatham magnam* i. e. Antiochiam, dictam Ch. magnam, in ἀντιδιαστολῇ Chamath ſimpliciter, quæ Epiphonia eſt: *& deſcendite Gatham* metropolin *Palæſtinorum. Nunquid meliores ſunt regnis his?* Comparat terras illas cum duobus regnis Iſraëlis in *bonitate*, h. e. fertilitate, abundantiâ hominum & divitiarum & omnium ornamentorum. *An major eſt terminus illorum termino veſtro?* Per hoc oſtenditur potentia Dei, qui ut ipſos majores vicinis gentibus, & regnis, etiam optimis & maximis, poſſit etiam minores efficere.

§. 3. *Silentio* Dei id opus tacitè aſſignatur. Amoſ. 3: 4. Quam & *Præteritionem* idem appellat, Am. c. 7: 8.

ARTICULUS XIII.

REbus omnibus pro voto fluentibus, vana religio, & luxuria ex opibus, pronum in pejora ſæculum impulere, merſamque vitiis ſuis, velut ſentinâ, utramque rempublicam peſſumdedere.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Statum populi utriuſque, & peccata varia, tùm communia, tùm propria, hìc luculenter deſcribunt Prophetæ, qui hâc tempeſtate vixerunt, inprimis Eſaias, Hoſeas, & Amoſus. Scilicet cùm. I. Falſas de Deo & officio ſuo foverent opiniones, ſicque *operam darent mendacio*: Hoſ. 7: 1.

1. Facilè in viam domus Jeroboami prolabebantur, adolendo, quanquam in nomine veri Dei, extra locum, quem Deus elègeret, non per ſacerdotes filios Aharonis. Indicat Hoſeas, cap. 7: 1. *Manifeſtata eſt pravitas Ephrajimi.* Et Amoſus, cap. 2: 8. *Accumbunt apud omne altare; & vinum bibunt in domo Deorum ſuorum.* Unum altare dederat Deus: & domum veri Dei non habebant Iſraëlitæ X. tribuum. Item Amoſ. 4: 4. *Venite Bethelem, & defectionem peragite; Gilgalem, & multùm deficite.* Cultum, quem putabant ſe Deo præſtare, vocat apoſtaſiam. Cultus externus, qui non fit in fide, per media à Deo non præcepta, eſt interpretativè idololatria & defectio à vero Deo. Pergit Ibidem: *Et afferte manè ſacrificia veſtra in tertium diem decimas veſtras.* vers 4. *Et adolete ex fermentato ſacrificium confeſſionis; & nuncupate voluntarias oblationes, proclamate. Nam ſic diligitis, filii Iſraël; dictum Jehovæ.* q. d. Dilectio veſtra intra hæc opera & formulas ceremoniarum ſubſiſtit. verſ. 5. Huc refer Amoſ. 6: 12. *Convertiſtis in venenum judicium, & fructum juſtitiæ in abſinthium.* h. e. diſciplinam, inſtitutam à Deo ad ſegregationem bonorum à malis, corrupiſtis; & juſtitiam Dei ignorantes, fructum juſtitiæ, quæ per fidem obtinetur, charitatem ſcil. non tuliſtis, ſed contra in ſuperſtitionem, laſciviam ac ſcandaliſationem proximi vos effudiſtis.

2. Verbum

2. Verbum Dei de Chriſto & ſalute ejus acceperunt cum faſtu & magnitudine cordis, ſive fiduciâ virium ſuarum & juſtitiæ ſuæ. Hanc culpam notat Eſaias, cap. 9: 7. 8. *Verbum miſit Dominus in Jacobum, & cecidit*, h. e. frequentatum & vulgatum eſt inter omnes, *in Iſraële. Et cognoverunt populus totus Ephrajim & habitatores Samariæ, in faſtu & magnitudine cordis.*

3. Cùm verò res ipſorum florerent ſub Jaroboamo II. putarunt quoque, Deum ſic ſilentem, & pœnas differentem, ſibi ſimilem factum eſſe. Quam opinionem populi ita confutat Amoſus, cap. 3: 4. *An rugit leo in ſylvâ, quando præda non eſt ipſi? An dat leo vocem ſuam ex antro ſuo, niſi quum ceperit?* Quo dicto ponitur, rugitum Leonis in antro ſuo eſſe ſignum captæ prædæ; nec idcirco ſilentium Leonis eſſe contemnendum, aut ei fidendum. Deo igitur ſilenti & continenti ſeſe ad hominum ingratitudinem, non eſſe inſultandum.

4. Itaque tranquilli, & ſecuri ſui rerumque ſuarum, confiſi ſunt regno ſuo, & templo Hieroſolymitano, & vano cultu, in iisque gloriantes, putarunt, ſe in æternum manſuros in terrâ. Hoc ſecuritatis vitium notat, & utrique populo impingit Amoſus. cap. 6: 1. 3. *Væ tranquillis in Sione, & ſecuris in monte Samariæ. Qui ſeponunt diem mali, & admovetis ſesſionem violentiæ.* Sedem, ſ. ſcholam tyrannicam. Propter fiduciam & gloriationem in regno, & templo, corripit omnes tribus, & nominatim duo regna, Ephrajim & Judæ, Eſaias, cap. 28: 1. *Væ coronæ erectionis ebriorum Ephrajmi, & flori marcido decoris ornamenti ejus; qui eſt in capite vallis oleorum.* Per *coronam* enim *Ephrajimi* regnum illius partis, & per *florem exiſtentem in capite vallis oleorum*, id eſt Hieroſolymæ, templum & arcam in templo intelligit. Hunc verò florem & *decus ornamenti Ephrajimi* appellat, quòd non minus Ephrajimitæ, quàm Judæi in eo gloriarentnr. Vid. ſup. ad Art III. Fiduciam in vano cultu ceremoniali confutat Amoſus. cap. 5: 21. 22. 23. *Odi, repudio feſta veſtra*, inter quæ & Sabbata, *& non odoror congregationes veſtras*, propriè ferias ad conveniendum indictas. *Imò, quum mihi offertis holocauſta & munera veſtra, non accepto: & pacificum agnorum veſtrorum non intueor. Aufer à me ſtrepitum carminum tuorum*, cum quibus debet intelligi omnis lectio ſacrarum literarum, quarum potiſſima carminibus inſerta ſunt. *etenim modulationem nabliorum tuorum non audio.* Hæc rejectio intelligenda eſt in ſeparatione cultus interni & veri, & in opinione operis operati. Eandem fiduciam, ut & præcedentem in regno, & propriis viribus, ita exagitat Amoſus, cap. 6: 12. 13. *Numquid current in petrâ equi? numquis arabit bubus?* Negat ſcil. poſſibile eſſe, quòd confidebant, abſque Deo bella gerere. *quòd convertiſtis in venenum judicium, & fructum juſtitiæ in abſinthium.* Vid. de hoc colo ſup. num. 2. *Qui lætamini ob nihilum; qui dicitis: Annon robore noſtro accepimus nobis cornua?* vid. ſup. ad Art. XII. Quatenùs verò ex fiduciâ juſtitiæ & virium propriarum ſecuta eſt falſa perſuaſio de permanſione ſuâ in terrâ ſanctâ, ſcil. propter promiſſionem Dei patribus factam, ſaltem uſque ad adventum Meſſiæ, per quem ſibi omnia felicia & ſecunda in mundo eſſent præſtanda; ita de eâ loquitur Eſaias: *Et cognoverunt* verbum de Chriſto & ſalute per fidem ejus, *populus totus, Ephrajim & habitatores Samariæ in faſtu & magnitudine cordis, dicendo: Lateres ceciderunt, & lapide cæſo ædificabimus: Sycomori inciſæ ſunt, & cedros ſubſtituemus.* Sic Samaritæ, apud quos domus Jehu floruerat, maximè ſub Jaroboamo II. non poterant non exſpectare, fore, ut lateres in marmora, ſycomori in cedros mutarentur. cap. 9: 8. 9. Atque hinc Amoſus in paræneſi ad veram pœnitentiam: *Quærite bonum & non malum; ut vivatis: & erit ſic Jehovah Deus exercituum vobiscum, quemadmodum di-*

xiſtis. h. e. promiſiſtis vobis in veſtrâ impietate & injuſtitiâ, Amoſ. 5: 14.

5. Quin etiam auſi ſunt unà cum fidelibus adventum Chriſti expetere cum perſuaſione afferendæ impunitatis, & lætitiæ improbis dandæ. Teſtatur Amoſus, qui eorundem ſtultam cogitationem & opinionem ſic refutat: *Væ optantibus diem Domini. Quare vobis dies Jehovæ eveniret? Ille eſt tenebræ & non lux.* Amoſ. 5: 18. Et vers 20 *Annon tenebræ dies Domini, & non lux? & caliginoſus, & non eſt ipſi ſplendor.* Quæ conſiderantes Judæi quidam vetuſtiores adventum Chriſti adverſabantur, & paſſiones ejus; ſaltem ne ipſi viderent. Sanh. pag. 357. & ratio additur ex hoc loco Amoſi. pag. 358. Unde patet, Veteres hunc locum de adventu Chriſti accepiſſe.

6. Contra verò ſentientes, & ipſos redarguentes, odio habuere & perſecuti ſunt. Itaque Amoſus: *Et prophetis præcepiſtis, dicendo: Non prophetabitis.* c. 2: 12. *Oderunt in portâ*, i. e. curiâ, comitio, & omni loco judiciorum, *redarguentem*, h. e. tùm defendentem quod verum & rectum, tùm accuſantem quod falſum & pravum; *&, qui loquitur* h. e. prædicat, *integritatem*, h. e. omne id, quod bonum, verum, & ſanum eſt, ad ædificationem proximi, *abominantur*. Amoſ. 5: 10. Ut huc quoque poſſit referri quod eſt. Ibid. vers 7. *Qui vertunt in abſinthium judicium.* & quod cap. 6: 12. *Convertiſtis in venenum judicium.* Pertinet enim ad pravitatem judiciorum, quòd Prophetas ἐθελοθρησκείας Jaroboami improbantes perſequebantur.

7. Facilis erat ex ſuperſtitione Jaroboami, quâ violabatur præceptum ſecundum, in viam Achabi, quâ primum, prolapſus. Nam qui Deum non colit eo modo, quem præſcripſit, gentili animo eum colit. Et hinc, poſtquam Achab loco Jehovæ Baalem introduxit, quam *malitiam Samariæ* appellat Hoſeas, cap. 7: 1. Plurimi fuere, qui ut regibus Idololatris placerent, Deum Iſraëlis abnegarunt. Utque hoc ſe ſeriò feciſſe probarent, ad profanationem nominis Dei, inceſtum commiſerunt. Ita Amoſus: *Et vir ac pater ejus accedunt puellam ad profanandum nomen ſanctum meum.* Amoſ. 2: 7. Scil. ad colendos Deos alienos inviti compulſi videri poterant, niſi ultrò transgrederentur legem in re, ad quam nemo eos cogeret. Alii reniſi Spiritui Sancto induxerunt, vel etiam coëgerunt Naziræos bibere vinum, & ſic voti religionem calcare. Quod Iſraëlitis objicit Amoſus, cap. 2: 12. *Et Naziræos potâſtis vino.*

§. 2. Huc acceſſit, quòd cùm. II. In Luxuriâ & Ebrietate vitam agerent. Quod de Ephrajimitis & Judæis dicit Eſaias, illos appellans *ebrios*, hos *percuſſos à vino*, ita ut ſcil. nec mens ipſis conſtet, nec corporis vires ſint integræ, propter luxuriem; Eſ. 28: 1. Et de Iſraëlitis Samaritanis Amoſus, illis tribuens, quòd *dicunt Domino ſuo: Cedò, bibamus*. h. e. Regem invitant ad luxuriam & ebrietatem. Amoſ. 4: 1. & quòd *plantaverint vineas deſiderabiles*, ſpe *bibendi vinum illarum*. Amoſ. 5: 11. Et rurſus de utriſque, & habitantibus in Sione, & in monte Samariæ: *Qui cubant in lectis eburneis*, ſive in accubitu ſive in decubitu & ſomno, *& computreſcunt in ſpondis ſuis* ſomno profundo & multo; *& comedunt agnos ex grege & vitulos ex ſaginario.* Am. 6: 4. *Qui minuriunt ad nablium, ut David excogitârunt ſibi inſtrumenta muſica.* Non, ut ille, ad laudem Dei, ſed ad pruritum aurium. vers 5. *Qui bibunt ex pateris vini*, crateribus vini capacioribus, quo notatur οἰνοφλυγία. *Et præcipuo unguentorum delibuunt ſe.* Hæc prodigalitas & luxus in optimis unguentis. *Et non afficiuntur ægritudine ob fracturam Joſephi.* vers 6.

1. Religione ipsâ abuſi ſunt ad voluptatem. Nam hic actus religionis ſolus, quippe

quippe primarius, notatur, ***Accumbere apud omne altare, & vinum bibere in domo Deorum ſuorum.*** Am. 2: 8.

2. Et ad celebrationem falſæ religionis, & fructum voluptatis, jus ſuum in proximum exſecuti ſunt cum dolore & damno illius. Ita enim Amoſus, Ibidem: ***Et in veſtibus pignore captis accumbunt apud omne altare; & vinum multatorum bibunt in domo Deorum ſuorum.***

3. Nec tantùm: Sed & per vim ac fraudem in proximum ſuum graſſati ſunt. Quod Samaritanis improperatur, Am. 4: 1. ***Audite verbum hoc; Vaccæ Baſanis,*** opimæ, validæ, petulcæ. Ita vocat principes, magiſtratus, divites populi, ***quæ ſunt in monte Samariæ; quæ opprimunt tenues, quæ vexant egenos.*** Primum fit, quando præter jus vel res alicujus occupatur aut detinetur; vel etiam homo in nexum rapitur. Alterum, quando pauperes, egeni & vivendi mediis deſtituti, pro eo, quod manus eorum fuiſſet corroboranda, judiciis vexantur; quod fit maximè in judiciis vel nefariè intentatis, vel nequiter eluſis. Quibus ſimilia ſunt, quæ leguntur cap 2: 7. ***Qui proterunt in pulvere caput tenuium.*** Item cap. 5: 11. ***Iccircò, propterea quòd conculcatis tenuem.*** In quibus protritio & conculcatio tenuium ſignificat immiſericordiam erga pauperes; & perſecutionem diſſidentium à communibus erroribus & blaſphemiis, ac denique oppreſſionem eorum, qui non ſunt in eminenti aliquo loco conſtituti, quando nimirùm ii, qui erant regendi, ut regnum ſacerdotum & hæreditas Dei, & ad cognitionem Dei ac decoram Deo ſanctitatem in libertate ingenuâ agendam excitandi, indignè habentur & proculcantur. Addi poteſt, quod eſt Ibidem, verſ. 12. ***Qui oppugnatis juſtum.*** Et quod eſt cap. 6: 3. ***Qui admovetis ſeſſionem violentiæ.*** Item Ezech. 34: 2. 3. 4. ***Væ paſtores Iſraël,*** li triplices, Seniores, prophetæ ſeu doctores, & Sacerdotes, Mal. 2: 12. ***qui extiterunt paſcentes ſe, nonne oves paſcunt paſtores?*** verſ. 2. ***Adipem comeditis, lanâ veſtimini, pinguem mactatis, oves non paſcitis.*** Senſus: Vos ſaginatis & veſtitis ex bonis populi, & vel opulentos, vel etiam ſapientes in populo tanquam opimas oves mactatis. v. 3. ***Infirmatas non roboráſtis, ægram non ſanáſtis, & fractam non obligáſtis, & depulſam non reduxiſtis, & perditam non quæſiviſtis, ſed cum vi dominati eſtis in eas, & cum ſævitiâ.*** Neglexiſtis facere officium, & paſtionem in ſævum dominatum convertiſtis. verſ. 4.

4. Huic culpæ affinis eſt Proditio; de quâ Amoſ. 2: 6. ***Sic dixit Jehovah: ob tres defectiones Iſraëlis, imò ob quatuor, non revocabo illud: Eò quòd vendant pro argento juſtum, & egenum pro pari calceorum.*** Poteſt intelligi de fratribus Judæis, quos ſæpe prodiderunt hoſtibus, & non adjuverunt oppugnatos ab hoſtibus, idque ſui regni ſtabiliendi cauſâ, & ut ipſi in calceis ambularent, h. e. in pace commodiuſculè viverent. Nam diſcalceatum incedere eſt miſerorum exulantium, Eſ. 20: 4. Credibile porrò eſt, quum reges Iſraël vitulis ſacrificarent, & Baali, tum neminu licitum fuiſſe illa facta reprehendere. Tali tempori conveniens eſt proditio.

5. Et pignoris captio; & munerum; & lytri. De captione pignoris eſt Amoſ. 2: 8. ***Et in veſtibus pignore captis accumbunt.*** Ubi notandum, pignore capta, dici univerſaliter ac indefinitè, quod tamen de pignore, quod eſt contra legem, Exod. 22: 25. 26. Deut. 24: 12. 13. h. e. injuſto, & à pauperibus capto, explicandum eſt. Munerum acceptio indicatur Amoſ. 5: 11. ***Iccircò, propterea quòd lationem frumenti accipitis ab ipſo.*** Intelligitque civilia illa latrocinia, nec minus pernicioſa, quæ ſub ſpecie juris capiuntur, & quidem, quando neceſſitas offerendi adfertur. Sic fit, ut nec judices officium facere velint, niſi muneribus invitati; & conſtituant

P 2 ſibi

ſibi magna pretia. Similiter ſi doctor Eccleſiæ avarus ſit, & à pauperibus neceſſarias oblationes accipiat. De acceptione lytri eſt Ibidem verſ. 12. *Quia novi, multas eſſe apoſtaſias veſtras, & numeroſa peccata veſtra; qui oppugnatis juſtum, accipitis lytron, & ii, qui egenos in portâ evertunt.* Quibus oſtendit, illos etiam ſententias vendidiſſe, imò reos impunitos dimiſiſſe accepto ἀλλάγματι, & impediviſſe curſum juſtitiæ in cauſâ egenorum.

6. Denique huc facit *declinatio viæ manſuetorum.* h. e. omnis violentia & terribilitas; quâ efficitur, ut modeſti & manſueti vix audeant ipſis in viâ occurrere; ſed libentiùs deliteſcant, & de viâ decedant. Ita Amoſus cap. 2: 7. *Qui viam manſuetorum deflectunt.* Atque hinc porrò fit, quod eſt Amoſ. 5: 13. *Propterea prudens tempore illo continet ſe, quia tempus malum eſt.* Silent nim. illi, qui intelligunt veritatem & juſtitiam, & attendunt verbo Dei.

Quoniam verò hâc tyrannide domus Jehu communicavit cum peccatis Achabi, qui Nabothum, 1 Reg. 21: 1. & ipſius Jehu, qui poſteros Achabi & Iſebelis, Ahaſiam & agnatos ejus, occidit in Iſraële. 2 Reg. 9: 15. 27. 30. 36. cap. 10: 6. Quanquam Jehu juſſu Dei illos occiderat; Deus tamen imputat omnem illum ſanguinem effuſum in Iſraële, ut innoxium, domui Jehu. Hoſ. 1: 4. *Viſitabo ſanguines Jizreëlis in domum Jehu.*

§. 3. Exaggerantur hæ culpæ à plagarum antecedentium fruſtratione, Amoſ. 4: 6 — 11. quæ ſunt I. Fames, tribus vel quatuor modis effecta. 1. quoquo modo, putà luxu, fœnore ad rem amplificandum, & luxum fovendum capto, decoctorum fraude, oppreſſione potentum, morbis & incommodis: *Atque etiam ego dedi vobis immunitatem dentium in omnibus urbibus veſtris, & defectum panis in omnibus locis veſtris: & non rediiſtis ad me. dictum Jehovæ.* verſ. 6. 2. Ἀβροχία: *Atque etiam ego denegavi vobis imbrem, quum trimeſtre eſſet ad meſſem: & plui ſuper civitatem unam, & ſuper civitatem alteram non pluebam. Ager unus compluebatur, & ager, qui non compluebatur, exareſcebat.* verſ. 7. *Et palabantur duæ, tres civitates ad civitatem unam ad bibendum aquam, & non ſatiabantur: & non rediiſtis ad me.* verſ. 8. Ex hoc loco, & ſimilibus, conſtat, præter magnam illam ἀβροχίαν, quâ Elias per verbum Dei percuſſit terram Iſraëlis, alias ſiccitates fuiſſe. 3. Uredine cum brucho: *Et percuſſi vos uredine & rubigine: plurimum hortorum veſtrorum & vinearum veſtrarum, & ficorum veſtrarum & olearum veſtrarum comedebat bruchus; & non rediiſtis ad me: dictum Jehovæ.* verſ. 9. II. Peſtis. III. Gladius. Hæ plagæ conjunguntur verſ. 10. *Miſi in vos peſtem, more Ægypti.* Vid. Exod. 9: 3. & add. comminatio Deut. 28: 60. *Occidi gladio juvenes veſtros, cum captivitate equorum veſtrorum: & feci aſcendere fœtorem caſtrorum veſtrorum & in nares veſtras: & non rediiſtis ad me.* IV. Deſtructio urbium: *Everti quædam inter vos, quomodo evertit Deus Sodomam & Gomorrham, & exſtitiſtis ut titio ereptus ex incendio: & non rediiſtis ad me.* verſ. 11. Conf. ex Art. 11. ſup. Eſ. 1: 9.

ARTICULUS XIV.

Abruptâ tolerantiâ erga populum impœnitentem, cùm Deus conſtituiſſet illum tollere, primùm Zachariâ abnepote Jehu, filio Jaroboami, ſexto regni menſe à Sallumo interfecto, 2 Reg. 15: 8. domum Jehu, cum eâque regnum Iſraëlis legitimum, abolevit.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque impletum, quod prædixit Spiritus verbis Hoſeæ: *Adhuc parum eſt, & viſitabo ſanguines Jizreëlis in domum* h. e. poſteritatem, *Jehu; & abolebo regnum domus Iſraël.* Hoſ. 1: 4. Ubi & ſignum additum prophetiæ verbali, nomen datum filio Hoſeæ, *Jizreël*; à nomine urbis, ubi reatus contractus, & pœna ſumenda erat. Amoſus, quoad pœnæ modum, expreſſiùs dicit cap. 7: 9. *Surgam* ſive *ſtabo contra domum Jaroboami cum gladio.*

§. 2. Ab hoc Articulo Hoſeas & Amoſus, & à ſequentibus alii Prophetæ, telam ſuarum prædictionum exordiuntur.

ARTICULUS XV.

Regno Iſraëlis legitimo abolito, ſucceſſere, non veri Reges, ſed latrones & fures regni; quorum unus alterum exturbavit, non ſine diſſidio, factionibus, cæde & oppreſſione partium adverſarum.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Interfecto, Zachariæ, filio Jaroboami, Sallum, percuſſor ejus ſucceſſit. Is per menſem præfuit, occiſus à Menahemo; qui auxilio hoſtium de rapinis ſuorum empto regnum tenuit, 2 Reg. 15: 16. 20. & præfuit annis 10. Cui ſucceſſit filius Pekachjah, hæres furis; qui præfuit biennio. Eum occidit Pekach filius Romoliæ tertius fur regni & parricida. Præfuit annis 20. Illi vitam & regnum eripuit Hoſeas fur quartus, qui præfuit annis 9.

§. 2. Miſerum hunc reipublicæ Iſraëliticæ ſtatum, inter rectores ſuos diſcordiæ pœnas dantis, ut in re præſenti, ita deſcribit Eſaias, cap. 9: 18. 19. 20. *Excandeſcentiâ Jehovæ Dei exercituum obſcuratur terra*, homines cæcitate percutiuntur, traditi εἰς ἀδόκιμον νοῦν. Effectus id probant. *& fit populus ut cibus ignis, quiſque in fratrem ſuum non exercent clementiam.* verſ. 18. *Et quiſque cædit ad dexteram, & eſurit, & comedit ad lævam, & non ſatiantur; quiſque carnem brachii ſui vorant.* verſ. 19. *Manaſſe Ephrajimum, & Ephrajim Manaſſen: unà illi contrà Judam. In omni hoc non avertitur via ejus, & adbuc manus ejus eſt extenſa.* verſ. 20. Hoſeas ſuo more breviter: *Et fur intrat.* Fur regni ſcil. pro rege. Hoſ. 7: 1. Item: *Et* ſubditi *comedunt judices ſuos. Omnes reges ipſorum ceciderunt.* Ibid. verſ. 7. Hæc *caſtigatio* eſt, de quâ Hoſeas Ibid. verſ. 15. *Et ego caſtigavi.* Eſai. 9: verſ. 20. ſ. hæc diſſidia, & lanienæ fratrum, ut initium majoris calamitatis, proponuntur.

ARTICULUS XVI.

Conveniebat Iſraëli inter hæc tot ac tanta mala publica, animum reflectere ad ſtatum ſuum, peccata ac defectiones ſuas deplorare, ad Deum maturâ & ſeriâ pœnitentiâ reverti, & remedium malorum ardentibus votis ac precibus ſollicitare. Sed quaſi omnis illa cura nihil ad ipſum attineret, Iſraël ad Deum non converſus eſt, nec Deum invocavit.

DEMONSTRATIO.

Perdita ſecuritas! Quam ſic notat Eſaias: *Et populus non eſt converſus ad percutientem ſe, & Jehovam Deum exercituum non quæſiverunt.* Eſai 9: 13. Contrà, ut eſt Ibidem verſ. 15. *Exſtiterunt ductores populi hujus ſeductores, & ducti ejus perditi.* Verbo Dei non attendentes, ſenioribus ſuis & prophetis falſariis aures ſubſtringebant. Quâ re factum eſt, ut cùm illi veritatem non proponerent, hi ſeducerentur. Et v. 16. *Quantus quantus eſt, hypocrita eſt*, putans ſe Deo ſervire, dum vel affingit ipſi ὑποκείω, vel verbum Dei & fœdus ejus, quod verbotenus profitetur, non intelligit, vel malè intelligit; *&* eſt *maleficus, & omne os loquitur ſtultitiam.* Tradit mendacium, & omnem ſermonem inſulſum de rebus Dei & conſcientiæ. De omiſſione invocationis Dei eſt Hoſ. 7: 7. *Non eſt qui clamet inter illos ad me.* Scil. in tot regum occiſione, de quâ dixerat Ibidem.

ARTICULUS XVII.

DUm hæc geruntur in Palæſtinâ, interea Deus excitat Aſſyrios, quâ Deus gente tanquam inſtrumento ſeveritatis uti deſtinaverat in percutiendo populo Iſraëlitico, & ſubactis aliis aliiſque gentibus & regnis, his quaſi ſe aſſociantibus, ſubito & facili negotio, non aliter, quam ſi ſigno, voce, manu acciti eſſent, fecit illos creſcere & gentes coire in unum magnum imperium.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc Aſſyriorum præparatione & corroboratione prophetat Eſ. cap. 13. in hunc modum: *Super monte eminenti tollite ſignum, extollite vocem illis; agitate manum: ut intrent oſtia principum.* Significat, certos homines eſſe, tanquam vexillo ſublato in monte eminentiſſimo, voce, manu accitos, venturos, & graſſaturos in omnem partem, ut non tantùm ruſticorum tuguria, ſed & urbes munitas, & palatia principum intrent, & ibi omnia agant pro lubitu. verſ. 1. *Ego præcepi ſanctificatis meis.* Nim. etiam peccatores, quando per peccata ſua exſequuntur divinas ſententias, perdendo, affligendo, caſtigando, humiliando, cenſendi ſunt à Deo ad ſanctum miniſterium ſeparari: *etiam vocavi fortes meos per iram meam, exultantes faſtu meos.* Nota, quales iſti homines fuerint, qui intraturi erant oſtia principum; nim. vitæ ſuæ contemptores, animi vaſti & intrepidi, laboris indefeſſi, glorioſi, ſuperbi, intolerabiles. verſ. 2. *Vox tumultus in montibus eſt.* h. e. in plurimis regnis & populis tumultus audiuntur, *inſtar populi multi. Vox tumultus regnorum gentium congregatarum!* Talis eſt ac tantus ſonus & ſtrepitus, quaſi gentibus ſe aſſociantibus multa regna coirent in unum. *Jehovah Deus exercituum luſtrat exercitum belli.* verſ. 4. Quod autem Deus Aſſyriis voluerit uti, ut inſtrumento iræ ſuæ in percutiendo populo, docetur Ibid. verſ. 5. ubi vocantur *vaſa* ſive *inſtrumenta ſeveritatis Dei, ad corrumpendum totam terram.* Item cap. 28: 2. 3. in iſtis: *Ecce robuſtum & validum eſt Domino tanquam imber grandinis, horror excidii. Tanquam imbrem aquarum multarum inundantium inflixit in terram cum manu. Pedibus conculcabuntur: corona erectionis ebriorum Ephrajimi.* Scil. quum extra populum Dei barbara imperia invaluerunt, magis etiam cùm illa incipiunt populo Dei imminere,

minere, ſignum id eſt, Deum habere aliquid contra populum ſuum, & ei plagas præparare.

§. 2. Et ſic quidem Deus uti miniſterio regis Aſſyriæ conſtituerat. Sed cogitationes & conſilia Aſſyrii à cogitationibus Dei planè diverſa fuere. Pluribus ea explicantur Eſai. 10: 7 — 15. hoc modo: *At ipſe non ſic proponet ſibi, & cor ipſius non ſic cogitabit*: nim. ſe eſſe virgam & flagellum Dei: *Sed profligare erit in corde ipſius*, hoc erit propoſitum ipſius, *& exſcindere gentes non paucas.* quod eſt crudelitatis. verſ. 7. Cogitationes verò ſive ratiocinationes erunt comparatæ ad ſpem ſucceſſuum. 1. quia reges habet ſubjectos. 2. quia inſignia regna & eorum metropoles jam ſubegerat. *Nam dicet: Nonne principes mei pariter ſunt reges?* verſ. 8. *Nonne ut Carchemis Calne? Nonne ut Arpad Chamath? Nonne ut Damaſcus Samaria?* verſ. 9. *Quemadmodum prehendit manus mea regna illa Nihili* (*Atqui illorum ſculptilia ſunt præ ſculptilibus Hieroſolymæ & Samariæ.*) verſ. 10. *Nonne ſicut feci Samariæ & vanitatibus ejus, ſic faciam Hieroſolymæ & idolis ejus?* verſ. 11.

§. 3. In ſequentibus Ibidem tribuitur regi Aſſyriæ *magnitudo cordis*, ſ. magnanimitas, quâ ſibi multa bona, ceu *fructum* magnitudinis cordis, comparaverit; item *oculi alti*, i. e. affectatio majorum homine. verſ. 12. Et deinceps arrogantia illa, quâ vindicaverit ſuæ fortitudini efficaciam, ſuæ ſapientiæ oportunitates, ut videatur prudenter feciſſe: item arrogatio effectuum non humanorum, nempe quòd removerit fines populorum, & ſub monarchiâ ſuâ multos populos conjunxerit: quum tamen Dei ſit gentibus terminos habitationis dare: quòd populorum fixa revulſerit: quòd ſedentes de thronis ſuis depoſuerit, & aliò tranſtulerit: quum tamen Deus ſit, qui reges & ponit in ſolio & dejicit: Denique quòd ſumma facilitate, nullo Deorum hominumque repugnante vel hiſcente, populos quaſi in ſinum collegerit; quaſi nullus Deus eſſet, qui ſecum aut cum Deo paria facere poſſet. *Nam dixit: Virtute manus meæ feci, & per ſapientiam meam eſt, quòd prudenter egi: & removeo terminos populorum, & fixa illorum diruo, & deſcendere facio plurimos ſedentium.* v. 13. *Et prehendit ut nidum manus mea copiam populorum, quaſi auferrem ova relicta, totam terram abſtuli, neque fuit divagans ala & aperiens os aut pipiens*, vel *curans*. vers 14.

§. 4. Indignitas hujus arrogantiæ illuſtri parabolâ exponitur. vers 15. *Nunquid ſuperbit ſecuris contra cædentem eâ? An magnificabit ſe ſerra contra ducentem eam? Quaſi agitaret ſceptrum agitantes ipſum: quaſi eleverat virga non-lignum.* h. e. Deum, qui eſt non lignum, non-caro, non-homo, non angelus, &c. In hiſce omnibus, videl. conſiliis & cogitationibus Aſſyrii typum ſpiritualis Babylonis & Antichriſti legere eſt.

ARTICULUS XVIII.

ASſyriis jam longè latéque dominantibus inde à Nineve; verſus Ortum & Occaſum, Septentrionem & Meridiem, prolatatur imperium ipſorum uſque ad fines Palæſtinæ.

DEMONSTRATIO.

Ad hunc Articulum ita progreditur viſio: *Veniunt è terrâ longinquâ, à fine cœlorum, Jehovah & vaſa ſeveritatis ejus.* Eſ. 13:5. *Tanquam imbrem aquarum multarum inundantium*

undantium inflixit in terram eum manu. Eſ. 28: 2. Quatenùs verò hæc dominationis amplitudo, niſi domitis interjectis, acquiri non poterat, & Niniven atque Palæſtinam Syria dirimebat, hæc nominatim univerſa in poteſtatem Aſſyrii ventura ſignificatur, Eſ. 17: 3. *Et deficiet regnum à reliquo Syrorum.* Conf. Eſ. 10: 9. 2 Reg. 18: 34. 19: 12. 13.

ARTICULUS XIX.

SUb initiis regni Menahemi, à quo Sallum interfectus eſt, exercitus Pulis, regis Aſſyriorum, invaſit terram Iſraëlis, eamque cœpit populari. Sed is muneribus averſus, atque etiam conciliatus Menahemo, ut vellet ei eſſe adjumento ad confirmandum ipſi regnum, hoc facto, receſſit. 2 Reg. 15: 19. 20.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sic ad literam factum & impletum eſt, quod legitur. Hoſ. 7: 1. *Effundit ſe exercitus in campis.* Subſtitit enim hæc invaſio intra effuſionem. Quod autem rex Iſraëlis uſus fuerit Aſſyrio ad confirmationem ſui regni, in eo primum exemplum ſcortationis Oholæ, ſive X. tribuum, cum Aſſyriis, habemus. De quâ ſcortatione ita eſt. Ez. 16: 28. *Et ſcortata es cum filiis Aſſur, eò quòd non eſſes ſatiata. Et ſcortata es cum ipſis, atque etiam non es ſatiata.* Illis confiſa es, tanquam opitulatoribus & conservatoribus ſtatus tui. Item. Ezech. 23: 5. 6. 7. *Et fornicata eſt Ohola ſub me, & concupivit ſuos amaſios, Aſſyrios propinquos.* vers 5. *Veſtiti hyacinthino, præfecti & principes, juvenes amabiles univerſi erant, equites vecti equis.* Hæc ſcil. cauſa erat convertendi amoris ad ipſos. Hæc enim ſunt, quæ κατ' ὄψιν poſſunt hominem delinire, & facere, ut cum illis, qui tales ſunt, velit eſſe, & communionem cum ipſis habere. vers 6. *Et dedit fornicationem ſuam ſuper ipſis,* (ſive *effudit in ipſos*) *præcipuum filiorum Aſſur univerſi erant: & in omnibus, quos concupivit, omnibus ſtercoribus eorum contaminata eſt.* v. 7.

§. 2. Cæterùm hæc invaſio Pulis initium & præſagium quoddam erat adventantis, & jam præſentis diei Domini, per edita in toto mundo judicia omnia jam præparantis in adventum ſuum, & neceſſitatem condemnationis peccati in corpore ſuo demonſtrantis. Ita enim Eſaias: *Ejulate, quia propè adeſt dies Jehovæ; qui ut vaſtitas ab Omnipotente veniet.* Scil. approximatio diei Domini erat cauſa ejulandi ob peccata ſua, & deſperandi de ſalute. Eſ. 13: 6. Nec tantùm: Sed &, *Idcirco omnes manus remittuntur, & omne cor hominis liqueſcit.* vers 7. *Et conſternantur: tormina & cruciatus occupant: inſtar puerperæ dolent,* ſperantes aliquid boni, ſed fruſtrà, *alter ad alterum mirantur,* videntes, planè contra ſpes ipſorum extremas rem procedere: *facies flammarum,* rubens ex pudore, *eſt facies ipſorum* v. 8.

ARTICULUS XX.

MEnahemo, & filio ejus Pekachjæ, ſucceſſit Pekach, filius Romoliæ, tertius prædo regni, vir animoſus: qui 20. annis dominatus eſt, valuitque copiis & ſtrenuitate adeò, ut conſilium iniret cum Rezine rege Syriæ de invadendo & occupando regno Judæ; & paratâ in eam expeditione,

uno die duodecim myriadas interficeret; & viginti myriades in captivitatem abduceret. 2 Reg. 15: 37. 2 Reg. 16. Eſ. 7: 1. 2. 5: 6. 2 Chron. 28: 6. 7. 8.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ideò vulgò *Arcus Iſraëlis* haberi potuit: Sicuti nominatur. Hoſ. 1: 5. Quem tamen Eſaias *Titionem fumigantem* appellat, Eſ. 7: 8. Qui eidem מְשׂוֹשׂ *ἀγαλλίασιν*, alacritatem ſtrepitum, & triumphabundam animoſitatem attribuit, cap. 8: 6. Huc refer, quod eſt Hoſ. 7: 15. *Et confirmavi brachia ipſorum.*

§. 2. De conſpiratione Pekachi cum rege Syriæ eſt. Hoſ. 7: 4. *Omnes mœchantur.* Et Hoſ. 8: 9. 10. *Ephrajim, pacti ſunt amores. Etiam cùm paciſcebantur in gentibus.* Ubi *pactum amorum* dicitur, quod eſt ad eoſdem amicos & inimicos habendum. De eâdem quoque intelligendus eſt Eſaias, cap. 8: 9. *Sociamini, populi.* Et Ezechiel, cap. 16: 29. *Et amplificâſti fornicationem tuam erga terram Canaan.* &c. Per eamque *Ephrajim populis ſeſe miſcuiſſe* dicitur, metaphorâ ductâ à *φυράματι* piſtorum. Hoſeas. 7: 8.

§. 3. *Malitia* tribuitur huic conſilio, Hoſ. 7: 3. Atque ita Eſaias: *Conſuluere contra te Syri malum, Ephrajim & filius Remaljæ*, cap. 7: 5. Et conjunctus eidem fuit ardor indicibilis ad nocendum populo Dei; qui hinc comparatur cum ardore furni accenſi à piſtore: dum is quieſcit poſt maſſam ſubactam, uſque dum ea fermentetur. Ita enim Hoſeas, cap. 7: 4. *Omnes mœchantur, ſunt ut fornax, quæ accenſa eſt à piſtore, qui ceſſat vigilare, ex quo depſuit maſſam, donec ea fermentetur.* In hiſtoriâ. 2 Chron. 28: 9. Vocatur *ira, quæ uſque in cœlum pertigit.*

§. 4. Id conſilium occultabatur uſque ad opportunitatem id exſecutioni mandandi. Quod dicitur. Hoſ. 7: 6. *Quando commiſerunt inſtar fornacis cor ſuum, dum inſidiantur; totâ nocte dormivit piſtor ipſorum: manè* orto, quum opportunitas adeſt, *id flagrat, ut igne flammante.* Quemadmodum cum fermentato jam pane opportunum eſt eum coqui, tum ardet ignis flammans, & piſtor egregiè ſuum opus facit.

§. 5. Interim verò dum ſic occultabatur, *rex lætabatur malitiâ principum*, h. e. malitioſo hoc conſilio, Eſ. 7: 5. *& abnegationibus ſuis principes.* Inprimis promiſſionis regni Davidi factæ, & cultus, quem Deus Hieroſolymis juſſit fieri. Omnibus enim gratum fuit audire, Deum delectari æquè ipſorum ſacrificiis, atque illis, quæ fierent Hieroſolymis. Promiſſionem ſemini Davidis factam, quippe temporalis rei, conditioni annexam fuiſſe; nunc regnum ipſis datum. Idololatriam domus Achabi nunc vindicâſſe Deum, & reconciliatum eſſe populo ſuo, qui ita auxerit ipſorum potentiam. Hoſ. 7: 3. Et ſic Eſaias, cap. 8: 6. *Hilaritas eſt penes Rezinem & filium Remaljæ.*

§. 6. Hoc conſilio *improbitas*, h. e. indoles hominis non juſtificati, *exarſit inſtar ignis.* h. e. proceſſit ad apertam abnegationem & impugnationem veritatis; Eſ. 9: 17. Et, quamvis aliàs Tribus Iſraëlis inter ſe diſſentirent, pariter tamen Judam oppugnarunt. *Manaſſes Ephrajimum, Ephrajim Manaſſem: unà illi contra Judam.* Eſ. 9: 20. Ac denique *ignis immiſſus eſt in domum Chaſaëlis, qui comeſurus erat palatia Benhadad.* Zelus nempe ille, quem concepit Rezin ad ſubjugandam Judæam & Hieroſolymam. Amoſ. 1: 4.

ARTICULUS XXI.

HIs primis ſucceſſibus inflati & faſcinati Iſraëlitæ, veteri ſeſe perſuaſioni, luxui, & παροινίᾳ, de quibus ſuprà. Art. XIII. Demonſtr. Num. I. 3. 4. & Num. II. cum rege ſuo, impotenter tradidere.

DEMONSTRATIO.

More ſcil. ingenii humani putabant Iſraëlitæ, Deum parvâ humiliatione jam explevisse menſuram judicii, & omnium peccatorum ultionem perfeciſſe. *Et non dicebant ad cor ſuum, quòd omne malum ipſorum recordatus ſim.* inquit Deus. Hoſ. 7: 2. p. p. Qui & occaſionem hinc ſumtam epularum & luxuriæ, acclamandi regi ſuo, Illum eſſe diem regis ſui, arcus Iſraëlis! ſeſeque ingurgitandi vino; & regi cum irriſoribus cachinnos projectâ manu tollendi, Ibidem ſic notat: *Dies regis noſtri! quem infirmant principes æſtu à vino; qui projecit manum ſuam cum irriſoribus.* vers 5.

ARTICULUS XXII.

AChaz rex Judæ, compulſus in anguſtias, fœdus fecit cum Tiglathpileſere rege Aſſyriæ, obiatiſque muneribus pellexit eum ad ſibi ſuccurrendum. 2 Reg. 16: 7. 8. 2 Chron. 28: 1.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc confœderationem nomine ſcortationis ſic traducit Ezechiel: *Et ſcortata es cum filiis Aſſur, eò quòd non es ſatiata. Et ſcortata es cum ipſis, atque etiam non es ſatiata.* Fiduciam in illis collocâſti ſcil. & ſtuduiſti eis placere auxilii cauſâ. Ezech. 16: 28. Et expreſſiùs, cap. 32. *Et vidit ſoror ejus Oholiba*, i. e. Hieroſolyma, *& corrupit concupiſcentiam ſuam præ illâ, & fornicationes ſuas præ fornicationibus ſororis ſuæ.* vers 11. *Filios Aſſur concupivit, præfectos & principes propinquos, veſtitos accuratè, equites vectos equis: Juvenes amabiles univerſi erant.* vers 12. *Et vidi, quòd contaminata eſſet; via una ambabus.* vers 13. Et ſic ferè Hoſeas: *Nam illi adſcenderunt in Aſſyriam; onager ſolivagus.* Achazum comparat onagro ſolivago, propter incoërcitum impetum conſilij proprii; quum ſpreto conſilio Dei per Eſaiam prophetam propoſito, Eſ. c. 7. quaſi Deum aut paſtorem non haberet, ſuo ſolius conſilio nixus Aſſyrium muneribus ad auxilium ſibi ferendum ſollicitavit. cap. 8: 9. Et vers 10: Ib. *Etiam cùm paciſcebantur in gentibus.* Huic facto ſarcaſticè applaudit Habaccuc, cap. 1: 5. *Spectate gentes & ad illas reſpicite.* h. e. deſerto Deo, in illis fiduciam collocate. Et vers 9. Ibidem ſpecificat gentes, ad quas reſpexerint, à plagâ mundi, in quâ illæ eſſent: *Quorum facies anhelat ad Eurum*, ſ. Orientem. Achaz enim ad Orientem reſpexit, quum conduxit Aſſyrium contra Syros & regnum Ephrajim.

§. 2. Adeò venuſtum ſcil. erat ſcortum illud Nineve, id eſt tanta ejus imperii majeſtas, eo tempore, ut ad illam ſe reciperent, protectionis & auxilii gratiâ, reges, gentes, & familiæ. Aderant & *præſtigiæ*, id eſt artes, quibus utebatur ad faſcinandum homines: Scil oſtentatio religionis, prætextus vindicandi imminutionem honoris Dei, humanitas erga miſeros, fides, aliæque virtutes, quibus homines

mines oblectare, ſibique conciliare noverat. Itaque Nahum *ſcortum venuſtum* appellat, *habens præſtigias; quæ vendit gentes per ſcortationes ſuas, & familias per præſtigias ſuas*. Cujus elogii exemplum & praxin habemus in Tiglath pileſere, qui ita novit cum Achazo ſcortari, & eum faſcinare, ut accepto munere ipſi venderet exſtirpationem regni Syriæ, & calamitatem regni Iſraëlis. Nah. 3: 4.

ARTICULUS XXIII.

PRofligare, erat in corde Aſſyrii, & exſcindere gentes non paucas; Eſai. 10: verſ. 7. Igitur novâ, ad hoc agendum, per Achazum ei oblatã occaſione, annuit petitioni ejus; Deo hoc pacto ipſum adducente, & primò in Iſraëlem, tùm & in ipſum Aſſyrium, parante exſequi judicia ſua.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Scil id agebat *rex Aſſur*, ut *vocaret Iſraëlem*, & quaſi carnes ejus comederet. Jer. 50: 17. Utque montes ejus occuparet. Unde Ezechiel, in præconio ad illos montes; cap. 36: 3. *Quandoquidem deſolati eſtis, & cum anhelitu vaſtàrunt vos undiquaque, ut fieretis hæreditas reliquiis gentium*. Significat enim gentes undiquaque hoc egiſſe perpetuâ vexatione populi Iſraëlitici, ut eos montes occuparent.

§. 2. Eo fine *Deus in pinguia ejus miſit maciem*, h. e. famem nullis ſucceſſibus ſatiabilem. Eſai. 10: 16. Et quoniam ſic Deus effecit, ut Syriæ & montibus Iſraëlis inhiaret; hinc Deus dicitur non tantùm *ſublimâſſe hoſtes Rezin ſupra ipſum*; Eſai. 9: 10. Sed & *inimicos ejus inſtigâſſe* Ibid. Et *in gentem hypocriticè agentem miſiſſe ipſum, & in populum excandeſcentiæ ſuum præceptis ſuis induxiſſe illum, ad ſpolia agendum, & direptiones faciendas*, &c. Eſ. 10: 6.

§. 3. Cæterùm non erant, ut conſilia Aſſyrii, ita conſilia Dei. Advenit enim ille, ut vorando & comedendo deſideria ſua expleret: Adduxit illum Deus, ut populus ſuus tam Judæorum, quàm Iſraëlitarum, per illum caſtigaretur. Ita enim Deus illum compellat: *Væ Aſſur, virga iræ meæ* (*& virga, quæ in ipſorum manu eſt, ſeveritas mea eſt*, vel *virga ſeveritatis meæ eſt.*) Eſai. 10: 5. Deinde ut occaſio iem fabricaret, ac juſtam cauſam, in ipſum quoque judicia ſua exercendi: quod faciebat *mittendo maciem in pinguia ejus, & ſub gloriâ ejus accendendo, ut ardorem ignis*. h. e. faciendo, ut conciperet furorem contra Deum & Iſraëlem, qui furor poſtea in literis Rabſakæ blaſphematoriis apparuit. Eſai. 10: 16. Sic enim occaſionem Deo præbuit *viſitandi in fructum magnitudinis cordis ejus*. h. e. diſſipandi bona comparata per ſtudium magni animi. Ibid. verſ. 12.

§. 4. Et quia per hæc judicia & caſtigationes futurum erat, ut nomen Dei, abruptâ toleratiâ hactenus exercitâ erga peccatores & hypocritas, & ſumtâ ab iis pœnâ, ſanctificaretur; hinc tempus illud *Dies Domini*, & hic ipſe dies *immanitas, & excandeſcentia, & æſtus iræ*, utpote ab iis incipiens, appellatur. Effectus iræ: *ad ponendum terram deſolationem, & ut peccatores profliget ex illa*. Eſai. 13: verſ. 9.

ARTICULUS XXIV.

Tiglath pileſer itaque rex Aſſyriæ, rogatus & conductus ab Achazo, expugnat, diripit & evertit Damaſcum, interficit Rezinem, deſtruit regnum Damaſcenum, & deportat populum Damaſcenum Kiram. 2 Reg. 16: verſ. 9.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hâc ratione factum eſt, quod legitur Eſai. 8: 7. *Ergo igitur ecce Dominus facit aſcendere ſuper ipſos* (Rezinem & regem Remaljæ ex verſ. 6.) *aquas fluvii validas & amplas, regem Aſſyriæ & omnem gloriam ejus; & aſcendet ſupra omnes alveos ſuos & ibit ſupra omnes ripas ſuas.* Interque alia Syriam inundabit & abſorbebit. Et quod eſt Eſ. 8: 9. *Sociamini, populi, & conſternamini.* Et cap. 9: 10. *Et ſublimavit Jehovah hoſtes Rezin in* vel *ſupra ipſum.* In ſpecie de expugnatione Damaſci prophetat Amoſus cap. 1: 5. *Et confringam vectem Damaſci.* De direptione ejus, Eſaias, cap. 8: 4. *Ferent copias Samariæ coram rege Aſſyriorum.* De everſione ſive excidio, Eſaias, cap. 17: 1. *Ecce Damaſcus amovetur, ne ſit urbs, & ſit acervus ruinæ.* De interfectione Rezinis, ultimi regis Damaſci, Eſaias, cap. 6: 8. *Et caput Damaſci Rezin.* Excluſivè loquitur, hoc ſenſu: Damaſci rex erit, non etiam Judææ vel Hieroſolymæ: Et Rezin Damaſci regnabit; poſt illum non erit Damaſcus ſub ſuis regibus; in poteſtate Aſſyrii erit. q. d. Rezin ultimus rex Damaſci eſt. Item Amoſus, cap. 1: 5. *Et exſcindam .... tenentem ſceptrum ex Beth Eden.* De deſtructione regni Damaſceni, Eſaias, cap. 17: 3. *Et deficiet regnum à Damaſco.* Amoſus, cap. 1: 4. *Et immittam ignem in domum Chaſaëlis, & comedet palatia Ben Hadad.* Zelus ille, de quo ſup. ad Art. xx. ſ. erit occaſio deſtruendi regni Syrorum in pœnam crudelitatis à Chaſaële & Benhadado exercitæ. Et verſ. 5. *Exſcindam tenentem ſceptrum ex Beth Eden.* De deportatione populi Damaſceni, Eſaias, cap. 7: 16. *Deſeretur terra, propter cujus duos reges tu nauſeas.* Amoſus, cap. 1: 5. *Et exſcindam habitantem ex valle Aven.* (h. e. Vani, ſ. Idoli.) Propheta hîc obiter taxat Damaſcenorum in retinendâ idololatriâ obſtinationem. Et clariùs Ibidem, cum expreſſione loci deportationis: *Et migrabunt populus Syriæ Kiram.* in Albaniam nempe, illò, ubi Κύῤῥος fluvius eſt, memoratus Ptolemæo.

§. 2. Inſtrumentum hujus calamitatis dicitur *rex Aſſyriæ*; Eſai. 7: 20. 8: 4. 7. Ille ſcil., quem adverſus reges, Iſraëlis & Syriæ, conduxerat Achaz; *novacula* illa *conductitia.* Eſai. 7: 20. *ſcortum* illud *venuſtum*, Nineve; quæ hinc *gentes & familias* dicitur *vendidiſſe.* Nah. 3: 4. Forſan & Syri in illâ expeditione adjuncti Aſſyriis fuerunt; illi ſcil., qui non parebant Rezini Damaſceno. Namque & *Syri* dicuntur *comediſſe Iſraëlem* illo tempore, quo Deus *ſublimavit hoſtes Rezin in ipſum.* Eſai. 9: 11. coll. 10. Conf. Eſai. 10: 9. Ubi *Chamath* tanquam ſubacta ab Aſſyrio, ante *Damaſcum* & *Samariam* nominatur.

§. 3. Temporis etiam, quo hæc ſint futura, rationem habet prophetia. Ejus brevitas notatur: *Antequam* nim. *puer aliquis ſciat ſpernere malum, & eligere bonum.* Eſai. 7: 16. Vel: *Antequam puer* aliquis, jam *concipiendus & naſciturus, noſcat clamare, Pater mi, & mater mea.* Eſai. 8: 4.

§ 4. Signum quoque Prophetiæ additum, quo Damaſci direptio jam inſtans ſignificaretur, Suſceptio filii ex Prophetiſſâ, & nominis impoſitio, *Maherſchalalchaſchbaz.*

chaſchbaz. Cujus nominis pars poſterior *Chachbaz, feſtinavit direptio*, id, quod dictum, ſignificat. Eſai. 7: 3. 4. Parificantur hâc in parte Syri cum Iſraëlitis; Eſai. 17: 3. *Ut gloria filiorum Iſraël fient.* q. d. Pari ſorte & conditione erunt cum gloriâ, h. e. regno & copiâ filiorum Iſraël. Non poterunt, illis dejectis & abductis, ridere, & illis inſultare, & de illis gloriari.

ARTICULUS XXV.

DIreptionem Damaſci mox exceptura erant ſpolia Samariæ. Igitur Aſſyrius, à Damaſco in terram Iſraëlis, à Rezine in Pekachum, impetu belli converſo, Gilead & Galilæam, & terram Naphtali, hoc eſt totam oram maris Genneſareth, cepit, & incolis ſpoliavit, & partem dimidiam X. tribuum deportavit in Aſſyriam. 2 Reg. 15: 29. 1 Chron. 5: 26.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sic prædicit Eſaias, fore, ut *ferant copias Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum.* Ubi notandus & ordo, & differentia, quæ eſt inter utrumque. Direptio enim præcedit, & omnium bonorum; Spoliatio ſequitur, & quorundam, ablationem ſignificat. Eſai. 8: 4. In eandemque ſententiam accipiendum illud, quod eſt Ibid. verſ. 1. & 3. *Maherſchalalchaſchbaz.* nim. ut primum verbum ſumatur in Imperativo, ſecundum in Præterito. Ut ſit ſenſus: *ô Spolium, propera; feſtinavit direptio:* q. d. quia jam feſtinavit direptio Damaſci, prope eſt, ut ſequantur ſpolia Samariæ. De ſpoliatione rurſus loquitur Eſaias, cap. 10: 6. *In gentem hypocriticè agentem mittam ipſum, & in populum excandeſcentiæ meum præceptis meis inducam illum, ad ſpolia agendum, & direptiones faciendas* Et cap. 18: 2. *Cujus terram fluvii*, i. e. exercitus Aſſyriorum, *diripuerunt.* Futura hæc ſpoliatio dicitur per captivitatem & deportationem incolarum terræ. Ita enim eam interpretatur Eſaias, cap. 7: 16. *Deſeretur terra, propter cujus duos reges tu nauſeas.* Quod poteſt de inchoatâ derelictione terræ X. tribuum, quæ accidit hoc tempore, commodè intelligi. Item cap. 9: 13. 14. 16. *Et exſcidit Jehovah ab Iſraële caput & caudam, ramum & juncum die uno.* verſ. 13. *Senior, & cujus facies accipitur, is eſt caput: & propheta docens falſitatem,* utpote viliſſima pars populi, *is eſt cauda.* verſ. 14. *Iccirco ſuper juvenibus ejus*, ii ramorum frugiferorum inſtar habent, *non lætabitur Dominus, & pupillos ejus & viduas ejus*, hæ junci, *non miſeratur*, ſed in captivitatem abigit. verſ. 16. Ex quo verſiculo patet etiam hoc, non factam hanc deportationem ſine præcedente multiplici ſtrage, quâ multæ viduæ, & multi pupilli, facti ſint.

§. 2. Partis dimidiæ X. tribuum futura erat hæc deportatio. Quod indicat Hoſeas hâc ſententiâ: *Ephrajim factus eſt, ut placenta non converſa.* ab uno tantùm latere uſtulata. Dimidium enim populi conflagravit æſtu ipſorum, in deportatione Tiglath Peleſeris. Hoſ. 7: 8. Conf. verſ. 9. Ibid. Ubi propheta ſic explicat emblema: *Comederunt peregrini vim ejus.*

§. 3. Loca habitatoribus vacuanda etiam nominantur: *Vallis Jizreël*, Hoſ. 1: 5. Eſt ea convallis in viciniâ maris Genneſareth, cujus oram totam rex Aſſyriæ vaſtavit, inter montes Gilboæ & Hermon. *Urbes Aroër.* h. e. tribus Gad & Reüben. Eſt enim Aroër gemina, in finibus Moabitarum, & in finibus Ammonitarum. Joſ. 13: 9. 16. 25. illa terminus Rubenitarum, hæc Gaditarum. Ita Eſaias,

cap. 17: 2. *Derelictæ urbes Aroer ; gregibus cedent & cubabunt*, propter paucitatem hominum, *& non erit inquietans.* Quibus ſubjungitur Ibidem, verſ. 3. abolitio omnium munimentorum regni Ephrajimi, ſ. decem tribuum: *Et deficiet munitio ab Ephrajim.*

§. 4. Sic itaque *confractus eſt arcus Iſraëlis in valle Jizreël.* Hoſ. 1: 5. Et factum eſt, quod legitur Eſai. 8: 7. de quo loco vid. ad Att. præced. Et quod Eſai. 28: 3. *Pedibus conculcabuntur: corona erectionis ebriorum Ephrajimi.* Itemque Eſai. 17: 4. *Et erit in die illo, attenuabitur gloria Jacobi.* Ea conſiſtit in amplitudine populi, in bonitate terræ & urbium, nomine tribuum, præſumtione Divini fœderis; quia in terrâ Dei habitabant, *& opimitas carnis ejus* (Intelligit omnem abundantiam) *emaciabitur.* Cui ſimile eſt, quod narrat Jeremias, cap. 50: 17. *Ovis disjecta Iſrael, quam leones diſpulerunt. Prior voravit illum rex Aſſur.* Porrò hic incepit impleri illud Eſaiæ: *Quia exarſit tanquam ignis Improbitas*, Vid. ſup. ad Art. xx. *ſentes & vepres* omnes ſcandaloſos *comedet: & exarſit in perplexitatibus ſylvæ*; in totâ republica. *& epulverabitur erectione fumi.* diſſolvetur reſp. donec tota abeat in fumum. Eſai. cap. 9: 17. Atque ita denique ſocietas Rezinis & filii Romaljæ exivit in ipſorum conſternationem, id eſt deletionem regni Syrorum, & ex parte Ephrajimitarum. Quod dicitur Eſai. 8: 9. *Sociamini, populi, & conſternamini.* Et quatenùs hâc conſternatione populus & regnum Iſraëlis multùm fuit debilitatum, rem habemus, Hoſeæ per nativitatem *filiæ*, prolis ſcil. infirmioris, ſignificatam. Hoſ. 1: 6. conf. Hoſ. 1: 3. Et verè reſpublica Iſraëlitica conſenuit. Quod dicitur Hoſ. 7: 9. Etiam *canities ſe ſparſit in ipſo.* Et quatenùs eâdem operâ effectum eſt, ut non potuerit exſequi Pekach conſilium ſuum in Judâ, fuit *caput Ephrajimi Samaria*, non etiam Judææ; *& caput Samariæ filius Remaljæ*, ſc. ſolius, & non Hieroſolymæ. Imo quatenùs Hoſeas, qui eum ſecutus eſt, apprehendit quidem regnum, ſed non obtinuit, etiam ſolus. Eſ. 7: 9.

§. 5. Inſtrumentum, & tempus hujus calamitatis repetatur ex Art. præced. Signum eſt in illo, מַהֵר שָׁלָל, Eſai. 8: 1. 3. Item in *filia* Hoſeæ natâ; de quâ modò dictum.

§. 6. Culpa, ob quam hæc Syris & Iſraëlitis obvenerint, notatur Eſai 8: 6. *Eo quòd ſprevit populus hic aquas Siloæ leniter fluentes.* i. e. regnum Chriſti, cujus gratiâ tum ſuſtentabantur, quique ut rex à Deo promiſſus, & ſuo tempore mittendus, habet ſimilitudinem fontis emittentis aquas puras ad ablutionem & emundationem menſtruati & peccati. Zach. 13: 1. Hæc culpa Iſraëlis propria. Communis Syris & Iſraëlitis: *Et hilaritas eſt penes Rezinem, & filium Romaljæ.* i. e. ἀγαλλία-σις in robore & copiis ſuis. Conf. ſup. Art. xx.

§. 7. Quod ſupereſt, abductis Galilæis, habitantibus terram Naphtali, ingruebat calamitas Ephrajimo & Benjamini & Manaſſæ citra Jordanem habitanti. His opportunum fuit orare, ſicuti eſt Pſalm. 80: 3. *Coram Ephrajim & Benjamine & Manaſſe excita præpotentiam tuam, & veni ad ſalutem nobis.* Velit ſedens inter Cherubim ſaltem reliquias conſervare, & potentiam ſuam excitare adverſus hoſtes à ſeptentrione ſe magis magisque in hæreditatem Dei penetrantes, & univerſis excidium minitantes: & denique ad ſalutem ipſis faciendam veniat. Et verſ. 4. *Deus, reduc nos*; tùm à viâ malâ, tùm ex manu hoſtium, & quidem ad te, h. e. tùm ad amorem, & cognitionem tui, tùm ad eum ſtatum, ut Deus ſolus in nobis ſit rex; *& lucere fac faciem tuam*; te placatum & non memorem peccatorum noſtrorum velis oſtendere: *& ſalvabimur.* Quæ perpetua oratio fidelium ſub V. T. fuit.

ARTI-

ARTICULUS XXVI.

INterfecto Rezine, & parte terræ Iſraëliticæ incolis ſpoliatâ, Tiglathpileſer in ipſum quoque Achazum ſe convertit, eumque impoſito gravi tributo, coëgit ſecum partiri opes templi, & domus regiæ, & principum, ſibique dare. 2 Chron. 28: 21.

DEMONSTRATIO.

Hunc Articulum notat Eſaias demonſtrans Achazo, quantum malum ſibi & domui ſuæ & reip. accerſiviſſet conducendo Aſſyrium; Eſ. 7: 17 —— 20. *Adducet Jehovah ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui dies, qui non venerunt inde à die, quo receſſit Ephrajm à Judâ; regem Aſſyriæ.* vers 17. *Et erit in die illo, ſibilabit Jehovah .... api, quæ eſt in terrâ Aſſur.* vers 18. *Et venient & quieſcent omnes illæ in vallibus deſertis, & in fiſſuris petrarum, & in omnibus arboretis, & in omnibus locis celebribus.* vers 19. *Illo die radet Dominus per novaculam illam conductitiam, transfluvianos, per regem Aſſyriæ, caput & pilos pedum: atque adeò & barbam abſumet.* omnem ſcil. ornatum auferet, vers 20. Et eundem indigitat Hoſeas, cap. 8: 10. *Etiam cùm paciſcebantur in gentibus, nihilo ſeciùs congregabam eas.* Ad jugum ipſis imponendum; *& doluerunt parùm ab onere regis Imperatorum.* i. e. regis Aſſyriæ, regis regum. Quo innuitur, illos guſtâſſe imperia & onera Aſſyriaca; & quantum intereſſet inter ſervitutem Dei, & ſervitutem gentium. Hujus oneris ita meminit Nahum, cap. 1: 13. *Sed nunc frangam jugum ejus à te, & vincula tua rumpam.* Notatur enim, Judæos in eam neceſſitatem venturos, ut veluti conſtrictos teneat, & tantùm non omnibus jugum imponat. Scilicet volebat Deus oſtendere, non eſſe hominis populum Dei in libertatem aſſerere, ſed ſuum.

ARTICULUS XXVII.

POſt illa Idumæi & Palæſtini invaſerunt Judam, eamque partim incolas abducendo, partim urbes occupando infeſtam habuerunt, Tyriis quoque operam ipſis ſuam aſſociantibus. 2 Chron. 28: 17. 18.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Eſaias de Palæſtinis hunc Articulum ita enunciat: *Syri ab Oriente, & Palæſtini ab occaſu, & comederunt Iſraëlem* (Intellige non ſolos Ephrajimitas, ſed tam latè, ut etiam Judæos complectatur.) *toto die.* Eſ. 9: 11. Itemque Ezechiel: *Et extendi manum meam contra te, & diminui demenſum tuum, & dedi te in animam obedientium te filiarum Palæſtinorum, quas pudebat viæ tuæ ſceleſtæ.* Ezech. 16: 27. Scil. pudebat vicinas gentes Deum Iſraëlis nominare, & nihilominùs Diis falſis adhærere. Quod faciebant Iſraëlitæ: quorum hypocriſis in omnem partem fuit manifeſta. De Palæſtinis & Idumæis, Amoſus: *Sic dixit Jehovah: Ob tres defectiones Gazæ, imò ob quatuor, non revocabo illud, eò quòd captivârint captivitate plenariâ ad tradendum Edomo.* Siquidem cum Belgis velimus, hîc rem ſub Achazo geſtam prædici. Aliàs enim eſt narratio accommodata hiſtoriæ. de quâ ſup. Art. VII. Am. 1: 6. De Tyriis huc facere videtur, quod eſt Amoſi 1: 9. *Sic dixit Jehovah: Ob tres defectiones Tyri, imò ob quatuor, non revocabo illud; eò quòd tradiderunt captivitatem plenariam Edomo;*

& non

& non recordati ſunt fœderis fratrum. Iſraëlitarum & Idumæorum. Scil. Tyrii adjuverunt Idumæos jus ſanguinis & communis fœderis violantes. Saltem non tulerunt ſuppetias Iſraëlitis.

§. 2. In hoc tempus competit Oratio Pſalmi 80. vers 5 — 8. Eſt in eâ. 1. Deploratio malorum: *Jehovah Deus, Deus exercituum, quò uſque fumaſti* h. e. omnia ſigna iræ oſtendiſti *contra orationem populi tui?* Intelligit orationem ſuprà poſitam. Art. xxv. fine. vers. 5. *Cibaſti illos pro pane, lachrymâ, & potâſti illos cum lachrymis trientali.* perfectâ menſurâ ad plenum infusâ Vel tribus jam ſæculis à diviſione regni. vers 6. *Ponis nos jurgium vicinis noſtris.* Sive ut rixarentur nobiſcum, ſive ut rixarentur de nobis. Philiſtæi, Syri, Edomitæ, Moabitæ, Ammonitæ fuerunt vicini Iſraëlitarum: cum quibus perpetuam rixam habuerunt. *Et inimici noſtri*, tùm vicinores, tùm remotiores, *ſubſannant invicem.* tanquam qui populum tuum ſubjugaverint, & quaſi in Deo ipſi parum ſit ſubſidii. vers 7. 2. Eadem petitio, quæ ſup. ad Art. xxv. ex vers 4. inſtaurata. v. 8.

ARTICULUS XXVIII.

HÆc in Iudæâ. Ab alterâ parte Moabitæ & Ammonitæ urbes quaſdam Iſraëlitarum, præcipuis habitatoribus à Tiglathpileſere vacuatas, occuparunt, & quaſi poſtliminiò ad ſe retraxerunt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Moabitæ quidem invaſerunt urbes illas, quas recenſet, iiſque attribuit Eſaias, cap. 15. vers 2: 4. 6. Suntque *Dibon*, quæ Num. 32: 33. Gaditis aſſignatur: *Nebo*, Rubenitarum. Num. 32: 38. *Medaba*, Rubenitarum. Joſ. 13: 8. 9. *Chesbon*, & *Eleale*, Rubenitarum. Num. 32: 37. *Jahatzh*, Meraritarum habitatio in tribu Rubenis. Joſ. 13: 36. *Nimrim.* Hæc Nimrah & Beth Nimrah Gaditarum. Num. 32: 3. 37. Joſ. 13: 27. &c. Ammonitæ verò oppida tribus Gad, quæ ultra Jordanem habitabat, & Ammonitis finitima erat. Ita enim Jeremias, c. 49: 1. *De filiis Ammon: Sic dixit Jehovah: An filii non ſunt Iſraëli, num hæres non eſt ipſi? Quare hæreditat Malcam Gad, & populus ejus in oppidis illius conſedit?*

2. Cæterùm jubentur Moabitæ Dominum illius terræ, habentem domum in monte filiæ Sion, agnoſcere & colere, ut imminens periculum avertant; Eſ. 16: 1. *Mittite agnos dominatoris terræ à Petrâ uſque ad deſertum, ad montem filiæ Sionis.* Ammonitis autem culpæ datur, quod terras populi Dei invaſerint, & fecerint terram *Malcam*, ſive Dei falſi, quem illi adorabant. Jer. l. c.

ARTICULUS XXIX.

POſt Pekachum Hoſeas filius Elah gubernacula Iſraëlis invaſit, quartus fur regni. Hic quoque cum Aſſyriis ſcortatus eſt, factus ſervus Salmanaſſaris, & tributarius. 2 Reg. 17: 1. 3.

DEMONSTRATIO.

De furto regni videantur loca ſuprâ ad Art. xv. De ſcortatione cum Aſſyriis, ad xix. citata.

ARTI-

ARTICULUS XXX.

MOx ab impoſito jugo reſiliens in fidem & clientelam regis Ægypti conceſſit. 2 Reg. 17:4.

DEMONSTRATIO.

Notat Ezechiel, cap. 16:26. *Et fornicata es cum Ægyptiis vicinis tuis, magnis carne, & amplificâſti fornicationem tuam, ut mihi ægrè faceres.* Et cap. 23:8. *Et ſcortationes ſuas ab Ægypto non dereliquit: nam cum illâ concubuerant in pueritiâ ejus, & illi ſubagitaverant ubera illius virginis, & effuderant fornicationem ſuam in ipſam.* Affectum ſcil., quem habuerat in pueritiâ ſuâ erga Ægyptios, de quo ſup. Period. II. art. XII. retinuit, & aliquando magis cum Ægyptiis fecit, quàm cum Aſſyriis. Hoſeas item, qui & ſtultitiam hujus facti exagitat, cap. 7:11. *Et exſtitit Ephrajim ut columba ſtolida ſine corde: Ægyptium vocârunt, qui in Aſſyriam abierant.* maximam partem, imò facti erant Aſſyrio obnoxii. Et ſimul indignitatem innuit, vers 13. in medio; cùm Deus ab Ægyptiis eos liberâſſet. *Atqui ego redimo ipſos.* Hanc *ſannam ipſorum* vocat *in terrâ Ægypti* v. 16. Nam abnegato Deo redemtore ſuo, mittere ad eum, è cujus manu Deus ipſos eripuerat brachio magno & manu extenſâ, & ab eo ſuppetias eblandiri quid niſi ſanna eſt in Deum?

ARTICULUS XXXI.

HAc perfidiâ agitatus Salmanaſſar, expeditione ſumtâ in rebelles, Samariam caput gentis obſedit & cepit; populoque in Mediam, Colchos, & Iberiam, longè ultra Damaſcum, abducto, regnum & politiam Iſraëlis penitus deſtruxit. 2 Reg. 17:4.5.6.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc totalem populi & regni Iſraëlitici afflictionem, tùm in genere, tùm in ſpecie, qui prævidit, Spiritus, ita prædenunciavit. In genere quidem in ſequentibus: *Non volet Jehovah condonare ipſi; ſed tunc fumabit ira Jehovah & zelus ejus in virum illum, & incumbet ei omnis exſecratio ſcripta in libro hoc.* Deut. 29:20. *Et erit, quum venient ſuper te omnia verba hæc, ... & maledictio, quam poſui coram te.* Deut. 30:1. *Et exardeſcet ira mea in ipſum in die illo, & relinquam illos, & abſcondam faciem meam ab illis, & erit ad devorandum, & obtingent ei mala multa & anguſtiæ: & dicet in illo die: Annon propterea quòd non eſt Deus meus in medio mei, obtigerunt mihi mala hæc?* Deut. 31:17. *Et ego occultando occultabo faciem meam in die illo propter omne malum, quod fecerit, quum reſpexerit ad Deos alios.* Ibid. verſ. 18. *Et erit, quum obtingent ei mala multa & anguſtiæ.* Ibid. verſ. 21. *Et obveniet vobis malum in fine dierum, quum facietis malum in oculis Jehovæ.* Ib. vers 29. *Jehovah, Deus exercituum, quouſque fumâſti contra orationem populi tui? Cibâſti illos pro pane lacrimâ, & potâſti illos cum lacrimis trientali.* Pſ. 80:5.6. *Non*, ut olim, *nutabit* frugifera. Pſ. 93:1. *Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ: (dicat age Iſraël.) Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ.* Pſ. 129:1.2. *Idcircò efferbuit ira Jehovæ in populum ſuum, & extendit manum ſuam in ipſum, & percuſſit ipſum, & commoti ſunt montes, & factum eſt cadaver ipſorum ut quiſquiliæ in medio platearum.* Ubi per commotionem montium intelligitur concuſſio

& labefactatio duplicis regni, Iſraëlis & Judæ, illius per Salmanaſſarem, hujus per Nabuchodonoſorem. Eſ. 5:25. *Conſternamini, populi.* Eſ. 8: 9. *Ecce dies Domini venit, immanitas & excandeſcentia & æſtus iræ; ad ponendum terram deſolationem, & ut peccatores profliget ex eâ.* Ubi *Terra* notat quaſi territorium Dei & regni ipſius, terram Canaan. Eſ. 13: 9. *Et viſitabo in frugiferam malum, & in improbos pravitatem ipſorum.* Ibid. vers 11. *In excandeſcentiâ Jehoviæ Dei exercituum, in die æſtus iræ ejus.* Ibid. vers 13. *Nam ſic ait Jehovah, gratis venditi eſtis, & non argento aſſeremini.* Eſ. 52: 3. *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnavit eos unquam, &* Eſ. 63: 9. *In die calamitatis ipſorum.* filiorum Iſraël. Ez. 35: 2. *Et fudi ardorem meum in ipſos, propter ſanguinem, quem fuderunt in terram.* Ez. 36: 18. *Juxta viam ipſorum & ſtudia ipſorum judicavi ipſos.* Ibid. vers 19. *Quod fiet in extremo excandeſcentiæ.* Dan. 8: 19. *Et concepit iterùm & peperit filiam: & dixit ipſi; Voca nomen ejus Lo ruhamah* (h. e. Non adepta es miſerationem) *quia non addam ampliùs miſerari domum Iſraëlis; ſed ferendo perferam in ipſos ſententiam.* Hoſ. 1: 6. *Væ ipſis, quia fugerunt à me: Calamitas ipſis, quia defecerunt à me.* Hoſ. 7: 13. *Et ego anguſtiam faciam, quemadmodum arctatur plauſtrum, quod plenum eſt ſibi manipulis.* Amoſ. 2: 13. *Quo die viſitabo defectiones Iſraëlis ſuper ipſo.* Amoſ. 3: 14. *Nam ecce ego ſuſcito contra vos, domus Iſraël, dictum Jehovæ Dei exercituum, gentem: & affligent vos.* Amoſ. 6: 14. *Et ne ſpectes in die fratris tui, in die alienationis ejus.* h. e. abjectionis à facie Dei, quemadmodum Scriptura loquitur de X. tribubus. 2 Reg. 17: 23. Obad. vers 12. Clariùs verò in hiſce: *Nam ſic ait Dominus Jehovah: In Ægyptum deſcenderat populus meus primùm, ut hoſpitaretur ibi; & Aſſur eum pro nihilo rapuit.* Eſ. 52: 4. *Ovis disjecta Iſrael, quam leones diſpulerant. Prior voravit illum rex Aſſur.* Jer. 50: 17. *Ideo dedi illam in manum amaſiorum ejus, in manum filiorum Aſſur, quos concupiverat. Illi renudarunt nuditatem ejus, filios ejus & filias ejus acceperunt, & ipſam gladio occiderunt, & facta eſt nomen mulieribus, & judicium fecerunt in illâ.* Ez. 23: 9. 10. Innuit excidium X. tribuum Pſaltes in oratione: *Benefac in benevolentiâ tuâ Sioni.*

§. 2. In ſpecie hanc afflictionem ſic declarat Prophetia. Ponit eam in diſſolutione & deſtructione politiæ & regni. Ita enim Eſaias: *Et commoti ſunt montes.* Concuſſum & labefactatum eſt duplex illud regnum, Iſraëlis & Judæ. Eſ. 5: 25. *Frangetur Ephrajim, ne ſit populus.* Eſ. 7: 8. *Quia exarſit tanquam ignis Improbitas; ſentes & vepres comedet; & exarſit in perplexitatibus ſylvæ; & epulverabitur erectione fumi.* Eſ. 9: 17. *In gentem hypocriticè agentem mittam ipſum,* (Aſſurem virgam iræ meæ, ex v. præced.) *& in populum excandeſcentiæ meum præceptis meis inducam illum, ad ſpolia agendum, & ut ponat illum conculcationem, ut lutum platearum.* Eſ. 10: 6. *Nam ager Chesbon,* populus Iſraëliticus affectu & ſtudio mutatus in Moabum, *languens, vitis Sibmæ, cujus generoſi palmites,* ſceptra regnantia, *dominos gentium contuderunt.* Eſ. 16: 8. *Ut gloria filiorum Iſrael fient.* Pari modo, ut regnum Iſraëlis eſt dejectum, illi cadent. Eſ. 17: 3. *Pedibus conculcabuntur: corona erectionis ebriorum Ephrajimi.* Eſ. 28: 3. *Et abolebo quidem in fumo currus illius.* Potentiam Iſraëlis coërcebo. Nah. 2: 14.

§. 3. Facta autem eſt hæc diſturbatio reipublicæ per deſtructiones & direptiones urbium, ac munitionum, expugnationem ac deſtructionem arcis regni Samariæ & plenariam populi ſublationem ac deportationem ex terrâ. Ita enim de deſtructionibus & direptionibus urbium ac munitionum Prophetia: *Diruiſti omnes maceries ejus, poſuiſti munitiones ejus conſternationem. Diripuerunt eum omnes qui tranſeunt viam: factus eſt opprobrium vicinis ſuis. Extuliſti dextram hoſtium ipſius, lætificâſti omnes inimicos ejus. Imò retundis mucronem gladii ejus, & minimè feciſti ipſum ſtare in bello.* Pſ. 89: 41. 42.

41. 42. 43. 44. *Et deficiet munitio ab Ephrajim.* Eſai. 17: 3. *Et faciet deſcendere à te robur tuum.* dejiciet muros, arces tuas; *& ſpoliabuntur palaſia tua.* Am. 3: 11. *Audite, & conteſtamini domum Jacobi, ait Dominus Deus, Deus exercituum. Quòd, quo die viſitabo defectiones Iſraëlis ſuper ipſo, viſitabo in altaria Bethelis, & incidentur cornua altaris & cadent in terram. Et percutiam domum hibernam ſuper domum æſtivam, & peribunt domus eburneæ, & findentur domus multæ,* ſ. *amplæ, ait Jehovah.* Am. 3: 13. 14. 15. Porrò de direptionibus hoſtilibus agit Eſaias: *In gentem hypocriticè agentem mittam ipſum,... ad ſpolia agendum, & direptiones faciendas.* Eſai. 10: 6. *Cujus terram fluvii,* exercitus hoſtiles, *diripuerunt.* Eſai. 18: 2. Ezechiel: *Sic dixit Jehovah montibus & collibus, alveis & acclivibus; eremis vaſtis & oppidis derelictis, quæ exſtiterunt direptio reliquis gentium, quæ ſunt circumquaque.* Ezech. 36: 4. Nahum: *Exſcindam ex terrâ prædationem tuam.* Nah. 2: 14. De deſtructione & direptione Samariæ, ita nominatim Michæas: *Et ponam Samariam in acervum agri, in plantationem vineæ, & faciam defluere in declive lapides ejus, & fundamenta ejus nudabo. Et omnia ſculptilia ejus contundentur, & omnia donaria meretricia ejus cremabuntur, igne, & omnia idola ipſius ponam vaſtitatem. Nam à quæſtu meretricis congregavit, & ad quæſtum meretricium redibunt.* Mich. 1: verſ. 7. 8.

§. 4. Expugnationes & direptiones urbium ſolent comitari ſtupra & cædes. Ergo & iſta Iſraëlitis evenerunt. Indicat Amoſus: *Iccirco, ſic dixit Jehovah, uxor tua in civitate,* captâ ab hoſtibus, *fornicabitur, & filii tui & filiæ tuæ gladio cadent.* Am. 7: 17. Et alludit Ezechiel: *Illi renudarunt nuditatem ejus, filios ejus & filias ejus acceperunt, & ipſam gladio occiderunt.* Ezech. 23: 10. Cædem nominatim principibus minatur Hoſeas, cap. 7: 16. *Cadant in gladio principes ipſorum.* Quæ ſententia totius regni & politiæ deſtructionem complectitur. Deportationem populi ex terrâ exprimunt iſta: *Adponendum terram deſolationem, & ut peccatores profliget ex eâ.* Eſai. 13: 9. *Iccirco cælos faciam contremiſcere, & movebit terra à loco ſuo,* ut incolas ſuos excutiat, *in excandeſcentiâ Jehovæ Dei exercituum, in die æſtus iræ ejus.* Ibid. verſ. 13. *Ut gloria filiorum Iſraël fient.* Pariter, ut illi, abducentur. Eſai. 17: 3. *In Ægyptum deſcenderat populus meus primùm, ut hoſpitaretur ibi; & Aſſur eum pro nihilo injuſtè rapuit.* Eſai. 52: 4. *Ovis disjecta Iſraël, quam leones diſpulerunt. Prior voravit illum rex Aſſur.* Jerem. 50: 17. *Illi* filii Aſſur *filios ejus & filios ejus acceperunt.* Ez. 23: 10. *Et diſſipatæ ſunt ſine paſtore, & extiterunt cibus omni feræ agri, & diſſipatæ ſunt. Deerrant oves meæ in omnibus montibus, & ſuper omni clivo alto, & ſuper omni facie terræ diſſipatæ ſunt oves meæ, & non eſt qui curet & non eſt qui quærat.* Ezech. 34: 5. 6. *Idcirco propheta & dic: Sic dixit Dominus Jehovah: quandoquidem, quandoquidem inquam deſolati eſtis, & cum anhelitu vaſtârunt vos undiquaque, ut fieretis hæreditas reliquiis gentium, & ſublati eſtis in labium linguoſum & diffamationem populi. Idcirco, inquam, montes Iſraël, audite verbum Jehovæ: Sic dixit Dominus Jehovah, montibus & collibus, alveis & acclivibus, eremis vaſtis & oppidis derelictis, quæ exſtiterunt direptio & ſanna reliquiis gentium, quæ undiquaque ſunt.* Ezech. 36: 3. 4. *Et diſperſi eos in gentibus, & ventilati ſunt per terras: juxta viam ipſorum & ſtudia ipſorum judicavi ipſos.* Ibid. verſ. 19. *Et ego anguſtiam faciam ſubter vos, quemadmodum arctatur plauſtrum, quod plenum eſt ſibi manipulis.* Am. 2: 13. *Et transportabo vos.* Am. 5: 27. *Quapropter nunc migrabunt in capite migrantium.* in principiis, quemadmodum principes in peccatis fuerunt. Am. 6: 7. *Et tu in terrâ impurâ morieris*

& Iſrael migrando migrabit è terrâ ſuâ. Am. 7: 17. *Sic dixit Jehovah: ſiquidem integri, & adeò multi, & ſic,* tam ſubitò, & tam longè, *avulſi ſunt.* Nah. 1: verſ. 12.

§. 5. Locus exilii etiam definitur, Am. 5: 27. *Et tranſportabo vos ultra Damaſcum, dixit Jehovah.* Nim. ultra ſ. extra terminum terræ ſuæ arctoum. h. e. ut eventus docuit, & Stephanus memorat Actor. 7: 43. ultra Babylonem, in quam tribus Judæ deducta, in Mediam ipſam, & Colchos (hoc enim eſt חלח & Iberiam. quæ Chabora in Sacris. De Colchis, veriſimile eſt, ad eos penetráſſe Hebræos. Herodoti enim tempore circumciſi fuerunt. Herod. Euterpe.

§. 6. Fuit hæc deportatio plenaria ac totius populi, adeò ut pauciſſimi in terrâ relinquerentur. Atque ita Eſaias: *Rariorem faciam mortalem auro ſolido, & hominem auro Ophirino.* Quanquam id ad paucitatem hominum abductorum quoque pertineat: Quam ſi conferamus cum catalogis cenſorum à regibus, nominatim ſub Joſaphato rege, ſtupendum diſcrimen inveniemus. Eſai. 13: 12. *Et erit in die illo, attenuabitur quidem gloria Jacobi,* amplitudo illa populi, *& opimitas carnis ejus emaciabitur. Et tamen erit, ut cum auſert meſſis ſegetem, & brachium ejus, qui culmos metit; & erit tanquam legens ſpicas in valle Rephaim. Et relinquetur in eo racematio, ut ſtrictura oleæ, duæ tres baccæ, in capite rami, quatuor quinque in ramis ipſius frugiferæ, ait Jehovah Deus Iſraelis.* Eſai. 17: 4. 5. 6. Amoſus: *Sic dixit Jehovah: Quemadmodum eripit paſtor ex ore Leonis duo crura aut particulam auris, ſic eripientur filii Iſrael habitantes, Samariam, in angulo lecti, & in tibicine ſpondæ.* Am. 3: 12. Adde viſionem Am. 7: 1: 2. 3.

Huc facit, quod plaga eſſet univerſalis, & graſſaretur non modò per totam terram, ſed etiam per omnia genera hominum. Per totam terram: Sicut prædictum, Amoſ. 3: 11. *Quamobrem, ſic dicit Jehovah, anguſtia, & quidem in circuitu terræ.* Et Amoſ. 6: 14. *Et affligent vos, inde quà itur Chamatham.* à termino terræ Septentrionali, *uſque ad torrentem eremi.* terminum meridionalem terræ. Per genera hominum: in quæ ſic rem diſtribuit Eſaias: *Et viſitabo in frugiferam* h. e. juſtos communicantes cum peccatis alienis, *malum, & in improbos pravitatem ipſorum: & abolebo erectionem ferocium, & faſtum violentorum humiliabo.* cap. 13: 11. Amoſus, cap. 2: 14. 15. 16. *Et peribit effugium à levi, & fortis non contendit vim ſuam, & præpotens non eripiet animam ſuam. Et tenens arcum non ſtabit, & levis pedibus ſuis non eripiet; & ſeſſor equi non eripiet animam ſuam. Et, qui corde firmo eſt inter potentes, nudus fugiet in die illâ.* fiet ῥίψασπις & λειποτάκτης. *ait Dominus.*

§. 7. Huic tam plenariæ tamque univerſali populi & regni ruinæ individuo nexu conjuncta erat, exſtinctio ſplendoris & auctoritatis illorum, qui tanquam luminaria in populo Iſraëlitico lucebant. De quâ intelligi poteſt illud Eſaiæ: *Nam ſtellæ cæli & lucida ſidera ejus non faciunt ſplendere lucem ſuam; obtenebratur Sol in ortu ſuo; & Luna non exhibet fulgorem lucis ſuæ.* Eſai. 13: 10. Et hic *tremor cæli* illius antiqui eſt, quod ſuper populo Iſraëlitico, ad illum illuminandum, irrigandum, fructificandum, expanſum erat. De quo eſt Ibid. verſ. 13. Niſi velimus per obſcurationem ſtellarum intelligi ereptionem omnis conſolationis, adeò ut ſidera, quamvis luceant, ipſis tamen non lucere videantur. Tùm ablatio privilegiorum illorum, omnium, quibus, ut populus Dei, ſeparatus ab omnibus gentibus, gaudebant, qualia ſunt nomen tribuum, præſumtio Divini fœderis; quia in terrâ Dei habitabant. &c. Quò ſpectat Eſaias, cap. 17: 4. *Et erit in die illo attenuabi-*

tur

tur gloria Jacobi. omne id, in quo gloriari poteſt Jacob. Item imminutio omnis abundantiæ: In quam iterum Eſaias: *Et opimitas carnis ejus emaciabitur.* Ibid. Ac denique ereptio inſtitutionis ſalutaris ex verbo Dei, quam in exilio habeant nullam. De quâ Ezechiel: *Deerrant oves meæ in omnibus montibus .... & non eſt qui curet, & non eſt qui quærat.* Ezech. 34: 6.

§. 8. Ad atrocitatem & ſeveritatem hujus judicii ſignificandam pertinent ſequentia: *Et delebit Jehovah nomen ejus, ne ſit ſub cœlo.* Id enim verificatum eſt in X tribubus, quæ abductæ in Iberiam & Colchos & Mediæ civitates coaluerunt ita gentibus, ut nuſpiam ampliùs compareant ipſorum reliquiæ. Deut. 29: 20. *Non addam ampliùs miſerari domum Iſraelis; ſed ferendo perferam in ipſos ſententiam.* Hoſ. 1: 6. Quod ita accipiendum non eſt, quaſi nulla ſpes ſit etiam poſteris illorum communionis in ſalute. Sed quòd eorum non ſit alia ratio, quam cæterorum gentilium. *Deplorata res ſunt plagæ ejus.* Mich. 1: 9. Quo ſignificatur, actum eſſe de hominibus decem tribuum in captivitatem abductis, nullamque ipſis ſpem reſtitutionis, ut populi peculiaris, ſuper eſſe. *Siquidem integri, adeò multi, & ſic.* q. d. adeò celeriter & longè, *avulſi* amotique *ſunt* à termino ſuo. Nah. 1: 12. Illuſtrat ſeveritatem ἠθοποιΐα ſive hypotypoſis ſignorum dolorem prophetæ teſtantium: *Propter hoc plango & ejulo, ambulo veſtibus laceris & nudus; facio planctum inſtar draconis & luctum inſtar filiarum ululæ.* Mich. 1: 8.

§. 9. Conſecuta hanc calamitatem irriſio atque inſultatio vicinorum non parùm exacerbavit. Digna igitur & hæc viſa eſt, quæ notaretur. *Ponis illos jurgium vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannant invicem.* Pſalm. 80: 7. *Factus eſt opprobrium vicinis ſuis.* Pſal. 89: 42. *Lætificâſti omnes inimicos ejus.* Ib. verſ. 43. *Et facta eſt nomen mulieribus.* Ezech. 23: 10. *Et ſublati eſtis in labium linguoſum & diffamationem populi.* Ezech. 36: 3. *Quæ exſtiterunt direptio & ſanna reliquiis gentium, quæ undiquaque ſunt.* Ibid. verſ. 4. Nominatim Idumæi ſpectârunt cum voluptate abjectionem Iſraelitarum à facie Dei. Quod innuit Obadias: *Et ne ſpectes in die fratris tui, in die alienationis ejus.* Ob. verſ. 12.

§. 10. Inſtrumentum hujus ſeveritatis nominatur, tùm in genere *gens* aliqua; Am. 6: 14. Tùm in ſpecie *Aſſur*, Eſai. 10: 5. 6. 52: 4. *Rex Aſſur*; Jer. 50: 17. *Filii Aſſur*; Ezech. 23: 9. Qui ſic *primum cornu* exſtiterunt *illorum, quæ ventilarunt Judam & Iſraëlem.* Zach. 2: 1. 2. Sed & Idumæis improperat Ezechiel, quòd cùm *inimicitiâ ſæculi uteretur, fecerit diffluere filios Iſraël per gladium, in die calamitatis ipſorum.* h. e. quotieſcunque calamitas aliqua Iſraëlem oppreſſit. Ez. 35: verſ. 5.

§. 11. Temporis notatio, quæ eſt in Prophetiâ, hunc Articulum inſignem facit. *Et cis ſexaginta quinque annos frangetur Ephrajim, ne ſit populus.* Eſai. 7: verſ. 8. Tot anni à morte Jaroboami II. regis Iſraëlis uſque ad excidium Samariæ decurrunt. Nam Jaroboam mortuus eſt anno regni quadrageſimo primo, quintodecimo Uſſiæ. Superſunt anni Uſſiæ 37. Inde uſque ad 20. Jothami, h. e. quartum poſt mortem ejus, qui 12. erat Achazi, 2 Reg. cap. 15: 30. cap. 17: 1.
Hoſeas fit rex. Nono Hoſeæ capta eſt Samaria, & deportatus Iſraël. Adde: 37
Ratio autem, quare à morte Jaroboami II. Scriptura hunc Articulum deſignet, 19
eſt convenientiſſima. Quippe, ut ſuprà viſum Art. XIV. in Jaroboamo finitum eſt 9
regnum Iſraëlis; nam Zachariâ tardè ad gubernacula regni admoto, & poſt 6. —
menſes interempto, qui ſucceſſere tyranni & prædones regni, pro regibus non 65.
ſunt habendi: ab eoq; tempore fatales huic populo plagæ incubuerunt, donec tandem

elapſis

elapſis 65. annis deſiit eſſe populus. Nec inſolitum Scripturis, æram vetuſtiorem à ſuâ conſummatione denominare, quamvis principium aut medium ab illâ denominatione diſſentiat. Cujus rei exempla in libro Judicum crebra occurrunt.

§. 12. Quatenùs verò ut ſuprà viſum ad Art. XIX. & XXIII. hæc afflictio Iſraëlis erat præſagium & nuntius diei Domini, jam adventantis, haud immeritò ad *ſignum* illud refertur, quod *habitantibus frugiferam*, i. e. membris Eccleſiæ ſub V. T., & *incolentibus terram*, reliquis in populo vel extra eum, propoſitum eſt *videndum*. Siquidem per hoc ſignum intelligamus omnia illa, quæ Deus operaturus erat ante Chriſti apparitionem, tanquam teſtimonia adventus ipſius. Eſ. 18: 3.

§. 13. *Gratis vendebantur* Iſraëlitæ; & *Aſſur pro nihilo injuſtè populum Dei rapiebat*. Eſai. 52: 3. 4. Nam nec X. tribus Pulem, Tiglath pileſerem, Salmanaſſarem ullâ injuriâ affecerant, nec beneficio ipſius obligati erant. Sed longè alia reſpectu Dei erat ratio. Meruerant enim hanc afflictionem peccatis ſuis, tam antiquis, quàm illis, quæ poſt deportationem primam ex integro commiſerant: quorum hæc ferè ſunt, quæ memorantur.

I. In genere Deus apud Ezechielem, qui narrat, ſe effudiſſe iram ſuam in Iſraëlitas, & diſperſiſſe eos in gentibus, & ventilâſſe per terras; Ezech. 36: 18. 19. id factum ita juſtificat: *Fili hominis, domus Iſraël habitantes in terrâ ſuâ polluerunt eam viâ ſuâ ac ſtudiis ſuis: inſtar fœditatis menſtrui exſtitit mihi via illorum.* verſ. 17. Item: *Et ſtercoribus ſuis polluerunt eam.* verſ. 18. Et: *Juxta viam ipſorum ac ſtudia ipſorum judicavi ipſos.* verſ. 19.

II. Speciales culpæ ſunt: 1. Stupor. Quòd non putaverint, plagas ſibi inflictas eſſe lethales, & ad excidium tendere; ſed eſſe tantùm levia parvi temporis deliquia, mox reparanda, ut olim factum erat: ſicque verbis Dei, facto ipſo comprobatis, excitati, non revocaverint ad animum, quo in loco eſſent, ut converterentur ad Deum, & quærerent ipſum. Ita enim Hoſeas: *Comederunt perigrini vim ejus, & ipſe non agnovit; etiam canities ſe ſparſit in ipſo*, ex plagis inflictis ſenio jam laborare reſp. videbatur, nec diu ſupervictura, *& ipſe non agnovit. Et reſpondit Celſitas Iſraëlis in faciem ejus; & non reverterunt ad Jehovam Deum ſuum: & non quæſiverunt ipſum in omni hoc.* Hoſ. 7: 9. 10.

2. Stultitia in quærendo remedio malorum. De quâ vid. ſup. ad Art. XXX. ex Hoſ. 7: 11. coll. verſ. 13.

3. Inobedientia ad redargutiones à Deo procuratas: quæ factæ erant vel per prophetas, vel per miſſos regis Ezechiæ, 2 Chron. 30: 5 — 10. Sic Propheta: *Quos ubi redargui curo, eſt ut fabella cætui ipſorum.* Hoſ. 7: 12. coll. ult. Quam culpam porrò explicat, definiendo eam *fugam Dei.* ut qui à vero bono ad alia ſe converterent; & *defectionem*, ut qui nollent ferre jugum Dei. *Væ ipſis, quia fugerunt à me: Calamitas ipſis, quia defecerunt à me.* Hoſ. 7: 13.

4. Mendacia contra Deum redemptorem. *Atqui ego redimo ipſos, & illi loquuntur de me mendacia.* Scil. mendacium erat infidelium Iſraelitarum, qui nec finem legis, nec ſacerdotii typici uſum, nec veram rationem juſtitiæ, aut Deum, verè & propriè redemtorem, cognoſcebant. *Redemtio* autem intelligitur ab hoſtibus tàm ſpiritualibus, quàm corporalibus, ut ſint peculium ipſius, & liberi apud ipſum. Atque hinc eſt, quòd *hypocriſis* in cultu ficto notatur: *Facta* item *mala*, & noxia; & *verba ſtulta*, id eſt traditio omnis mendacii, ipſis tribuuntur; Eſai. 9: verſ. 16. *Nam quantus quantus eſt, hypocrita eſt, & maleficus, & omne os loquitur ſtultitiam.*

5. Hypo-

5. Hypocriſis in precibus. Hoſ. 7: 14. *Et non clamant ad me ex corde ſuo*, i. e. ex amore & fiduciâ mei; *quando ejulant in lectis ſuis.* Clamor ipſorum potius eſt ϰρυψύ-ϰρὸς. Vid. exemplum. 2 Reg. 13: 3. 4. Hypocriſin ita probat: *Propter frumentum & propter muſtum congregantur*, vel cohortuerunt, & ſic paululùm *devertunt* à viâ ſuâ, non ad me, ſed *in me.*

6. Ingratitudo poſt exauditas preces, etiam hypocriticas: *Et ego*, quanquam male precarentur, ut *caſtigavi*, ita & *confirmavi brachia ipſorum*, nim. inde à Jaroboamo II. uſque ad Pekachum, arcum Iſraëlis. Hoc beneficium. Ingratitudo: *Et ad* me vel *contra me comminiſcuntur malum.* Hoſ. 7: 15. Vid. ſup. Art. xx.

7. Hypocriſis converſionis: *Converſi fuerunt?* Addubitatio eſt. Nam ſpecies quædam converſionis fuit, cùm ad monitum Odedi captivi Judæorum cum viatico dimiſſi ſunt. 2 Chron. 28: 9 — 15. Sed *non rectè.* Converſio illa fuit languida. non conjuncta cum animo magno & parrhesiâ, ad abolendum reatum omnem: *extiterunt ut arcus doloſus.* qui deſtituit in die prælii. Non potuere eſſe aptum inſtrumentum Deo ad ſubjiciendum ipſi alios. Hoſ. 7: 15. Eandem impœnitentiam vel imperfectam populi converſionem ad Deum quoque notat Eſaias: *Et populus non eſt converſus ad percutientem ſe, & Jehovam Deum exercituum non quæſiverunt.* Eſ. 9: 12. Fons mali; quòd non attenderent ad verbum Dei, ut inde voluntatem ejus cognoſcerent, contrà Prophetis ſuis ſe ducendos traderent, à quibus ad falſum fundamentum ſeducebantur. Quod notat Eſaias, Ibid. vers 15. *Et exſtiterunt ductores populi hujus ſeductores, & ducti ejus perditi.*

8. In paſtoribus Iſraëlis culpat Ezechiel, quòd *ſe ipſos paverint*, Ezech. 34: 2. quod explicatur. vers 3. *Adipem comeditis, lanâ veſtimini, pinguem mactatis*, i. e. vos ipſos ſaginatis & veſtitis ex bonis populi, vel opulentos aut ſapientes populi tanquam oves mactatis. Addit vers 2. quòd *oves non paverint.* Atque ita v. 3. f. Quod explicat vers 4. *Infirmatas non roborâſtis, ægram non ſanâſtis, & fractam non obligâſtis, & depulſam non reduxiſtis, & perditam non quæſiviſtis, ſed cum vi dominati eſtis in eas, & cum ſævitiâ.* non modò neglexiſtis facere officium, ſed etiam paſtionem in ſævum dominatum convertiſtis.

9. Horum itaque fuit *ſanguinem*, inprimis Prophetarum, *fundere in terram*, Ezech. 36: 38.

10. Ezechiel cap. 34: 18. increpat oves, quòd cùm haberent bonum pabulum & potum, non contentæ de eo comediſſe & bibiſſe, quantùm ſatis ipſis videretur, reliquum conculcarent penibus & conturbarent. *Nunquid parum præ vobis: paſtu bono paſcimini, & reliquum paſtus veſtri conculcatis pedibus veſtris, & limpidum aquarum bibitis, reliquas autem pedibus veſtris conturbatis.* h. e. non patimini oves Dei veras ſincerum verbum Dei & purum putum ad vitam & lætitiam percipere, & ſic quaſi edere & bibere, ſed veſtris nugis, figmentis & temerariis dictis corrumpitis & falſatis. Item vers 21. quòd violentiam exercerent in infirmos: *Quia latere & humero truditis, & cornibus veſtris feritis omnes infirmatas adeò, ut diſſipaveritis illas foràs.*

11. Non ſatis habuit Deus in ſuperioribus explicuiſſe catalogum multorum peccatorum. Subjicit illis, juſtificationis ergò, rationem ponderoſam: *Cadant .... à ſeveritate linguæ ipſorum.* Et: *Hæc eſt ſanna ipſorum in terrâ Ægypti.* Hoſ. 7: 16. Vid. ſup. ad Art. xxx.

ARTICULUS XXII.

QUamvis autem ſic Deus Iſraëlitas decem tribuum à conſpectu ſuo abjeciſſet, curam tamen eorum non planè depoſuit. Namque & reliquias ipſorum in terrâ retinuit, & ut multi viri pii in abductis ſupereſſent, effecit, & propaginem ipſorum inter gentes, cum ipſis, ſuo tempore convertendam ad Chriſtum, conſervavit.

DEMONSTRATIO.

De ſuperſtitione priorum inter deportatos liquet ex libro Tobit. Quamvis enim ille ſit apocryphus, tamen occaſione ejus, quod geſtum eſt, veriſimiliter eſt compoſitus. Cæterùm in hunc Articulum prophetavit Eſaias, cap. 17: 5. 6. *Et tamen erit, ut cùm aufert meſſis ſegetem, & brachium ejus, qui culmos* (ſive *ſpicas*) *metit: & erit tanquam legens ſpicas in valle Rephaim.* Quibus ſignificatur, fore quidem meſſem populi, ita ut tollantur ex loco ſuo, ſed cum eo, ut non omninò deſtruantur, aut projiciantur conculcandi, aut ut ſpinæ & tribuli comburantur, ſed ut ſpicæ in armum colligantur, transportandi in alium locum, ibique conſervandi. *Et relinquetur in eo racematio, ut ſtrictura oleæ, duæ tres baccæ in capite rami, quatuor quinque in ramis ipſius frugiferæ, ait Dominus Jehovah Deus Iſraëlis.* Patet, priorem verſiculum ad deportatos ſpectare, hunc ad reſiduum populi in terrâ remanens. De quo intelligenda & ſequentia: *Sic dixit Jehovah: Quemadmodum eripit paſtor in ore leonis duo crura aut particulam auris, ſic eripientur filii Iſrael habitantes Samariam in angulo lecti & in tibicine ſpondæ.* Am. 3: 12. *Sic monſtravit mihi Dominus Jehovah: & ecce fingebat locuſtas, initio creſcentis herbæ ſerotinæ: & ecce ſerotina, poſt deſectiones regis. At factum eſt, quum abſolviſſet* locuſta *comedere herbam terræ: dixi, Domine Jehovah, ignoſce, age: quis* (vel qui) *ſubſiſtet Jacobus? Nam parvus eſt. Pœnituit Jehovam hujus. Non fiet, dixit Jehovah.* Am. 7: 1. 2. 3. Sed & conſervationem poſteriorum decem tribuum inter gentes ſupponunt promiſſiones quotquot ſunt converſionis ipſorum in diebus Chriſti, quæ intelligendæ ſunt de præconio Evangelii inter omnes gentes, quibus admixti fuerunt Iſraëlitæ X. tribuum. Jam huc refer generalia, quæ exſtant Pſ. 22: 5. 6. 129: 1. 2. Eſ. 63: 9. Locis ſimilibus.

ARTICULUS XXXIII.

ABducto ex terrâ Iſraële, occupant eam, ſeſeque reliquiis immiſcent, promiſcua hominum colluvies, gentiles, Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, &c. aliis eam, ut parùm tutam ſedem, aſpernantibus.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Notat Ezechiel, gentes undiquaque hoc egiſſe, perpetuâ vexatione populi Iſraëlitici, ut montes ejus occuparent; cap. 36: 3. 4. *Sic dixit Dominus Jehovah: Quandoquidem deſolati eſtis, & cum anhelitu vaſtarunt vos undiquaque, ut fieretis hæreditas reliquiis gentium. Idcirco, montes Iſrael, audite verbum Domini Jehovæ: Sic dixit Dominus Jehovah montibus & collibus, alveis & acclivibus, eremis vaſtis & oppidis derelictis, quæ exſtiterunt direptio & ſanna reliquiis gentium, quæ undiquaque ſunt.*

ſunt. Et hinc Amoſus denunciat Amazjæ ſacerdoti Bethelis, fore, ut *ager ejus*, captus ab hoſte, *funiculo dividatur.* Am. 7: 17.

§. 2. Idumæorum nominatim hîc fit mentio; Ezech. 36: 5. *Idcirco, inquam, ſic dixit D. Jehovah, ſi non in igne zeli mei, locutus ſum ſuper reſiduo gentium & Idumæâ totâ, qui dederunt terram meam hæreditatem ſibi.* quaſi Dei non eſſet dare terram ſuam populo ſuo. Et quidem id ipſos feciſſe notat *in lætitiâ totius cordis, cum impetu animæ.* Cauſa procatarctica hujus lætitiæ: *propter agrum ejus terræ ſuburbanum.* i. e. propter agrum urbi circumpoſitum, in quo tentoria Iſraëlis, atque ita non propter urbem ſanctam, in quam populus Dei ex ſuis agris ſolebat convenire. Impetu verò animæ utebantur non ad inhabitandum, & cum Iſraëlitis accedendum ad urbem Dei, ſed *ad diripiendum.*

§. 3. De Moabitis & Ammonitis hîc repetantur illa, quæ demonſtrata ſunt, ad Art. XXVIII. ſup.

§. 4. E contrariâ parte non deerant homines petulantes & temerarii, qui terram diffamarent, quaſi non ſatis tutum eſſet in eâ habitare, & populo, qui vocatur Dei, conjungi. Ita enim de montibus Iſraëlis Ezechiel: *Et ſublati eſtis in labium linguoſum & diffamationem populi.* cap. 36: 3. Et v. 13. *Sic dixit Dominus Jehovah: Quia dicunt vobis, voratrix hominum es, & extitiſti orbatrix gentium tuarum.* Sive id dicerent propter ipſius terræ ingenium, ſive propter ſitum inter gentes ſibi mutuò infeſtas, Ægyptios & Aſſyrios, ſive quòd res odioſa ſit & contemta in gentibus, populum Dei vocari, & cum eo conjungi. Quin etiam ex deportatis erant, qui talibus dicteriis terram, & nomen Dei, & ſemet ipſos, dehoneſtarent. De his Propheta: *Et ventum eſt ad gentes, ad quas venerunt, & profânarunt nomen ſanctum meum, dicendo ipſis* gentibus: *Populus Jehovæ hi, & ex terrâ ejus egreſſi ſunt.* Ez. 36: 20.

ARTICULUS XXXIV.

DUm hæc geruntur in Iſraëlitide rex Judæ Ezechias, ante & poſt abductionem tribuum, reformat cultum in Judæâ, Paſcha celebrat totius Judæ aſſenſu, & cum multorum ex Aſer & Zebulun & Manaſſe, quos per legatos & epiſtolas, ad id excitaverat, humiliatione. 2 Reg. 18: 4. 2 Chron. 30: 14. 31: 1. Eſ. 36: 7. 2 Chron. 30: 1. 5 — 10. 11. 12. 13.

DEMONSTRATIO.

Hanc reformationem & converſionem multorum ad Deum vidit & prædixit Eſaias, antequam per Tiglath Pileſerem abducta eſſet tribus Gad & Reuben, vivo Achazo; Eſ. 17: 7. 8. *Illo die reſpiciet homo ad factorem ſuum, & oculi ejus ad ſanctum Iſraëlis ſpectabunt. Et non reſpiciet ad altaria, opus manuum ejus, & quod fecerint manus ejus,* omne χειροποίητον, ipſum templum, & quæ in eo, *non ſpectabit*, non hærebit in ullo opere humano, ſuo vel alieno, ſed ulterius provectus ſanctum Iſraëlis contemplabitur, *& lucos & delubra.* quæ deſtruet & exſcindit.

ARTICULUS XXXV.

HAc regis pietate delectatus Deus præſentem Judæ ſtatum, poſt deportationem Aſſyriacam, aliquamdiu conſervavit, & ſub Ezechiâ confirmavit

navit adeò, ut ſubactis Palæſtinis, & excuſſo jugo Aſſyriaco, de quo ſup. Art. XXVI. floreret. 2 Reg. 18: 7. 8.

DEMONSTRATIO.

Hic Judæ ſtatus Hoſeæ per nativitatem *filii*, ætatis ſcil. validioris & fortioris, poſt ablactationem filiæ, de quâ ſup. ad Art. XXV. fuit præfiguratus. Hoſ. 1: 8. Stetit autem domus Judæ ſub Ezechiâ, Manaſſe, Amone, Joſiâ, & filiis ejus, poſt abductionem decem tribuum, annis centum triginta tribus. Ad victorias Ezechiæ de Palæſtinis referri poteſt ex parte prophetia Amoſi, cap. 1: 7. 8. *Et immittam ignem in murum Gazæ & comedet palatia ejus. Et exſcindam habitatorem ab Azoto, & tenentem ſceptrum ab Aſcalon, & referam manum meam in Accaronem, & peribunt reliquiæ Palæſtinorum; dixit Dominus Deus* (ſive *Jehovah*.) Excuſſionem jugi Aſſyriaci ſignificat Nahumus. cap. 1: 13. *Sed nunc frangam jugum ejus à te, & vincula tua rumpam.*

ARTICULUS XXXVI.

SEbnæ præfecto domus regiæ, ob præſumtionem & faſtum ejus, hoc officium aufertur, & in Eliakimum transfertur.

DEMONSTRATIO.

Itaque, ex parte ſaltem, impletæ minæ propheticæ, quæ exſtant. Eſ. 22: 15 —— 22. *Sic dixit Dominus Jehovah Deus exercituum: I, accede promum condum hunc, Sebnam, qui palatio præfectus eſt.* vers 15. *Quid tibi hic? & quis tibi hic? quòd excidiſti tibi hic ſepulchrum. Tu, qui excidis in alto ſepulchrum tuum, qui in rupe excavas tibi, ubi procumbat.* 16. *Ecce Jehovah feret te ferendo, ut vir; & operiet te operiendo.* 17. *Rotando rotabit te rotatione, ut pilam, in terram ſpatioſam. Ibi morieris, & ibi erunt currus glorioſi tui, ignominia domus Domini tui.* 18. *Et propellam te à ſtatu tuo, & à ſtatione tuâ evertet te.* 19. *Et erit in illo die, & vocabo ſervum meum Eliakimum, filium Chilkijæ;* 20. *Et induam eum ſtolâ, & baltheo tuo firmabo eum,* (Hæc inſignia poteſtatis, nomine regis adminiſtrandi & judicandi regni ſubditos.) *& poteſtatem tuam dabo in manum ejus: Et erit in patrem habitanti Hieroſolymam & domui Judæ.* 21. *Et dabo clavem domus Davidis in humerum ejus,* committetur ei cura palatii itaque *aperiet, & nemo claudet; & claudet, ac nemo aperiet.* Igitur Eſ. 36: 3. Eliakim inſignitur titulo præfecti domus: Sebna autem nominatur Scriba. Jam tùm ergo pars vaticinii fuit impleta. Et fortè minas Dei per pœnitentiam præoccupavit. De Eliakimo porrò dicitur: *Et pangam illum clavum in loco permanente, & erit in ſolium gloriæ domui patris ſui.* vers 23. *Et ſuſpendent ab ipſo omnem gloriam domus patris ipſius germina & propagines, omnia vaſa minuta, à ſuppellectile craterum, & uſque ad omnem ſuppellectilem utrium.* vers 24. Scil. regnum domus Davidicæ poterat æſtimari, tanquam paries aliquis firmus, ſuſtentans omnes dignitates, quæ erant in populo. Id igitur aliquamdiu adhuc ſtaturum ſignificatur, nimirùm uſque ad *germina & propagines*, h. e. filios, & filios filiorum. *In illo* enim *die*, id eſt poſtquam filii & nepotes ſuſpenderint vaſa ſua ab iſto paxillo, pariete vitium faciente *receſſurus erat clavus ille fixus in loco permanente, & incidendus, & corruitura ſarcina ei appenſa.* Ib. v. 25.

ARTI-

ARTICULUS XXXVII.

SAncherib interea, rex Aſſyriæ, ulturus defectionem Ezechiæ, expedit in Judæam, & urbibus munitis Judæorum & Palæſtinorum magnam partem expugnatis, ſe convertit ad oppugnandam Hieroſolymam. 2 Reg. 18: 13. 17. 2 Chron. 32: 1. 2.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc expeditione ſic loquitur in anteceſſum Prophetia: *Adducet Jehovah ſuper te & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui dies, qui non venerunt inde à die, quo receſſit Ephrajim à Juda; regem Aſſyriæ. Et erit in die illo,* (*Dies* dicens, & poſtea, *In die illo*, ſignificat, non unum tempus afflictionis venturum.) *ſibilabit Jehovah .... api, quæ eſt in terrâ Aſſur. Et venient & quieſcent omnes illæ* non tantùm, ut aliæ apes, *in vallibus deſertis & in fiſſuris petrarum*, ubi cadaverum aut florum aliqua ſeges eſt, ſed *& in omnibus arboretis, & in omnibus locis celebribus.* unde aliàs abigi ſolent. Quo latitudo plagæ ſignificatur. *Illo die radet Dominus per novaculam illam conductitiam, transfluvianos, per regem Aſſyriæ caput & pilos pedum: atque adeo & barbam abſumet.* Omnem ornatum tollet. Eſ. 7: 17. 18. 19. 20. *Accingimini.* ad expeditionem. Eſai. 8: 9. *Illo die* poſt captam Samariam, & reformationem Ezechiæ. conf. 2 Chron. 32: 1. *fient urbes ejus munitæ, ut derelictum rami & culminis, quos dereliquerint propter filios Iſraël, fiet, inquam, vaſtitas.* Eſai. 17: 9. *Et tranſiit.* quum integros, adeò multos, tam facilè abripuiſſet & tranſtuliſſet, in terram Judæ. Nah. 1: 12.

§. 2. Incitabat regem ad hanc expeditionem non tantùm fames ingens, nullis ſucceſſibus ſatiabilis, ſed inprimis furor contra Deum & Iſraëlem. Indicat Eſaias cap. 10: 16. *Quapropter mittet Dominus ille, Dominus, Deus exercituum in opima ejus maciem, & ſub gloriâ ejus exardeſcet incendium ut incendium ignis.* Hic furor maximè ſe prodidit in literis & voce Rabſacæ legati Sanheribi blaſphematoriis. Eſ. 36: 20. add. Eſ. 37: 28. 29. Hinc Nahumus: *Non audietur ampliùs vox legati tui.* Nah. 2: 14.

§. 3. Specimen illuſtre hujus ardoris proponit Spiritus, in eo, quòd cum valido exercitu, magnâ velocitate, ſuperatis omnibus itineris difficultatibus venerit Hieroſolymam; Eſai. 10: 27 — 31. *Venit ad Aijath, tranſit in Migron, in Michmaſch deponet impedimenta ſua.* verſ. 27. *Trajiciunt in trajectu, Geba diverſorium in quo pernoctant; trepidat Ramah, Gibea Saulis fugit.* 28. *Hinni voce tuâ Bath Gallim, attende Laijſcham verſus miſera Anathoth.* verſ. 29. *Fugit Madmenah; habitatores Gebim vehementer fugiunt.* 30. *Adhuc dies eſt, in Nob ſtandum eſt, agitat manum ſuam verſus montem filiæ Sion, collem Hieroſolymæ.* 31.

§. 4. Habuit itaque hæc invaſio inſtar intumeſcentis Euphratis, aliusve fluvii magni; qui alveum implet, ripas exit, aggeres perrumpit, agros circumquaque operit, & in pronum violento impetu ſe effundit. Ita enim rex Aſſyriæ in Judæam, abſorptâ jam Syriâ, & populo Ephrajimitico decem tribuum, pervaſit, & tanquam cavum aliquod, totam opplevit, & in eam altitudinem crevit, ut *collum attingeret*, h. e. tantùm non totam gentem deglutiret. Sola enim Hieroſolyma, tanquam caput gentis, reliqua fuit, quam Aſſyrii non expugnarunt. In hunc modum rem depingit Eſaias: *Ergo igitur ecce Dominus facit adſcendere ſuper ipſos aquas fluvii vali-*

das & amplas, regem Aſſyriæ, & omnem gloriam ejus; & aſcendet ſuprà omnes alveos ſuos, & ibit ſuprà omnes ripas ſuas. Et pervadet in Jehudam, inundabit & tranſibit, ad collum pertinget, & ſunt extenſiones alarum ejus plenitudo latitudinis terræ tuæ, ô Immanuel. Eſai. 8: 7. 8. Huc facit, quod eſt Eſai. 1: 7. 8. *Terra veſtra vaſtitas eſt; & urbes veſtræ concrematæ igne: tellus veſtra, coram vobis, hoſtes comedunt illam: & eſt vaſtitas tanquam everſio beſtium. Et relinquitur filia Sion, ut tugurium in vineâ; ut caſa in cucumerario, ut urbs obſeſſa.*

§ 5. Sic itaque rurſus *Congregatis gentibus, doluerunt parùm ab onere regis imperatorum.* Hoſ. 8: 10. Et *humiliata* eſt domus Judæ. Nah. 1: 12. Cui idcircò etiam conveniebat orare ex præſcripto Pſalm. 80: 5. 6. 7. 8. *Jehovah, Deus exercituum*, &c. Quæ vid. ſup. Art. XXVII. Etenim quod in illâ oratione eſt de *ſubſannatione* populi, in blaſphemiis Sanheribi præcipuum implementum habet.

§ 6. Culpa, ob quam hæc afflictio Judæ obvenit, Eſ. 8: 6. proditur iſta: *Quòd ſprevit populus hic aquas Siloæ euntes ſenſim.* i. e. regnum Chriſti, neque animadvertit gratiam ejus, quâ tum ſuſtentabatur. Quæ culpa Eſai. 17: 10. ſic explicatur: *Quia oblita es Deum ſalutis tuum, & petram munitionis tuam non recordata es.* i. e. receſſiſti à fœdere, quod Deus fecerat cum Patribus. Effectus & argumentum hujus oblivionis: *Idcircò plantabas plantationes voluptuoſorum, & ſurculum alieni, qui proſeminaret illud.* i. e. partim ſeviſti vel toleràſti & approbàſti doctrinam, quâ magis quæreretur, quod oblectaret, quàm quòd ſalutare eſſet, partim recèpiſti homines, qui ſecundùm eam doctrinam loquerentur & facerent: à quorum hominum communione nihil niſi proſeminatio alieni & maligni exſpectari poteſt.

§. 7. Acceſſit & ſtudium educandi & ad florem ac germen deducendi malum ſemen & plantationem malam. *Die plantationis tuæ multiplicabas, & manè ſemen tuum faciebas germinare.* verſ. 11. Id ſtudium declarari poteſt exemplo. Judæi ſacrificiis & legalibus quæſtionibus multùm delectati fuere. Omiſere interim doctrinam, de juſtitiâ. Non eſt dubium, quin eæ quæſtiones multas pepererint diſputationes: atque etiam hinc factum ſit, ut quivis in tectis, in agris, in hortis ſua ſibi haberent altaria; ob ſpeciem majoris devotionis & imitationis patrum. Interim quod attinebat doctrinam juſtitiæ, falſæ ſententiæ pro veris inoleverunt: & quæſitus eſt fucus & color ex verbo Dei. Eæ ſententiæ ſe veritati oppoſuerunt. Hic flos plantationis alienæ fuit.

§. 8. Adde, quod ex comparatione eorum, quæ de faſtu & præſumtione Sebnæ, Art. XXXVI. & de urbe עַלִּיזָה *exultabundâ*, Eſai. 22: 2. & de hilaritate & lætitiâ epuliſque, Ibid. verſ. 13. tum quæ Eſai. 3: 16 — 24. de filiabus Hieruſalem, dicuntur; facilè ſit animo complecti, qui mores fuerint Hieroſolymitanorum eo tempore, quo mittebantur ad ipſos prophetæ.

ARTICULUS XXXVIII.

NOndum erat populus deportandus ex ſedibus ſuis. Igitur conſervavit Deus reliquias, & ſubſidia vitæ, quantùm neceſſe erat in terrâ.

DEMONSTRATIO.

Vid. ex Art. V. Eſai. 1: 9. & adde nunc Eſai. 7: 21. *Et erit in die illo, vivam conſervabit aliquis buculam & duas oves.*

ARTI-

ARTICULUS XXXIX.

INtererat Ægyptiorum & Æthiopum, ne, Aſſyrio Judæos & Palæſtinos ſubjugante, tam potentem monarcham in viciniâ haberent. Igitur, dubium, an implorati, faverunt horum libertati, & miſerunt ad ipſos legatos; & expeditione ſuſceptâ contra Sancheribum, eum ad tempus ab Hieroſolymâ averterunt.

DEMONSTRATIO.

Hiſtoriam quod attinet, conſtat, Palæſtinos ab Æthiopibus & Ægyptiis protectionem & defenſionem exſpectâſſe. Hoc enim expreſſè aſſerit Eſaias, cap. 20: verſ. 5. 6. De Judæis id probabile eſt, eò quòd confœderationem cum Ægyptio habuere; quam ipſis exprobrat Aſſyrius, Eſ. 36: 6. 9. Cœterum Æthiopem Tirhakam & regem Ægypti miſiſſe legatos ad Ezechiam, patet ex Eſai. 18: 2. Et de expeditione ipſorum in Aſſyrios, notum eſt ex 2 Reg. 19: 9. Eſ. 37: 9. Rem in ſpiritu ſic deſignavit Eſaias: *Et erit in die illo, ſibilabit Jehovah muſcæ, quæ eſt in fine fluviorum Ægypti. Et venient.* Eſai. 7: 18. 19. Ubi Cuſchæos comparando cum muſcis, oſtendit infirmitatem auxilii ipſorum. *Væ terræ, quæ obumbratur alis, quæ ſunt ultra fluvios Cuſchi.* Eſai. 18: 1. Ubi eſt increpatio ſtultitiæ Iſraëlitarum, quòd, Deo relicto, reſpiciant ad Æthiopes & Ægyptios, & ab illis protectionem exſpectent. *O tu, mittens in mari legatos, & in vaſis papyri in ſuperficie aquarum, dicendo: Ite, nuncii ad gentem tractam* ex Ægypto, *& terſam* per dationem legis, *ad populum terribilem ab inde ubi ipſe eſt, & ultra*: ſub judicibus & regibus: *gentem lineatim conculcatam* diverſis vicibus ab hoſte; *cujus terram fluvii*, exercitus Aſſyriorum, *diripuerunt*. Ibid. verſ. 2. *Et conſternabuntur ac pudefient ab Æthiopibus aſpectu ſuo, & ab Ægyptiis decore ſuo.* omnes qui illis confiſi fuerunt & qui Ægyptum pro ornamento ſuo habuerunt, in quo gloriarentur. *Et dicet incola hujus maritimi tractus* Palæſtinæ, & Aſiæ minoris, *in illo die*: *Ecce ſic eſt aſpectus noſter, quò fugiebamus auxilii causâ, ut eriperemur, propter regem Aſſyriæ: & quomodo effugiemus nos?* Eſ. 20: 5. 6.

ARTICULUS XL.

EZechiâ rege interim ſe humiliante coram Deo, & ad extremum opem Dei exſpectante, Sennacherib exercitum, angelo percutiente, unâ nocte amiſit, & Niniven trepidus refugit. Eſ. 37: 1--- 4. 14. 15. Eſ. 37: 36. 37. 2 Chron. 23: 21.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Humiliationi Ezechiæ & populi atteſtatur Nahum, cap. 1: 12. *Et humiliavi te, non humiliabo te ampliùs.* Ubi in verbo *humiliare* eſt ἀντανάκλασις. Primo loco ſignificat afflictionem cum effectu, humilitate, ut ſcil. ſub validam manum Dei ſubmitterentur, 1 Pet. 5: verſ. 6. Poſteriori loco ſignificat ſolam afflictionem. Quanta autem fuerit anguſtia, & lucta exſpectationis, indicat rex ipſe, quum dicit, *filios veniſſe ad matricem, ſed non eſſe vim ad pariendum.* i. e. ſe &

populum in extremo diſcrimine verſari, ne ſpes ipſorum pudefiat. Eſai. cap. 37: verſ. 3.

§. 2. Cœterùm de ſtrage exercitus Sancheribi, & fugâ ejus prophetat Eſaias: *In aures admittite, omnia remotiſſima terræ: Accingimini, & conſternamini.* Cinctus enim Sancherib invaſit Judam, & conſternatus eſt. Eſai. 8: 9. *Et erit Lux Iſraëlis in ignem, & Sanctus ejus in flammam, & exardeſcet & devorabit veprem ejus & ſentem ejus die uno.* ut cum unâ nocte Angelus Domini interfecit centum & octuaginta quinque millia. Eſai. 10: 17. *Vah! ſtrepitum populorum multorum, qui ut aquæ ſtrepunt: & tempeſtatem nationum, quæ inſtar procellæ aquarum plurimarum tumultuantur. Nationes inſtar procellæ aquarum multarum tumultuabuntur. Et increpabit illum, & fugiet è longinquo: & agitabitur ut gluma montium coram vento, & ut vortex coram turbine.* Hiſce ἀφανισμὸς exercitus & regis Aſſyriorum adumbratur. Sequitur notatio temporis: *Tempore veſpertino, ecce, nebula eſt: ante matutinum non eſt. Hæc eſt pars populantium nos, & ſors diripientium nos.* Eſai. 17: verſ. 12. 13. 14. Add. Eſ. 37: 7. 29. 33. 34. In quibus propheta agit tùm de nuntio, quem auditurus ſit, tùm de ſtrage exercitus ipſius, tùm de fugâ.

§. 3. His rebus effectum eſt, ut aggreſſio Sancheribi intra *agitationem manus* ſubſiſteret; Eſai. 10: verſ. 31. &, rege fugiente in terram ſuam, & *ad ſummam vilitatem redacto*, Nah. 1: 14. plenè *frangeretur jugum, & ſolverentur vincula ejus à Judâ.* Nah. 1: 13. & *exſcinderetur ex terrâ* nempe Judæâ *prædatio ejus, & non audiretur ampliùs vox legati ejus.* Nah. 2: 14. Quatenùs verò Divinâ manu, nullâque ope externâ aut humanâ, hæc liberatio præſtita eſt, exemplum habemus ſalutis, de quâ eſt Hoſ. 1: 7. *Et domum Judæ miſerabor, & ſalvabo ipſos in Jehovah Deo ipſorum: & non ſalvabo ipſos arcu, & gladio, & bello, & equis, & equitibus.*

§. 4. Pervaſit & fama hujus rei ad gentes. Namque Herodotus, Euterpe cap. CXLI. Σαναχάριβον commemorat, qui in bello contra Ægyptios per miraculum cæſus fuerit: additque hoc illius elogium: Ἐς ἐμέ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω. De Iſraële nihil ille. Hoc habet tamen ex vero, quòd reverâ illud bellum fuerit contra Ægyptios. Nam Tirhaka, qui Judæis ſuppetias latum veniebat, rex partis Ægypti erat.

ARTICULUS XLI.

Bello in Judæam infeliciter geſto, rex Sancherib, contemptus etiam à ſuis, quum adoraret in templo Dei ſui Niſroch, à propriis filiis interfectus eſt. Eſ. 37: 38. Nec quicquam poſtea magni Aſſyrii geſſerunt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De cæde regis etiam prophetavit Eſaias, cap. 37: verſ. 7. *Et faciam eum cadere gladio in terrâ ſuâ.* Nahumus quoque, eandem cædem determinans, tùm ad breve tempus, tùm ad locum & modum, quo occiſus eſt: *Et præcepit de Te Jehovah: Non propagabitur ſemen de nomine tuo amplius: è domo Deorum tuorum exſcindam ſculptile & fuſile, quæ ponam ſepulchrum tuum; quum vilis effectus fueris.* Nah. 1: 14. Quæ non ita neceſſe eſt accipere, quaſi, manente templo, ſimulachra ſint exſcindenda & tollenda: ſed ita, ut genus mortis indigitent. q. d.

Peri-

Peribunt tibi ſimulachra ex oculis, quaſi ibi non adeſſent. Hoc eſt, Adoranti tibi idola & videnti aſpectus illorum adimetur. Similem vide locutionem. Ez. 12: 12.

§. 2. Poſterius membrum declarat hic locus Eſajæ: *Et quod attinet gloriam ſylvæ ejus & arvi ejus, tùm animam tùm corpus conſumet.* Quo ſignificatur effœminatio principum Aſſyriorum, tùm illorum, ad quos imperium pertinebat, ſive ſtemmatis regii, tùm illorum, qui politiam adminiſtrabant. Illi *Sylva*, hi *arvum*. Eſ. 10: 18.

ARTICULUS XLII.

ABlato terrore Aſſyriaco, Deus conſervatis in terrâ reliquiis benedixit, & pacem dedit imperturbatam per dies Ezechiæ.

DEMONSTRATIO.

Benedictionem reſidui promittit Eſaias, cap. 7: 22. *Et fiet, ob multitudinem lactis, quod facient, comedent butyrum. Nam butyrum & mel comedet omnis reliquus in medio terræ.* Scil. de parvo etiam comedet butyrum & mel. Conf. Eſ. 37: 30. 13.32. De pace loquitur ipſe Ezechias, cùm Deus caſtigationem à Babylonio imminentem per vitam ejus diſtuliſſet, Eſaiæ cap. 39: 8. *Quandoquidem erit pax & veritas in diebus meis.* i. e. tranquilla cum ſtudio & prædicatione verbi Dei.

ARTICULUS XLIII.

REx interea lethaliter decumbit, & morti jam proximus impetrat annorum quindecim vitæ acceſſionem, miraculo cœleſti, umbrâ ſolis retrogradâ, in pignus addito, confirmatus.

DEMONSTRATIO.

Hiſtoria morbi & ſanationis Ezechiæ, interveniente Eſajæ prophetiâ, vid. Eſ. cap. 38. Notabilis eſt hic precatio Ezechiæ, cujus hæc ſunt verba:

Scriptura Ezechiæ regis Judæ, quum ægrotaſſet & convaluiſſet à morbo ſuo. vers 9. *Ego dixeram, cum occidione dierum meorum eo in portis inferni. Infernus* ſignificat ſtatum mortuorum, & nominatim cadaverum. Ei attribuit regnum & portas, in quibus judicia exerceantur. q. d. quam poteſtatem habet in me mors vi legis propter peccatum, ea jam exercetur. Scil. non poterant non veteres in morte ſuâ, inprimis præmaturâ conſiderare vim legis; quum necdum exſtaret ſacrificium, & longæva vita fidelibus eſſet promiſſa in pignus. *Privor reliquo annorum meorum.* vers 10. *Dicebam, non videbo Jah, Jah in terrâ viventium.* Opera Dei, quibus ille ſe pulcherrimum & decentiſſimum teſtatur, opera gratiæ & veritatis, ejusque ſacramenta, oculis meis amplius non uſurpabo. *Non intuebor hominem ampliùs, cum habitantibus hoc nihilum.* חֶדֶל per allaſionem ad חֶלֶד vocat hunc mundum, in quo hominibus jucundum eſt videre Solem. vers 11. *Ætas mea profecta eſt & migravit à me ut tabernaculum paſtoris*, quod manu impulſum uno momento corruit, vel etiam vento diſturbatur: *incidi tanquam textor vitam meam*, mihi ipſi vitam abrupi aliquo facto indigno, quod Deus voluerit morte meâ quaſi expiari; *præ tenuiſſimo filo abſolvit me*, conficit me aliquis, cui traditus ſum in manum; *à die ad noctem conſummas me.* ita cogitavi,

cogitavi, quòd à matutino veſperam non ſim viſurus. vers 12. *Poſui* me & perduravi vel poſui vitæ meæ terminum *uſque ad manè* alterum; *ut leo, ſic frangebat* aliquis *omnia oſſa mea.* Adeò nulla fuit remiſſio. *A die orto uſque ad noctem abſolves me.* v. 13. *Ut grus hirundo, ſic pipiebam; gemebam ut columba, exhauſti ſunt oculi mei,* & quaſi in cavernas ſuas deſederunt aut demerſi ſunt, ſpectando *altum verſus;* dicens: *vis mihi fit, ſponde pro me.* Quamvis inciderim mihi vitæ meæ filum, nihilominùs tamen, ut juſtificatus à Deo ipſum tanquam patrem in Chriſto compello, & ſpem habeo in ſponſione Mediatoris, & in fide poſco ipſius intercesſionem. vers 14. *Quid loquebar? & dixit mihi.* Statim atque dixi, ſponde pro me, dixit mihi: Spondeo pro te. Nec tantùm dixit, ſed *etiam ipſe fecit. Procedam omnes annos meos propter amaritudinem animæ meæ.* Deus mihi amaritudinem animæ meæ compenſat vitâ longâ. vers 15. *Dominus pro quibus eſt,* ac ſpondet, *vivunt, & omnibus in illis eſt vita ſpiritus mei,* vita mea ipſis eſt data in exemplum gratiæ ipſius: & ut illis miniſtrem cognitionem Dei & gratiæ ipſius: *& confortabis me, & vivifica me.* v. 16. *Ecce in pacem amarum mihi vertit, & tu appetiviſti animam meam ex foveâ antiquationis, quia projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.* vers 17. *Nam non infernus confitebitur te, mors celebrabit te: non ſperabunt deſcendentes in foveam ad veritatem tuam.* Spectatam in impletione promiſſionum. vers 18. *Vivus, vivus ille confitebitur te, ut ego hodie: pater filiis cognoſcere faciet de veritate tuâ.* vers 19. *Jehovah eſt ad ſalvandum me. & cantilenas meas cantabimus omnibus diebus vitæ noſtræ apud domum Domini.* vers 20.

ARTICULUS XLIV.

Aſſyriis luxu & mollitie jam debellatis, imperium ipſorum, cum urbe regiâ Nineve, per Medos & Babylonios, deſtructum eſt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Nineven, ampliſſimam urbem ac regiam Aſſyriorum ita deſtructam fuiſſe, ut vix locus ejus ſciatur, hiſtoriæ conſentiunt. Qui deſtruxerint, docet Druſius ex Tobit. 14: 32. καὶ ἤκουσε πρὶν ἀποθανεῖν αὐτὸν τὴν ἀπώλειαν Νινευῆ, ἣν ᾐχμαλώτισε Ναβουχοδονόσορ καὶ Ἀσσύηρος. Herodotus Clione, cap. 102. Id aſſignat Cyaxari Cyri avo. Quod cum Tobit non malè convenit. Nam אחשורש Græcis videtur in Ἀσσύηρος, Κυαξάρης, Ξέρξης mutatum. Babylonii itaque & Medi, Nebucadnezar & Cyaxares, operas ſociârunt. Atque ita Joſephus, Ant. l. 10. c. 6. *Per Medos* inquit, *& Babylonios Aſſyriorum imperium everſum eſt.* Herodotus addit & Scythas; & diſſolutionem imperii oſtendit factam per defectionem ſociorum. Ita enim ille: Ἀσσυρίων τούτους, οἳ Νίνον εἶχον, ἦρχον πρότερον πάντων, τότε δὲ ἦσαν μεμουνωμένοι συμμάχων, ἅτε ἀφεστεώτων. De Nineve ſtrabo lib. 16. Ἀπέλιπον (Νῖνος καὶ Σεμίραμις) τοῖς μεθ' ἑαυτοὺς τὴν ἀρχὴν, μέχρι τοῦ Σαρδαναπάλλου καὶ Ἀρβάκου μετέστη δ' εἰς Μήδους ὕστερον. (Nimirùm, ut antea dixerat, Syros & Babylonios à Medis ſubactos.) ἡ μὲν οὖν Νῖνος ἡ πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν. πολὺ δὲ μείζων ἦν τῆς Βαβυλῶνος, ἐν πεδίῳ κειμένη τῆς Ἀτυρίας.

§. 2. Hanc Aſſyriorum Cataſtrophen graphicè depingit Eſaias, cap. 13: 14. 15. 16. *Et erit tanquam damula propulſa, & ut oves ſine colligente: quiſque ad populum ſuum convertentur, & quiſque ad terram ſuam fugient. Omnis qui præſtò fuerit, conficietur, & omnis affixus cadet gladio. Et pueri ipſorum laniabuntur ante oculos ipſorum, lacerabuntur domus ipſorum, & uxores ipſorum violabuntur.* Nahumus item, cap. 2: 9. 10. 11.

9. 10. 11. *Et Ninive eſt ut piſcina aquæ ex quo ipſa eſt : & illi fugiunt ſtate, ſtate. At non eſt, qui reſpiciat. Prædamini argentum, prædamini aurum. Et non eſt finis apparatus, gloriæ, ex omnibus vaſis deſiderabilibus.* Evacuatio, *& evacuatum, & eradicatum eſt ! Et cor liquefactum & colliſio genuum, & dolor in omnibus lumbis ; & facies omnium collegerunt ollæ atrorem.* Ab aprico Sole in exilio. Et vers 14. *Ecce ego ad te, dictum Jehovæ Dei exercituum, & abolebo quidem in fumo currus illius,* & (vel *at*) *leunculos tuos comedet gladius ; & exſcindam ex terrâ prædationem tuam, & non audietur ampliùs vox legati tui.* Et cap. 3: 1. *Væ, urbs ſanguinaria !* Et vers 5: 6. 7. *Ecce ego ad te, ait Jehovah Deus exercituum ; & nudabo* (vel *reducam*) *fimbrias tuas in faciem tuam,* gentes è proximo tibi ſuſcitabo, hinc Medos, inde Babylonios ; quæ gentes quaſi fimbriæ imperio iſtius urbis prætexebantur ; *& faciam gentes videre nuditatem tuam, & regna ignominiam tuam. Et conjiciam ſuper te abominabilia, & pro flagitioſâ te tractabo, & ponam te ut ſtercus. Et erit, omnes videntes te fugient à te, & dicent : Vaſtata eſt Nineve. Quis ei complorabit ? Unde quæram conſolatores tibi ?* Zephanias denique, cap. 2: 13. 14. 15. *Et extendet manum ſuam ad Septentrionem, & perdet Aſſyrium, & ponet Nineven in ſolitudinem, aridum, ut deſertum. Et cubabunt in medio ejus gregatim omnia animalia gentis. Etiam platea, etiam anataria, in pomis ejus pernoctabunt : vox cantabit in feneſtrâ, deſolatio in limine erit, cùm cedrum ejus evacuaverit. Hæc eſt civitas illa exultabanda, quæ ſedet ſecurè : quæ dicebat in corde ſuo ; ego ſum, & præter me adhuc quicquam eſt ? Quomodo facta eſt deſolatio, cubile feris ? Omnis, qui tranſit præter eam, ſibilat, agitat manum.*

§. 3. Sic Nebucadnezar fuit *faber* præparatus Aſſyrio, ut primo *cornuum* illorum, quæ diſſipaverunt Iſraëlem, (ſup. Art. xxxi.) ad deſtruendum illum. Zach. 2: 3. 4. Et quia ſic victor ſucceſſit in ditiones & jura omnia gentis devictæ, hinc *Aſſyrius* in prophetiâ ſequentis temporis appellatur. Vid. Eſ. 20: 4. Jer. 2: 18. 36.

§. 4. Facta autem eſt hæc deſtructio imperii Aſſyriaci propter Iſraëlem : Ut ſcil. ipſi hoc pacto ſterneretur via ad revertendum ſuo tempore cum Judæis reducibus in terram. Quod innuitur. Eſ. 50: 2. Ubi Chriſtus probat, ſe eſſe perfectum ſalvatorem & Deum Iſraëlis, eo, quòd ipſe ſit *qui increpatione ſuâ ſiccat mare, ponit fluvios deſertum, ut piſces ipſorum fœteant ob defectum aquæ, & moriantur præ ſiti.* Quibus allegoricè ſignificatur abolitio & exſtirpatio rerum publicarum ; quales non paucæ everſæ ſunt in gratiam Iſraëlis. Huc facit, quòd Deus promiſit Iſraëli apud Ezechielem, quòd *oves* diſperſas *ex omnibus* locis ſit *repturus, in quos diſſipatæ erant, in die nubis & caliginis.* Quam ſcil. Deus inducturus eſſet in populos, quò ille abactæ erant, ne cum illis interirent. Quemadmodum Deus Iſraëlem cuſtodivit in caſu dominationis Aſſyriorum. Ez. 34: 12.

§. 5. Tempus autem exciſæ Nineves, ſaltem quatenùs id refert ſcire in ordine ad antecedentia & conſequentia Prophetiæ, hinc æſtimemus licet. Jeremias de Nineve nihil : qui tamen ſub Joſiâ vaticinatur contra Philiſtæos & Gazam, ſubactos à Pharaone Nechone ; contra eundem Pharaonem, qui apud Euphratem cæſus eſt à Nebucadnezare ; & de morte Joſiæ ; & regem Babyloniæ Aſſyrium vocat : Ex quibus fit veriſimile, jam tùm Nineven fuiſſe à Nebucadnezare ſubactam. Quod & Hebræi tradunt, in Seder Olam rabba, cap. 24.

§. 6. Juſtificatur excidium Nineves à variis ejus peccatis, quorum præcipua ſunt iſta : I. Studium parandi vel continendi imperii, prætextu zeli religionis. Religio enim ab hominibus ſæculi non habetur, niſi ut inſtrumentum, parandæ potentiæ. In quo hypocriſis inſignis ineſt. Hic religionis abuſus in eâ urbe fuit. 1. Hæreditarius

rius à patribus, ut ab ætate Phelegi & Nimrodi, quum homines conſilium ceperunt per regnum aliquod mundanum religionem conſervandi: quo obtentu Nimrod uſus eſt ad conſtituendam monarchiam. 2. Proprius defectioni. Scil. conatus cogendi homines variarum linguarum & inſtitutorum ac religionum in unam monarchiam, cum omnis religionis confuſione. Id patet in Sancheribo, qui ſuis jactantiis nomen Jehovæ allegat, tanquam auctoris ſuæ expeditionis; & tamen ſingulis terris ſuos Deos attribuit, & omnes in veneratione vult eſſe pari. Atque hinc jam eſt, quòd Idololatria, nomine *abnegationis*, quâ ſcil. veritas evertitur; Nah. 1: 1. & *ſcortationis*; vers 3. tribuatur Ninevæ; imo vocetur *urbs, quæ univerſa eſt abnegatione triviali plena.* In quâ ſcil. ita publica ſit abnegatio, ut omnibus in triviis, qui mos eſt Idololatrarum, & religionem oſtentui habentium, exerceatur. Nah. 1: 1. Inde ergo & *ſcortum* appellatur Nineve; Ibid. vers 3. & habere dicitur *præſtigias*, ad faſcinandum homines. Inter præſtigias enim ſine dubio fuit oſtentatio religionis, & prætextus uniendi homines in religione, & vindicandi diminutionem honoris Dei. Acceſſit ſpecies humanitatis, 2 Reg. 18: 31. 32. Idem traduxit infidelitatem Ægyptii, vers 21. ſuam obliquè commendans virtutem & fidem. Singularis quoque humanitas fuit, quòd adjuvarent oppreſſos & auxilii contra potentiores egenos. Ut perſpicere eſt ex 2 Reg. 16: 8. 9. 10. Huc reſpicit Propheta, quando dicit, quòd *ſcortationibus ſuis & faſcinis gentes & familias vendiderit.* Nah. 1: 4. Per artes enim hactenùs commemoratas populi facilè venduntur. Nihil enim magis faſcinat homines, quàm ſapientiæ, juris, juſtitiæ, decoris, & honeſtatis oſtentatio. Vid. exempla hujus venditionis ſup. Art. XXIV. & XXV.

II. Aderat & tyrannis idololatriam urgens & propagans. Ut quando Ezechiæ criminis loco objecit, quòd cultum Dei uni loco, & templo, & altari adſtrinxiſſet, atque hinc Deum illum, quem colebat Ezechias, & terram ejus, auſus eſt oppugnare, illum blaſphemando, hanc deprædando. Innuit Nahum, cap. 2: 14. *Exſcindam ex terrâ prædationem tuam, & non audietur ampliùs vox legati tui.*

III. Præterea inſatiabile ſtudium belligerandi ad amplificandam potentiam. De quo ſtudio dictum eſt ſuprà Art. XVII. & XXIII. Adde nunc Nah. 3: 1. 2. 3. In quibus. 1. eſt Propoſitio ſtudiorum bellicorum, verbis: *Væ urbs ſanguinaria! Non recedit prædatio.* vers 1. 2. Exergaſia; a. in hypotheſi expeditionis bellicæ: *Non recedit ſonus ſcuticæ, & ſonus ſtrepitus rotæ; & equi hinnientis, & currus ſubſultantis.* vers 2. *b.* Triumphi: Non recedit *Eques referens & flammam gladii & fulgur haſtæ.* vers 3. col. 1. *c.* Victoriæ ſive cladis devictorum: *& multitudo exanimatorum, & moles cadaverum: & non eſt finis corporibus; offendunt in corporibus ſuis.* vers. 3. col. 2. & 3.

IV. In bellando rapacitas & crudelitas notatur, tàm principum, quàm regum ſanguinariorum. Nah. 2: 12. 13. *Ubi eſt manſio leonum, & paſcuum juvenum leonum: quò abibat leo catulliens, catulus leonis, nemine commovente: Leo prædans pro ſatiandis catulis ſuis, & ſtrangulans leænis ſuis: qui implebat prædâ cavernas ſuas, & luſtra ſua laniato.* Add. ex num. præced. Nah. 3: 1.

V. Ex victoriis Gaudium, Luxus, Securitas, & Contemptus Dei & hominum. Hæc enim, ut cauſam excidii, complectitur Zephanias, cap. 2: 15. *Hæc eſt illa civitas exultabunda, quæ ſedet ſecurè: quæ dicebat in corde ſuo; Ego ſum, & præter me adhuc quicquam eſt?* Quo carmine etiam ſibi applaudit Babylon. Eſ. 47: 10. Cùm ſit ſolius Dei; Eſ. 45: 5. 6. Deut. 32: 39. Hominum verò non niſi illorum, qui ſibi imperium ſumunt in conſcientias, & religionem inſtituunt ex arbitratu ſuo, nihil

nihil ſolliciti de Deo: quaſi ipſi ſoli aliquid eſſent, & cætera nihil. Add. ex præced. num. Nah. 2: 12. Ubi animoſitas & fiducia loci ac ſecuritas notatur. Ezech. cap. 31. regi Ægypti, & omnibus dynaſtis mundi, proponitur Aſſyrius in exemplum, ut ſi ei facti ſint ſimiles in pulchritudine, vitent ei aſſimilari in peccato, ne ei aſſimilentur in pœnâ. Vid. Inf. ad Art. LXXII.

ARTICULUS XLV.

ÆGyptiis deinde atque Babyloniis de ſummâ rerum laborantibus, Judæi ad ſuperiorum temporum mores relapſi, quaſi in Deo non eſſet ſatis præſidii, ſtatum ſuum firmare amicitiis atque fœderibus partium approperârunt. Igitur primò delectati formâ habituque Chaldæorum, iiſdem amorem affectumque ſuum applicuerunt, cùmque mallent ipſos imperium obtinere, quàm Ægyptios, miſſis ad eos legatis amicitiam ipſorum quæſiverunt.

DEMONSTRATIO.

Factum itaque eſt, quod ſcortationis nomine iterùm traducit, atque exprobrat ipſis Scriptura. Ezechiel hoc modo eam deſcribit: *Et amplificâſti fornicationem tuam erga terram Canaan uſque in Chaldæam: atque etiam in hoc non es ſatiata.* q. d. nunquam te pœnituit conſilii tui, ut non poneres fiduciam in hominibus. Ez. 16: verſ. 29. *Et addidit* Oholibah, i. e. Hieroſolyma, *ad fornicationes ſuas. Vidit enim viros pictos in pariete, imagines Chaldæorum pictas minio. Cincti cingulo in lumbis ſuis, abundantes* faſciis *coloratis in capitibus ſuis, ſpecies tribunorum univerſi erant, ſimilitudo filiorum Babylon, Chaldæorum, filiorum terræ nativitatis ipſorum. Et concupivit ipſos ſecundùm aſpectum oculorum ſuorum, & miſit legatos ad ipſos in Chaldæam.* Ezech. 23: 14. 15. 16. Scilicet Judæi, cùm non abominarentur Deos Chaldæorum, qui ficti & picti atque ornati erant inſtar virorum Chaldæorum, ut populum iis ſervientem non haberent in pretio, dicuntur dilexiſſe imagines Chaldæorum; in quibus tamen nihil poterat ipſis placere, niſi quòd cingula in lumbis geſtarent, &c. quæ κατ' ὄψιν poſſint hominem delinire, & facere, ut cum illis, qui tales ſunt, velit communionem habere. Et hinc Eſaias, recenſens peccata populi, ſuo & ſequentibus temporibus commiſſa, quibus omitti à Deo nec haberi ampliùs pro peculio, merebatur, ponit inter alia etiam hoc: Quod *pleni ſunt à* vel *præ Oriente,... & in natis alienigenarum acquieſcunt* vel *faciunt offendere.* Eſ. 2:6. Quo quid aliud, quam fiducia in Orientalibus, h. e. Babyloniis, & ſcortatio cum gentilibus, poſteris eorum, qui nullam habent promiſſionem, teſtamentum, legiſlationem, &c. ſignificatur? Similis eſt locutio Habaccuci in re eâpſe. Hab. 1: 9. *Quorum facies anhelat ad Orientem.* Jeremias quoque huc alludit, cap. 2: 18. *Quid tibi in viâ Aſſur,* (Rationem hujus appellationis vide ad Art. præced.) *ut bibas aquas fluvii?* Reliqua peccata, quæ commemorat, Eſaias, ſunt iſta: 1. Imitatio gentium in peccatis ipſarum, nec tantùm Orientalium, de quibus jam dictum, ſed etiam Palæſtinorum ab Occidente: *Et augurantur, ut Palæſtini.* Poteſt intelligi aſtrologia judicaria; vel latiùs acceptâ voce, omne verbum hominum à ſpiritu privato, eoque impuro, proveniens, & fides illius. verſ. 6. 2. Studium & fiducia in opibus: *Et impleta eſt terra ejus argento & auro, & non eſt finis theſauris ejus.* verſ. 7. 3. Fiducia potentiæ humanæ: *Et impleta eſt terra ejus equis; & non eſt*

finis curribus ejus. verſ. 7. col. 2. 4. Idololatria, ſive fiducia in imaginibus, & iis, quæ fecerunt manibus ſuis: *Et impleta eſt terra ejus Idolis: operi manuum ſuarum ſe incurvant, ei quod fecerunt digiti ipſius.* verſ. 8. *Et deprimit ſe homo, & humiliat ſe vir.* verſ. 9. Scil. id ipſis pro cultu Deorum reputatur, quod fœdera junxerunt cum gentibus, & ab illis ſalutem exſpectârunt. Ipſa templi & altaris, aliarumque rerum, quæ ſunt elementa mundi, & principum ſæculi ſervitus ſine fide, eſt ſervitus eorum, quæ naturâ non ſunt Dii.

ARTICULUS XLVI.

PHarao Necho rex Ægypti, expeditionem parans in Babylonium, ne quid hoſtile à tergo relinqueret, vicinam atque interjectam Palæſtinam, conatibus ſuis reſiſtentem, primò invadit, &, percuſſâ Gazâ, perdomat. Jer. 47: 1.

DEMONSTRATIO.

Quod fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam prophetam ad Palæſtinam, antequam Pharao percuteret Gazam. Jerem. 47: 1. *Super die illo, qui venit ad vaſtandam omnem Palæſtinam, ad exſcindendum Tyro & Sidoni omnem ſuperſtitem auxiliantem: quia vaſtat Jehovah Palæſtinos, reliquias inſulæ Caphthor.* verſ. 4. *Venit calvicies in Gazam: occidit Aſcalon reliquiæ vallis ipſorum. Quouſque* (vel *quamdiu*) *turmatim incedes*, vel *faciem laniabis?* præ impatientiâ aut ex ſuperſtitione. q. d. fruſtrà te laceras, & convulneras. Nam omnis ſpes interiit. verſ. 5. *Eheu, gladie Jehovæ, quouſque non requieſces? Recipe te in vaginam tuam, conquieſce, & contine te.* verſ. 6. *Quomodo acquieſceres? Atqui Jehovah præceptum illi dedit ad Aſcalonem & littus maris; eò condixit illi.*

ARTICULUS XLVII.

ÆGyptio deinde in Chaldæam tendenti occurrit Joſias rex Judæ, ut videtur, ex Art. XLV. quòd fœdus cum Babylonio haberet; &, commiſſo prælio, occiditur. 2 Reg. 23: 29. 30. 2 Chron. 35: 20 --- 24.

DEMONSTRATIO.

Hoc facto impletum eſt illud Jeremiæ: *Etiam filii Noph & Tachpanches depaſcuntur te verticem.* Jer. 2: 16. Item: *Et nunc quid tibi in viâ Ægypti?* Jer. 2: 18. Et quod prædictum Eſai. cap. 7: 18. 19. *Et erit in illo die, ſibilabit Jehovah muſcæ, quæ eſt in fine fluviorum Ægypti.... Et venient & quieſcent omnes illæ in vallibus deſertis, & in fiſſuris petrarum & in omnibus arboretis, & in omnibus locis celebribus.* Scil. Ægyptii & Cuſchæi venerant quidem, & Aſſyrium ad tempus averterant; ſup. Art. XXXIX. Sed & graves Judæis exſtiterunt.

ARTICULUS XLVIII.

JOachazo filio Joſiæ in locum Patris uncto, eum removit Pharao, & vinctum abduxit in Ægyptum, ibi moriturum; Eliakimum verò, qui & Joja-

Jojakim, fratrem ejus, regno præfecit, & mulctam terræ impoſuit. 2 Reg. 23: verſ. 30. 33. 34.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque Judæis ad ſerviendum Ægyptio coactis, illi *biberunt aquas Nili.* Jer. 2: 18. Et magis adhuc impleta prophetia Eſai. cap. 7: 18. 19. Cœterùm de morte Joachazi prophetat Jeremias, qui eum Sallumum vocat, Jer. 22: 11. 12. *Nam ſic dixit Jehovah de Sallum filio Joſiæ regis Judæ, qui rex factus eſt pro Joſiâ Patre ſuo; qui exiit ex loco hoc: Non revertetur eò unquam. Sed in loco, quò eum deportarunt, ibi morietur, & terram hanc non videbit unquam.*

§. 2. Hiſtoriam Joachazi in emblemate ſequenti ita depingit Prophetia: *Leæna* i. e. populus Iſraeliticus, *recubans inter Leones*, i. e. populos vicinos, *quæ ſolebat catulos ſuos* i. e. principes regum filios, *inter medios juvenes leones prædatores educare*, à quibus & ipſi diſcerent bella gerere, prædari, homines occidere: Hæc inquam Leæna *educavit unum ex catulis ſuis*, Joachazum, *qui juvenis leo factus eſt, qui didicit prædari, hominem voravit.* Vid. 2 Reg. 23: 32. *Et audiverunt de eo gentes; in foveâ eorum captus eſt, & deduxerunt eum hamis in Ægyptum.* Ez. 29: 2. 3. 4. Sic verſ. 5. *Et vidit* Leæna, *quòd infirmatus eſſet.* nempe Leo ille juvenis abductus in Ægyptum.

ARTICULUS XLIX.

ANno quartò regni Jojakimi Nebucadnezar rex Babelis profligavit Ægyptios in Carcemiſch apud Euphratem. Jer. 46: 2.

DEMONSTRATIO.

Quod fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam prophetam, Jerem. 46: 1. *De Ægypto, de exercitu Pharaonis Nechonis regis Ægypti, qui venit ad fluvium Euphratem in Carcemiſch, quem percuſſit Nebucadnezar rex Babel anno quarto Jojakimi filii Joſiæ regis Judæ.* verſ. 2. *Parate clypeum & ſcutum, & accedite ad prælium.* verſ. 3. *Jungite equos, & aſcendite, equites, & conſiſtite cum galeis, polite haſtas, induite loricas.* verſ. 4. Sunt verba παρακελευστικὰ & tanquam adhortantis. *Quare vidi? Illi conſternati cadunt retrò, & fortes illorum contunduntur, & fugam capeſſunt, & non reſpiciunt?* Verba admirantis fugam. *Pavor undiquaque eſt, ait Jehovah.* Reſponſio ad admirationem. verſ. 5. *Ne fugiat levis*, velox, ὠκύπους, *& ne effugiat fortis.* Sed pugnans in acie cadat. Hoc pronunciatur per modum ſententiæ & decreti Divini. *Septentrionem verſus apud fluvium Euphratem offenderunt & ceciderunt.* verſ. 6. *Quis ille qui velut amnis* h. e. Nilus *aſcendit? ut fluvii? Cujus aquæ fatiſcunt.* ſe dehiſcunt & extolluntur & ſe ſpargunt. Verba admirantis novos motus, & populum exundantem inſtar Nili. verſ. 7. *Ægyptus ut amnis aſcendit, & ut fluvii qui fatiſcunt aquis. Et dixit: Educam, operiam terram, perdam urbem & habitantes in eâ.* Eſt oratio ejus, qui poſt admirationem & inquiſitionem tandem videt, quid rei ſit. verſ. 8. *Aſcendite, equi, & inſanite, currus, & exeant fortes, Cuſchæi & Putæi tenentes clypeum, & Ludæi, tenentes tendentes arcum.* Verba Dei annuentis, & per providentiam ſuam gubernantis illam expeditionem. verſ. 9. *Et dies ille eſt Domino Jehovæ Deo exercituum dies ultionis ad ultionem ſumendam ab hoſtibus*

hoſtibus ſuis, & comedet gladius & ſatiabitur & explebitur à ſanguine ipſorum. Nam epulum eſt Domino Jehovæ Deo exercituum in terrâ Aquilonis apud fluvium Euphratem. verſ. 10. *Aſcende in Gilead, & cape balſamum, virgo filia Ægypti. Fruſtrà multiplicâſti medicamenta, emplaſtrum non eſt tibi.* Hic verſus oſtendit, Ægyptum hâc expeditione vulnus immedicabile accepiſſe. verſ. 11. *Audierunt gentes ignominiam tuam, & vociferatio tua implevit terram.* Tantùm abeſt, ut poſſis convaleſcere, ut etiam dedecus tuum tegere non poſſis, quod tua ipſius vociferatione publicatum eſt. *Nam fortis in fortem impegerunt, pariter ceciderunt ambo.* verſ. 12. Huc referenda ex ſequenti ſermone verſ. 13. &c. quæ ſequuntur: *Indicate in Ægypto & facite ut audiatur in Migdol, & facite ut audiatur in Noph & in Tachpanches: Dicite: Sta, & para tibi. Nam comedit gladius, quæ circa te ſunt.* Eſt hypotypoſis tanquam nuncii venientis in Ægyptum, & excitantis ad porrò mittendum nuncios in omnes locos, ut parati ſint ad occurrendum hoſtibus, quandoquidem illi immineant. verſ. 14. *Quare everſi ſunt caballi tui?* Sermo tanquam alicujus Ægyptiorum interrogantis nuncium cladis, quomodo fieri potuerit, ut tot equi, tam fortes everterentur. *Non ſtetit.* Imperſonaliter &, neutraliter accipe; *Quia Jehovah impulit eum.* Verba reſpondentis. verſ. 16. *Plurimus eſt offendens. etiam cecidit vir in proximo ſuo. Et dixerunt*: nempe reliqui, qui cum fortibus illis non ceciderant. *Surge & redeamus ad populum noſtrum & ad terram ortus noſtri propter gladium affligentem.* verſ. 17. *Venerunt eò: Pharao rex Ægypti calamitas: prolatus eſt locus conſiſtendi.* Propheta declarat, profugos venturos quidem in Ægyptum, ſed in eâ non conſtituros, & locum perfugii ulteriùs deſignaturos. Ratio proferendi terminum fugæ, quòd Pharao perditus eſſet, omneſque ejus vires apud Euphratem eſſent profligatæ. verſ. 18.

ARTICULUS L.

Ninive devicta, cum viribus regni & dominandi in omnia libidinem, in victorem Babylonium transmiſerat. Igitur, profligato apud Euphratem Pharaone, uti victoriâ, & perſequi æmulum in ipſius ditiones placuit: Et primo quidem impetu omnibus raptis intra Peluſium & Euphratem, intra proprii territorii limites Ægyptium redegit. 2 Reg. 24: 7.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Scil. *macies* illa, h. e. fames inſatiabilis gentes & regna ſubjugandi, de quâ ex Eſai. cap. 10. ſup. ad Art. XXIII. jam occupaverat ſucceſſores Aſſyriorum Chaldæos, interque eos inprimis *Inſignem* illum, ſ. *Ingentem*, h. e. Nebucadnezarem. Eſai. 10: 16. 18. 33. Itaque *venit tempus ejus.* nempe *Babylonis decoris regnorum, & ornamenti celſitatis Chaldæorum.* Eſ. 13: 22. coll. 19. Et factum eſt, quod ait Deus, Hab. 1: 6. *Ecce ego ſuſcito Chaldæos.* Gentem Chaldæorum ita deſcribit Prophetia, ut ei tribuat 1. Amarorem, h. e. auſteritatem, ſeveritatem, truculentiam. *Gentem illam amaram.* H. 1: 6: 2. Feſtinationem, h. e. induſtriam & ſtudium ingens ad propoſitum exſequendum. *Et præcipitem.* Ibid. 3. Cupiditatem aliena occupandi. *Quæ ambulat in ſpacioſa terræ, ad occupandum habitacula non ſua.* Ibid. 4. Terribilitatem. *Terribilis & timenda illa eſt.* Ibid. verſ. 7. 5. Imperioſitatem & ſuperciliosam majeſtatem. *Ab ipſâ judicium ejus & prolatio ejus exibit.*

exibit. Ibid 6. Obſequium populorum & multitudinem ac acrimoniam copiarum Inde cum pardis hinc cum lupis rapacibus comparantur. *Et leves erunt præ pardis equi ejus, & acuti præ lupis veſpertinis, & diffundentur equites ejus.* Mox & indefatigabilem ſtrenuitatem. Unde cum aquilis ad prædam volantibus comparantur. *Imò equites ejus è longinquo venient: volabant, ut aquila feſtinans ad comedendum.* v. 8. 7. Propoſitum. *Totus ipſe ad violentiam exercendam veniet.* Additur intimatio, ovos, *quorum facies ad Orientem anhelat.* Et ſpecificatio violentiæ in cogendâ captivitate innumerabili. *Et congregavit ut arenam captivitatem.* vers 9. 8. Vilipendium regum & principum. *Et ille regibus illudit, & principes ludibrium ſunt ipſi.* vers 10. 9. Facilitatem expugnandi munitiones. *Ipſe omne munimentum irridet, & aggerit pulverem, & capit illud.* Ibid.

§. 2. Hæc excitatio Chaldæorum erat *molitio*, præparatio & exordium *operis* majoris. Cum hoc enim ſequentia omnia Dei tùm judicia, tùm beneficia, tàm in mundum, quàm in populum repræſentanda, quæ ſubſequens Prophetia explicat, continuo ordine erant concatenata. Ita enim Propheta: *Opus operatur in diebus veſtris. Nam ecce ego ſuſcito Chaldæos.* Hab. 1: 5. 6.

§. 3. Cæterùm de expeditione à Nebucadnezare ſumendâ in Ægyptum fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam. Ita enim eſt Jer. 46: 13. *Verbum, quod locutus eſt Jehovah ad Jeremiam de eo, quod venturus eſſet Nebucadnezar rex Babel ad feriendam Ægyptum.*

ARTICULUS LI.

EOdem anno, id eſt quarto Jojakimi regis Judæ, nim. incipiente, Jer. 25: 1. 46: 1. vel tertio, nim. exeunte, Dan. 1: 1. primo autem regni Nebucadnezaris in Judæâ, Jerem. 25: 1. Hieroſolyma primùm, à Nebucadnezare obſeſſa, rege Jojakimo ſe fidei ejus committente, venit in poteſtatem Chaldæorum. 2 Reg. 24: 1. Dan. 1: 1. 2.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Huc iterùm facit increpatio iſta prophetica: *Et nunc quid tibi cum viâ Aſſur, ut bibas aquas fluvii*: Jer. 2: 18. *Et amplificâſti fornicationem tuam erga terram Canaan uſque in Chaldæam.* Ezech. 16: 29. Conf. ſup. Art. xlv. Quibus adde, quod eſt Ezech. 23: 17. *Et venerunt ad eam filii Babel ad concubitum amorum, & contaminârunt illam fornicatione ſuâ* q. d. venerunt, ut Hieroſolymam eriperent è manu coarctantium Ægyptiorum.

§. 2. Hoc tempore Daniel cum ſociis, & parte vaſorum templi, abductus eſt Babylonem, ut eſſent aulici in palatio regis. Dan. 1: 1 — 6. Sicque impleri cœpit vaticinium Eſajæ ad Ezechiam; quod vide Eſ. 37: 9.

§. 3. Judæâ itaque jam primùm à Babyloniis ſubactâ, & parte populi in captivitatem abductâ, in hoc ipſo anno initium ſeptuaginta annorum ſervitutis & captivitatis Babylonicæ ponamus licet. Quò nos ducit præter rei ipſius fidem, & hiſtoriæ eventum quæ hinc uſque ad primum annum imperii Cyri, ſuffragante calculo probatiſſimorum Scriptorum, lxx. annos patet, ipſius auctoritas Jeremiæ, cap. 25: 10. 11. 12. coll. vers 1. Quare etiam Daniel, qui ad eventum prædictionis Jeremiæ diligentiſſimè attendebat, annum captivitatis ſuæ notare minimè prætermiſit.

ARTI-

ARTICULUS LII.

DEvictis jam atque ad impotentiam redactis Ægyptiis, & longiùs remotis Babyloniis, exſpectabat populus, ſub Jojakimo rege, regni inſtaurationem; tantâ fiduciâ, ut rex, poſt tres annos ſervitutis, deficere à Nebucadnezare auderet. 2 Reg. 24: 4.

DEMONSTRATIO.

Hæc *exſpectatio* populi memoratur. Ez. 19: 5. *Et vidit* leæna, de quâ ſup. Art. xlvii. *quòd infirmatus eſſet* Leo juvenis abductus in Ægyptum, *periiſſet exſpectatio ſua.*

ARTICULUS LIII.

URijas quidam filius Samajæ prophetat de deſtructione urbis & templi ſecundùm verba Jeremiæ. Jer. 26: 20.

DEMONSTRATIO.

Hunc Urijam necdum natum nominavit, & teſtem ſuarum prædictionum, quibus inter alia eandem calamitatem urbi & terræ imminentem prænunciabat, declaravit Eſaias, cap. 8: 2. *Et teſtes conſciſcam mihi fideles, Urijam ſacerdotem, & Zachariam filium Jebarachiah.* Pars illa vaticinii Eſajæ de coarctatione terræ præceſſerat Ibidem paulò ante c. 7. fine.

ARTICULUS LIV.

PErit *exſpectatio* populi, & regis, infeſtantibus cum turmis Chaldæorum, & turmis Syrorum, & turmis Moabitarum, & turmis Ammonitarum. 2 Reg. 24: 2.

DEMONSTRATIO.

Vid. Ezech. 19: 5.

ARTICULUS LV.

REx ipſe in vinculis abducitur Babylonem. 2 Chron. 36: 6. Ibique (forſan in itinere) mortuus vel projicitur, vel leviter terrâ obtectus, nec deplanctus ita ſepelitur.

DEMONSTRATIO.

Itaque impletum eſt vaticinium Jeremiæ, quod legitur Jerem. cap. 22: 18. 19. *Propterea ſic dixit Jehovah de Jojakimo filio Joſiæ regis Judæ, non facient ei planctum: ah frater mi & ah ſoror: non facient ei planctum: ah Dominus & ah majeſtas ejus. Sepulturâ aſini ſepelietur; trahetur & projicietur ultra portas Hieroſolymæ.* Item. Jer. 36: 30. *Propterea ſic dixit Jehovah de Jojakimo rege Judæ: Non erit ipſi ſedens in throno Davidis, & cadaver ejus erit projectum æſtui de die & frigori de nocte.*

ARTI-

ARTICULUS LVI.

JOachazo abducto in Ægyptum, & Jojakimo Babelem, ibique mortuis, Joachin, qui & Jechonias, puer 18. annorum, ad regni gubernacula admotus eſt. 2 Reg. 24: 8.

DEMONSTRATIO.

Videns itaque *mater leæna*, de quâ ſup. Art. XLVIII. *quòd infirmatus eſſet leo ſuus* Joachaz, *periiſſet exſpectatio ſua*, ſub Jojakimo, *accepit unum catulorum ſuorum, juvenem leonem conſtituit eum.* Ez. 19: 5.

ARTICULUS LVII.

IS verò, proditâ ſtatim indolis malitiâ, impietatem, violentiam, tyrannidem patrum ſuorum ſimilitudine morum exæquavit. 2 Reg. 24: 9.

DEMONSTRATIO.

Hanc novi regis immodeſtiam ſic porro explicat Propheta: *Qui ambulavit inter leones, juvenis leo exſtitit*, h. e. talem ſe geſſit, quanquam catulus eſſet, *& didicit prædari, hominem voravit. Et cognovit viduas ejus*, hominis occiſi, *& urbes eorum deſolavit*, cùm ad ſtabiliendum regnum ſuum vexare populum exactionibus inciperet, ita ut multi ſedes ſuas relinquere cogerentur, *& deſolata eſt terra & plenitudo ejus à voce rugitus*, h. e. edictorum, *ejus.* Ezech. 19: 6. 7.

ARTICULUS LVIII.

BAbylonii itaque cum gentibus vicinis Hieroſolymam iterùm obſederunt, regem deditione factâ in manus venientem, cum eoque principes, & virtute aut dignitate præcipuos, nempe Senatores, duces, magiſtros fabrorum, & omnium collegiorum, id eſt optimum quemque; ad decem hominum millia, abduxerunt Babelem, fæce populi in urbe relictâ. 2 Reg. 24: 14. 2 Chron. 36: 10.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hoc Articulo ita vaticinatur Jeremias, cap. 22. *Vivo ego, ait Jehovah: Si eſſet Chonjahu filius Jehojakim regis Judæ ſigillum in manu dextrâ meâ; inde avellerem te.* vers 24. *Et dabo te in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum, quos times, & in manum Nebucadnezaris regis Babel, & in manum Chaldæorum.* v. 25. *Et projiciam te & matrem tuam, quæ peperit te, in terram aliam, ubi non eſtis nati, & ibi moriemini.* vers 26. *Et in terram, in quam ut revertantur, illi lactant animam ſuam, eò inquam non revertentur.* vers 27. *An opus ſpretum, diſſipatum, vir hic Chonjahu? nunquid vas, in quo non eſt voluptas? Quare projecti ſunt ipſe & ſemen ejus, & conjecti in terram, quam non norant?* vers 28. Ezechiel, more ſuo, in emblemate, rem ita repræſentat: *Et invaſerunt ipſum gentes undiquaque ex provinciis, & expanderunt juxta ipſum rete ſuum, in ſovea ipſorum captus eſt. Et dederunt ipſum in caveâ hamis, & deduxerunt ipſum ad regem Babel, deduxerunt eum in arces*, hoc eſt arcium aliquem; 2 Reg. 25: 27. *ne audiretur vox ejus ampliùs ſuper montibus Iſraëlis.* Ezech. 19: 8. 9.

§. 2. Quatenùs verò unà cum rege præcipua pars populi eſt abducta, hoc quaſi

funus quoddam reipubl. hoc threno adumbrat ac proſequitur Propheta: *Mater tua* i. e. populus Iſraëliticus, tribus Judæ, familia Davidis, *ut vitis in ſanguine tuo*, ſanguine regio, ex quo tu natus es, *apud aquas plantata, frugifera & frondoſa facta eſt ab aquis multis.* i. e. Divinâ benedictione fœcunda exſtitit ad gignendum palmites generoſos multos. Ezech. 19: 10. *Et extiterunt ipſi rami robuſti in ſceptra dominantium*, i. e. reges potentes, *& exaltata eſt ſtatura ejus inter frondoſas arbores*, ita ut videretur vitis illa exæquare potentiſſimos monarchas, *& viſus eſt*, (ſubint. ramus) *præ altitudine ſuâ, præ multitudine malleolorum ſuorum.* factus eſt conſpicabilis ramus ille fortis, h. e. reges illi potentes ex domo Davidis, proceritate ſuâ, & multitudine ramorum ſuorum. vers 11. *Et evulſa eſt* vitis illa *cum æſtu, in terram projecta eſt, & Eurus*, ventus orientalis, Nebucadnezar, *exareſecit fructum ejus: avellendos ſeſe præbuerunt & exaruerunt; ramus robuſtus ejus, ignis devoravit eum.* vers 12. *Et nunc plantata eſt* vitis illa *in deſerto, in terrâ nudâ & ſiticuloſâ.* vers 13. Significatur hiſce transportatio Babylonica. Nam ut terra ſancta ſe habebat inſtar frugiferæ, ita reliquus mundus inſtar deſerti. Claudit threnum hoc epilogo: *Threnus ille* q. d. populus per deportationem Jechoniæ planctu & lamento dignus eſt. v. 41.

§. 3. Eſt, ubi deportatio Jechoniæ & principum ſic figuratur. *Aquila magna, magnis alis, longis pennis, plena plumâ verſicolore*, Nebucadnezar, *venit in Libanum*, Hieroſolymam arcem regni, *& accepit lanuginem cedri.* Domus Davidicæ dominantis. *Caput ſtolonum ejus abſcidit*, regem Jechoniam & principes, *& dedit illud in terram inſtitoris, in urbe negotiatorum poſuit illud.* i. e. Babylonem deduxit, ut ibi ita haberentur, quemadmodum lignum cedri à mercatoribus haberi ſolet. Ezech. 17: 3. 4. Quam parabolam ita explicat Propheta: *Dic, age, domui inobedientiæ: Annon noſtis, quid hæc ſibi velint? Dic: Ecce venit rex Babel Hieroſolymam, & accepit regem ejus & principes ejus, & eduxit eos ad ſe Babylonem.* Et ſic vers 13. *Et potentes terræ accepit.* h. e. abduxit.

§. 4. Hâc deportatione factum eſt, quod, parabolicè rurſus, ita explicatur. Ezech. 15: 4. 5. *Ecce* lignum vitis, habitantes Hieroſolymam, quatenùs acceptâ lege acceperant ſpeciem arboris frugiferæ, ut vitis uvas daturæ, *igni datum eſt in cibum: utrumque extremum eorum comedit ignis*, i. e. Divinis plagis politia eorum, eſt enervata; *& medium ejus ambuſtum eſt*, i. e. Doctores & ſapientes ejus per ſapientiam Divinam excœcati & indurati ſunt. *Ex igne* autem *exiverunt* habitantes Hieroſolymam, qui Babylonem ſunt abducti; ut eſt Ibid. v. 7.

§. 5. Cæterùm quia hâc deportatione optimi quique cum Jechoniâ erant abducti, atque in ipſis Deus expleturus erat ſuas promiſſiones, eadem deportatio in emblemate ollæ ficubus plenæ, & quidem bonis, ſic repræſentatur; Jer. 24: 1. 2. 3. *Fecit Jehovah me ut viderem; & ecce duæ ollæ ficuum conſtitutæ ante templum Jehovæ, poſtquam Nebucadnezar rex Babylonis abduxiſſet Jechoniam filium Jojakimi regem Judæ, & principes Judæ, & fabros & collegia ab Hieroſolymâ, & deduxiſſet ipſos in Babyloniam.* v. 1. *Una olla ficus bonæ admodum, & ficus præcoces* ..... v. 2. *Sic dixit Jehovah ad me: Quid tu vides, Jeremia? & dixi: Ficus, quarum quæ bonæ, bonæ admodum.* Significat Propheta, Deum in duo tempora diremiſſe captivitatem Hieroſolymæ, & primo tempore optimos eduxiſſe. De promiſſionibus verò Divinis in illis repræſentandis, vid. Ibid. vers 5: 6. 7. Igitur in hâc deportatione Deus incepit *referre manum ſuam ſuper Hieroſolymam, & conflare ad puritatem ſcorias ejus, & auferre omne ſtannum ejus.* h. e. hypocritas, qui cùm ſint ſtannum, ſe pro argento venditant, à melioribus ſeparare. Eſ. 1: 25. Et Deus ſe fert ejus auctorem, Ezech.
17: 22.

17: 22. *Sic dixit Dominus Jehovah: Et accepi ego de lanugine cedri altæ: & dedi.* Quòd tamen ipſum, eod. cap. verſ. 4. Nebucadnezari tribuerat.

§. 6. Inter deportatos hoc tempore fuit Ezechiel propheta, qui idcircò à deportatione Jechoniæ annos revelationum ſibi factarum numerat. Vid. Ez. 1: 2. 8: 1. 20: 1. 24: 1. 26: 1. 29: 1. 30: 1. &c.

§. 7. Huic primæ Judæorum captivitati accommodatus eſt Threnus Jeremiæ, quem continet Caput Threnorum primum. Ejus threni hæc eſt ſententia: *Quomodo conſidet ſolitaria, urbs illa populoſa?* miratur ejus ſolitudinem. *facta eſt ut vidua?* proceribus & viris ab eâ abductis. *Præampla in gentibus, princeps in provinciis facta eſt obnoxia.* redacta in ſervilem conditionem. verſ. 1. *Flet noctu, & lachryma ejus ſuper genâ ejus eſt*, Fletus civium tribuitur urbi, *& non eſt ei conſolator ex omnibus amantibus eam* amaſiis, adulantibus ei, *omnes amici ejus* h. e. ſocii, populi vicini, *fefellerunt eam, facti ſunt ei inimici.* tantùm abeſt ut conſolentur. verſ. 2. *In exilium ivit Juda propter virium defectum, & propter amplitudinem operis*, in quo vires ſuas conſumſit, *illa conſidet in gentibus, non invenit, ubi requieſceret: omnes perſequentes eam aſſequuntur eam in anguſtiis.* verſ. 3. Hæc de abductis. In ſequentibus agit de ſtatu civitatis: *Viæ Sionis lugent ſine frequentantibus conventum condictum* ſtatis diebus in templo agendum; *omnes portæ ejus deſolatæ ſunt*, cùm nemo ſit, qui per eas intret, *Sacerdotes ejus gemunt, virgines ejus mæſtitiâ affectæ ſunt, & illa in amaritudine verſatur.* longiſſimè remota à feſtivâ exultatione. verſ. 4. *Facti ſunt hoſtes ejus caput, inimici ejus tranquilli ſunt, quia Jehovah mæſtitiâ illam affecit, propter multitudinem defectionum ipſius.* Et hæc eſt magna ratio amaritudinis. Nec tantùm: Sed etiam *pueri ejus* dilectiſſimi *abierunt captivi ante hoſtem.* verſ. 5. *Et exivit à filiâ Sion omnis majeſtas ejus*, quicquid erat in pretio in civitate, *facti ſunt principes ejus ut cervi, qui non reperiunt paſtum, & abierunt deſtituti viribus coram perſequente.* verſ. 6. Ad cumulum malorum accedit, quòd *Si recordetur Hieroſolyma dierum impotentiæ ſuæ*, cujus in re recenti non poteſt non meminiſſe, *acerbitates ejus ſunt omnia amabilia ejus*, ut Templum, Altare, Sacerdotium, Feſta, omnis cultus, eloquia Dei penes illam depoſita, nomen populi Dei, *cùm caderet populus ejus in manum hoſtis, & non eſſet opitulator ei, viderunt eam hoſtes, riſerunt ſuper Sabbata ejus.* verſ. 7. *Peccatum peccavit Hieroſolyma*; Eſt quaſi reſponſio ad illud, *Quomodo*, quod eſt in principio. *propterea comploratio facta eſt; omnes qui honorabant eam, vilipendunt eam, quia vident nuditatem ejus*, imbecillitatem ſcil. totius legis, & obſervationis ejus ad juſtitiam parandam, cùm qui legem illam habent, & eam faciunt, incidant in tantas plagas: *etiam ipſa gemit & retrocedit.* perdidit parrheſiam ſuam, & non poteſt in Jehovah gloriari, ut in Deo ſuo. verſ. 8. *Impuritas ejus in fimbriis ejus eſt*; peccatum ejus publicum eſt, & diſſimulari non poteſt, quemadmodum ſordes, quæ fimbriis veſtium adhæreſcunt, *non cogitavit exitum ſuum*, quid eam maneret, *&* h. e. ideo *deſcendit mirabiliter*; *non eſt conſolator ei. Vide Jehovah, paſſionem meam*, Hæc ſunt verba Sionis, interim reſpicientis ad Deum ſuum, & confugientis ad illum, qui ei plagam inflixit, *quia magnificat ſe inimicus.* Diabolus. verſ. 9. *Manum ſuam extendit hoſtis in omnia amabilia ejus, quia vidit gentes, quæ intrarunt ſanctuarium ejus, de quibus præceperas, non venient in cœtum tibi.* In apoſtrophe ad Deum Propheta exponit cauſas illius ſermonis, quem attribuerat Sioni. verſ. 10. *Omnes populi ejus gemunt, quærentes panem, dederunt amabilia ſua* ex. gr. volumina legis & Prophetarum, *pro cibo, ad reſtituendam animam. Vide, Jehovah, & intuere*

tuere, quòd exſtiterim vilis. Sunt rurſus verba Sionis interloquentis. verſ. 11. *Non ad vos omnes, qui tranſitis viam.* Continuatur ſermo Sionis. q. d. Non vos, ſed Deum imploro. *Intuemini, & videte, an ſit dolor par dolori meo, quo afflicta ſum, quam mœrore affecit Jehovah, in die æſtus iræ ſuæ.* verſ. 12. *A celſo miſit ignem in oſſa mea, & ſubegit ea*, ut me exigere nequeam, *pandit rete pedibus meis*, me incluſit ita, ut evadere non poſſim, *fecit, ut retrò averterer*, ut nec coram hoſte poſſem ſtare, nec fiduciam haberem accedendi ad Deum, *dedit me deſolatam*, vel omnibus rebus orbatam, *toto die languentem.* verſ. 13. *Coagmentatum eſt jugum defectionum mearum in manum ejus*; Hîc alterum eſt in ſermone ad tranſeuntes, nim. confeſſio peccatorum; *complicatæ ſunt*, in unum corpus, ut divelli non poſſint *aſcenderunt in collum meum*, ut jugum, *fecit offendere vires meas, dedit me Dominus in manus ejus, cui non poſſum reſiſtere.* verſ. 14. *Aggeravit omnes fortes meos in medio mei*, atque ita conculcandos præbuit, *edixit contra me tempus & conventum ad frangendum juvenes meos, torcular calcavit Dominus virgini filiæ Judæ.* verſ. 15. *Propter hæc ego fleo*, Claudit alloquium tranſeuntium, *oculus meus, oculus meus deſcendit aquis, quia elongatus eſt à me conſolator reficiens animam meam, exſtiterunt filii mei* ipſi pii à piis patribus educati, *deſolati, quia prævaluit inimicus.* verſ. 16. *Expandit Sion manus ſuas, non eſt conſolator ei.* Sunt verba prophetæ παρενθετικῶς, quibus declarat, Sionem non immeritò conqueri de derelictione: *præcepto convocavit Jehovah Jacobo circa ipſum hoſtes ejus, exſtitit Hieroſolyma fœditas in medio ipſorum.* cum quibus, ut exoſis Deo, nemo velit habere communionem. verſ. 17. *Juſtus ipſe eſt Jehovah.* Rurſus ſunt verba Sionis, uſque ad finem, quibus 1. juſtificat Deum, *quia ori ejus immorigera fui.* 2. Invitat populos, ut ſpectent dolorem ſuum: *Audite, agite, omnes populi, & videte dolorem meum, virgines meæ & juvenes mei abierunt captivi.* verſ. 18. Confitetur etiam peccatum ſuum: *Vocavi amaſios meos.* & monet, ut ſpectent, quomodo ſibi ceſſerit iſta ſcortatio: *illi deceperunt me, Sacerdotes mei & ſeniores mei in civitate meâ exſpirârunt, nam quæſiverunt cibum ſibi, quo reficerent animam ſuam.* verſ. 19. 3. Confugit ad Deum, & eum invocat. *Vide, Jehovah, quòd arctum mihi ſit, viſcera mea conturbata ſunt, verſum eſt cor meum in medio mei, quia immorigera exſtiti, foris orbos facit gladius, domi tanquam mors eſt.* verſ. 20. *Audiverunt, quòd gemo ego; non eſt conſolator mihi, omnes inimici mei audiverunt malum meum, exhilarati ſunt, quia tu feciſti, ubi adduxeris diem, quem vocâſti, fies ut ego.* verſ. 21. *Veniat omnis malitia illorum coram te, & fac illis, quemadmodum feciſti mihi propter defectiones meas; quia multi ſunt gemitus mei, & cor meum languidum eſt.* verſ. 22.

ARTICULUS LIX.

A moto Jechoniâ, Nebucadnezar Zedekiam, patruum Jechoniæ, ei ſucceſſorem dedit. 2 Reg. 24: 17. 2 Chron. 36: 10.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ad hunc Articulum reſpicit Ezechiel hâc orationis figurâ: *Et accepit aquila illa* de quâ Art. præced. Nebucadnezar ſcil. *de ſemine terræ*, Zedekiam, patruum Jechoniæ, qui erat de ſemine regio, oriundus ex illâ terrâ, & populo, non Babylonius, *& dedit illud in agro ſativo, & accepit ad aquas multas, circumſpectè poſuit illud.* i. e. Deo quaſi commendavit, ab ipſo omni benedictione afficiendum, ex

ex quo hauriret liquorem. Ezech. 17: 5. Eâ autem lege poſuit illud ſemen, *ut ſpectarent rami ejus ad ipſam* nempe aquilam, *& radices ejus ſub ipſo*, i. e. rectæ, *eſſent*. h. e. ut ſibi fidelis eſſet. verſ. 6. Ἀπόδοσις hujus parabolæ eſt verſ. 13. 14. Ibid. *Et accepit de ſemine regio, & pepigit cum eo fœdus, & fecit illud intrare in adjurationem... Ut ſervaret fœdus, quo conſiſteret.*

§. 2. Futurum autem fuiſſe, ut Zedekias aliquando rex eſſet, Jeremiæ erat ſignificatum, quando initio regni Jojakimi accepit mandatum ad reges vicinos per legatos ipſorum venturos Hieroſolymam ad Zedekiam regem Judæ. Jerem. 27: verſ. 1 — 4.

§. 3. Sic itaque Zedekiâ, filio Joſiæ, fratre Jojakimi, & patruo Jechoniæ, facto rege, impleta ſunt oracula, quæ, *non fore Jojakimo ſedentem in throno ejus*, qui regnum ſcil. obtineat; Jer. 36: 30. Et, *Jechoniam fore ſterilem*, non quòd filios non ſit ſuſcepturus, ſed quòd illi non ſint futuri hæredes regni; Jer. 22: 30. cecinerunt.

ARTICULUS LX.

JUdæis Hieroſolymitanis magnam partem in captivitatem abductis, diverſæ erant tùm eorum, tùm relictorum in terrâ cogitationes; illis ſe præſenti exilio luere peccata patrum, & vias Dei non eſſe rectas, murmurantibus; his contrà ſe, ut verum ſemen Abrahæ, ſolantibus promiſſione terræ æternùm poſſidendæ, & exules à ſe, ut profanos & impuros aſpernantibus.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Cogitationes exulum Ezech. 33. proponuntur & refutantur in hunc modum: *Et tu, fili hominis, dic ad domum Iſraël: Sic dixiſtis dicendo: Defectiones & peccata noſtra ſuper nobis ſunt, & in illis contabeſcimus, & quando vivemus.* q. d. Nullus cultus, nullus labor, nulla impenſa, & ſiquid aliud bonum dici poteſt, apud Deum prodeſt, peccatis noſtris & patrum noſtrorum ita accumulatis, ut in iis contabeſcamus, & vivere non poſſimus. verſ. 10. Quare & in proverbium abiit, quod eſt Ezech. 18: 2. *Patres comedunt omphacem, & dentes filiorum ſtupent.* Quamvis enim verum eſſet illud adagium, quatenùs olim afflictiones fuere communes, & multi pii involuti caſtigationibus patrum & fratrum ſuorum fuere, tamen non erat verum, quatenùs eo ſignificabant Judæi, ſe peccata patrum commiſſa in deſerto luere præſenti exilio, quamvis ipſi nullo eximio peccato id meriti eſſent.

Hanc cogitationem, ſive hoc præjudicium, ſic refutat Deus, Ezech. 33: 11. *Dic ad illos: Vivo ego Dominus Deus, ſi delector morte improbi*, quaſi reſipiſcenti non dem veniam, *niſi cùm convertitur improbus à viâ ſuâ, ut vivat.* Ergo *Convertimini, convertimini à viis veſtris malis: Et quare moriemini, domus Iſraël.* Porrò verſ. 12. oſtendit vim reſipiſcentiæ; & ex adverſo impotentiam bonorum operum ad ſalvandum hominem, qui deficit: *Et tu, fili hominis, dic ad filios populi tui: Juſtitia juſti non eripiet illum in die defectionis ipſius; & improbitas improbi, non offendet in eâ, quo die convertetur ab improbitate ſuâ: at juſtus non poterit vivere in illâ, quo die peccaverit.* Et verſ. 13. Juſtitiam à Deo donatam non admittere, ut quis ei confidat ad peccandum; etiamſi Deus de juſto dixerit, eum victurum:

Cùm dixero de juſto, vivendo vivet, & ille fretus ſuâ juſtitiâ fecerit injuſtitiam, omnes juſtitiæ ejus non memorabuntur, & in injuſtitiâ ſuâ, quam fecerit, in eâ inquam morietur. Et verſ. 14. 15. 16. certitudinem ſalutis reſipiſcentium adhuc magis exaggerat, & explicat ſimul reſipiſcentiam per ſpecimina ejus, qualia ſunt judicium & juſtitiam facere, & in ſtatutis Dei ambulare: *Et quum dixero ad improbum, moriendo morieris, & converſus fuerit à peccato ſuo, & fecerit judicium & juſtitiam. Pignus reſtituat improbus, raptum pendat, in ſtatutis vitæ ambulet, ut non faciat injuſtitiam: vivendo vivet & non morietur. Omnia peccata ipſius, quæ peccaverit, non memorabuntur ipſi: Judicium & juſtitiam fecit, vivendo vivet.*

2. Cogitatio exulum verſ. 17. ita proponitur: *At dicunt filii populi tui, non recta eſt via Domini.*

At contrà Deus recriminatur Iſraëlitas: *Sed ipſi, via ipſorum non recta eſt.* verſ. 17. Et verſ. 18. 19. 20. in Synopſi repetit vias ſuas: *Quum averſus fuerit juſtus à juſtitiâ ſuâ, & fecerit injuſtitiam, morietur in illis. Et quum averſus fuerit improbus ab improbitate ſuâ, & fecerit judicium & juſtitiam; propter eà ipſe vivet. Et dicitis, non recta eſt via Domini: quemque ſecundùm vias ſuas judicabo vos, domus Iſraël.*

§. 2. Cogitationes Judæorum relictorum in terrâ, Ezech. 33: 24. itemque Ez. 11: 15. exhibentur hujuſmodi: *Fili hominis, habitatores vaſtitatum harum in terrâ Iſraël dicunt dicendo: Unus erat Abraham, & hæreditavit terram: at nos multi ſumus; nobis data eſt terra in hæreditatem.* Ez. l. pr. *Fili hominis, fratres tui, fratres tui, quibus competit vindicatio tua, & tota domus Iſraëlis univerſa, ſi ſunt, quibus dixerunt habitantes Hieroſolymam, elongamini à Jehovah; nobis illa data eſt, terra nimirum in hæreditatem.* Ez. l. poſt.

§. 3. Vanam autem eſſe illam perſuaſionem arguit propheta, ab ipſorum peccatis: *Propterea dic ad ipſos: Sic dixit Dominus Jehovah: Super ſanguine comeditis & oculos veſtros attollitis ad ſordes veſtras, & ſanguinem funditis, & terram hæreditaretis: Stetiſtis ſuper gladio veſtro*, h. e. confiſi fuiſtis, *feciſtis abominationem, & alter alterius uxorem polluiſtis: & terram hæreditaretis?* Ezech. 33: 25. 26. Et tùm quoque ſubjungit, terram adhuc ampliùs eſſe deſolandam, & templum exſcindendum. Ibid. verſ. 27. 28. 29.

ARTICULUS LXI.

Confirmabatur autem perſuaſio Judæorum ſuperſtitum in terrâ eo, quòd *creſceret id ſemen*, quod plantaverat Nebucadnezar, ſup. Art. LIX. *Et fieret vitis*, & quidem *abundans* ramis, *humilis* quidem *ſtaturâ*, quippe *abductis* à Nebucadnezare *potentibus terræ*, *ut eſſet regnum humile*; Sed quod, permanens in fœdere, poterat fieri *vitis ingens.*

DEMONSTRATIO.

Vid. Ezech. 17: verſ. 6. 14. 8.

ARTI-

ARTICULUS LXII.

EX illâ igitur perſuaſione factum eſt, ut Chananjah falſum prophetaret, & loqueretur receſſionem de Jehova. Cui iccircò mortem minatur Jeremias, & quidem eopſe anno repræſentandam. Quod mox eventus comprobavit.

DEMONSTRATIO.

Hiſtoria, & prophetia hujus Articuli vid. Jer. cap. 28.

FActum porrò eſt, *ut vitis iſta*, de quâ ſup. Art. lxi. *curvaret radices ſuas, & ramos ſuos mitteret ad* aliam *quandam aquilam magnam.* Id eſt, ut rex Zedekias cum populo, *rebellaret contra aquilam* plantantem Nebucadnezarem, *mittendo legatos ſuos in Ægyptum ad Pharaonem, ut daret ipſi equos, & populum multum.*

DEMONSTRATIO.

§. 1. Vid. Ez. 17: 7. 15. Itaque, qui *perfidus* erat cum Deo, & deſertor fœderis ipſius, *perfidè* egit cum hominibus. Eſ. 21: 2. *Et irritum fecit fœdus* illud, de quo ſup. Art. lix. Ezech. 17: 15. *Et contempſit adjurationem, ut irritum faceret fœdus, & ecce dedit manum ſuam, & omnia hæc fecit.* Ibid. vers 18. & vers 19. Et qui modò confugerat ad Aſſyrios, ſup. Art. xxii. modò ad Chaldæos. Art. xlv. jam tertiò mutando viam ſuam, tranſtulit affectum & fiduciam ſuam ad Ægyptios. Quod factum ei ita exprobrat Prophetia: *Et nunc quid tibi in viâ Ægypti, ut bibas aquas Nili?* Jer. 2: 18. *Etiam ab Ægypto pudefies.* Ib. vers 36. *Et fornicata es cum Ægyptiis vicinis tuis magnis carne, & amplificâſti fornicationem tuam, ut mihi ægrè faceres.* Ezech. 16: 26. *Et venerunt ad eam filii Babel ad concubitum amorum, & contaminarunt illam fornicatione ſuâ: &, cùm contaminata eſſet in illis, receſſit anima ipſius ab ipſis.* Ezech. 23: 17. *Et renudavit fornicationem ſuam, & renudavit nuditatem ſuam, & receſſit anima mea ab ipſâ.* vers 18. *Et amplificavit fornicationes ſuas, ut recordaretur dierum pueritiæ ſuæ, cùm fornicata es in Ægypto.* vers 19. *Et concupivit pellices eorum,* (h. e. concupivit eſſe cum pellicibus ipſorum) *quorum caro erat caro aſinorum, & quorum imber erat imber equorum.* vers 20. *Et reviſiſti ſcelus pueritiæ tuæ, cùm ſubagitarentur in Ægypto ubera tua, propter ubera pueritiæ tuæ.* vers 21. *Nunc, ubi recordatur Jehovah pravitatis ipſorum* per caſtigationem, *& viſitat peccatum ipſorum; illi in Ægyptum redeunt.* Hoſ. 8: 13. col. poſt.

§. 2. Dum verò ſic Judæi nitebantur auxilio Ægyptiorum, & ad illos ſpectabant, ut ſuos conſervatores, factum eſt, quod teſtatur Ezechiel, cap. 8: 10. 11. *Et intravi, & vidi, & omnis figura reptilis & pecoris, rei deteſtabilis, & omnium ſtercorum domus Iſraël, efformata in pariete circumquaque. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſraelis (& Jaazanjahu filius Scaphan ſtabat in medio illorum) ſtabant coram ipſis habentes ſinguli thuribulum ſuum in manu ſuâ, & abundantia nubis ſuffitus aſcendebat.* Et vers 12. *Nam dicunt, Dominus deſeruit nos, deſeruit Dominus terram.* Et vers 14. *Et deduxit me ad portam domus Jehovæ, ſpectantes Aquilonem verſus, atque ecce ibi mulieres ſedentes deflentes Thammum.* ſive is Oſiris, ſive Adonis eſt. Quæ non

eſt

eſt neceſſe ita accipere, quaſi reverâ formis animalium omnis generis thurificaverint, vel ſoli illi, qui hîc nominantur, hujus idololatriæ rei fuerint. Sed quia Ægyptii animalia omnis generis adorabant, & Judæi hoc tempore Ægyptiis confidebant, ex quorum manu Deus ipſos liberaverat, hoc reverâ nihil aliud fuit, quam honorem conſervationis populi Iſraëlitici tribuere Diis Ægyptiorum, & figuris animalium omnis generis ſacrificare, Deum autem accuſare tanquam deſertorem terræ ſuæ & populi ſui. Quare & v. 12. dicuntur *ſeniores domus Iſraël id feciſſe in tenebris quisque in penetralibus ſpeculationis ſuis.* Quia nim. de Deo & de Ægyptiis tales cogitationes fovebant, quæ talia à gentibus & dicentibus convenirent.

ARTICULUS LXIV.

NEc tantùm: Sed etiam cum regibus vicinis, Edomi, Moabi, Ammonis, Tyri, & Sidonis, per legatos ipſorum venientibus Hieroſolymam, contrà Nebucadnezarem fœdera iniret.

DEMONSTRATIO.

Hoc futurum longo antè tempore prævidit Jeremias. Ita enim ille, cap. 27: 1. 2. 3. 4. *In initio regni Jojakim filii Joſiæ regis Judæ factum eſt verbum hoc ad Jeremiam à Jehovah, dicendo: Sic dixit Jehovah ad me: fac tibi vincula & juga, & pone ea in collum tuum. Et mitte ea ad regem Edom & ad regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidon, per nuncios venientes Hieroſolymam ad Zedekiam regem Judæ. Et manda illis ad dominos ipſorum.* &c. Hâc rebellione & conſpiratione regis Zedekiæ, *ignis exivit ex ramo palmitum vitis illius*, plantatæ in terrâ nudâ & ſiticuloſâ, de quâ vite ſuprà eſt dictum. Art. lviii. Id eſt, Princeps aliquis inter principes, ſive à quo alii principes dependebant, Zedekias ſc. exſtitit cauſa novi incendii. Et quidem hoc incendio vitis illa penitùs erat conſumenda, & *fructus ejus comedendus.* Ezech. 19: 14. Siquidem in eo ſtatu jam erat hæc vitis, ut cùm aquas multas reliquiſſet, etſi non tolleretur de radicibus ſuis, ſed *plantata maneret*, nihilominùs tamen *exareſcere deberet*, & virorem & ſuccum ſuum amittere, etiam in loco ſuo, *ſi modò ventus Orientalis illam attingeret.* Ez. 17: 10. Et *dirutâ maceriè vitis* à Deo plantatæ, i. e. imminutâ potentiâ regum, futurum erat, ut *carperent eam omnes tranſeuntes viam.* Pſ. 80: 13.

ARTICULUS LXV.

NEbucadnezar itaque, ubi novis motibus ardere Palæſtinam videt, nihil cunctandum ratus, priusquam inter ſe gentium robora coirent, venit cum exercitu valido in Judæam, arcem belli Hieroſolymam obſidet & opoppugnat, tandemque expugnat, & deſtruit; templum incendit, & populum partim occidit, partim abducit in captivitatem, Babyloniam.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc calamitatem, tùm in genere atque indiſtinctè, tùm in ſpecie ac per partes ita in anteceſſum Spiritus venturam ſignificavit.

§. 2. In genere, Moſes: *Quum venient ſuper te omnia verba hæc, ... & maledictio.*

ctio. Deut. 30: 1. Exardeſcet ira mea in ipſum die illo, & relinquam illos, & abſcondam faciem meam ab illis, & erit ad devorandum, & obtingent ei mala multa & anguſtiæ. Deut. 31: 17. Et ego occultando occultabo faciem meam in die illo. vers 18. Quum obtingent ei mala multa & anguſtiæ. Deut. 31: 21. Et obveniet vobis malum. Ib. v. 29. Pſaltes: Quare diruiſti maceriem ejus, ut carperent illam omnes tranſeuntes viam. Pſal. 80: 14. Non, ut quondam, nutabit terra. Pſ. 93: 1. Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ, (dicat age Iſraël.) Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ. Pſ. 129: 1. 2.

§. 3. Eſaias: Quapropter, ait Dominus ille, Jehovah Deus exercituum, heros Iſraëlis; Væ, conſolabor me ab hoſtibus meis, & ultionem capiam ab inimicis meis. Et referam manum meam ſuper te, & conflabo ad puritatem ſcorias tuas, & auferam omne ſtannum tuum. Eſ. 1: 24. 25. Iccirco efferbuit ira Jehovæ in populum ſuum, & extendit manum ſuam in ipſum & percuſſit ipſum, & commoti ſunt montes, & factum eſt cadaver ipſorum, ut quisquiliæ in medio platearum. Eſ. 5: 25. Quum abſolverit Dominus omne opus ſuum in monte Sion & Hieroſolymis. Eſ. 10: 12. Ecce dies Domini venit, immanitas & excandeſcentia & æſtus iræ; ad ponendum terram vaſtitatem, & ut peccatores ejus profliget ex eâ. Eſ. 13: 9. Et viſitabo in frugiferam terram malum, & in improbos pravitatem ipſorum. Ib. vers 11. Nam ſic dixit Jehovah ad me: Quieſcam, ſinam homines facere de templo meo, quod velint, & intuebor in ſtatione meâ, in cœlo, poſtquàm à templo manufacto receſſero, ut calor æſtuationem faciens. Eſ. 18: 4. Inſtar duri indicatum eſt mihi .... Vaſtator vaſtat. Nebucadnezar ſcil. Judæam & Hieroſolymam. Eſ. 21: 2. Propterea dixi; Abſtinete à me, amarè fleam: Ne urgeatis conſolari me propter vaſtationem filiæ populi mei. Nam dies conturbationis & conculcationis & perplexitatis eſt Domino Jehovæ Deo exercituum in valle viſionis; deſtructionis parietum, & quiritationis verſus montem. Nempe ad occupanda loca ſolitaria, fiſſuras petrarum, & cavernas terræ. Eſ. 22: 4. 5. In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat quisquam ipſos, & Angelus faciei. &c. Eſ. 63: 9.

§. 4. Jeremias: Malum ego adduco, & confractionem magnam. Jer. 4: 6. Ad ponendam terram tuam vaſtitatem, ut urbes tuæ deſolentur, ne ſit incola. 7. Quia non recedit æſtus iræ Jehovæ ab illo. 8. Pertigit gladius ad animam. 10. Ventus nitoris culminum in deſerto eſt verſus filiam populi mei, non ad ventilandum & non ad purgandum. Ventus plenior his, vehementior quàm ad ventilandum vel ad purgandum requiritur, veniet mihi. Ibid. vers 11: 12. Væ nobis. Nam vaſtati ſumus. 13. Amarum evenit, pertigit ad cor tuum. 18. Confractio confractioni occurruit. Nam vaſtata eſt tota terra. 20. Vidi terram, & ecce inornata & deſtructa; & cœlum verſus, & non eſt lux eorum. 23. Vidi montes, & ecce tremunt, & omnes colles ſubſiliunt. 24. Vidi, & non eſt homo, & omnis avis cœli abierunt. 25. Vidi, & ecce arvum deſertum, & omnia oppida ejus diruta, propter Jehovam, propter æſtum iræ ejus. 26. Nam ſic dixit Jehovah, vaſtitas fiet tota terra. 27. Et tu, res vaſtata, quid facies? 30. Vocem ut ægrotantis audivi, anguſtiam ut primùm parturientis. 30. Propterea percuſſit ipſos Leo de ſylvâ, lupus deſertorum vaſtat eos. Jerem. 5: 6. An propter hæc non viſitabo? ait Jehovah: & an gentem talem non ulciſcetur anima mea. Ibid. vers 9. & 29. Et ſic cap. 9: 8. Ecce ego do verba mea in ore tuo ignem, & populum hunc ligna, & devorabit eos. vers 14. Malum proſpectat ab Aquilone, & fractura magna. Jerem. 6: 1. Ne ponam te vaſtitatem, terram non habitatam. Ibid. vers 8. Racemando racemabunt ut vitem reſiduum Iſraëlis. Refer manum tuam, ut vindemiator ad malleolos. 9. Idcircò cadent inter cadentes tempore, quo viſitavero ipſos, offendent, dictum Jehovæ. vers 15. Et ſic c. 8: 12. Audi, terra: Ecce ego adduco malum in populum hunc. 19. Ecce ego do populo huic offendicula,

dicula, & offendent in eis patres & filii unà; vicinus & amicus ejus, & peribunt. 21. *Subitò venit vaſtator ſupra nos.* 26.

Propterea, ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce ira mea & excandeſcentia mea liquatur in locum hunc in homines, & in beſtias, & in arbores agri, & in fructum terræ; & ardebit & non exſtinguetur. Jer. 7: 20. *Sprevit Jehovah & omiſit generationem dignam excandeſcentiâ ſuâ.* 29. *Vaſtitas fiet terra.* 34. *Colligendo conſumam ipſos, ait Jehovah.* cap. 8: 13. *Jehovah Deus fecit nos immobiles, & potavit nos aquis venenatis.* vers 14. *A Dan auditur ronchus equorum ejus... & venerunt & comederunt terram & plenitudinem ejus, urbem & habitantes in eâ.* 16. *Nam ecce ego mitto in vos ſerpentes baſilicos, contra quos non valet incantatio; & mordebunt vos: ait Jehovah.* 17. *Et nos non ſumus ſalvati.* 20. *Ob fractionem filiæ populi mei.* 21. *Propterea, ſic dixit Jehovah Deus exercituum, ecce ego conflo illos & probabo illos (nam quomodo agam?) à facie filiæ populi mei.* h. e. ut ſi ſcoriæ inveniantur, removeantur à facie fidelium meorum. Jer. 9: 6. *Et oppida Jehudæ reddam vaſtitatem ſine incolâ.* vers 10. *Propter quid perierit terra, inflammata ſit, ut deſertum ſine tranſeunte.* vers 11. *Ecce ego cibo illos, populum hunc, abſinthio, & potabo eos aquâ venenatâ.* 14. *Quomodo vaſtati ſumus?* 18. *Væ mihi propter confractionem meam! incurabilis plaga mea.* Jer. 10: 19. 14: 17. *Ad ponendum oppida Judæ vaſtitatem, commorationem draconum.* cap. 10: 22. *Comederunt gentes Jacobum: comederunt, inquam, & conſumſerunt, & habitationem ejus vaſtarunt.* v. 25. *Ecce ego adduco ad ipſos malum, ex quo nequibunt exire.* Jerem. 11: 11. *In tempore mali ipſorum.* 12. *Quum malum tuum exſtabit.* 15. *In vocem crepitationis magnæ accendit ignem circa eam, & depaſti ſunt rami ejus.* 16. *Et Jehovah locutus eſt ſuper te malum.* 17. *Ecce ego viſito ſuper ipſis.* 22. *Adducam malum in viros Anatoth, annum viſitationis ipſorum.* 23.

Agite, colligite omnes feras agri, adducite ad comedendum. Jer. 12: 9. *Paſtores multi corruperunt vineam meam, conculcarunt rus meum: fecerunt rus deſiderabile meum deſertum vaſtum. Poſuit illam vaſtitatem.* 10. *Vaſtata eſt tota terra.* 11. *In omnia culmina in deſerto venerunt vaſtatores. Nam gladium habet Jehovah, qui edit à fine terræ ad finem terræ. Non eſt pax omni carni.* 12. *Corrumpam celſitudinem Judæ & celſitudinem Hieroſolymorum ingentem.* i. e. populum, quem ſibi ut cingulum Deus circumdederat, quo illi ſuperbiebant. Jerem. 13: 9. coll. vers 10. 11. & 21. *Ecce ego impleo omnes habitantes terram hanc... ebrietate. Et illidam ipſos, ut diſſiliant, quemque in fratrem ſuum, & patres, & filios unà, ait Jehovah: Non utar clementiâ, non indoleſcam, & non miſerabor, ne perdam eos.* 13: 14. *Antequam tenebræ fiant, & antequam pedes veſtri in montes crepuſculi.* i. e. montes caliginoſos, præcipitia vertiginoſa, cùm vobis integra regna objicientur cum omni ſuâ potentiâ, & neſcietis, quomodo evadere, aut quid agere poſſitis aut debeatis, *& exſpectetis lucem, & efficiat illam umbram mortis, & ponat caliginem.* 16. *Quid dices, quando viſitabit ſuper te?* 21. *Reductæ ſunt fimbriæ tuæ, ſpoliati ſunt calcanei tui.* 22. add. 26. *Quare nos percuſſiſti, ut non ſit nobis ſanitas? exſpectavimus pacem, & non eſt bonum; & tempus ſanitatis, & ecce terror.* Jerem. 14: 19. *Dabo illos in terrorem omnibus regnis terræ.* cap. 15: 4. *Perdidi populum meum.* 7. *Adduxi ipſis ſuper matrem juvenem vaſtantem in meridie.* 8. *In tempore mali & in tempore anguſtiæ.* 11. *Ignis, qui accenſus eſt in naſo meo, contra vos ardet.* 14.

Abſtuli pacem meam à populo hoc, ait Jehovah, gratiam & miſericordiam. Jerem. 16: 5. *Ecce ego aboleo ex loco hoc ante oculos veſtros, & in diebus veſtris vocem hilaritatis & vocem lætitiæ, vocem ſponſi & ſponſæ.* 9. add. cap. 25: 10. *Propter quid locutus*

eſt

eſt Jehovah ſuper nobis omne malum hoc? Ignem accendiſtis in naſo meo qui in ſæculum ardebit. Jerem. 17: 4. Adduc ſuper ipſos diem mali, & alterâ fractione frange ipſos. primâ ſcil. per Babylonios. 18. Accendam ignem in portis ejus, qui comedet palatia Hieroſolymæ. 27. Ecce ego paro in vos malum, & cogitationem contra vos cogito. Jer. 18: 11. Ad ponendum terram ſuam vaſtitatem, ſibila æterna, omnis tranſiens per eam, ut obſtupeſcat, & caput ſuum moveat. 16. Cervice, & non facie ſpectabo eos in die calamitatis ipſorum. 17. Offenſi ruant coram te; tempore iræ tuæ patra in ipſis. 23. Ecce ego adduco malum in locum hunc, quod quicunque audiverit, ejus aures tinnient. Jer. 19: 3. 15. Sic frangam populum hunc & urbem hanc, quemadmodum quis frangit vas figlinum, quod non poteſt reconcinnari denuò. verſ. 11. Quanquam id potiùs de fractione Romanâ intelligendum, quæ nondum eſt ſanata, nec poterit ſanari. verſ. 11.

Et pugnabo ego vobiſcum manu extenſâ & brachio valido, & cum irâ, & cum ardore, & cum fervore magno. Jer. 21: 5. Poſui faciem meam in urbem hanc in malum & non in bonum, ait Jehovah. 10. Ne exeat tanquam ignis ardor meus, & ardeat & non ſit, qui exſtinguat, propter malitiam operum ipſorum. 12. Et viſitabo ſuper vos, ait Jehovah; & accendam ignem in ſylvâ ejus, & edet, quicquid circa illam eſt. 14. Et tanquam ficus malas, quæ præ pravitate comedi non poſſunt, ſic dabo Zedekiam regem Judæ, & principes ejus, & reſiduum Hieroſolymæ, qui ſuperſunt, in terra hac, & habitantes in Ægypto: Et dabo illos in commotionem propter malum omnibus regnis terræ, in opprobrium & in exemplum, in commemorationem & in exſecrationem in omnibus locis, quò illos pellam. Jer. 24: 8. 9. Atque ita cap. 29: 17. 18. Et accepi calicem vini ardoris è manu Jehovæ, & dedi bibendum omnibus gentibus, ad quas miſerat me Jehovah. Hieroſolymæ & oppidis Judæ, & regibus ejus & principibus ejus, ad dandum eos vaſtitatem, ſtuporem, ſibilum, maledictum, ſecundùm diem hanc. Jer. 25: 17. 18. coll. 15. Ecce ab urbe, ſuper quâ nominatum eſt nomen meum, ego incipio ad malè faciendum. 29. Jehovah rugiendo rugiet ſuper habitaculo ſuo. 30. Venit repentina vaſtitas uſque ad terminum terræ. 31. Ponam domum hanc ut Schiluntem, & urbem hanc dabo in exſecrationem omnibus gentibus terræ. Jerem. 26: 6. Vah! Nam magnus eſt dies ille, ita ut non ſit ſimilis, & tempus anguſtiæ hoc eſt Jacobo. Jerem. 30: 7. Deſperatio adeſt fracturæ tuæ, incurabilis eſt plaga tua. 12. Non eſt qui deliberet de te ob fœditatem. 13. Nam plaga inimici percuſſi te, diſciplinâ immanis propter multitudinem pravitatis tuæ. 14. Quid clamas ſuper fracturâ tuâ deſperato dolore tuo? 15. Cum præliabimini cum Chaldæis, non proſperabimini. Jerem. 32: 5. Ad iram meam & ad ardorem meum extitit mihi urbs hæc ab eo die, quo ædificarunt eam & uſque ad diem hunc, ut amoverem eam à facie mea. 31. Quemadmodum adduxi ſuper populum hunc omne malum magnum hoc. 42. Propter quorum omnium malitiam abſcondi faciem meam ab urbe hac. Jerem. 33: 5. Dabo vos in commotionem omnibus regnis terræ. Jerem. 34: 17. Ecce ego adduco in Judam & in omnes habitantes Hieroſolymis omne malum, quod locutus ſum de eis. Jer. 35: 18. Fortaſſe audient domus Judæ omne malum, quod ego cogito facere ipſis. Jer. 36: 3. Magna eſt ira & æſtus, quem locutus eſt Jehovah contra populum hunc. verſ. 7. Veniet rex Babel & corrumpet terram hanc. 29. Et viſitabo ſuper ipſis & adducam in ipſos & in habitantes Hieroſolymis & in virum Judæ omne malum, quod locutus ſum ad ipſos, quod non audiverunt. 31. Ecce ego adduco verba mea ſuper civitatem hanc in malum & non in bonum. Jer. 39: 16.

§. 5. Ezechiel: Et vidi, & ecce ventus procelloſus, terram, urbem, templum, pro-

proſternens; & populum magnam partem ex eâ ejiciens, *veniebat à Septentrione.* Ezech. 1: 4. Idem cap. 7. agens de judicio Iſraelis inprimis dirigit orationem ad terram Iſraël, quatenus ea theatrum iræ Dei exſtitura erat: *Et tu, fili hominis, ſic dixit Dominus Jehovah: Terræ Iſrael finis eſt, venit finis in quatuor oras terræ. Nunc finis ſuper te venit,* Significatur tolerantiæ Divinæ terminus, & colophon ſive conſummatio plagarum, quam dicit toti terræ imminere: Dicit enim, *& mittam iram meam in te & judicabo te ſecundùm vias tuas, & dabo ſuper te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus tibi, & non utar clementia: nam vias tuas ſuper te dabo, & abominationes tuæ in medio tui exiſtent.* q. d. rurſus apparebunt, ac ſi uno die commiſſæ eſſent, quæ toto temporis tractu commiſſæ ſunt, nempe ut omnis homo intelligat & ad animum revocet, quæ viæ & quæ facta Iſraelitarum iſtis plagis coarguantur & caſtigentur. Ezech. 7: 2. 3. 4. *Sic dixit Dominus Jehovah: malum unum malum ecce venit.* verſ. 5. *Finis venit: venit finis, evigilavit ad te, ecce venit.* 6. *Venit orbis ad te, qui ſedes in terra.* abſoluto ſc. tempore tolerantiæ in medium proditura erant omnia peccata per Dei vindictam, ut quando numeratori fuerint omnia æra expoſita, redit per omnia, & in unâ ſummâ univerſa exhibet. *Venit tempus: propinquus eſt dies, conturbatio & non clamor* ſive *ovatio montium.* vinitorum ſc. & calcatorum uvæ, qui non ſolent ſine jubilo & cantu vindemiam facere. 7. *Nunc ex propinquo,* loco orationis montium, *effundam ardorem meum ſupra te, & conſumam iram meam in te, & vindicabo te ſecundùm vias tuas; & dabo ſuper te abominationes tuas.* 8. *Et non parcet oculus meus, & non utar clementia: Secundùm vias tuas ſuper te dabo; & abominationes tuæ in medio tui exiſtent, & cognoſcetis, quòd ego Jehovah percutiam.* 9. *Ecce dies ecce venit: exivit orbis, effloruit virga, gemmas protruſit contumacia.* protervia inobedientiæ, infidelitatis, ratiocinationis contra verbum revelatum. 10. *Vis,* violentia oppoſita charitati erga proximum, *ſurrexit in virgam improbitatis,* i. e. genuit ſceptrum, dominationem improbi, ut Nebucadnezaris, *non ex ipſis, & non ex multitudine ipſorum,* ut in X. tribubus, *& non ex ſtrepente ipſorum.* domo Davidis. Sed extraneam, quæ inde ab hoc tempore ipſis incubuit. 11.

Atque etiam ego faciam in ardore: non parcet oculus meus, neque clementer agam, & clamabunt in auribus meis voce magna, & non audiam illos. Ezech. 8: 18. *Viam ipſorum in caput ipſorum dedi, ait Jehovah.* Ezech. 11: 21. *Ut vaſta fiat terra ipſius à plenitudine ſua.* Ezech. 12: 19. *Et terra vaſta fiet.* Ibid. verſ. 20. *Quantò magis cùm quatuor judicia mea mala, gladium, & famem, & beſtiam malam & peſtilentiam miſi in Hieroſolymam ad exſcindendum ex illa hominem & pecus.* Ez. 14: 20. *Quòd non de nihilo fecerim, quicquid feci in illa, ait Dominus Jehovah.* 22. *Feciſti appropinquare dies tuos,* i. e. dies judicii tui, *& veniſti ad annos tuos: Idcircò dedi te opprobrium gentibus, & pipilum omnibus terris.* Ezech. 22: 4. *An conſtabit cor tuum, an firmæ erunt manus tuæ in dies quibus ego agam tecum?* 14. *Quòd ego Jehovah effuderim ardorem meum in vos.* 22. *In die excandeſcentiæ.* 24. *Et terram hæreditaretis?* Ezech. 33: 25. 26. *Et dabo terram vaſtitatem admodùm.* 28. *Dante me terram in vaſtitatem omnimodam.* 29. *Et diſſipatæ ſunt ſine paſtore, & extiterunt cibus omni feræ agri, & diſſipatæ ſunt.* Ezech. 34: 5.

Idem propheta parabolis ſequentibus rem illuſtravit hunc in modum.

Parabola I. explicans ſeveritatis in exitu populi cum aliis ſimilitudinem: *Fili hominis, quid fiet lignum vitis præ omni ligno? Surculus, qui exſtitit inter arbores ſylvæ? An capietur ex eo ullum lignum, ex quo fiat quicquam? . . . Ecce igni datum fuerit*

ſuerit in cibum: utrumque extremum eorum comederit ignis & medium ejus ambuſtum fuerit: nunquid proderit ad quicquam? Ecce cùm integrum eſſet, non fiebat ex eo quicquam, multo minus ſi ignis id comederis & ambuſtum fuerit: nunquid proderit ad quicquam? Quapropter ſic dixit Dominus Jehovah, quemadmodum lignum vitis inter ligna ſylvæ, quod dedi igni cibum. Sic dedi habitantes Hieroſolymam. qui, acceptâ lege, acceperant ſpeciem arboris frugiferæ, ut vitis uvas daturæ, Eſai. 5. quique cùm nihil aliud tractarent niſi legem, & novas tamen non tulerint, ut vitis, non videntur eſſe poſſe ad quicquam utiles, ut alii populi, quibus Deus dedit ſapientiam, aut aliam quam induſtriam ad faciendum aliquid utile in mundo; præſertim jam *cremati in exterioribus*, i. e. vi politiæ eorum Divinis plagis jam enervatâ; & *ambuſti quoad medullam*, id eſt cùm doctores ipſorum & ſapientes per iram Divinam ſint excœcati & indurati. *Et dabo faciem meam in ipſos .... Et dabo terram vaſtitatem* Ezech. 15: 2 — 8.

Parabola II. ſignificans, judicia Dei jamjam exercenda eſſe, & primò quidem in Hieroſolymâ & terrâ Iſrael: *Fili hominis, pone faciem tuam verſus Auſtrum, & ſtilla verſus meridiem, & propheta in ſylvam agri meridiei. Et dic ſylvæ Auſtri, audi verbum Jehovæ: Sic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego accendo in te ignem, qui devorabit in te omnem arborem viridem & omnem arborem aridam, non exſtinguetur flamma flammæ; & adurentur in te omnes facies ab auſtro verſus boream. Et videbunt omnis caro, quòd ego Jehovah accenderim illum, non exſtinguetur. Et dixi: Ah Domine Jehovah, illi dicunt de me, nonne parabolas loquitur ille? Et exſtitit verbum Jehovæ ad me, dicendo: Fili hominis, pone faciem tuam verſus Hieroſolymam*, ſitam reſpectu Babyloniæ, in quâ conſtitutus erat propheta, in climate Auſtraliori, *& ſtilla*, funde verba, *verſus ſanctuaria*, non tantùm Solomonis, ſed etiam quæ ab hominibus præter illud inſtituta, *& propheta in terram Iſraël*, eminentem in mundo per ſuas arbores tam virides, quàm aridas; tàm altas, i. e. [illegible] & [illegible], quàm humiles, i. e. populum, ut ſylva in agro. *Et dices terræ Iſraël: Sic dixit Jehovah: Ecce ego ad te, & educam gladium meum ex vaginâ ſuâ, & exſcindam ex medio tui juſtum & improbum.* Ezech. 21: 2 —— 9.

Parabola III. *Fili hominis, exſtiterunt mihi domus Iſraël ſcoria: omnes ſunt æs, ſtannum, ferrum & plumbum in medio catini, ſcoriæ argentum exſtiterunt. Quare ſic dixit Dominus Jehovah, quia exſtitiſtis omnes ſcoriæ, idcircò ecce ego colligo vos in medium Hieroſolymæ. Collectione argenti, & æris & ferri & plumbi & ſtanni in medium catini, ad exſufflandum contra id ignem ad liquandum: Sic colligam in irâ meâ & ardore meo, & deſtituam & liquabo vos. Et cogam vos & flabo contra vos ignem excandeſcentiæ meæ, & liqueſcetis in medio ejus, Ut liquatur argentum in medio catini, ſic linguabimini in medio ejus, & cognoſcetis, quòd ego Jehovah effuderim ardorem meum in vos.* Hæc parabola comparat Hieroſolymam catino, in quo argentum cum ſcoriis & omnis generis metallis conflatur, ut nempe boni cum malis in eâ congregatione per iram Dei contabeſcant: quandoquidem omnes, h. e. plerique, factæ fuerunt ſcoriæ. Ezech. 22: 17 — 21. Convenit, quod memoratur apud Eſaiam, cap. 48: 8 9. *Deum conflaſſe Iſraëlem in catino inopiæ*, meras ſcorias, *non in argento*. i. e. non habentem argentum.

Parabola IV. *In via ſororis tuæ* Samariæ *ambulaſti, & dabo calicem ejus in manum tuam.* ſimilem pœnam pœnæ Samariæ; cùm peccatum illius ſis imitata. *Sic dixit Dominus Jehovah: Calicem ſororis tuæ bibes, profundum illum & latum; erit ad deridiculum*, ut ſolent ebrii irrideri, *& ſanna ampliùs quàm contineri poſſit. Ebrietate*

& mœrore impleberis, calice vaſtitatis & deſolationis, h. e. maximæ deſolationis, *calice ſororis tuæ, Samariæ. Et bibes illum & evacuabis, & teſtas ejus confringes*, calicem franges, *& ubera tua rumpes*, quemadmodum ſolent, qui nimiùm biberunt, vomiturire, & dum vomunt, coarctari. *quia ego locutus ſum, dixit Dominus Jehovah. Quapropter ſic dixit Dominus Jehovah, quia oblita es mei, & conjeciſti me poſt tergum tuum, etiam tu fer ſcelus tuum, & proſtitutionem tuam.* Ez. 23: verſ. 31 — 35.

Parabola V. comparat urbem ollæ æneæ, quæ impleta aquâ & carnibus ad ſummum uſque ſuperponitur igni flagrantiſſimo, quo aqua conſumatur, carnes & oſſa adurantur, ærugo tamen ollæ, quamvis excandefactæ, non tollatur, ſed omni remedio fruſtrà adhibito, fundatur & colliquetur, ut ita ærugo ejus in ipſâ conſumatur. *Fili hominis; ſcribe tibi nomen hujus diei, hujus ipſius diei: Invaſit rex Babel Hieroſolymam hoc ipſo die. Et dic ad domum inobedientiæ parabolam, & dices ad ipſos: Sic dixit Dominus Jehovah: Pone ollam, pone, atque etiam infunde illi aquam. Collige fruſta ejus* (h. e. *quæ illam complere poſſint*) *ad illam, omne fruſtum boum, femur & humerum, optimo oſſium imple* (vel *optimum oſſium ad plenum ingere.*) *Optimum ovium cape, atque etiam pyram oſſium ſub ipſâ: fac eam fervere quantùm poteſt: etiam coacta ſunt oſſa ejus in medio ejus: Propterea ſic dixit Dominus Jehovah: Væ urbs ſanguinis, olla cui ineſt ſua ærugo, & cujus ærugo non exivit ab illâ:* Per æruginem intellige ſanguinem, inprimis prophetarum Dei, & omnium Dei timentium. *Secundùm fruſta ejus, ſecundùm fruſta ejus fac illam æruginem exire.* h. e. Tu propheta tanquam auctor judiciorum meorum, jube congregari in medio Hieroſolymæ confertiſſimam multitudinem, & Nebucadnezarem tanquam ignem adduc, qui urbem tanquam ollam faciat deſpumare, ut in interitu multorum hominum appareat ſanguis innoxius affuſus Hieroſolymæ, quemadmodum olla aquâ plena, æruginem, igne ſuperpoſito, ſolet deſpumare: quicquid enim in ollâ æruginoſâ coquitur, æruginem recipit. *Non cecidit ſuper illa ſors.* h. e. ſine delectu omnes tanquam rei ſanguinis fuſi in urbem includentur, velut particulæ in ollâ ſine ſorte, quia nullus inter illas delectus eſt. *Nam ſanguis ejus in medio ejus exſtitit*, h. e. tota terra ſanguine repleta eſt; *in nudâ rupe poſuit eum.* publicè illum fudit per judicia, ut ſolent, qui putant, ſe effundentes ſanguinem Deo ſacrificium offerre, *non effudit illum in terram, ut ſuperinjiceret pulverem. Ad excitandam excandeſcentiam, adſumendam ultionem poſuit ſanguinem ejus in nudâ rupe, ut non tegatur.* Poſuit Deus homicidia & injuſta judicia Hieroſolymæ in conſpectu ſuo. *Propterea ſic ait Dominus Jehovah, Væ urbs ſanguinis, etiam ego magnam facio pyram. Multiplicando* multiplicabo *ligna, accendendo* accendam *ignem, omnem carnem ingeram, & faciam bullire bullitionem, & oſſa adurentur. Et* poſtquam carnes, oſſa aquâ conſumta in ollâ, & incinerata, *ponendo ponam illam in prunas ſuas vacuam, ut incaleſcat, & aduratur æs ejus, & conffetur in medio ejus impuritas ejus, conſumatur ærugo ejus.* Poſt acres dimicationes & fuſum multorum ſanguinem, Hieroſolymam coarctabo, ut fame & morbis reliqui conſumantur, aut eâ neceſſitate emendentur. *Fruſtra fatigavit & non exit ex illâ, plurimum æruginis ejus in igne eſt ærugo ejus.* Opera hactenus fruſtrà ſumta eſt, non potuit civitas iſtis omnibus modis expurgari. *Pro impuritate tua ſcelerata, qua purificavi te, & non purificata es, ab impuritate non purificaberis inpoſterum, donec fecero requieſcere excandeſcentiam meam in te. Ego Jehovah locutus ſum, venit & feci, non detraham & non indoleſcam, & non mutabo ſententiam, ſecundum*

vias

vias tuas, & ſecundùm ſtudia tua judicarunt te, ait Dominus Jehovah. Ezech. 24: 2 — 14.

Daniel *tempori excandeſcentiæ præſtituto* proculdubio hanc quoque calamitatem involvit, Dan. 8: 19.

Joël: *Et relavit Deus pro terrâ ſuâ.* i. e. Deus indignatus, quòd terram ſuam profanâſſent, & eam exercuiſſent per Sabbata & annos Sabbaticos, quæ dederat populo, ut conſtaret, Dominum eſſe eum, qui ſanctificaret ipſos, terram nudavit Iſraëlitis habitatoribus ſuis, ut agat Sabbata ſua. Jo. 2. 18. Et Conf. Lev. 26: 34. 35. Jerem. 16: 18.

§. 6. Amos: *Nam ecce ego ſuſcito contra vos, domus Iſraël, dictum Jehovæ Dei exercituum, gentem: & affligent vos, inde quà itur Chamatham, uſque ad torrentem eremi.* ab Hemath, i. e. Epiphaniâ, uſque ad Rhinocoruram, inter quam & Peluſium rivus Nili, ſive torrens de eremo veniens mare ingreditur: atque adeo à termino uno terræ ad alterum, Septentrionali ad Meridionalem. Am. 6: 14. Hanc enim etiam afflictionem pertinere ad domum Judæ, patet ex præcedd., inprimis vers 8. Et in parabolâ: *Sic monſtravit mihi Dominus Jehovah: & ecce corbis æſtivorum fructuum,* maturitas ſignificatur populi ad pœnam, item quòd ultima collectio futura ſit ſcandalorum, tanquam corbe fructuum, ad ejiciendum ex terrâ. *Et dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Corbem fructuum. Et dixit Jehovah ad me: Venit finis ad populum meum Iſraelem.* i. e. totalis populi ablatio ex terrâ cum deſtructione cultus externi. *Non addam ampliùs præterire ipſi. Et ejulabunt carmina templi illo die* extra templum & terram, quæ aliàs in templo ſuavi cantu modulari ſolebant. Am. 8: 1 — 3. *An propter hoc non contremiſceret terra, & mœreret omnis habitans in eâ, & aſcenderet ut lux tota,* i. e. tota flammis colluceret, *& expelleretur,* extra terram ſuam, & in varias oras propelleretur, ut Nilus expellitur & deducitur extra alveum in agros per incilia, *& deſideret,* ad inſignem paucitatem redigeretur partim propulſus populus, partim relictus in terrâ, ut Nilus cùm relabitur, ſive demergitur, exilis ac tenuis ſubſidit, *ut amnis Ægypti?* Am. 8: 8.

§. 7. Obadias: *Et ne læteris ſuper filiis Judæ in die perditionis ipſorum: & ne magno ore utaris in die anguſtiæ.* Ob. vers 12.

§. 8. Michæas: *Nam venit ad Judam,* judicium, plaga: *attigit ad portam populi mei.* i. e. ad metropolin, quò totus populus congregatur, ubi ſenatus & curia totius populi. *Gathi ne indicetis:* talia Dei judicia, ne nomen Dei propter ea apud peregrinos blaſphematur. *Flendo ne fleatis.* Moderamini dolorem, neu ſitis, ut ii, qui ſpem non habent. *In Bethaphrah pulvere te conſperge.* Hic luctus. *Tranſi vobis, habitatrix Schaphir cum nuditate & pudore.* Præcipit fugam. *Non exit habitatrix Zaanan. Planctus Bethhaëzel!* (vel *ob planctum domus conjunctionis,* aut *ſequeſtrationis,* i. e. domus Dei, templi.) *capit à vobis ſtationem ejus.* Significat, domum illam perpetuæ conjunctionis ablatum iri à Judæis. *Quia exſpectavit bonum habitatrix Maroth: quia deſcendit malum à Jehovah in portam Hieroſolymæ. Junge* nunc ſc. Ironia. *currum quadrupedibus, habitatrix Lachiſch. Principium peccati hoc filiæ Sion.* Notat luxum & ſuperbiam in equis & regiis jumentis uſurpandis; eamque ceſſaturam. *Nàm in te inventæ ſunt defectiones Iſraël* Communio defectionum Iſraëlis. *Idcirco da miſſionem,* dimiſſionis teſtimonium, *ſuper Moreſcheth* vel *hæreditate Gath: domus Achzib ſunt in fraudem* (ſive *fruſtrationem*) *regibus Iſraël. Adhuc hæredem adducam tibi, hæreditatrix Mareſchah: ad Adullam veniet* i. e. coërcebitur, reſtringetur, eò uſque, occupatis ſcil. ulterioribus per Palæſtinos, & ſimiles Iſraëlitarum hæredes, *gloria* i. e. abun-

i. e. abundantia, opulentia *Iſraëlis*. Significatur, Gathum & oppida Judæ ab hoſtibus occupatum iri, uſque ad Adullam. *Decalva te & velle cæſariem* (ſolent id facere impatientes in dolore, in luctu, & amiſſione liberorum.) *ſuper filiis deliciarum tuis: dilata calvitiem inſtar aquilæ; quia deportatæ ſunt* (vel exulant) *à vobis*. Mich. 1: 9 — 16. *Propterea ſic ait Jehovah, ecce ego cogito ſuper familiâ hâc malum, a quo non removebitis colla veſtra, neque incedetis erecti. Nam tempus id malum eſt. Illo die feret quis ſuper vobis dicterium, &, qui ejulaverit ejulatu vero, dixit; Vaſtando vaſtati ſumus: partem populi mei mutat Deus. Quomodo eripiet mihi* partem populi mei? *Ad reſtituendum agros noſtros diſtribuit?* Eſt in his judicium, & effectus ejus in improbis, nim. blaſphemia. Mich. 2: 3. 4. *Tu autem, turris gregis*, templum vel Sion, ad quam eſt perfugium gregis, h. e. ovium Chriſti, ſanctorum habitantium Sione, *clive filiæ Sion*, in quo eſt turris illa, quâ ſi orbetur, nil manet, niſi clivus, Eſ. 32: 14. *ad te uſque veniet*. Judicium; ut ſuprà. Mich. 4: 8.

§. 9. Habaccuc: *Univerſa ipſa* gens Chaldæorum *ad violentiam vexationem veniet eorum, quorum facies anhelat ad Eurum*. Hab. 1: 9. *Tunc pervadente ſpiritu*, i. e. vento, proceliâ, hoſte, *& tranſeunte, luet, cujus vis eſt pro Deo ſuo*. Ibid. vers 11. Zephanias: *Et extendam manum meam in Judam, & in omnes habitatores Hieroſolymæ, & exſcindam de loco hoc reſiduum Baalis; nomen poparum*, qui in celſis ſacrificant, *cum ſacerdotibus* templi. Notatur corruptio cultus legitimi in templo. Zeph. 1: 4. *Nam propinquus eſt dies Jehovæ; quia præparavit Jehovah ſacrificium, ſanctificavit vocatos ſuos*. vers 7. *Et erit in die ſacrificii Jehovæ, viſitabo in principes .... Et viſitabo in omnem, qui inſilis limen*. intell. ex ſeqq. domus Domini, ſ. templi, h. e. Sacerdotes. vers 8: 9. *Et viſitabo ſuper viris coagulatis ſuper fæcibus ſuis*. vers 12. *Propinquus eſt dies Jehovæ magnus ille; propinquus & feſtinando* feſtinat *vehementer. Vox diei Jehovæ eſt! Amare clamat ibi fortis. Dies excandeſcentiæ dies ille: Dies anguſtiæ & coarctationis: dies tumultuoſæ vaſtitatis: dies tenebrarum & caliginis: dies nubis & opacitatis. Dies tubæ & barritus contra civitates munitas & angulos altos. Et arctum faciam homini, & ambulabunt inſtar cæcorum, quia Jehovæ peccârunt; & effundetur ſanguis ipſorum ut pulvis, & caro illorum* projicietur *inſtar ſtercoris. Tum argentum illorum, & aurum illorum non poterit illos eripere in die excandeſcentiæ Jehovæ, & igne zeli ipſius comedetur tota terra, quia conſummatum, merè præcipitatum faciet cum omnibus habitantibus terr*[illegible] Zeph. 1: 14 — 18.

§ 10. In ſpeci[illegible] judicium explicatur per deſignationem & deſcriptionem. I. Auctoris ejus principalis, & illorum, qui in exſequendo hoc judicio illi miniſtrorum & inſtrumentorum vicem præſtiterunt. II. Expeditionis & adventus hoſtilis. III. Trepidationis & pavoris, cùm adventaret. IV. Cauſæ procatarcticæ, ſive occaſionis adoriendi Hieroſolymam. V. Obſidii & oppugnationis Hieroſolymæ. VI. Affectus animi obſeſſorum. VII. Mortalitatis populi, durante obſidione, & poſt eam; & quidem 1. Fame. 2. Peſte. 3. Gladio. VIII. Intercepti conatus hoſtilis ad tempus per regem Ægypti. IX. Expugnationis, direptionis, & deſtructionis, tùm urbis, tùm templi, & domus regiæ; & quidem incendio. X. Abductionis, tùm populi, tùm bonorum direptorum, in captivitatem; & quidem Babyloniam. XI. Connexorum huic deſtructioni urbis, & deportationi populi, Excidii ſtatus, ſive reipublicæ; Ablationis ſceptri ſive regiæ poteſtatis in perpetuum à Judâ, & legislatorum ad tempus; Sublationis cultus externi; & Ablationis [illegible] ſive inhabitationis Dei in nube ſuper arcâ. XII. Circumſtantiæ temporis. XIII. Conſequentium hanc tantam deſolationem, pro diverſitate illorum,

ad quos, & modorum quibus, ea pertinebat, variarum animi affectionum, &c. Quorum omnium nunc oportet, ut quæ ſit ratio in Prophetiâ, hîc cognoſcamus.

§. 11. I. Auctorem deſtructionis Hieroſolymæ facit Scriptura Filium Dei, Angelum nempe illum, qui in monte Sinai locutus erat ad populum, de quo dixerat Moſes, miſſum eſſe ut vindicem Jacobi coram Iſraële, & metuendum, ut in cujus medio eſſet nomen Dei, &c. Exod. 23. Ita enim Eſaias: *Congregamini, omnes vos, & audite: Quis ex illis indicavit hæc? Quem Jehovah diligit*, Filius Dei, cujus gloriam quærit Pater, *faciet voluntatem ejus in Babylone, & brachium ejus* in urbe deſtruendâ *ſunt Chaldæi*.

§. 12. Alibi id opus *Inimico*, h. e. Diabolo, adſcribitur. Itaque Jeremias: *Inimicus meus confecit eos.* Thren. 2: 22. Add. Ezech. 9: 1. 2. Adſcribitur a. ei, proculdubio ut miniſtro atque exſecutori ſententiæ Filii Dei, nec ſine efficaci gubernatione illius. Docet utrumque Jeremias, Thren. cap. 2: 17. *Fecit Jehovah, quod propoſuit, abſolvit dictum ſuum, quod edixit à diebus priſcis: Deſtruxit, non eſt uſus clementiâ, & lætificavit ſuper te Inimicum, extulit cornu hoſtium tuorum.*

Hic igitur, acceptâ poteſtate id agendi, facilè invenit hoſtem populo Dei. Is nominatur 1. Generaliter, *Inſignis* inter illos, qui ſucceſſuri erant regibus Aſſyriæ; Eſ. 10: 18. & *Ingens*, ſ. *Princeps*. Ibid. vers 34. *Serpens*. Eſ. 14: 29. *Volucres montium & pecudes terræ*. Eſ. 18: 6. *Vaſtator*. Eſ. 21: 2.

§. 13. Jeremias expreſſiùs indigitat *omnes familias regnorum Septentrionis*, collectas ſcil. ſub uno monarchâ; Jer. 1: 15. 25: 9. *Leonem, & perdentem gentes*; Jer. 4: 7. *ventum nitoris culminum* i. e. deſtruentem oppida in collibus poſita, ipſum quoque templum, ad aream uſque. Ib. vers 11. *qui ut nubes adſcendit, & ut procella currus ejus, veloces ſunt præ aquilis equi ejus*. vers 13. *Leonem de ſylvâ, lupum deſertorum* vaſtantem; *pardum* vigilantem apud oppida, quæ obſidet, ut exeuntem laniet; Jer. 5: 6. *Gentem ex longinquo*, gentem *aſperam*, gentem *quæ à ſæculo eſt*, gentem *cujus linguam non intelligant, & non percipiant, quid loquatur*. vers 15. *Pharetra ejus eſt, ut ſepulchrum apertum, omnes ſunt fortes*; vers 16. *Populum venientem è terrâ Aquilonis, & gentem magnam excitatam à lateribus terræ*. Jer. 6: 22. (*Arcum & haſtam tenentem, immanem & non miſerantur, vox eorum ut maris quod fremit, & in equis vehuntur.*) *paratam ut vinum ad bellum*. vers 23. *Serpentes, baſilicos, contra quos non valet incantatio*. Jerem. 8: 17. *Juvenem vaſtantem in meridie*. Jer. 15: 8. *Ferrum ex Aquilone & æs*. Ib. vers 12. *Inimicos Judæ*. Ib. v. 14. *Inimicum* Jer. 6: 25. 18: 17.

§. 14. Ezechiel vocat *procellam*, ſive *ventum procelloſum*, omnia obvia diſcutientem. Ezech. 1: 4. *Viros, quibus mandatæ ſint viſitationes urbis, & quiſque inſtrumentum ſuum perdens in manu ſuâ*. Ezech. 9: 12.

§. 15. Amos ſimpliciter *Gentem*; Am. 6: 14. Nahum appellat *Nequam*; quia contra Deum viribus ſuis uſus eſt. Nah. 2: 1. & deſcribit eum ab animi magnitudine, & alacritate in hominibus & in animalibus: *Clypeus heroum illius erat rubefactus; viri ſtrenui purpurati; in igne facum erant currus, in die diſponendæ aciei ejus; & abietes quatiebantur. In vicis inſaniebant currus, raptabantur in foris. Aſpectus illarum erat ut tædarum; ut fulgura diſcurrebant*. Ib. vers 4: 5.

§. 16. *Ab Aquilone* autem venturum illum hoſtem definiunt; Jeremias, cap. 1: 15. 4: 6. 6: 1. 22. 10: 22. 13: 20. 15: 12. Ezechiel, cap. 1: 4. 9: 2. & Joël, cap. 20: 2. Diſtinctè *à Babylone*, Eſaias, cap. 39: 6. & Michæas, cap. 4: 10. Nec debet turbare, quòd Babylon aliquo modo ad ortum eſt; quòdque hinc Judæi, qui affectarunt amicitiam Babyloniorum, ut ſuprà viſum ad Art. xlv. dicantur *anhelâſſe ad Orien-*

ad Orientem; Hab. 1:9. & *pleni* fuiſſe *Euro*; Eſ. 2:6. Si enim progrediaris ſecundùm meridianos, vel longitudinem, Babyloniæ meridianus meridiano terræ ſanctæ eſt orientalior. Viciſſim ſi progrediaris ſecundùm parallelos, ſive latitudinem mundi, Babylonia ad Aquilonem eſt evectior longè.

§. 17. Igitur expreſſè ac diſtinctè hoſtes illi appellantur *Chaldæi*; Eſ. 48: 14. Jerem. 22:25. 32:28. 38:29. Ezech. 23:23. *Filii Babylonis*; Ezech. 23:23. *Filia Babelis*, Pſ. 137:8. *Rex Babel*, Eſ. 39:7. Jerm. 20: 4. 21: 10. 25: 11. 34: 2. 36:29. 38:18. 23. *Nebucadnezar rex Babel*, Jer. 21:7. 22: 25. 25:9. 28: 14. 32: 28. 38: 18. In auxiliis fuere qui memorantur, *Elamitæ*, & *Kiræ* habitatores; Eſ. 22:6. *filii Aſſur*, Ezech. 23:23. Inſtigatores hoſtium ad penitùs evertendam Hieroſolymam, *filii Edom*; Pſ. 137:7.

§. 18. II. Expeditionem & adventum Nebucadnezaris in Judæam ita ſignificat Pſaltes: *Venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Pſ. 79: 1. Eſaias: *Accingimini.* nempe poſt accinctum, Sancheribi ſcil. de quo Ibidem. Vid. ſup. Art. XXXVII.

Jeremias: *Nam ecce ego voco omnes familias regnorum Septentrionis, ait Jehovah, & venient.* Jer. 1: 15. *Aſcendit Leo ex perplexo ſuo, & perdens gentes projectus eſt; exivit ex loco ſuo.* Jer. 4: 7. *Tempore illo dicetur populo huic & Hieroſolymis: ventus nitoris culminum in deſerto eſt verſus filiam populi mei.* vers 11. *Ecce ut nubes aſcendit, & ut procella currus ejus, veloces ſunt præ aquilis equi ejus.* vers 13. *Nam vox indicantis à Dan.* 15: *Commemorate gentibus; ecce, prædicate, contra Hieroſolymam cuſtodes veniunt ex terrâ longinquâ, & dant contra oppida Judæ vocem ſuam.* 16. *Vocem cornu audivit anima mea, barritum prælii.* 19. *Quouſque videbo ſignum, audiam vocem cornu.* 21. *A Dan auditur ronchus equorum ejus; à voce hinnituum caballorum ejus tremuit tota terra; & venerunt, & comederunt terram.* Jerem. 8: 16. *Vox rumoris exſtat; ecce venit, & motus magni ex terrâ Aquilonis.* Jerem. 10: 22. *Veniet Rex Babel.* Jerem. 36:29.

Ezechiel: *Idcircò, Oholiba, ſic dixit Dominus Jehovah, ecce ego excito amaſios tuos contra te, à quibus receſſit anima tua, & faciam eos venire contra te undiquaque. Filios Babylonis, & omnes Chaldæos viſitando & vociferando & recedendo; omnes filios Aſſur cum ipſis. Juvenes amabiles, præfecti & principes univerſi ſunt, tribuni & vocati, equitantes equis univerſi. Et venient contra te, cum ſtrepitu currus & rotæ, & cum cætu populorum, ſcutum & clypeum & galeam adhibebunt contra te undiquaque.* Ezech. 23: 22 — 24. *Et clamavit in auribus meis voce magnâ, dicendo: facite ut accedant, quibus mandatæ ſunt viſitationes urbis, & quisque inſtrumentum ſuum perdens in manu ſuâ teneat. Et ecce ſex viri veniebant à viâ portæ ſuperioris, quæ verſa erat ad boream, & quisque habebat inſtrumentum diſſipatorium ſuum in manu ſuâ.* Significatur ſine dubio exercitus angelorum noxiorum venientium cum turmis populorum, per quos Hieroſolyma viſitanda erat. Quod autem ſex nominantur viri, ſignificatur, totum Septentrionem unà cum viribus Orientis effuſum iri, q. d. ex duabus mundi plagis, Oriente & Septentrione, tres viros. Ez. 9: 1. 2.

§. 19. Nahum: *Non addet ampliùs tranſire in te Nequam.* Nah. 2: 1. Et Habaccuc: *Univerſa ipſa ad violentam vexationem veniet.* Hab. 1: 9.

§. 20. III. Adventus regis quàm fuerit terribilis, æſtimari poteſt ex conſecutâ mox undiquaque trepidatione, pavore & fugâ. De his ita Jeremias: *Indicate in Jehudâ & Hieroſolymis publicate, & dicite: Clangite cornu in terrâ, præconiate, quartùm poteſtis, & dicite; congregamini & intremus in oppida munita. Tollite ſignum Sionem verſus, connitimini, ne ſubſiſtatis. Nam malum ego adduco ab Aquilone, & con-*

fractio-

fractionem magnam. Jerem. 4: 5. 6. *Viſcera mea! viſcera mea! crucior quoad parietes cordis mei, ſtrepit mihi cor meum, non ſilebo: Nam vocem cornu audivit anima mea, barritum prælii.* Ibid. verſ. 19. *Ob vocem equitis & ſagittarii fugit omnis civitas: intrarunt in condenſa, & in petras aſcenderunt. Omnis civitas derelicta eſt, & non habitat in illis quiſquam.* v. 29. *Fortiter currite, filii Benjamin ex medio Hieroſolymæ & in Thekoâ clangite buccinâ, & ſuper Beth hakkerem tollite incendium: quia malum proſpectat ab Aquilone, & fractura magna.* Jerem. 6: 1. *Audivimus famam ejus, remiſſæ ſunt manus noſtræ, anguſtia apprehendit nos, dolor ut puerperæ. Ne egrediamini in agrum, & in viâ ne ambuletis. Nam gladius eſt inimico, pavor undiquoque.* Ibid. verſ. 24. 25. *Propter quid nos deſidemus? congregamini, & intremus oppida munita & contineamus nos ibi. Nam Jehovah Deus noſter fecit nos immobiles, & potavit nos aquis venenatis.* Jerem. 8: 14. *A voce hinnituum caballorum ejus tremuit tota terra.* Ibid. verſ. 16. *In montibus tollam fletum & lamentum, & in manſionibus deſerti threnum; quòd inflammata ſint ita ut non ſit vir tranſiens, & non audiverint vocem pecudis; non minùs volucres cœli, quàm animalia fugerint, abiverint.* Jerem. 9: verſ. 9. *Adduxi ipſis ſuper matrem juvenem vaſtantem in meridie: feci in eam cadere derepente vigilias & terrores.* Jerem. 15: verſ. 8. *Nam ſic dixit Jehovah: Vocem trepidationis audivimus, pavor eſt, & non eſt pax.* Jer. 30: verſ. 5.

§. 21. IV. Cauſam procatarcticam & occaſionem adoriendi Hieroſolymam exponit Ezechiel futuram commemorationem peccati Judæorum, abſque quâ fuerit, Nebucadnezar contra Hieroſolymam non fuerit venturus: *Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias, quibus veniat gladius regis Babel; è terrâ unâ exeant ambæ, & ſpatium para, in capite viæ urbis para. Viam pones, quâ veniat gladius, nempe Rabbath filiorum Ammon; & Judam in Hieruſalem munitâ. Nam conſtitit rex Babel in compito, in capite duarum viarum ad auſpicandum: levigavit tela, interrogavit imagines, inſpexit jecur. Dextrum ei fuit auſpicium Hieroſolymam, ut poneret arietes ad aperiendum foramen conquaſſatione, ad tollendam vocem cum barritu, ad ponendum arietes in portas, ad fundendum aggerem, ad ædificandum turrim. Et extitit ipſis tanquam auſpicium vanum in oculis ipſorum, juramenta juramentorum illis. At ille* (ſive *aliquis*) *commemorabat peccatum, quo teneretur,* vel *caperetur. Quapropter ſic dixit Dominus Jehovah: Quandoquidem feciſtis, ut in memoriâ eſſet pravitas veſtra ... manu capiemini.* Scil. introducitur rex ut deliberans, adhibitis etiam auſpicibus, utrum Rabbath Ammonitarum metropolin, an Hieroſolymam adoriri vellet; cùm in eo eſſet, & aruſpices reſponderent, proſperam expeditionem in Hieroſolymam fore, rex autem non crederet, quòd urbs eſſet munita, illi verò dejerarent, victa tandem eſt regis pertinacia, quùm quis *peccatum Judæorum commemoraret regi*, de quo quotidie à ſuis prophetis corriperentur, ideoque rex à Deo per ſigna felicia vocaretur, ut à rebelli populo exigeret pœnas. Ezech. 21: verſ. 24 —— 29.

§. 22. V. Ipſum obſidium & oppugnationem Hieroſolymæ ita explicant prophetæ. Eſaias: *Nam dies conturbationis & conculcationis & perplexitatis eſt Domino Jehovæ Deo exercituum in valle viſionis; deſtructionis parietum, & quiritationis* fugientium *verſus montem. At Elam tulit pharetram, cum curru, hominibus, equitibus: & Kira expedivit clypeum. Et factum eſt de electiſſimo vallium tuarum, repletæ ſunt curribus, & equites impetum faciunt in portam.* Eſ. 22: 5. 6. 7.

§. 23. Jeremias: *Et venient & ponent quiſque ſolium ſuum ad oſtium portarum*

Hieroſolymæ, & juxta omnes muros circumquaque, & apud omnia oppida Judæ. Jer. 1: 15. *Contra Hieroſolymam cuſtodes veniunt ex terrâ longinquâ, & dant contra oppida Jehudæ vocem ſuam*: Notantur cuſtodes circumſidentes & includentes. *Ut cuſtodes agri exſtiterunt contra illam undiquaque.* Notantur cuſtodes obſervantes agrum, & excubantes ac providentes, ne fures, prædones, feræ beſtiæ vel volucres ullibi noceant obſidentibus. Et ſignificatur, ita obſeſſum iri Hieroſolymam, ut nemo exire poſſit, & obſidentes terrore ſuo abacturos reliquarum civitatum incolas; & ita totam terram præſidiis occupaturos, ut nemo vel in agro ſe movere poſſit. Jer. 4: 16. 17. *Pardus vigilat apud oppida ipſorum: omnis exiens ex iis laniatur.* Jerem. 5: 6. *Ad illam* filiam Sion *veniunt paſtores & greges illorum: pangunt juxta illam tentoria circumquaque: depaſcuntur quiſque partem ſuam. Sanctificate contra illam bellum. Surgite & adſcendamus in meridie. Væ nobis, quòd inclinet dies; quòd extendantur umbræ veſperi.* Sunt verba invadentium ac deplorantium, meridiem præteriiſſe, & indignantium, quòd urbs nondum capta ſit. *Surgite, & adſcendamus nocte, & deſtruamus palatia ejus. Nam ſic dixit Jehovah Deus exercituum: Cædite arbores, & fundite contra Hieroſolymam aggerem.* Jerem. 6: 3 — 6. *Collige* aufer *ex terrâ merces tuas, ſedens in obſidione. Nam ſic dixit Jehovah*: *Ecce ego fundâ projicio habitatores terræ vice hâc, & arctum ipſis faciam, ut inveniant.* Jerem. 10: 17. 18. *Numquid ales unguibus prædita hæreditas mea mihi? numquid ales circumquaque contra eam? Agite colligite omnes feras agri, adducite ad comedendum.* Jerem. 12: 9. *Et unus carnem alterius comedet in obſidione & coarctatione, quâ comedent eos inimici ipſorum, & quærentes animam ipſorum.* Jerem. 19: 9. *Et revertentur Chaldæi, & prælia buntur contra civitatem hanc.* Jer. 37: 8.

§. 24. Ezechiel futuram obſidionem & oppugnationem Hieroſolymæ in parabolâ, ſic repræſentat: *Et tu, fili hominis, accipe tibi laterem, & pone illum coram te, & delinea ſuper illo urbem Hieroſolymam. Et pones contra illam obſidionem, & ædificabis contra illam turrim, & fundes contra illam aggerem, & dabis contra illam exercitus, & pone contra illam arietes undiquaque. Tu autem cape tibi ſartaginem ferream, quam adhibebis parietem ferreum inter te & urbem illam: & dirige faciem tuam ad illam, ut ſit in obſidione, & obſide illam: ſignum id domui Iſraël.* Ezech. 4: 1 — 3. *Et ad obſidionem Hieroſolymæ diriges faciem tuam.* verſ. 7. *Et ecce ſex viri veniebant ... & quiſque inſtrumentum ſuum diſſipatorium in manu ſuâ: ... Et venerunt & ſteterunt juxta altare meum.* Ezech. 9: 2. *Quapropter ecce ego colligo omnes amaſios tuos .... colligam inquam eos contra te undiquaque.* Ezech. 16: 37. *Quum fundetur agger & ſtruetur turris ad exſcindendum animas multas.* Ezech. 17: 17. *Et venient* filii Babylonis cum ſociis *contra te cum ſtrepitu currus & rotæ, & cum cœtu populorum, ſcutum & clypeum & galeam adhibebunt contra te undiquaque.* Ezech. 23: verſ. 24.

§. 25. Nahum: *In igne facum erant currus in die diſponendæ* aciei *ejus; & abietes quatiebantur.* Nah. 2: 4. *Accelerabant ad murum ejus* Hieroſolymæ, *& parabatur teſtudo.* Ibid. verſ. 6. *Et ut figebatur* teſtudo, *nudabatur* &c. verſ. 8.

§. 26. VI. Animum obſeſſorum, i. e. conſternationem, conturbationem, fugam, & præpoſtera conſilia, itemque vecordiam & profanitatem, ὑπὸ τοῦ Eſaias: *Pronunciatio vallis viſionis. Quid tibi tandem, quòd aſcendiſti univerſa in tecta? Vociferationibus plena, urbs ſtrepera, civitas exultabunda? .... Omnes principes tui fugerunt unà: præ arcu* (vel *ab arcu*, vel *ne traherent arcum*,) *conſtricti ſunt*: *Omnes, qui præſtò ſunt, tui conſtricti ſunt unà, eminùs fugerunt.* Eſai. 22: verſ. 1. 2. 3.

verſ. 1. 2. 3. *Et detraxit tegmen Judæ.* manum Dei protegentem. *& reſpicis illo die ad armamentarium domus ſylvæ. Et fiſſuras urbis David inſpicitis, quia multæ ſunt; & colligitis aquas piſcinæ inferioris. Et domos Hieroſolymæ numeratis, & diruitis domos ad muniendum murum. Et lacum facitis inter muros* recipiendis *aquis piſcinæ veteris. At non reſpicitis ad eum, qui hoc facit, & eum, qui id formavit à longinquo, non videtis.* Ibid. verſ. 8 — 11. *Et vocat Dominus Jehovah Deus exercituum in illo die fletum & planctum & calvitiem & cinctum ſacci. Et ecce hilaritas & lætitia; mactant boves, jugulant oves, edunt carnem, bibunt vinum. Edamus, bibamus. Nam cras moriemur.* Ibid. verſ. 12. 13. Jeremias: *Sic dixit Jehovah Deus Iſraël: Ecce ego converto arma bellica, quæ ſunt in manu veſtrâ, quibus vos pugnatis cum rege Babel & Chaldæis, qui obſident vos extra murum.* Jer. 21: 4. Ezechiel denique, cap. 7: 17. 18. *Omnes manus remittentur, & omnia genua abibunt aquæ. Et induent ſaccos, & cooperiet eos tremor, & in omnem faciem pudor erit, & in omnibus capitibus calvities. Argentum ſuum in publico projicient, & aurum ipſorum in menſtruum fiet. argentum ipſorum & aurum ipſorum* quo putabant ſe milites poſſe conducere, vel quod ad ornatum templi contulerant, putantes ſe eâ re gratiores futuros Deo, *non poterit ipſos eripere in die excandeſcentiæ Jehovæ, animam ſuam non ſatiabunt, & viſcera ſua non implebunt: quia offendiculum pravitatis ipſorum* i. e. occaſio peccandi, *exſtitit. Et decus ornatus ejus, quod in erectionem poſuit, & in quo imagines ſuas abominabiles fœditates ſuas fecerunt.* i. e. templum, *propterea dedi illis in menſtruum.* in rem abominandam. Ezech. 7: 17. 18. 19. 20.

§. 27. VII. Multiplicem populi mortalitatem, durante obſidione, ſic prænunciant Prophetæ, ut eam indicent futuram.

1. Sterilitate & fame. Ut Eſaias: *Exanimati tui non exanimati gladio, & non mortui bello.* Eſai. 22: 2. Jeremias: *Et comedet meſſem tuam & panem tuum; comedet oves tuas & armenta tua; comedet vitem tuam & ficum tuam.* Jer. 5: 17. *Propterea ſic dixit Jehovah Deus exercituum, ecce ego viſito ſuper ipſis: . . . & filii illorum & filiæ illorum morientur fame.* Jerem. 11: 22. *Severunt triticum, & ſpinas meſſuerunt: debilitati ſunt, non proficiunt, & pudefiunt ob proventus veſtros propter æſtum iræ Jehovæ.* Jerem. 12: verſ. 13. *Et dices ad eos verbum hoc: Sic dixit Jehovah Deus Iſraël: omnis uter implebitur vino* (Eſſe hanc ironiam, patet ex cap. 14: verſ. 1.) *& dicent ad te: an neſciebamus, omnem utrem impletum iri vino.* Jer. 13: 12. Hoc ſcil. erat *verbum Jehovæ ad Jeremiam de ſterilitate*; cap. 14: 1. *Luget Juda & portæ ejus languent. Atrore obſitæ ſunt ad terram, & vociferatio Hieroſolymæ aſcendit. Et majores illorum miſerunt minores illorum ad aquam: venerunt ad lacunas, non invenerunt aquas, redierunt vaſa illorum vacua; pudefacti ſunt & confuſi ſunt & velarunt caput ſuum, Propter terram, quæ conſternata eſt; quia non exſtitit pluvia in terrâ: Pudefacti ſunt agricolæ, velarunt caput ſuum. Nam & cerva in agro peperit & reliquit, quia non exſtitit gramen. Et onagri conſtiterunt in culminibus, hauſerunt ventum ut dracones: confecti ſunt oculi eorum, quia non eſt herba.* Jerem. cap. 14: verſ. 2 — 6. *Sed gladio & fame & peſte ego conſumo ipſos.* Ibid. verſ. 12. *Qui dicunt, gladius & fames non erunt in terrâ hâc, gladio & fame conſumentur prophetæ illi. Et populus, quibus illi prophetant, erunt projecti in vicis Hieroſolymorum, propter famem & gladium, & non erit ſepeliens ipſis, ipſi, uxores eorum, & filii eorum, & filiæ eorum, & effundam in ipſos malum ipſorum.* Ibid. verſ. 15. 16. *Si exivero rus, ecce exanimati gladio, & ſi intrem civitatem, ecce infirmitates famis.* verſ. 18. *Exeant. Et*

erit, cùm dicent ad te, quò egrediemur? Dices ad eos, ſic dixit Jehovah, qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem. Jer. 15: 1. 2. *Languet quæ peperit ſeptem, exſpiravit animam ſuam, occidit Sol ejus ante diem illorum, pudefacta eſt & compuncta; & reſiduum illorum gladio dabo.* Ibid. verſ. 9. *Mortibus cruciabilibus morientur, non plangentur, & non ſepelientur: fimus in facie terræ fient: & gladio ac fame conſumentur; & fiet cadaver illorum eſca volucribus cœli & animalibus terræ.* Jer. 16: 4. *Quapropter da filios ipſorum fami & concide eos, ut diffluans gladio, & fiant uxores eorum orbæ & viduæ, & viri eorum fiant occiſi mortis, juvenes eorum percuſſi gladio in prælio.* Jer. 18: 21. *Et faciam eos ut comedant carnem filiorum ſuorum & carnem filiarum ſuarum, & unus carnem alterius comedet in obſidione & coarctatione, quâ coarctabunt illos inimici ipſorum.* Jer. 19: 9. *Sic frangam populum hunc & urbem hanc . . . & in Tophet ſepelient, ut non ſuperſit locus ad ſepeliendum: Sic faciam loco huic & habitatoribus ejus, imò dabo urbem hanc ut Tophet.* Jerem. 11: 12. *Et illidam ipſos, ut diſſiliant, quemque in fratrem ſuum, & patres & filios unà, ait Jehovah.* Jerem. 13: 14. Conf. cap. 19: 9. *Dabo reſiduos in urbe hâc à peſtilentiâ, à gladio, à fame, in manum Nebucadnezaris.* Jer. 21: 7. *Qui manebit in urbe hâc, morietur gladio & fame & peſtilentiâ.* Ibid. verſ. 7. *Et mittam in ipſos gladium & famem & peſtem, donec conſumantur de terrâ, quam dedi ipſis & patribus ipſorum.* Jerem. 24: 10. *Quare moriemini tu & populus tuus gladio, fame, & peſte.* Jer. 27: 13. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: Ecce ego mitto in eos gladium, famem & peſtem, & dabo eos ut ficos illas fœdas, quæ non poſſunt comedi præ fœditate; Et perſequar eos gladio, fame, & peſte.* Jer. 29: 17. 18. *Sic dixit Jehovah Deus Iſraelis de urbe hâc, quam vos dicitis: Data eſt in manum regis Babel gladio, fame, peſte.* Jer. 32: 36. *Vos non auſcultâſtis mihi, ut promulgaretis libertatem quiſque fratri ſuo & quiſque proximo ſuo: ecce ego promulgo vobis libertatem, ait Jehovah, ad gladium, & peſtilentiam, & famem.* Jer. 34: 17. *Sic dixit Jehovah, qui manet in urbe hâc, morietur gladio, fame, & peſte.* Jerem. 38: 2. Et vide implementum Ibidem, verſ. 9. Ezechiel: *Et tu cape tibi triticum & hordeum & fabas & lentes & mylium & zēam, & dabis illa in vas unum: & facies illa tibi panem per numerum dierum . . . Et cibus tuus quem comedes, in pondere viginti ſiclorum in diem erit, à tempore ad tempus comedes illum. Et aquas in menſura bibes, ſextam partem hini à tempore ad tempus bibes. Et dixit ad me, fili hominis, ecce ego frango baculum panis Hieroſolymis, & comedent panem in pondere, & in formidine, & aquam ad menſuram, & in ſtupore bibent. Ut deficiant pane & aqua, & ſtupeſiant quiſque & frater ejus, & contabeſcant in pravitate ſua.* Ez. 4: 9 — 11. 16. 17. *Cùm quatuor judicia mea mala, gladium, & famem, & beſtiam malam & peſtilentiam miſi in Hieroſolymam, ad exſcindendum ex illa hominem & pecus.* Ezech. 14: 20.

Amos mortalitatem hanc, ſive à peſte, ſive à fame, ὑποτυπωτῖ, proponendo domum funeribus funeſtam; alium in penetralibus intimis decumbentem; proximum ſanguine, qui juſta debebat facere mortuo, cadaver exportantem, & ſciſcitantem ex decumbente, Numquid ſit in ipſo ſpiritus aut virium? Eumque reſpondere conantem: alterumque ſermoni intercedentem & ſilentium imperantem; ne fortè in mentionem Dei incidat. cujus mentio ipſi horribilis futura eſſet propter malam conſcientiam. *Et erit, ſi reliqui erunt decem homines*, ſcil. à clade bellicâ, de quâ eſt verſ. 14. *in domo una, morientur. Et tollet eum*, h. e. aliquem mortuum, *patruus ejus & cremator ejus, ad efferendum oſſa ex domo; & dicet ei, qui erit in*

peni-

penitiſſimis domus, An quid adhuc penes te? Et dicet, Niſi! & dicet, Tace: quia non eſt commemorandum nomen Jehovæ. Am. 6: 9. 10. *Multùm cadaveris in omni loco projecit ſt!* Ordo ſermonis poſtulabat nominari eum, qui projecturus eſſet multitudinem cadaverum omni in loco: Sed quia eum nec cognoſcebant, nec commemorari volebant, ex Am. 6: 10. idcircò abrumpit ſermonem per μίμησιν. Am. 8: 3.

§. 28. 2. Peſte. Vide ex modò citatis Eſ. 22: 2. Jerem. 14: 12. 15: 1. 2. 9. 19: 11. 12. 21: 7. 9. 24: 10. 27: 13. 29: 17. 18. 32: 36. 34: 17. 38: 2. Ezech. 14: 20. Am. 6: 9. 10. 8: 3. His jam adde iſta Jeremiæ: *Nam aſcendit mors per feneſtras noſtras, intravit arces noſtras, ad exſcindendum infantem à vico, juvenes à foris. Loquere: ſic ait Jehovah: Et cadet cadaver hominis, ut fimus in facie agri, & ut manipulus poſt metentem, quem non eſt qui colligat.* Jer. 9: 20. 21. *Et morientur magni & parvi in terrâ hâc, non ſepelientur, & non plangent ipſos, neque laniabunt ſe, neque calvitiem facient ipſorum causâ. Neque ad dapes invitabunt ipſorum causâ propter luctum, ad conſolandum quempiam ſuper mortuo, & non invitabunt eos ad bibendum calicem conſolationum ſuper patre & matre.* Jerem. 16: 6. 7. Quanquam hæc duo loca talia ſunt, ut etiam ad famem & gladium pertineant. *Et pugnabo ego vobiſcum manu extenſâ. Et percutiam habitantes urbem hanc, homines & pecudes, peſtilentiâ magnâ, & morientur.* Jer. 21: 5. 6. Ezechielis, quod ſequitur: *Sic dixit Dominus Jehovah, vivo ego, ſi non qui in vaſtitatis gladio cadent, & qui in facie agri, feræ eum dedi ad comedendum eum, & qui in faſtigiis montium & cavernis, peſtilentiâ morientur.* Ez. 33: 27.

§. 29. 3. Gladio. Vide ex præcedentibus Jerem. 9: 20. 21. 14: 12. 15. 16. 18. 15: 1. 2. 9. 16: 4. 6. 18: 21. 19: 11. 12. 21: 7. 9. 24: 10. 27: 13. 29: 17. 18. 32. 36. 34: 17. 38: 2. Ezech. 14: 20. 33: 27. Am. 8: 3. Adde jam, quæ ſequuntur: *Dederunt cadaver ſervorum tuorum cibum volucribus cœli, carnem piorum tuorum animalibus terræ. Effuderunt ſanguinem illorum, ut aquam, circa Hieroſolymam, & non eſt, qui ſepeliat.* Pſ. 29: 2. 3. *Nam vocem ut ægrotantis audivi, anguſtiam ut primùm parturientis; vocem filiæ Sion, quæ vociferatur, pandit manus ſuas: Væ mihi, quia deficit anima mea propter occidentes.* Jerem. 4: 31. *Propterea percuſſit ipſos leo de ſylvâ, lupus deſertorum vaſtat illos, pardus vigilat apud oppida ipſorum: omnis exiens ex iis laniatur.* Jerem. 5: 6. *Depauperabit oppida munita tua, quibus tu confidis, gladio.* Ibid. v. 17. *Ne egrediamini in agrum, & in viâ ne ambuletis. Nam gladius eſt inimico, pavor undiquaque.* Jer. 6: 25. *Propterea ecce dies veniunt, ait Jehovah, & non dicetur ampliùs Topheth & vallis Ben Hinnom; ſed vallis occiſionis: & ſepelient in Topheth, ut non ſuperſit locus. Et erunt cadavera populi hujus cibus volatilibus cœli & beſtiis terræ, & non erit abigens.* Jer. 7: 32. 33. *Et flerem interdiu & noctu examinatos filiæ populi mei.* Jer. 8: 23. *Et diſpergam eos in gentibus, quas non noverant ipſi, & patres ipſorum, & mittam poſt ipſos gladium, donec confecero ipſos.* Jerem. 9: 15. *Propterea ſic dixit Jehovah Deus exercituum, ecce ego viſito ſuper ipſis: Juvenes morientur gladio, filii illorum & filiæ illorum morientur fame.* Jer. 11: 22. *Avelle eos ut oves ad mactationem, & conſecra eos in diem occiſionis.* Jer. 12: 3. *Et præficiam ipſis quatuor genera, ait Jehovah: gladium ad occidendum, & canes ad laniandum, & volucres cœli ac feras terræ, ad comedendum & corrumpendum.* Jerem. 15: 3. *Audiatur clamor ex domibus eorum, cùm adduxerit in ipſos turmam repentinam.* Jer. 18: 22. *Propterea ecce dies veniunt ait Jehovah, & non vocabitur locus hic ampliùs Topheth, & vallis Benhinnom, ſed vallis occiſionis; Et evacuabo conſilium Judæ & Hieroſolymæ in loco hoc, & faciam eos ut cadant gladio coram inimicis ſuis, & in manum quærentium animam ipſorum, & dabo cadaver ipſorum cibum alitibus cœli & pecudibus terræ.* Jer. 19: 6. 7. *Nam ecce ego do te pavorem tibi,*

tibi, & omnibus diligentibus te, & cadent gladio inimicorum ſuorum, oculis tuis ſpectantibus, & totum Judam dabo in manum regis Babel, & transportabo eos in Babylonem, & percutiet illos gladio. Jer. 20: 4. *Nam ſic dixit Jehovah Deus Iſraëlis de domibus urbis hujus & de domibus regum Judæ dirutis ad aggeros & ad gladium. Quæ ad hoc ſunt ut prælium fiat cum Chaldæis, & ut impleantur cadaveribus hominum, quos percuſſero in irâ meâ & in ardore meo, & propter quorum omnium malitiam abſcondi faciem meam ab urbe hâc.* Jerem. 33: 4. 5. *Dabo inquam illos in manum inimicorum ſuorum & in manum quærentium animam ipſorum, & erit cadaver ipſorum cibus volucribus cæli & beſtiis terræ.* Jerem. 34: 20. *Quum fundetur agger & ſtruetur turris ad exſcindendum animas multas.* Ezech. 17: 17. *Et* quod attinet *omnia ipſius perfugia, in omnibus ejus exercitibus gladio cadent.* Ibid. vers 21. *Et dabo zelum meum in te, & facient tecum in æſtu; naſum tuum & aures tuas auferent, & poſtremum tui gladio cadet.* Ezech. 23:25. *Et filii veſtri ac filiæ veſtræ, quas reliquiſtis, gladio cadent.* Ezech. 24: 21. *Occidit omnis populus Canaan, exciſi ſunt omnes onuſti argento.* Zeph. 1: 11.

§. 30. Omnes haſce mortium imagines, ſequenti Parabolâ, ut brevi tabellâ, ſic jubetur amplecti Propheta. *Et tu, fili hominis, accipe tibi cultrum acutum, novaculam tonſorum accipies illam tibi, & facies tranſire ſuper caput tuum & barbam tuam.* Jubetur ſcil. omnes pilos capitis & barbæ demetere. Quo ſignificatur totius populi, qui hactenùs Deo, ut pili capiti, ornamento fuerat, repudiatio. *Et accipies tibi lancei ponderis, & diſtribues illa.* in tres partes. Significatur judicium Dei, quo ſingulis in populo & Hieroſolymâ ſua attribuitur ſors. *Tertiam partem igne cremabis in medio civitatis, finitis diebus obſidionis; & accipies tertiam partem, feries gladio circa illam; & tertiam ſparges in ventum, & gladium ſtringam poſt ea.* Ez. 5: 12. Ἐπι-μύθιον parabolæ vers 12. eſt hoc: *Tertium tui peſte morientur, & fame conſumentur in medio tui, & tertium gladio cadent in circuitibus tuis, & tertium in omnem ventum ſpargam, & gladium ſtringam poſt eos.*

§. 31. VIII. *Exiverat* quidem interim *Pharao cum exercitu magno ex Ægypto obſeſſis in auxilium*; Jerem. 37: 5. 7. 11. Ezech. 17: 17. *& audiverant, qui obſidebant Hieroſolyma, de ipſis, & receſſerant ab Hieroſolymis, propter exercitum Pharaonis*; Jerem. 37: 5. 11. 34: 21. & ſpes erat, fore, *ut* planè *ab ipſis abirent Chaldæi.* Jerem. 37: 9.

§. 32. Sed is *cum exercitu magno & cœtu amplo non egit cum* obſeſſis *in bello*, nec depulit hoſtem ab obſidione; Ez. 17: 17.

§. 33. Contra autem *fractis omnibus procis* h. e. fœderatis *Judæ*, quibus confidebat. Jerem. 22: 18. *omneſque paſtores ejus*, eos ſcil., qui ambibant ipſius amicitiam, & ſocietatem conſectabantur, *depaſcente vento, & amaſii ejus in captivitatem abeuntibus*; Ibid. vers 22. Ipſoque *exercitu Pharaonis revertente in terram ſuam in Ægyptum*; Jer. 37: 7.

Revertuntur Chaldæi, & civitatem oppugnant. Jer. 37: 8. 34: 22.

§. 34. IX. Tandemque expugnant, diripiunt ac deſtruunt. De expugnatione ſequentia Jeremias: *Aſcendite in muros ejus.* Jer. 5: 10. *Turrim dedite in populo meo, munitionem.* Jer. 6: 27. *Deſerui domum meam, miſſam feci hæreditatem meam: dedi, quod amat anima mea, in manum inimicorum ejus.* Jer. 12: 7. *Et recipiam illos in medium civitatis hujus.* Jer. 21: 4. *Et poſtea, ait Jehovah, dabo Zedekiam regem Judæ, & ſervos ejus, & populum hunc, & reſiduos in urbe hâc à peſtilentiâ, à gladio, & à fame, in manum Nebucadnezaris regis Babel.* Ibid. vers 7. *Poſui faciem meam in urbem hanc in malum & non in bonum, ait Jehovah: in manum regis Babel tradetur.* Ib. v. 10.

Et

Et dabo te in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum, quos times, & in manum Nebucadnezaris regis Babel, & in manum Chaldæorum. Jerem. 22: 25. *Sic dixit Jehovah, ecce ego do urbem hanc in manum regis Babel, & capiet eam.* Jer. 32: 3. *Ecce aggeres admoti ſunt ad urbem hanc ad capiendum eam, & urbs tradita eſt in manum Chaldæorum, qui præliantur contra eam, propter gladium & famem & peſtilentiam: & quod locutus es, factum eſt, & ecce tu vides.* Ibid. vers 24. *Cùm tamen urbs tradita ſit in manum Chaldæorum.* vers 25. *Sic dixit Jehovah, ecce ego do civitatem hanc in manum Chaldæorum; & in manum Nebucadnezaris regis Babel, & capiet eam.* vers 28. *Sic dixit Jehovah: Ecce ego do urbem hanc in manum regis Babel.* Jerem. 34: 2. *Et revertentur Chaldæi & præliabuntur contra civitatem hanc, & capient eam* Jer. 37: 8. *Sic dixit Jehovah, dabitur urbs hæc in manum exercitus regis Babel, & capiet illam.* Jer. 38: 3. *Et ſi non exieris ad duces regis Babel, dabitur urbs hæc in manum Chaldæorum.* Ib. vers 18.

§. 35. Ezechiel: *Manu capiemini.* Ez. 21: 29. *Ecce ego do te in manum eorum, quos odiſti, in manum eorum, à quibus receſſit anima tua.* Ezech. 23: 28. Amos: *Et tradam urbem & plenitudinem ejus.* Am. 6: 8. Nahum: *Et ut figebatur* teſtudo, *nudabatur* urbs. i. e. murus perrumpebatur. 2 Reg. 25: 4. Nah. 2: 8. Habaccuc: *Ipſe* rex Chaldæorum *omne munimentum irridet, & aggerit pulverem, & capit illud.* Habac. 1: 10.

§. 36. De direptione Jeremias: *Opes tuas & theſauros tuos prædæ dabo ſine pretio,* Jer. 15: 13. *Mons in agro, opes tuas, omnes theſauros tuos direptioni dabo.* Jer. 17: 3. *Et dabo omnem poſſeſſionem urbis hujus & omnem laborem ejus & omnia pretioſa ejus, & omnes theſauros regum Judæ, dabo inquam in manum inimicorum ipſorum, & diripient ea, & accipient ea, & auferent ea Babylonem.* Jer. 20: 5. Ezechiel: *Et facient tecum cum odio, & accipient omne id, in quo laboraſti, & relinquent te nudatiſſimam.* Ezech. 23: 29. Zephanias: *Et erit abundantia illorum in populationem, & domus ipſorum in deſolationem, & ædificaverint domus, non habitabunt, & plantaverint vineas, non bibent vinum earum.* Zephan. 1: 13. Inter ſpolia nominatim recenſentur *Theſauri regum Judæ,* uti viſum ex Jer. 20: 5. Sic & Eſaias: *Ecce dies venturi ſunt, quibus deportabitur quicquid eſt domi tuæ, & quod recondiderunt majores tui uſque in diem hunc, in Babyloniam: non relinquetur quicquam, ait Jehovah.* Eſ. 39: 6. Tùm & vaſa reliqua domus Dei cum ipſis: *Sic dixit Jehovah Deus exercituum Deus Iſraëlis de vaſis, quæ ſuperſunt in domo Jehovæ & domo regis Judæ, & Hieroſolymis: Babylonem deferentur.* Denique & uxores, & domus, & agri; quæ ſic fiebant aliis: *Et devolventur domus ipſorum ad alios, agri & fœminæ pariter. Nam extendam mànum meam in habitatores terræ; ait Jehovah.* Jer. 6: 12. *Propterea dabo uxores eorum aliis, agros eorum ſucceſſoribus.* Jer. 8: 10. *Et ecce omnes fœminæ, quæ reliquæ ſunt in domo regis Judæ, educuntur ad duces regis Babel.* Jer. 38: 22. *Et omnes uxores tuas & filios tuos educunt ad Chaldæos.* Ib. vers 23. *Et ancillæ ejus.* i. e. reginæ, matronæ, ejus, ſcil. Hieroſolymæ, *ducebantur, tanquam cum voce columbarum, tympanizantes ſuper cordibus ſuis.* Nah. 2: 8.

§. 37. Eſt apud Nahumum vivum ſpectaculum Babyloniorum in urbe primùm captâ verſantium: *Clypeus heroum Illius erat rubefactus; viri ſtrenui purpurati; in igne facum erant currus, in die diſponendæ aciei ejus; & abietes quatiebantur. In vicis inſaniebant currus, raptabantur in foris. Aſpectus illarum erat ut tædarum; ut fulgura diſcurrebant.* Nah. 2: 4. 5.

§. 38. Deſtructionem urbis in ſpiritu vidit David, orans pro *reſtauratione muro-*

rum Hieroſolymæ; Pſ. 51:20. Et in querimoniâ, Pſ. 79:1. *Poſuerunt Hieroſolymam in cumulos.* Eſaias quoque eam exprimit aut ſupponit in hiſce: *Vaſtator vaſtat.* Eſ. 21:2. *Qui dico Hieroſolymæ, habitaberis, & civitatibus Judæ, ædificabimini, & deſolata ejus erigo.* Eſ. 44:26. *Qui dico de Cyro, paſtor meus, & omnem voluntatem meam implebit, idque ut dicat Hieroſolymæ, ædificator.* Ibid vers 28. *Ego excitavi illum .... ille ædificabit urbem meam.* Eſ. 45:13.

§. 39. Nec minùs clarè Jeremias: *Aſcendite in muros ejus, & deſtruite.* Jerem. 4:10. *Et reddam Hieroſolymam acervos, habitationem draconum; oppida Jehudæ reddam vaſtitatem ſine incolâ.* Jerem. 9:10. *Vox lamenti audita eſt ex Sion: quomodo vâſtati ſumus? pudore affecti ſumus admodùm; quia dereliquimus terram, quia projecerunt tabernacula noſtra.* Ibid. vers 18. *Tentorium meum profligatum eſt, & omnes funes mei rupti ſunt: Filii mei exiverunt à me, & non ſunt: non eſt, qui extendat ampliùs tentorium meum, & erigat cortinas meas.* Jerem. 20:20. *Inſtar Siluntis fiet domus hæc, & urbs hæc vaſtabitur, ut non ſit habitans.* Jerem. 26:9. 12. *Nam ad iram meam & ad ardorem meum exſtitit mihi urbs hæc ab eo die, quo ædificârunt eam & uſque in diem hunc, ut amoverem eam à facie meâ.* Jerem. 32:31. *Nam ſic ait Jehovah Deus Iſraëlis de domibus urbis hujus & de domibus regum Judæ, dirutis ad aggeres* (i. e. ut inde fiant aggeres.) *& ad gladium.* ut in eas penetret. Jerem. 33:4. Elegantem hujus excidii ὑποτύπωσιν videre eſt. Zeph. 1:10. *Et erit in die illo, dictum Jehovæ, vox clamoris à portâ piſcium, & ejulatus ab alterâ, & fractio magna à collibus.*

§. 40. Urbis ruina & Templum involvit. Meminit Pſalmiſta: *Polluerunt templum ſanctum tuum.* Pſ. 79:1. *Abolevisti ſanctuarium ejus.* uncti tui, quia ſcil. conſtructum erat templum à rege filio Davidis. Pſ. 89:45.

§. 41. Eſaias: *Et Libanus* i. e. ædificia omnia, ex cedris Libani exſtructa, ut domus regia, & templum inprimis, *per Ingentem cadet.* Eſ. 10:33. *Et abolebo erectionem ferocium.* i. e. id, in quo *feroces*, h. e. Sacerdotes, Levitæ, & Seniores populi, gloriabantur, Templum videlicet. Eſ. 13:11. *Et fiet* vel *erit flos marcidus, decus ornamenti ejus, qui eſt ſuper capite vallis oleorum.* i. e. templum, in quo tum Iſraëlitæ gloriabantur, *ut præcoqua ante autumnitatem: quam videt aliquis, dum adhuc in manu ejus eſt, & abſorbet illam.* Celeritas deſtructionis templi ſic adumbratur. Eſ. 28:4.

§. 42. Jeremias hinc Nebucadnezarem vocat *ventum nitoris culminum*, quòd deſtrueret oppida in collibus poſita, ipſum quoque templum, ad aream uſque. Jerem. 4:11. Ipſam verò templi deſtructionem his minatur: *Faciam domui, ſuper quâ nominatur nomen meum, cui vos confiditis, & loco, quem dedi vobis, & patribus veſtris, quemadmodum feci Silunti.* Jerem. 7:14. *Deſerui domum meam, miſſam feci hæreditatem meam: dedi, quod amat anima mea, in manum inimicorum ejus.* Jerem. 12: verſ. 7. *Ponam domum hanc ut Siluntem, & urbem hanc dabo in exſecrationem omnibus gentibus.* Jerem. 26: verſ. 6. *Inſtar Siluntis fiet domus hæc.* Ibid. vers 9. Senſus eſt, relinquam hanc domum, ut reliqui tabernaculum Siluntinum, Sup. Artic. XVII. Period. III. & non habitabo in eâ ampliùs.

§. 43. Ezechiel parabolicè, ut ſolet, eandem deſtructionem urbis & templi, ſic repræſentat: *Et dabo zelum meum in te, & facient tecum in æſtu, naſum tuum, & aures tuas auferent.* i. e. omne decus Hieroſolymæ auferent, templum, regnum, regem, judices, ſacerdotes, prophetas, & cætera, quæ ea urbs habebat eximia.

Ezech.

Ezech. 23: 25. Quod & ſignificatur iſtis: *Et detrahent tibi veſtes tuas, & accipient ornamenta tua.* Ibid. verſ. 26. Item: *Et accipient omne id, in quo laboraſti, & relinquent te nudatiſſimam.* Ibid. verſ. 29. Templi quoque excidium ablatione uxoris Ezechielis ipſi fuit adumbratum: *Fili hominis, ecce ego capio à te deſiderium oculorum tuorum per plagam. Et loquebar ad populum manè, & moriebatur uxor mea veſperi. Et dicebam ad populum: Verbum Jehovæ factum eſt ad me, dicendo: dic domui Iſraël: Sic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego profano ſanctuarium meum, erectionem robuſtam veſtram; deſiderium oculorum veſtrorum, & cui compatitur anima veſtra.* Ezech. 24: 16. 18. 20. 21. *Quo die capiam ab ipſis robur illorum, hilaritatem decoris ipſorum, deſiderium oculorum ipſorum, & id, ad quod attollunt animam ſuam.* Ibid. verſ. 25. *Et dabo terram in vaſtitatem omnimodam, & deſinet erectio roboris ejus, & deſolabuntur montes Iſraël, nemine tranſeunte.* Ezech. 33: 28.

§. 44. Hoſeas templi ablationem cum arcâ, throno Dei, ſignificat hiſce: *Et dixit, voca nomen ejus Loammi* (h. e. *Non populus meus*) *Nam vos eſtis non populus meus, & ego non ero vobis.* Hoſ. 1: 9. *Et mittam ignem in urbes ejus, & devorabit palatia illius.* Hieroſolymæ. Hoſ. 8: 14. Intellige & regia ædificia, & templum, quod etiam palatium appellatur, Jerem. 30: 18. Amos: *Et mittam ignem in Judam, & comedet palatia Hieruſalem.* Am. 2: 5. *Et ejulabunt carmina templi illo die: dictum Domini Jehovæ.* Non ampliùs pronunciabunt ſuavi cantu, ut ſolebant ſtante templo. Am. 8: 3. Michæas: *Planctus Beth haëzel* (vel, *ob planctum domus conjunctionis*, aut *ſequeſtrationis.* Templi ſcil.) *capiet à vobis ſtationem ejus.* Mich. 1: 11. *Idcircò propter vos Sion ager arabitur, & Hieroſolyma tumuli fiet, & mons domus* (ſive *templi*) *clivi ſylvæ.* Mich. 3: 12.

§. 45. Ad domum quoque regiam eadem calamitas pertinebat. Vid. quæ allata ex Eſai. 10: 33. Jerem. 33: 4. Hoſ. 8: 14. Am. 2: 5. De eâ ſic in ſpecie Jeremias: *Et ſi non audietis verba hæc, per me juro, ait Jehovah, quòd vaſtitas fiet domus hæc. Nam ſic dixit Dominus Jehovah de domo regis Judæ: Gilead tu mihi es, vertex Libani? Si non te ponam deſertum, urbes non habitatos. Et ſanctificabo contra te corrumpentes, virum & inſtrumenta ejus, & exſcindent electas cedros tuas, & conjicient in ignem.* Jer. 22: 5. 6. 7.

§. 46. Et quidem per incendium futuram fuiſſe hanc deſtructionem, docent; Jeremias: *In manum regis Babel tradetur hæc urbs, & cremabit eam igne.* Jer. 21: verſ. 10. *Et accendam ignem in ſylvâ ejus*, habitantis vallem. i. e. in ædificiis omnibus, & inprimis templo, & regiâ. Conf. cap. 22: 5. 6. *& edet, quicquid circa illam eſt.* Ibid. verſ. 14. *Et venient Chaldæi, qui præliantur adverſus urbem hanc, & accendent urbem hanc igne, & cremabunt illam, & domos, in quarum tectis thurificârunt Baali, & libârunt libamina Diis aliis, ut ægrè mihi facerent.* Jer. 32: 29. *Ecce ego do urbem hanc in manum regis Babel, & cremabit illam igne.* Jerem. 34: 2. *Et capient Chaldæi urbem hanc, & cremabunt illam igne.* Jer. 37: 8. *Et cremarent urbem hanc igne.* Ibid. verſ. 10. *Et ſi non exieris ad duces regis Babel, dabitur urbs hæc in manum Chaldæorum, & cremabunt eam igne.* Jer. 38: 18. *Nam manu regis Babel prehenderis, & urbem hanc cremabit igne.* Ibid. verſ. 23. Ezechiel: *Et dabo zelum meum in te . . . & poſtremum tui comedetur igne.* Ezech. 23: 25. Nahum: *Nudabatur* urbs muris, *ſurſum evolvebatur.* per incendium ſcil. more victimæ, vel holocauſti. Nah. 2: 8.

§. 47. De incendio templi & domus regiæ vid. citata Jerem. 22: 7. Hoſ. 8: 14. Am. 2: 5.

§. 48. X. Captâ urbe & incenſâ, populus captivus abducitur è terrâ ſuâ. Hanc deportationem ſignificat Eſaias: *Et referam manum meam ſuper te, & conflabo ad puritatem ſcorias tuas, & auferam omne ſtannum tuum.* Eſai. 1: 25. *Rariorem faciam mortalem auro ſolido, & hominem auro Ophirino.* Eſai. 13: 12. *Et movebit terra à loco tuo.* Ibid. verſ. 13. *Nam ante meſſem*, i. e. ante tempus illud, quo ſeparabit immorigeros à regno ſuo, & eos cum terrâ exſecrationi ſubjiciet, . . . *propagines auſert, avellit.* populum deportat. Eſ. 18: 5. *Qui dico Hieroſolymæ, habitaberis, . . . & deſolata ejus erigo.* Eſ. 44: 26. *Et exules meos dimittebat.* Eſ. 45: 13.

§. 49. Jeremias: *Arce pedem tuum à diſcalceatione, & guttur tuum à ſiti.* Jer. 2: 25. *Etiam hinc exibis, & manus tuæ erunt ſupra caput tuum.* Ibid. verſ. 37. *Ut urbes tuæ deſolentur, ne ſit incola.* Jer. 4: 7. *Auferte ſtolones ejus.* i. e. vitis ejus, quam Deus plantaverat, palmites deſeces. Jer. 5: 10. *Et excandeſcentiâ Jehovæ impletus ſum, non poſſum continere ampliùs. Effunde in puerum in vico & ſuper cœtum juvenum unà. Nam & vir & mulier capientur, ſenex cum pleno diebus.* Jer. 6: 11. *Et projiciam vos à facie meâ, quemadmodum projeci omnes patres veſtros, omne ſemen Ephrajimi.* Jerem. 7: 15. *In omnibus locis reliquis, quò illos propulero.* Jerem. 8: verſ. 3. *Vox vociferationis filiæ populi mei ex terrâ longinquâ, An Jehovah non eſt in Sione? An rex non eſt in eâ?* Ibid. verſ. 19. *Ecce ego conflo illos & probabo illos*, ut ſi ſcoriæ inveniantur, removeantur *à facie filiæ populi mei.* i. e. fidelium meorum, neque ipſis ampliùs ſint offendiculo. Jerem. 9: 6. *Et oppida Jehudæ reddam vaſtitatem ſine incolâ.* Ibid. verſ. 10. *Propter quid perierit terra, inflammata ſit ut deſertum, ſine tranſeunte.* Ibid. verſ. 11. *Et diſpergam eos in gentibus, quas non noverant ipſi & patres eorum, ut mittam poſt ipſos gladium, donec confecero ipſos.* Ibid. verſ. 15. *Quomodo vaſtati ſumus? pudore affecti ſumus admodùm; quia dereliquimus terram.* Ibid. verſ. 18. *Filii mei exiverunt à me, & non ſunt: non eſt qui extendat ampliùs tentorium meum, & erigat cortinas meas.* Jerem. 10: 20. *Deſerui domum meam, miſſam feci hæreditatem meam.* Jerem. 12: 7. *Sic dixit Jehovah de vicinis meis malis, qui tangunt hæreditatem, quam tribui populo meo Iſraëli: ecce ego avello ipſos de terrâ ſuâ, & domum Judæ evellam ex medio ipſorum. Et fiet cùm avellero ipſos, denuò miſerebor illorum.* Ibid. verſ. 14. 15. *In occulto flebit anima mea . . . cùm in captivitatem abductus fuerit grex Jehovæ.* Jerem. cap. 13: verſ. 17. *Oppida Auſtralia clauſa ſunt, & non eſt qui aperiat. Abducta eſt Jehuda univerſa, abducta eſt omnino.* Ibid. verſ. 19. *Et diſpergam eos ut paleam levem ad ventum deſerti.* Ibid. verſ. 24. *Projice à facie meâ & exeant . . . qui ad abductionem, ad abductionem.* Jerem. 15: 1. 2. *Et ventilavi eos ventilabro in portis terræ.* Ibid. verſ. 7. *Et faciam ut tranſeant inimici tui per terram, quam non noſti.* Ibid. verſ. 14. *Et projiciam vos de terrâ hâc in terram, quam non cognoviſtis vos & patres veſtri.* Jerem. 16: 13. *Et faciam te ſervire inimicis tuis in terrâ, quam non noveras.* Jer. 17: 4. *Et erit ſicut myrica in ſolitudine, & non videbit, cùm veniet bonum, & habitabit aduſta in deſerto, terram ſalſam, quæ non habitatur.* Ibid. verſ. 6. *Vento orientali diſpergam eos coram inimico.* Jer. 18: 17. *Et totam Judam dabo in manum regis Babel, & tranſportabit eos in Babylonem, & percutiet illos gladio.* Jerem. 20: 4. *Et tu Paſchchur & omnes incolæ domus tuæ abibitis captivi, & Babylonem venies, & ibi morieris.* Ibid. verſ. 6. *Et urbs hæc vaſtabitur, ut non ſit habitans.* Jer. 26: 9. *Ex omnibus terris, quò pepulero ipſos in irâ meâ.* Jer. 32: 37. *In loco hoc, quem vos dicitis deſolatum eſſe, ut non ſit homo, & ut non ſit pecus; in oppidis Judæ, & in vicis Hieroſolymæ, quæ deſolata ſunt, ita*

ut

ut non ſit homo, & ut non ſit habitans, & ut non ſit pecus. Jerem. 33: 10. *In loco hoc deſolato, ut non ſit homo aut pecus.* Ibid. verſ. 12. *Veniet rex Babel & corrumpet terram hanc, & faciet ut in eâ deſinat eſſe homo & pecus.* Jerem. cap. 37: verſ. 29.

§. 50. Per Ezechielem deportatio populi in gentes, ubi *panem impurum comedant*, ipſi populo ſignificata fuit eò, quòd juberetur ipſe *placentam hordeaceam in ſtercoribus excrementi humani parare coram oculis ipſorum, & comedere.* Ezech. 4: verſ. 12. 13. Itemque ubi *omnes pilos capitis & barbæ demetere, & tertiam partem in ventum ſpargere*; Ezech. 2: 1. 2. 10. 12. Ac rurſus, ubi ipſe Propheta *facere ſibi apparatum exilii, & in exilium abire in oculis populi, & proferre apparatum exilii interdiu, & veſpere, ut ſolent in exilium euntes, exire, & efferre per foramen ad hoc factum in pariete, & portare humero, & quidem facie tectâ*; Ez. 12: 3 — 15. juſſus eſt.

§. 51. De eadem deportatione idem agit in ſequentibus: *Et urbes deſolatæ habitabuntur.* Ezech. 12: 20. *Et ecce ſuperſtitantur in illâ evaſio, qui educuntur filii & filiæ: ecce illi exeunt ad vos.* Ezech. 14: 21. *Et dabo faciem meam in ipſos. Ex igne exiverunt.* Ezech. 15: 7. *Et quod attinet omnia ipſius perfugia, in omnibus ejus exercitibus gladio cadent, & reliqui in omnem ventum expandentur.* Ezech. 17: 21. *Et diſſipabo te in gentibus, & ſpargam te in terris, & planè auferam impuritatem tuam* i. e. impurè facientes, inprimis reges, *à te.* Ezech. 22: 19. *Illi filios tuos & filias tuas accipient.* Ezech. 23: 25. *Et deſolabuntur montes Iſraëlis nemine tranſeunte.* Ezech. 33: 28. *Et diſſipatæ ſunt ſine paſtore, & extiterunt cibus omni feræ agri, & diſſipatæ ſunt. Deerrant oves meæ in omnibus montibus, & ſuper omni clivo alto, & ſuper omni facie terræ diſſipatæ ſunt oves meæ; & non eſt qui curet, & non eſt qui quærat.* Ezech. 34: verſ. 5. 6. *Quandoquidem deſolati eſtis*, montes Iſraëlis, *& cum anhelitu vaſtârunt vos undiquaque.* Ezech. 36: verſ. 3. *Sic dixit Jehovah montibus & collibus, alveis, & acclivibus, eremis vaſtis, & oppidis derelictis.* Ibid. verſ. 4. *Diſperſi eos in gentibus, & ventilati ſunt per terras.* Ibid. verſ. 19.

§. 52. Amos: *Quapropter nunc migrabunt in capite migrantium; & recedet epulatio putreſcentium.* Am. 6: 7. Nota hujus explicationis eſt verſ. 8. Ibidem; Ubi hoc judicium extenditur ad tribum Judæ. Idem ſub emblemate *corbis pleni æſtivis fructibus, finem populi.* i. e. maturitatem ad judicium & totalem ex terrâ ablationem; cap. 8: 1. 2. Iterùmque Nili extra alveum in agros per incilia expulſi ac deſidentis rurſùs, populi Judaici extra terram egeſtionem, & in varias oras propulſionem propulſique partim, partim relicti in terrâ ad brevitatem & paucitatem inſignem redactionem, ita repræſentat: *An propter hoc non contremiſceret terra, & mœreret omnis habitans in eâ, & aſcenderet ut Lux tota & expelleretur ac deſideret, ut amnis Ægypti?* Am. 8: 8.

§. 53. Michæas: *Decalva te ſuper filiis deliciarum tuis: dilata calviciem inſtar aquilæ; quia deportati ſunt* (vel *exulant*) *à te.* Mich. 1: 16. *Surgite & abite. Nam non eſt hæc requies. propterea quòd impuritas corrumpit, & quidem corruptione vehementiſſimâ.* Mich. 2: 10. *Dole & erumpe, filia Sion, ut puerpera, quia nunc exibis è civitate & habitabis* (ſive *procumbes*) *in agro, & pervenies uſque in Babyloniam.* Mich. 4: 10. Nahum de reginis ac matronis Hieroſolymitanis in captivitatem abductis: *Et ancillæ ejus ducebantur* (Alludit ad choros, quibus ductandis aſſueverant cum cantu ſuavi & tympano) *tanquam cum voce columbarum, tympani-*

zantes ſuper cordibus ſuis. Nah. 2: 8. Habaccuc de gente Chaldæorum: *Et congregavit ut arenam captivitatem.* Hab. 1: 9. Zephanias, ubi excidium Hieroſolymorum ὑποτυποῖ, innuit etiam hanc captivitatem: *Ejulate, qui habitatis pilam,* (vallem Τυροποιῶν.) *quia occidit omnis populus Canaan,* (i. e. populus Iſraëlis poſſidens terram Canaan, nec minus excidii periculo obnoxius, atque Amorræi.) *exciſi ſunt omnes onuſti argento.* eruncati ex ſedibus ſuis, & in exilium pulſi ſcil., in alias ſedes tranſlati. Zeph. 1: 11. Apud Zachariam denique Nebucadnezar ab hâc deportatione accepit nomenclaturam *ſecundi cornu*, quod *populum diſſipavit.* Zach. 2: verſ. 1. 2.

§. 54. Locus deportationis tùm populi captivi, tùm bonorum direptorum, eſt *Babel,* & *terra Aquilonis.* Ita Eſaias: *Ecce dies venturi ſunt, quibus deferetur quicquid eſt domi tuæ, & quod recondiderunt majores tui uſque in diem hunc, in Babyloniam.* Eſai. 39: 6. Jeremias: *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & dicetur, vivit Jehovah, qui fecit adſcendere filios Iſraël ex terrâ Aquilonis, & ex omnibus terris, quò illos pepulerat.* Jerem. 16: 14. 15. *Et totum Judam dabo in manum regis Babel, & tranſportabit eos in Babylonem, & percutiet illos gladio. Et dabo omnem poſſeſſionem urbis hujus, & omnem laborem ejus, & omnia pretioſa ejus, & omnes theſauros regum Judæ, dabo inquam in manum inimicorum ipſorum, & diripient ea, & accipient ea, & auferent ea Babylonem.* Jer. 20: 4. 5. *Dicent, vivit Jehovah, qui fecit aſcendere filios Iſraël, & qui adduxit ſemen domus Iſraëlis ex terrâ Aquilonari, & ex omnibus terris, in quas pepuleram eos.* Jerem. 23: 8. *Sic dixit Jehovah de vaſis, quæ ſuperſunt in domo Jehovæ, & domo regis Judæ, & Hieroſolymis: Babylonem deferentur, & ibi manebunt, uſque ad diem, quo viſitabo eos, ait Jehovah.* Jer. cap. 27: verſ. 21. 22. Michæas: *Dole & erumpe, filia Sion, ut puerpera, quia nunc exibis è civitate, & habitabis in agro, & pervenies uſque in Babylonem.* Mich. 4: 10.

§. 55. Nec ventura tantùm hæc calamitas in univerſum populum, ſed etiam nominatim in regem Zedekiam, quanquam fugâ elabi conantem: Qui venturus erat in manum regis Babel, excœcandus, & Babylonem deportandus, ibique, & quidem in pace, non gladio, moriturus. Ita enim Jeremias: *Et poſtea, ait Jehovah, dabo Zedekiam regem Judæ in manum Nebucadnezaris regis Babel.* Jer. 21: 7. *Et tanquam ficus malas, quæ præ pravitate comedi non poſſunt,* (*Nam ſic dixit Jehovah*) *ſic dabo Zedekiam regem Judæ. Et dabo illos in commotionem,* &c. Jer. 24: 8. 9. *Et Zedekias rex Judæ non evadet ex manu Chaldæorum, ſed dabitur in manum regis Babel, & loquetur os ejus cum ore ejus, & oculi ejus oculos ipſius videbunt; & Babylonem abducet Zedekiam, & ibi erit, donec viſitem illum, ait Jehovah.* Jer. 32: 3. 4. 5. *Et tu,* Zedekia, *non evades ex manu ejus, ſed apprehenderis, & in manum ejus traderis; & oculi tui oculos regis Babel videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur, & Babylonem venies. Tu audi verbum Jehovæ, Zidkija, rex Judæ: Sic dixit Jehovah de te: non morieris gladio. In pace morieris, & cremationibus patrum tuorum regum priorum, qui ante te fuerunt, ſimiliter cremabunt tibi, &, Eheu dominus, plangent tibi. Nam verbum ego locutus ſum, ait Jehovah.* (Vid. Jer. 52: 11. Jer. 34: 3. 4. 5. *Et Zedekiam regem Judæ & principes ejus dabo in manum inimicorum ipſorum.* Ibid. verſ. 21. *In manum regis Babel traderis.* Jer. 37: 17. *Et tu non evades ex manu illorum.* Jer. 38: 18. & 23. *Unctus Jehovæ captus eſt in foveis illorum.* hoſtium perſequentium ipſum. Thren. 4: 20.

§. 56. Ezechiel finem Zedekiæ denunciat his verbis: *At tu, profane improbe,*

prin-

princeps Iſraël, cujus venit dies, in tempore pravitatis finis. Ezech. 21: 30. Et clariùs hiſce: *An evadet faciens hæc? & quum irritum fecerit fœdus; evadet? Vivo ego, ait Dominus Jehovah, ſi non in loco regis, qui ipſum regnare fecit, cujus adjurationem contempſit, & cujus fœdus irritum fecit, cum ipſo Babylone morietur.* Ez. 17: 15. 16. *Et contempſit adjurationem, ut irritum faceret fœdus, & ecce dedit manum ſuam, & omnia hæc fecit, non evadet. Quare ſic dixit Dominus Jehovah, vivo ego, ſi non adjurationem meam, quam contempſit, & fœdus, quod irritum fecit, dabo in caput ejus.* Ib. vers 18. 19.

§. 57. Fugam quoque regis, & retractionem ex eâ, ac diſſipationem copiarum ejus, docet Ibidem: *Et pandam ſuper ipſo rete meum, & capietur in decipulâ meâ, & deducam ipſum Babylonem, & diſceptabo cum ipſo prævaricationem, quâ prævaricatus eſt contra me. Et quod attinet omnia ipſius perfugia, in omnibus ejus exercitibus gladio cadent, & reliqui in omnem ventum expandentur.* Ezech. 17: 20: 21.

Modum item, quo fugam adornarit, & excæcationem regis, unà cum dictis, ſic vivis quaſi coloribus depingit: *Et princeps, qui eſt in medio ipſorum, ſuper humero feret, in caligine, & exibit, parietem perfodient ad efferendum per eum:* (Sic factum eſſe conſtat ex Jerem. 39: 4. 52: 7.) *faciem ſuam teget, ut non videat oculo ipſe terram. Et expandam rete meum ſuper eum, & tenebitur reti meo, & deducam ipſum Babylonem, in terram Chaldæorum, & illam non videbit*, nempe excæcatus, *& ibi morietur. Et quotquot circa ipſum ſunt auxilia ipſius, & omnes alas ipſius ventilabo in omnem ventum, & gladium ſtringam poſt eos.* Ez. 12: 12. 13. 14.

§. 58. Nahum denique hoc regifugium, loco etiam per quem erupturus erat, deſignato, ſic repræſentat: *Recordabatur principum ſuorum*, (& Dei interim principis Iſraëlis obliviſcebatur,) *offendebant in inceſſu ſuo.* (Adeò ipſi erant imbecilles, pavidi, & projecti animo, ut etiam impingerent inter ambulandum, nedum ſi currendum fuiſſet, vel concurrendum cum hoſte.) *Accelerabant* interim *ad murum ejus, & parabatur teſtudo*: (omniaque ad ultimam oppugnationem neceſſaria.) Ibi igitur neque fiduciam habentes in Deo, neque fiſi ſuis viribus, malâ etiam conſcientiâ territi, conſilium fugæ capiunt rex & principes: Et *portæ fluviorum* ad fugam *aperiebantur.* Hiſtoria dicit, per portam, quæ inter duos muros erat ad hortum regis. 2 Reg. 25: 4. Jerem. 39: 4. 52: 7. Scilicet habitabant reges in monte Sion, & quidem regia Salomonis fuit ad partem Orientalem montis juxta latus meridionale templi. Sion mons altus & præruptus fuit; & ex adverſo montes habuit æquè altos. Intercurrebat vallis porrecta ad Orientem, Meridiem & Occidentem. In eâ valle erat χειμάῤῥους Κεδρὼν, cujus fontes erant ad Occidentem, Neh. 2: 13. 3: 15. Ubi juxta portam fontis procedendo ab occaſu ad latus meridionale ponitur murus piſcinæ emiſſarii in hortum regis. Hinc patet, per quod latus urbis exierit Zedekias; nimirùm juxta piſcinam, quæ emiſſarium præbebat horto regis. Ea verò erat circa angulum Occidentalem, quæ in Meridiem tendebat. Eundem locum hîc deſignavit Nahumus. Quùm enim Babylonius Hieroſolymam totam quaſi indagine cinxiſſet, & ſtationibus exitus obſervari juſſiſſet: oppugnatio autem fieret à parte Septentrionali: Spes fuit, noctu poſſe ſtationes in alterâ parte urbis perrumpi. Quod & factum eſt. Sed è fuga retracti ſunt. Addit propheta fugæ regis Templi, i. e. ſacerdotum, pavorem: *Et templum diffluebat.* h. e. Sacerdotum in templo corda colliqueſcebant; inde hoſte oppugnante, hinc rege & militibus anfugientibus. Nam in Deo nulla erat ſpes. Nah. 2: 6. 7.

§. 59. Nec tantum regi in ſpecie, ſed etiam *Paſchchuro* filio Immer Sacerdoti

præfecto

præfecto principi in domo Jehovæ; Jerem. 20: 1. 6. Et *falſis Prophetis*; Jerem. 14: 15. 23: 15. 27: 15. Ezech. 13: 8. 9. 34: 10. Et *propheiiſſis*, Ez. 13: 17. 18. Itemque *viris Anatoth*, Jerem. 11: 21. 23. eadem calamitas in anteceſſum denunciatur.

§. 60. XI. Connexa hujus tantæ deſolationis notat Prophetia: 1. Excidium ſtatus populi, ſive reipublicæ. De eo clarè vaticinatur Eſaias: *Et deſtringet perplexitates ſylvæ*, ordines reipublicæ exſcindet, *ferro*. Eſ. 10: 33. Jeremias: *Annon vidiſti, quid populus hic locuti ſint? nimirùm duas familias, quas elegerat Jehovah, rejecit, & populum meum ſpernunt*, (ſc. gentes, vel imperſonaliter.) *ne ſit ampliùs gens coram ipſis*. Senſus eſt, eò adduci totum populum utriuſque familiæ, ut coram gentibus ne gens quidem eſſe videatur. Jer. 33: 24. *Ovis disjecta Iſraël, quam leones diſpulerunt. Prior voravit illum rex Aſſur, & hic poſterior exoſſavit illum Nebucadnezar rex Babel.* Jer. 50: 17. Ezechiel: *Ecce igni datum fuerit* lignum vitis, populus Iſraëlis, *in cibum: utrumque extremum eorum comederit ignis, & medium ejus ambuſtum fuerit*. Significatur, politiam Iſraëlis divinis plagis fuiſſe exhauſtam atque enervatam. Ezech. 15: 4.

§. 61. 2. Ablationem Sceptri, ſive regiæ poteſtatis, à Judâ. De eâ manifeſtè loquitur David: *Quare diruiſti maceriem ejus*. ſc. vitis, quam plantaveras. i. e. imminuiſti ac aboleviſti potentiam regum Iſraël & Judæ, quâ ſolebat hoſtes à finibus ſuis arcere. Pſ. 80: 13. *Et thronum ejus* (uncti tui Davidis) *in terram projeciſti*, vel *traxiſti*. *Abbreviâſti dies juventutis ipſius*. h. e. vigoris. Nam tantùm 470 annis duravit regnum in univerſum. Vigor autem duntaxat per 80, ſub Davide & Solomone. Reliqui 390. ſub plagis exacti ſunt. *Cooperuiſti illum pudore*. Quòd ſcil. fruſtrà ſperaverit regni perpetuitatem ex promiſſione Dei. Pſ. 89: 45 46. *Nam non ſic* (vel *non recta* aut *ſtabilis*) *eſt domus mea apud Deum*. q. d. Equidem accepi promiſſionem de *domo*, quam mihi *facturus ſit Deus*. Sed non eſt putandum, quòd ſemen meum carnale *iſtiusmodi* ſit, vel etiam apud Deum ſit *rectum*. Id enim non ambulabit in ſtatutis Dei; atque ideò non permanebit apud Deum, & in conſpectu ejus. 2 Sam. 23: 5.

§. 62. Eſaias: *Nam dies eſt Jehovæ Dei exercituum in omne erectum & ſupereminens*. i. e. procerum ſe erigens. Illorum tolletur proceritas aut ὑπεροχὴ quando v. g. pro regibus dabuntur judices & conſiliarii, Eſ. 1: 26. Cauſa autem regiam altitudinem aliquando tollendi, eſt, quòd ſe erigunt & efferunt ſupra fratres ſuos, & eos audire & curare nolint; Deut. 17: 20. ſed etiam ſuprà leges & judicia & jus ac juſtitiam, & religionem, ac conſcientias hominum. Eſ. 2: 12. *Ecce Dominus ille Jehovah Deus exercituum detruncat ramum formidabili; & celſi ſtaturâ inciduntur, & alti humiliantur*. Intelligitur ablatio ſceptri, cum ſuperborum incurvatione, & altorum humiliatione. Eſ. 10: 32. *Et faſtum violentorum humiliabo*. regum ſcil. de domo Davidis. In quo eſt ablatio ſceptri à Judâ. Eſ. 13: 11. *Ne læteris, Palæſtina, quòd fractum ſit ſceptrum percutientis te* i. e. Domus Judæ regnantis. Eſ. 14: 29. *Nam ager Chesbon langens, vitis Sebmæ*, (vitis languet, quando non ampliùs profert palmites ſuos; palmites autem hîc ſunt ſceptra regum; inprimis domus Davidis) *cujus generoſi palmites dominos gentium contuderunt*. Eſ. 16: 8. *Secat ſarmenta falcibus* i. e. aufert ſceptrum à domo Davidis & Judæ. Eſ. 18: 5.

§. 63. Jeremias: *Oleam viridem, pulchram fructu ſpecioſo nominaverat Jehovah nomen tuum: in vocem crepitationis tuæ magnæ accendit ignem circa eam, & depaſti ſunt ramos ejus*. Jer. 11: 16. *Dic Regi & Dominæ: In humile deſidete: Nam deſcendit quod in capite veſtro erat, corona decoris veſtra*. Jerem. 13: 18. *Scribite virum hunc* (Chonjahu,

jahu, ſive Jechoniam.) *ſterilem. Nam non proſperabitur de ſemine ejus quisquam ſedens in throno Davidis, & poteſtatem habens amplius in Judâ.* Innuit Jeremias ablationem ſceptri terreſtris à Judâ, ſiquidem poſteri Jechoniæ non fuerint reges, ſed tantùm præfecti, ut Sorobabel illius nepos. Jerem. 22: 30. Idque confirmatur eo, quòd *de Jojakimo rege Judæ ſic dixerit Jehovah: Non erit ipſi ſedens in throno Davidis.* h. e, aliquando tolletur regnum ab ipſo aut à filio ipſius, ne is, ut ſolet fieri, aut ut ſpes eſt, moriatur rex. Jerem. 36: 30. *Alliſit terræ, profanavit* Deus per Nebucadnezarem *regnum ejus.* filiæ Sion. i. e. ſuſtulit regnum filiorum Davidis, atque ita cum eo egit, ut cum regnis aliarum gentium, quanquam fuiſſet id regnum regnum Dei. Thren. 2: 2. *Perſequeris cum irâ & profligas ipſos de ſubter cœlo.* i. e. ne ſub cœlo ſint ampliùs. Ea certè pœna regi & principibus ejus incubuit. Thren. 3: 66. *Unctus Jehovæ captus eſt in foveis illorum* hoſtium perſequentium eum, *de quo dicebamus: In umbrâ ejus vivemus in gentibus.* Quo extinctio totalis regni innuitur, ut nullus ſit unctus Domini in poſterum futuris, ſub cujus umbrâ habitarent in gentibus, ut à vicinis tuti eſſe poſſent. Thren. 4: 20.

§. 64. Ezechiel: *Vis ſurrexit in virgam* ſive *ſceptrum improbitatis, non ex ipſis, & non ex multitudine ipſorum, & non ex ſtrepente ipſorum.* Ubi ſceptrum extraneum populo inde ab hoc tempore incubiturum, finem regni domus Judæ apertè declarat. Ez. 7: 11. Et in parabolâ vitis, i. e domus regnatricis à Nebucadnezare plantatæ, & fidem huic datam violantis: *Sic dixit Dominus Jehovah: Proſperabitur? Annon radices ejus rumpet & fructum ejus decidet, & is exareſcet? Omnes frondes germinationis ejus exareſcent, ut tollatur à ſuis radicibus. Et ecce plantata ſit. Num proſperabitur? Nonne attingente eam vento Orientali exareſcendo exareſcet? In areolis germinationis ſuæ exareſcet?* Ezech. 17: 9. 10. Et rurſus in parabolâ *vitis*, i. e. populi Iſraëlitici, vel tribus Judæ, aut familiæ Davidis, *quæ fundata in ſanguine regio frugifera exſtiterat ab aquis multis*, etiam *ad gignendum virgas robuſtas in ſceptra dominantium: Et ignis exivit ex ramo palmitum ejus, qui fructum ejus comedit, & non exſtitit* ampliùs *in eâ ramus robuſtus, ſceptrum ad dominandum.* Ezech. 19: 14. *Sic dixit Dominus Jehovah: Auferendo* auferam *cidarim, & tollendo* tollam *coronam. Hæc* (ventura quædam corona, ſcil. Haſmonæorum.) *ea non eſt.* Non eſt ſcil. vera illa corona, quæ promiſſa eſt. *Quæ humiliata eſt, exaltando exaltabo* coronam Chriſti; *& altum*, quod ſe effert contra regnum Dei & Chriſti, qualis erat corona domus Davidis, & quæ poſt exſtitura, *humiliabo. Corruptum, corruptum, corruptum ponam illam.* Hoc intelligendum eſt de coronâ domus Davidis, quæ non uno tempore afflicta, & corrupta fuit, donec tota auferretur. *Etiam hæc* corona, quæ non ea eſt, quæ ventura erat ex promiſſione, *nihil exſtitit, donec veniat, cujus eſt judicium.* Ita dum corrumpitur corona Davidis, & quæ poſtea exſtitit, non vera fuit corona, quam exſpectare debebant, totalis ablatio ſceptri à Judâ in captivitate Babylonicâ facta ſignificatur. Ezech. 21: 31. 32. *Et planè auferam fœditatem tuam à te.* Significat, ſe fœdè facientes, inprimis reges, ab eâ ſublaturum, redditis ſcil. ſenioribus, & judicibus, quales fuerant ante reges. Ez. 22: 15.

§. 65. Amos ruinam regni poſterorum Davidis clarè indigitat, cùm per dationem Chriſti *Deum erecturum tugurium Davidis jacens*, ſive *lapſum*, præmonſtrat. Amoſ. 9: 11. Michæas item: *Veniet ad te* judicium, *&* poſtea *veniet regnum.* Abiit certè, quod in Chriſto veniet. Mich. 4: 8. *Nunc quare clangis clangore? An rex non eſt in te?* Mich. 4. 9. Item quando populum poſtea recollectum tantùm vocat nomine *Tribus*, & *Urbis*, non regni. Mich. 6: 9. Nahum: *Paſtinârunt illos paſtinatores,*

tores, & ramos illorum deſtruxerunt. Nah. 2: 3. Neque abludit Zephanias, cùm prædicit, *Deum viſitaturum in filios regis.* i. e. in regiæ dignitatis hæredes; Zeph. 1: 8. ac poſtea tantùm mentionem facit *Principum & Judicum*, qui præſint reipublicæ. Zeph. 3: 3. Innuit enim ſceptri terreſtris & imperii διοικήσεως à populo receſſionem.

§. 66. Huc refer, quòd poſt captivitatem Sacerdos quidem maximus per impoſitionem cidaris, judicandi ac miniſtrandi officio initiatus, ſicque Synedrium ipſum, cujus is Sacerdos ordinarius erat præſes, de novo inſtitutum legatur, Zach. 3: 5. 7. Eaque poteſtas ſic reſtituta uſque ad Chriſtum ſervanda, imò ejus adventantis infallibile ſignum, Ibidem vers 8. conſtituatur: Nec denique ullius poteſtatis, niſi trium paſtorum abolendorum ſub adventum Chriſti, fiat mentio in prophetiâ. Ut Zach. 11: 8. Mal. 2: 12. Regum autem, ſive Haſmonæorum, ſive Herodis & poſterorum ejus, ſive externorum Romanorum, non niſi in connotatione peccati vel pœnæ. Ut Zach. 11: 6. Niſi fortè ipſam gubernationem reipublicæ per Principes & Sacerdotes, quâ præceptis hominum ſubjiciebantur, & ab illis judicabantur, & κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς caſtigabantur, latiori ſenſu *regnum* appellare volueris cum Pſalte, Pſ. 2: 2. & Amoſo, cap. 9: 8.

§ 67. Ex quibus omnibus, eventu ipſo, certiſſimo prophetiarum interprete, comprobatis, fit manifeſtum, non eſſe locum Gen. 49: 10. *Non recedet ſceptrum à Judâ, & legiſlator è medio pedum ejus, donec veniat Schiloh.* Ita intelligendum, ut ſumebant Judæi; qui hinc ſperabant, regnum penes familiam Davidis perpetuum fore. Qui ſi comparâſſent id, quod exſtat. 1 Reg. 9: 4. 5. 6. & Pſ. 132: 12. potuiſſent percipere, eam prophetiam non neceſſariò reſolvi in duplicem propoſitionem negativam, hoc modo: *Non recedet ſceptrum, nec recedet Legiſlator.* Sed vel in ſenſu negante receſſionem utriuſque ſimul, ut licet recedat ſceptrum, tamen maneat legiſlator; vel ita, ut ו ante מחקק ſit disjunctivum, reddendum per *vel* ſaltem *legiſlator.* Scil. non recedet, qui ſenſus verantur; cùm ſic accipi commodè poſſint, etiam debere. Et ſic fidem adhibuiſſent Prophetis, finem regni in captivitate Babylonicâ adeſſe annunciantibus. Hinc quoque illuſtratur ſententia locorum 2 Sam. 7: 13. 16. Pſ. 89: 29. 30. & 34 — 38. In quibus eſt, *In ſæculum confirmabo, In ſæculum permanebit*, ſemen hæres regni, &c. Intelligendum enim id de tempore pædagogiæ carnalis; & ſub conditione obedientiæ. Ut patet ex Pſ. 89: 39 — 45. 1 Reg. 9: 4 — 7. Jerem. 22: 30. Ezech. 19: 14. 21: 31. 32. Quæ loca demonſtrant; Deum non decreviſſe ſceptri apud domum Davidis conſervationem, quia decrevit illud propter peccata auferre.

§. 68. 3. Sublationem legiſlatoriæ poteſtatis, ſaltem ad tempus. Hanc ſignificat Eſaias: *Iccirco cœlos faciam contremiſcere.* Eſ. 13: 13. Hîc enim agi de populo Iſraëlitico, patet ex vers 11. Deus autem in illo populo habuit domum, & quaſi ſolium gloriæ ſuæ; circumdedit ſibi Seniores, quos tanquam Deos ad verbum Dei judicandum, & utilem coërcitionem per leges & judicia, in Cathedrâ collocaverat. Quid igitur, niſi tremor & agitatio cœli, quando Deus abit à populo, & ſolium ſuum ac domum flammis conſumendum tradit & ſolo æquandum, & poteſtatem Seniorum labefactat & abolet? Jeremias quoque meminit, & abolitioni regiæ poteſtatis conjungit, Thren. 2: 2. *Profanavit regnum & principes ejus.* h. e. omnes miniſtros regni, imò & ſenatum & presbyterium populi. Atque ita Michæas, cap. 4: 9 *Nunc quare clangis clangore? An rex non eſt in te? An conſiliarius tuus periit?* Zephanias: *Et erit in die ſacrificii Jehovæ, viſitabo in principes.* cap. 1: 8.

§. 69. 4. Sub-

§. 69. 4. Sublationem cultus externi. Hanc ita prædicit Jeremias: *Quid dilecto meo in domo meâ? . . . Etiam carnes ſanctæ tranſibunt à te.* Jerem. 11: 15. Ezechiel; ubi prophetat, fore, ut *comedant filii Iſraël panem ſuum impurum in gentibus, quò eos Deus eſſet propulſurus.* Scil. cibus noſter ſanctificatur per interceſſionem; 1 Tim. 4: 5. quæ eſt ſacerdotis noſtri: nam ei omnia ſubſecta ſunt. Iſraëlitis igitur panis purus erat, qui ſumebatur, datis primitiis, & intercedentibus expiationibus, quæ in lege præſcriptæ erant; quandoquidem hæ erant teſtimonia ſanctificationis ipſorum per ſanguinem Chriſti. His igitur jam ſublatis, nulloque pro animabus ipſorum oblato ſacrificio, Hoſ. 9: 4. & deſtructo templo, id ſequebatur, ut panem ſuum impurum comederent Iſraëlitæ. Ezech. 4: 13. Amoſus: *Ejulabunt carmina templi.* Significatur enim, quòd quæ carmina in templo ſolebant pronunciari & cantari ſuavi modulatione, pronunciabuntur cum ſingultu & ejulatu extra templum, & terram, cultus ſcil. inſtrumento primario jam ſublato. Am. 8: verſ. 3.

§. 30. 5. Ablationem σκηνώσεως, ſive inhabitationis Dei in nube ſuper arcam, de quâ Lev. 16: 2. Neque enim arca eſt reſtituta poſt reductionem in terram. Sic Jeremias: *Non dicent ampliùs, Arca fœderis Jehovæ, neque aſcendet in cor, neque recordabuntur ejus, neque viſitabunt, neque fiet ampliùs.* Jerem. 3: 16. *Faciem Jehovæ non addet* ampliùs quiſpiam *intueri.* Thren. 4: 16. Hoſeas: *Voca nomen ejus Loammi. Nam vos eſtis non populus meus, & ego non ero vobis.* Quibus ſignificatur, quòd Deum non eſſent ampliùs habituri, aut viſuri, intellige in arcâ, ut throno Dei, præſentem. Hoſ. 1: 10.

§. 71. XII. Temporis circumſtantiam quod attinet, quo hæc in populum & regnum Judæ tùm ventura tùm protrahenda erat calamitas, neque eam Spiritus, qui in prophetis loquebatur, reliquit ſine teſtimonio. Præterquam enim, quòd David *breve* futurum regnum carnale filiorum ſuorum, in comparatione ſcil. æterni illius, quod erat promiſſum; Pſalm. 89: 46. Atque Eſaias *propinquum eſſe ut veniat tempus* judicii per Babylonios peragendi; Eſai. 13: 22. ſ. etiam ſub emblemate fructus *præcocis*; Eſai. 28: 4. Et Ezechiel, *prope adeſſe dies, & verbum omnis viſionis.* i. e. per deſtructionem Hieroſolymæ jamjam imminentem inchoandam eſſe impletionem omnium prophetiarum; ſicque deſiturum eſſe dicterium illud, quod erat in ore Iſraëlitarum, *omnem viſionem perire diebus prolongatis*; Ezech. 12: 22 23. *Nec protrahendum ampliùs eſſe verbum, quod loquebatur,* ſed *in diebus ipſorum, ad quos propheta loquebatur, id* futurum; Ibid. verſ. 25. 28. Et, *propinquum eſſe diem, diem inquam Domini, diem nubis, & tempus gentium.* Scil. viſitandarum; quæ viſitatio ex Jerem. 25: 29. à Judæis inchoanda erat; Ezech. 30: 2. 3. & Zephanias, cap. 1: 14. prædixerunt: Et in re præſenti eandem brevitatem imperii Iſraëlitici innuit Jeremias, ubi populum excitat ad ferendum jugum Domini, etiam *in pueritiâ ſuâ*; Thren. 3: 27.

§. 72. Ezechiel oſtendit, Hieroſolymam eſſe obſidendam, & populum abducendum, poſt annos 390. tolerantiæ atque exſpectationis Divinæ, ſi fortè populus omnis, tam X. tribuum, quàm Judæ, pœnitentiam ageret. Quare etiam ii rectè putantur à diviſione regni, uſque ad captam & incenſam Hieroſolymam. Ez. 4: verſ. 4. 5. 7. Tum etiam poſt annos 40., quibus Deus ſeorſum à Judâ, poſt abactas X. tribus, pœnitentiam exſpectavit; ſive hi 40. anni ab initio prædicationis Jeremiæ uſque ad excidium urbis, ſive à Paſchate Joſiæ, quod celebratum eſt anno regni ipſius 18 mo, uſque ad 23. tium Nebucadnezaris, quo finita eſt deporta-

tio, Jerem. 52: 29. numerentur. Ibid. verſ. 6. 7. Hos verò annos 40. iſtis 390. includi, ac totum tempus eſſe trecentorum & nonaginta annorum, patet ex verſ. 9. Ibid. Quibus convenit, quod conqueritur Eccleſia antiqua, Deum ſe potâſſe lachrymis *trientali.* q. d. tribus ſæculis. Nam appetente captivitate Babylonica tria ſæcula à diviſione regni in lachrymis conſumſerat. Pſalm. 80: 6.

§. 73. Diu autem protrahendam fuiſſe eam deſolationem nos docet Spiritus, tùm in genere per *æſtivationem* & *hiemationem*, durante proculcatione ac dominatione *volatilis montium & pecudum terræ* Chaldæorum; Eſai. 18: 6. Item deſignando *longum tempus*, Jer. 29: 5. & *dies multos*; Jer. 32: 14. Tùm in ſpecie ac definitè determinando tempus *ſeptuaginta annorum*, captivitatis ac ſervitutis Babylonicæ; Jerem. 25: 11. 29: 10 Quos docuit eventus ab anno quarto regni Jojakimi regis Judæ, qui primus eſt Nebucadnezaris regis Babel, Jerem. 25: 1. quo nimirùm anno cœperunt Judæi ſervire regi Babyloniæ, & abductus eſt Daniel cum ſociis; Dan. 1: 1. deducendos eſſe. Vid. ſuprà ad Art. L 1.

§. 74. X I I I. Intereventa & conſequentia ſic everſi, cum urbe & templo, ſtatus populi univerſi, ponit Spiritus 1. Stuporem illorum, quibus obvenit, cum ereptione omnis conſolationis, & murmuratione. Stuporem notat Jeremias: *Et fiet in die illo, ait Jehovah, peribit cor regis, & cor principum, & ſtupefient ſacerdotes, & prophetæ admirabantur. Et dicebam: Ah Domine Jehovah, enimverò impoſuiſti populo huic & Hieroſolymis, dicendo; Pax erit vobis: Nam pertigit gladius ad animam.* Jerem. 4: 9. 10. Ezechiel: *Et dixit ad me, Fili hominis, ... & aquam ad menſuram & in ſtupore bibent. Ut ſtupefiant quiſque & frater ejus.* Ezech. 4: 16. 17. Nam quod ita actum eſt cum Hieroſolymâ, id planè præter opinionem evenit. Videbatur enim tempore Joſiæ reformatio facta, & fœdus inter Deum & populum renovatum. Atque hinc futurum erat, ut *contabeſcerent in pravitatibus ſuis.* i. e. malâ conſcientiâ uterentur, neque ſolatium aliquod haberent. Ezech. 4: 17. 24: 23. Atque ita Eſaias: *Nam ſtellæ cœli & lucida ſidera ejus non faciunt ſplendere lucem ſuam.* ereptionem omnis conſolationis ſignificans. Sidera enim, quamvis luceant, non tamen lucent illis, quibus Deus iraſcitur. Eſai. 13: 10. Et vidit Ezechiel poſt *procellam ab Aquilone*, i. e. expeditionem Babylonicam, *nubem magnam*, i. e. ſtatum plenum triſtitiæ & obſcuritatis. Ezech. 1: 4. Porrò hinc factum eſt, ut *fremerent* tantùm *quiſque ad fratrem ſuum*, & murmurarent. Ezech. 24: verſ. 23.

§. 75 Futurum erat, ut Judæi, templo exciſo, & liberis ipſorum interfectis, nullum triſtitiæ aut luctus eſſent edituri ſignum; tùm quòd ad hæc omnia utpote inexſpectata obſtupeſcerent, tùm quia inter Ethnicos dominantes talis comploratio ridicula eſſet futura. Ita Ezechiel: *Fili hominis, ecce ego capio à te deſiderium oculorum tuorum per plagam, & non planges, & non flebis, & non veniet lachryma tua. Ingemiſce, contine te ſuper mortuis, luctum ne feceris, ornatum tuum alliga tibi, & calceos tuos pone in pedibus tuis, & ne obnubas myſtacem, & panem miſerorum ne comederis. Et facietis, quemadmodum feci, myſtacem non operietis, & panem miſerorum non comedetis: Et ornamenta veſtra in capitibus veſtris erunt, & calcei veſtri in pedibus veſtris: non plangetis & non flebitis.* Ezech 24: 16. 17. 22. 23.

§. 76. 3. Notat Scriptura magnum dolorem & cruciatum tanquam parturientis fœminæ, piorum, exſpectantium ſcil. ac deſiderantium adventum Chriſti regis ad templum ſuum, cùm interim viderent templi cremationem. Hunc piorum affectum ſic deſcribit Eſaias; *Iccircò referti ſunt lumbi mei dolore, termina apprehenderunt*

henderunt me, ut tormina parturientis. Malè mihi eſt præut audiam, conſternatus ſum præut videam. Eſai. 21: 3. Jeremias: *Interrogate agite & videte, an pariat maſculus? Quare vidi omnem virum cum manibus ad lumbos inſtar puerperæ? & converſæ ſunt omnes facies in pallorem?* Jer. 30: 6. Sic verò Deus & in obſidione Hieroſolymæ, & poſt eam quorundam fidem & patientiam, aliorum fiduciam carnalem patefaciendo, adhuc *repurgavit Hieroſolymam*; Eſ. 1: 25. & *trituravit*; Eſ. 21: 9.

4. Contemptum, ſtuporem, opprobrium & ſibilum exterorum, prout illi in captivos affecti fuerint. Contemptum indicat Pſaltes: *Et attenuati ſunt* i. e. ad ſummam humilitatem & vilitatem redacti ſunt, *in pravitatibus ipſorum.* Pſal. 106: 43. Nam de exilio hîc eſſe ſermonem, patet ex v. 46. Ibid. Jeremias: *Annon vidiſti, quod populus hic locuti ſint? nimirùm duas familias, quas elegerat Jehovah, rejecit, & populum meum ſpernunt* gentes, *ne ſit ampliùs gens coram ipſis.* Jer. 33: 24.

§. 77. Stuporem, opprobrium, & ſibilum, Pſaltes iterum: *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, irriſio, & pipilum iis, qui circa nos ſunt.* Pſ. 79: 9. Jeremias: *Et ponam urbem hanc ſtuporem & ſibilum; omnis tranſiens præter eam obſtupeſcet & ſibilabit ſuper omnibus plagis ejus.* Jerem. 19: 8. *Et dabo illos commotionem propter malum omnibus regnis terræ, opprobrium & in exemplum, in commemorationem, & in exſecrationem in omnibus locis, quò illos pellam.* Jerem. 24: 9. *Et devovebo eos, & ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in vaſtitates ſæculi.* Jerem. 25: verſ. 9. *Ad dandum eos vaſtitatem, ſtuporem, ſibilum, maledictum, ſecundùm diem hanc.* Ibid. verſ. 18. *Et dabo eos in commotionem omnibus regnis terræ, in adjurationem & in ſtuporem & in ſibilum & in convicium in omnibus gentibus, quò illos pepulero.* Jerem. 29: 18. *Et dabo vos in commotionem omnibus regnis terræ.* Jer. 34: 17. Ezechiel: *Idcircò dedi te opprobrium gentibus & pipulum omnibus terris. Propinquæ & remotæ à te illudunt tibi, ô impura nomine, ampla conturbatione.* Ezech. 22: 4. 5. Implementum vide Ezech. 36: 2. 4. Ubi eſt de ſannâ, ſive ſibilo. Et huc refer profanitatem populorum vicinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Idumæorum, lætantium ſuper calamitate Hieroſolymæ; de quâ profanitate dicetur infrà Art. ſeq.

§. 78. 5. Futurum, ut Terra ſic vaſtata *ſentibus & vepribus cooperiatur.* Notat Eſaias: *Et erit in die illo, erit omnis locus, ubi erant mille vites mille argenteos valentes, ſentibus & vepribus erit. Cum ſagittis & arcu accedetur. Nam ſentes & vepres erit tota terra. Et omnes montes, qui ligone paſtinabantur, quos non accedebas præ timore ſentium & veprium,* &c. Eſ. 7: 23. 24. 25. V. Jejunia quædam hinc inſtituta, ut *menſis decimi* propter obſidionem; Zach. 8: 9. & *quinti*, ob deſolationem urbis à Chaldæis factam. Zach. 7: 3.

§. 79. In hâc urbis, templi, & populi ruinâ prædictiones ſuperiorum prophetarum fuiſſe veratas, monet Zacharias: *Patres veſtri ubinam ſunt? Et prophetæ an in ſæculum vivunt? Certè quidem verba mea & ſtatuta mea, quæ præcepi ſervis meis prophetis, annon aſſecuta ſunt patres veſtros: & converſi ſunt, & dixerunt; quemadmodum decreverat Jehovah Deus exercituum facere nobis ſecundùm vias noſtras & ſecundùm ſtudia noſtra, ſic fecit nobiſcum.* Zach. 1: 5. 6. *Dic ad omnem populum terræ & ad ſacerdotes, dicendo: Annon verba, quæ prædicaverat Jehovah per prophetas priores, quum eſſet Hieroſolyma habitata, & tranquilla, & oppida ejus circa ipſam, & tractus Auſtralis & Humilis habitabatur? Et factum eſt verbum Jehovæ ad Zachariam, dicendo: Sic dixit Jehovah Deus exercituum, dicendo: Judicium veritatis judicate & pietatem ac miſericordiam facite quiſque cum fratre ſuo*

Et viduam, & pupillum, peregrinum, & inopem, ne fraudetis, & malum cujuſque fratris ſui ne cogitetis in corde veſtro. Et abnuerunt attendere, & uſi ſunt humero refractario, & aures ſuas aggravarunt, ne audirent. Et cor ſuum poſuerunt ſilicem, ne audirent legem & verba, quæ mandavit Jehovah Deus exercituum in ſpiritu ſuo per prophetas priores, & extitit fervor magnus à Jehovah Deo exercituum. Et factum eſt, quemadmodum vocavit, & non auſcultarunt, ita clamabant, & non audiebam, dicit Jehovah Deus exercituum. Et tempeſtate diſſipabam eos ad omnes gentes, quas non noverant: & terra vaſtata eſt poſt ipſos, ne eſſet tranſiens & rediens; & poſuerunt terram deſiderii in vaſtitatem. Zach. 7: verſ. 5. 7 — 14.

§. 80. Quanti verò ſit momenti hic Articulus in Prophetiâ, inde æſtimandum, quòd Deus initium implementi omnium prophetiarum voluerit in eo ut cardine verſari, atque ut talem proponi ac denunciari. Sic cùm inter Iſraëlitas vulgatum eſſet hoc proverbium, *Prolongabuntur dies, & peribit omnis viſio.* Prophetas ſcil. mori, & deinde nihil fieri eorum, quæ prædixerint. Ezech. 12: 22. atque ita plerique animum ſuum contra prædictiones propheticas obfirmarent: Pronunciat Deus per prophetam, *hoc dicterium mox ceſſaturum*, quippe *adveniſſe dies & rem omnis viſionis. Neque porrò futurum, ut quis videat temerarium & divinet blandum in medio domus Iſraël.* Ezech. 12: 23. 24. Add. Ezech. 34: verſ. 10. Innuit ſcil. Deus, per deſtructionem Hieroſolymæ & captivitatem Babylonicam inchoandam eſſe impletionem omnium prophetiarum priorum: Et tum deinde deſituram eſſe prophetiam fallacem & aſſentatoriam; quippe cùm Deus miſſurus eſſet prophetas veros, ut Haggæum, Zachariam, Malachiam, quorum prophetiæ ſtatim eſſent habituræ aſtipulantem eventum; quique tempora ſequentia uſque ad Chriſtum & deinceps deſcripturi eſſent ordine tam evidenti, ut nemo falſus propheta ſurgere potuerit, qui in nomine Dei falſa prophetet, quin ſtatim ex volumine prophetarum erroris convincatur. Conf. Ez. 13: 9. 23. & 34: 10.

Atque hinc jam eſt, quòd paſſim *excitatio Chaldæorum*, ſeu monarchiæ Babylonicæ, proponatur, ut *molitio*, præparatio, & exordium majoris *operis*, in prophetiâ; idque deinceps Spiritus, hinc ſumpto initio, per partes exſequatur. Hab. 1: 5. 6. & ſeqq.

§. 81. Itaque Ezechiel dicit, futurum *ignem*, ſive *gladium*, qui ſemel eductus contra populum Dei, & ſanctuarium ejus, graſſetur *à meridie verſus ſeptentrionem.* i. e. poſtquam Hieroſolymam & vicina exciderit, etiam perſequatur Babylonios. Ezech. 21: 2. 3. 7. 8. Et ab hoc tempore *gladius non redit in vaginam*; Ib. verſ. 10. ſive, *ignis ille non exſtinguitur*; Ibid. v. 4. id eſt, Deus judicia ferè continua agit in gentibus, repugnantibus Chriſto & regno ejus: Quemadmodum etiam hiſtoriæ gentium à Babyloniorum bellis uſque ad hunc diem narrant crudelia bella, & populorum ac regnorum deletiones non interruptas. Quare & imminente excidio urbis & templi Babylonico dicit Ezechiel, *propinquam eſſe diem, diem inquam Domini, diem nubis, & tempus gentium.* ſcil. viſitandarum. Nam ex quo Hieroſolyma deſtructa eſt à Nebucadnezare, & Judæi deportati ſunt in Babyloniam, judicia Dei in gentibus non ceſſarunt. Ez. 30: 2. 3. Et Eſaias, cap. 13: 9. & Zephanias, cap. 1: 7. 14. hoc ipſo temporis Articulo adventare ajunt *diem Domini.* i. e. tempus tùm præparandi, tùm conſtituendi & ſtabiliendi regni Domini. Præparatio autem illa conſiſtit in abrogatione carnalium; incipitque à captivitate Babylonicâ, in quâ eſt ablatio arcæ & Cherubinorum, & ſic ἀκρόνως, ablatio

ſceptri

ſceptri à Judâ &c. Quin & primum templi excidium, ut circumſtantia adventus Chriſti, & præambulo ejus, Eſ. 10: 33. 11: 1. notatur: *Cadet Libanus, & exibit virga.* Ut & ſceptri ablatio à domo Davidis; dum pergit ibidem Prophetia: *Ex trunco Jeſſæ.* ramis ſcil. ſpectabilibus & frugiferis carente. Et ſic paſſim alibi.

§. 82. Hunc reipublicæ, urbis, & templi, caſum deplorat Jeremias in Threno ei accommodato; Thren. cap. 2. Eſt in eo 1. Deſcriptio mali, cum interrogatione, quomodo id contigerit? uſque ad vers 13. *Quomodo obnubilat in irâ ſuâ Dominus filiam Sionis.* Lucebat enim Sion in mundo, & abſque illo populo eſſet, nemo erat in totâ terrâ, qui Deum agnoſceret, & nomen ejus celebraret. Mirum igitur videbatur, Deum hunc populum è conſpectu ſuo tollere, & quaſi regno cedere Satanæ, & mundum illi relinquere. *Conjecit de cœlo in terram decus Iſraëlis.* gloriam illius, quod Deum haberet Dominum, quòd in cœlo patriam &c. *Et non recordatus eſt ſcabelli pedum ſuorum* Templi, & nominatim Propitiatorii, ſuper quo habitabat in populo, *in die iræ ſuæ?* vers 1. *Deſtruxit Dominus, & non eſt uſus clementiâ; omnes manſiones Jacobi diruit in excandeſcentiâ ſuâ, munimenta filiæ Judæ, alliſit terræ, profanavit regnum & principes ejus.* vers 2. *Incîdit in fervore iræ omne cornu Iſraelis,* nullum ei reliquum fecit defenſorem, *retrò reduxit dextram ſuam, à conſpectu inimici;* ut inimico non reſiſteret; *& exarſit ira in Jacobum, ut ignis flammæ, qui vorat circumquaque.* vers 3. *Contendit arcum ſuum ut inimicus, ſtans dextrâ ſuâ ut hoſtis, & interfecit omnia deſiderabilia oculi,* non peſſimos quosque, ſed optimos & præſtantiſſimos, *in tabernaculum filiæ Sion,* Templum ſcil. quod erat vice tentorii conventus, in quo Deus ſe præſentem exhibebat Moſi & populo, *effudit tanquam ignem æſtum ſuum.* vers 4. *Geſſit ſe Dominus, ut inimicus,* non patris inſtar caſtigavit, ſed hoc fecit, quod Diabolus ipſe faceret, *deſtruxit Iſraëlem,* totam politiam Iſraëlis diſſolvit, *deſtruxit omnia palatia ejus* Sionis, *corrupit munitiones* Iſraëlis, *& multiplicavit in filiâ Judæ mœrorem & mœſtitiam.* vers 5. *Et rapuit, tanquam horti, tugurium ſuum,* Templum abſtulit, tanquam vile tugurium, *& corrupit locum condicti conventus ſuum,* ubi venire ad Iſraëlem & illi reſpondere ſolebat; *fecit Jehovah, ut in oblivionem veniret in Sione feſtivus conventus, & Sabbatum, & rejecit in ſeveritate iræ ſuæ regem & ſacerdotem,* qui tamen figura erat ſacerdotis venturi. vers 6. *Repulit Dominus altare, polluit ſanctuarium ſuum, incluſit in manum inimici muros palatiorum ejus, vocem ſuſtulerunt in domo Jehovæ, ut in die feſtivi conventus.* vers 7. *Cogitavit Jehovah corrumpere murum filiæ Sionis, tetendit lineam,* menſus eſt illum ad deſtructionem, *non avertit manum ſuam à deſtruendo, & fecit lugere antemurale & murum; pariter lugent.* Cùm aliàs muri, qui ſtant infracti, in quibus propugnatores ſunt robuſti, vegeti, alacres, exſultare videantur. vers 8. *Demerſæ ſunt in terram portæ ejus,* i. e. ſolo ſunt æquatæ, quaſi terra eas abſorpſiſſet, *perdidit & fregit vectes* (obices) *ejus; rex ejus, & principes ejus in gentibus, ſine lege,* ſine inſtitutione & παιδείᾳ, in cætibus & familiis, quemadmodum in populo Dei fieri oportebat, *etiam prophetæ ejus non inveniunt viſionem à Jehovah.* pauci, ut Jeremias, Ezechiel, & Daniel, qui habeant viſiones extraordinarias, rari præterea, qui, ut in populo Dei, haberent revelationes ordinarias per verba Moſis & Prophetarum. vers 9. *Conſident in terram immobiles,* qui ſedere in thronis ſolebant ad judicandum, *Seniores filiæ Sion, injecerunt pulverem in caput ſuum, induerunt ſaccos, demiſerunt in terram caput ſuum virgines Hieroſolymæ.* vers 10. *Conſumpti ſunt lachrymis oculi mei, fervent viſcera mea, effuſum eſt in terram hepar meum propter fractionem filiæ populi mei, cùm volutantur puer & lactens in plateis urbis.* vers 11. *Matribus ſuis dicunt, ubi frumentum*

mentum & vinum? Dum voluntantur tanquam confoſſas in plateis urbis, dum ſe effundit anima ipſorum in ſinum matrum ipſorum vers 12.

§ 83. II. Reſponſio, quâ 1. Concedit, nihil inveniri ſimile, quo prælato poſſit Hieroſolymam ſolari. *Quid conteſtabor te?* q. d. Quid opus eſt tibi in mentem revocare legem Dei & verba prophetarum, & tuam infidelitatem, & duritiem ac multiplicem pravitatem, & per ea excitare conſcientiam tuam, ut teſtis fiat juſtitiæ judicii hujus? Id vix opus eſt. *Quid aſſimilabo tibi, filia Hieroſolymæ? Quid exequabo tibi, ut conſoler te, virgo filia Sion? Nam magna eſt, ut mare, confractio tua; quis medebitur tibi.* vers 13: 2. Cauſam omnem refert ad prophetas: *Prophetæ tui viderunt tibi temerarium & inſulſum, & non aperuerunt oculos ad pravitatem tuam, ad reducendum captivos tuos: & viderunt tibi pronunciationes temerarias & ſeductiones.* vers 14. Quòd propterea Hieroſolyma hoſtibus ſit contemptui. *Comploſerunt ſuper te manus omnes tranſeuntes viam, ſibilant & movent caput ſuum ſuper filiâ Hieroſolymæ: Hæc eſt civitas, quam dicebant perfectionem pulchritudinis, hilaritatem toti terræ.* vers 15. *Panderunt contra te os ſuum omnes inimici tui, ſibilârunt & frenduerunt dentibus; dixerunt: Abſorpſimus: Certè hic eſt dies, quem exſpectavimus, invenimus, vidimus.* v. 16. 3. Docet non debere mirum videri, quia *Fecit Jehovah, quod propoſuit, abſolvit dictum ſuum, quod edixit à diebus priſcis: Deſtruxit, non eſt uſus clementiâ, & lætificavit ſuper te inimicum, extulit cornu hoſtium ſuorum.* vers 17.

§. 84. III. Conſilium, quod dat Sioni, ut fleat apud Deum. *Clamavit cor ipſorum ad Dominum. Mure filiæ Sion,* reliquiæ populi paſſim diſperſæ, pauci de multis, *dimitte inſtar torrentis lachrymam de die & nocte, ne des intermiſſionem tibi, ne contineat ſe pupilla oculi tui.* vers 18. *Surge, vocem extolle, vocem in noctu, in principio vigiliarum; effunde inſtar aquæ cor tuum coram facie Domini: Tolle ad ipſum palmas tuas ſuper animâ puerorum tuorum, qui volutantur fame in capite omnium vicorum.* v. 19.

IV. Oratio Sionis. *Vide, Jehovah, & intuere: Cui feciſti ſic? Num comedunt mulieres fructum ſuum, pueros palmis tractatos? Num occiditur in ſanctuario Domini ſacerdos & propheta?* vers 20. *Decubuerunt in terram foris puer & ſenex, virgines meæ & juvenes mei ceciderunt gladio: Occidiſti die iræ tuæ: Mactâſti, non uſus es clementiâ.* vers 21. *Vocas, tanquam die conventus formidines meas undiquaque, & non exſtitit in die iræ Jehovæ, qui evaderet, & qui ſuperſtes eſſet:* Intellige, qui civitatem & rempub. inſtaurare poſſet, *quos palmis tractavi & educavi: inimicus meus* Satan, ex Gen. 3: 15. *confecit eos.* v. 22.

§. 85. Sic itaque *threnus erat, & facta eſt threnus.* i. e. Quum populus jam per deportationem Jechoniæ planctu & lamento dignus eſſet, magna calamitatis adjuncta eſt acceſſio, cùm regnum in Zedekiâ, cum urbe & templo, planè abolitum eſt. Ezech. 19: 14. f.

ARTICULUS LXVI.

DUm deſtruitur Hieroſolyma, & populus in exilium abducitur, vicini populi, Moabitæ, Ammonitæ, Palæſtini, Tyrus ac Sidon, præpoſterè exultant; & mala populi, quantùm in ipſis, adaugent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc gentium vicinarum profanitate ita in ſpiritu Pſaltes: *Quare dicent gentes, ubi eſt Deus ipſorum?* Pſ. 79: 10. *Memento, Jehovah, opprobrium ſervorum tuorum;*

tuorum ; portare me in ſinu , quàm multi ſunt , populos. Quòd blaſphemant inimici tui , Jehovah ; quòd blaſphemant veſtigia Chriſti tui. Pſ. 89: 51. 52.

§. 2. De Moabo id ſubinnuit Jeremias , quando dicit , quòd *contra Jehovam ſe magnificaverit.* Jerem. 48: 26. pro eo ſcil. , quòd debuiſſet eum agnoſcere , & ſacrificiis colere ; ut erat præceptum. Eſ. 16: 1. Vid. ſup. Art. XXVIII. Item , ubi pœnæ loco de ipſo pronunciat : *Plaudat Moab in vomitu ſuo , & fiat deridiculum etiam ipſe.* Ibid. Ac rurſus , ubi per irriſionem Moabitarum minutum aut averſum iri irriſionem Iſraëlis indicat : *Si non hic riſus exſtaret , fieret tibi , Iſraël.* Ibid. vers 27. Ac denique idem patet ex oppoſito , quòd jubeantur Moabitæ non loqui de Iſraële plagis affecto , niſi cum commiſeratione & comploratione : *Nam ex quo verba faceres de ipſo , complorares.* Ibid. Ezechiel quoque : *Quia dicit Moab ; ecce ut omnes gentes , domus Judæ.* Ezech. 25: 8. Et Zephanias : *Audivi probrum Moab .... qui probris proſciderunt populum meum , & cachinnârunt ſuper termino ipſorum.* Zeph. 2: 8. *Hoc ipſis eſto pro elatione ſuâ ; quia conviciati ſunt , & cachinnârunt ſuper populo Jehovæ Dei exercituum.* Ib. v. 10.

§. 3. De Ammonitis eadem Ezechiel : *Et dices filiis Ammon : Audite verbum Jehovæ : Sic dixit Dominus Jehovah : Quia dicis , euge ſuper ſanctuario meo , quia profanatum eſt , & ſuper terrâ Iſraël , quia devaſtata eſt : & ſuper domo Judâ , quia iverunt in exilium.* Ezech. 25: 3. *Nam ſic dixit Dominus Jehovah : Quia feris manum , & ſupplodis pedem , & lætaris omni impetu animæ ſuper terrâ Iſraël.* Ibid. vers 6. Zephanias quoque , ubi Moabitis in culpâ conjungit Ammonitas : *Audivi probrum Moabi , & blaſphemias filiorum Ammon ; quia probris proſciderunt populum meum.* &c. ut paulo ante. Zeph. 2: 8. 10.

§. 4. Jeremias partem annotat implementi , ubi refert , Judæos , poſtquam in Moabitidem & ad filios Ammon , & in Idumæam confugiſſent , ne inciderent in exercitum Babyloniorum , audito , Gedaljam reliquiis in terrâ relictis à Nebucadnezare eſſe præfectum , in Judæam rediiſſe ; Baaliſum verò regem filiorum Ammon , vel invidiâ ductum , vel quòd populi mala , quantùm in ſe , augere vellet , miſiſſe Iſmaëlem , qui occiderit Gedaljam præfectum Judæ , & populum ad filios Ammon captivum abduxerit. Jerem. 40: 11. 12. 14. &c. coll. 41: 1. 2. 10.

§. 5. Edom ſimiliter accuſatur , quòd *exhilaratus & lætatus fuerit* ſuper caſu Hieroſolymæ ; Thren. 4: 21. *& ſuper filiis Judæ in die perditionis ipſorum.* Ob. vers 12. Et quòd *dixerit , Ecce ut omnes gentes , domus Judæ.* Ezech. 25: 8. Nec tantùm : Sed etiam quòd inſtigaverint hoſtem ad penitùs ſubruendam Hieroſolymam ; Pſ. 137: 7. Ipſimet quoque *ultionem ſumpſerint de Judæis* ; & quidem tùm , cùm *hi luerent peccata ſua* ; Ezech. 25: 12. Quòdque *inimicitiâ ſæculi* utendo *laniaverint filios Iſraël gladio tempore calamitatis ipſorum.* Ezech. 35: 5.

§. 6. De Palæſtinis Eſaias : *Ne læteris , Palæſtina , tota tu , quòd fractum ſit ſceptrum percutientis te.* Eſ. 14: 29. Ezechiel : *Sic dixit Jehovah : Quia fecerunt Palæſtini in ultione , & ultionem ſumſerunt cum impetu in animâ ad deſtructionem inimicitiâ ſæculi.* Ez. 25: 15.

§. 7. Tyriis quoque improperat Spiritus , quòd *dixerit ſuper Hieroſolymam , Euge ; fracta eſt , valvæ populorum , revoluta eſt ad me , implebor , deſolata eſt.* Ezech. 26: 2. Innuitur ſcil. , Tyrum propter excidium Hieroſolymæ exultâſſe , & ex jacturis ejus locupletari ſtuduiſſe. Et Sidoniorum eandem fuiſſe culpam , patet ex Ezechiele , ubi de judiciis ejus agens , prædicit , *fore , ut judicetur profanus in medio ejus : Et non exſtituram ampliùs domui Iſraël ſudem moleſtam & ſpinam dolorificam undiquaque , qui flagellent ipſos.* Ez. 28: 23. 24.

ARTICULUS LXVII.

QUanquam deploratum Judæorum ſtatum, ſingulari tamen clementiâ Deus, ne prorſus interiret, ſuſtinuit, reliquias quaſdam conſervando, tùm in terrâ, tùm extra eam.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc clementiæ & iræ divinæ temperamentum in hoc Articulo paſſim celebrant Prophetæ. Pſaltes: *Secundùm magnitudinem brachii tui fac ſuperſtites filios occidionis.* Pſ. 97: 11. Eſaias: *Nam non vertigo facta fuit, cui arctum oblatum fuit tempore primo, quod levavit verſus terram Zabulon, & verſus terram Naphtali.* q. d. Priori tempore deſtructionis, ſub Nebucadnezare, Sion fuit coarctata quidem, ſed non vertigine affecta, non deliquium paſſa eſt. Reſtitit in eâ ſpiritus. Prophetæ erant promittentes, poſt 70 annos ab initio illius coarctationis, redituros eſſe in locum ſuum. Et ibi calamitas non eſt progreſſa uſque ad terram Zabulon & Naphtali ultra Jordanem. Nam in iis partibus relicti ſunt habitatores. quanquam & illi olim per Aſſyrios diminuti. Eſ. 8: 23. *Nam miſerabitur Jehovah Jacobum, & eliget adhuc Iſraelem.* tanquam ex medio igne aſſumet, conſervando reliquias. Eſ. 14: 1. *Quieſcam & intuebor in ſtatione meâ; ut calor ſereni* quidem æſtum faciens, ſed *circa lucem*, i. e. ut promiſſus adhuc & exſpectatus. Eſ. 18: 4. *In die illo*, cùm corona Ephrajimi fuerit conculcata, & templum per Babylonios crematum, tum nihilominùs *fiet Dominus Deus exercituum corona decoris; & circulus ornamenti*, vel *diadema reſiduo populi ſui.* h. e. & reliquias conſervabit, & oſtendet ſe ipſorum regem eſſe. Eſ. 28: 5. *Propter nomen meum prolongabam iram meam, & propter laudem* ſive *gloriationem meam continebam me tibi, ne exſcinderem te. Ecce conflavi te & non cum argento*, non habentem argentum, *elegi te in catino inopiæ. Propter me, propter me faciebam: nam quomodo profanabitur? & gloriam meam alteri non dabo.* Eſ. 48: 9. 10. 11. Jeremias: *Nam ſic dixit Jehovah, vaſtitas fiet tota terra; & conſummationem non faciet.* Jerem. 4: 27. *Aſcendite in muros ejus, & deſtruite; at conſummationem ne faciatis.* Jer. 5: 10. *Atque etiam in diebus illis, ait Jehovah, non faciam vobiſcum conſummationem.* Ib. vers 18. *Et ego congregabo reliquias ovium mearum ex omnibus terris, quò eos pepuli.* Jerem. 23: 3. *Sic dixit Jehovah: Tanquam ficus bonas illas, ita agnoſcam exules Judæ, quos expuli ex loco hoc in terram Chaldæorum in bonum. Et figam oculum meum ſuper ipſis in bonum.* Jerem. 24: 5. 6. *Nam tecum ſum, ait Jehovah, ad ſalvandum te. Nam faciam conſummationem in omnibus gentibus, ad quas te diſperſi; at tecum non faciam conſummationem, & caſtigabo te ex eo, quod æquum eſt, & non habebo te impunitum.* Jer. 30: 11. *Tu ne timeas, ſerve mi Jacob, ait Jehovah. Nam tecum ego ſum. Nam faciam conſummationem in omnibus gentibus, quò pepuli te, & tecum non faciam conſummationem, & caſtigabo te ad judicium, & non omittam te immunem.* Jerem. 46: 28. De reliquiis verò in terrâ manentibus vide implementum. Jerem. 39: 10. 40: 11. 12. Qui etiam nominatim *poſteris Jonadabi filii Rechabi*; Jer. 35: 19. Et *Ebedmelecho Æthiopi*; Jer. 39: 17. 18. hoc à Deo beneficium promittit. De Rechabitis vid. hiſtoria, 1 Chron. 2. v. ult.

§. 2. Hinc etiam eſt, quòd Propheta ſe & Eccleſiam hujus temporis, quam nomine *muri filiæ Sion* compellat, eo quòd ſimiles eſſent fragmentis muri de civitate reliqui, Thren. 2: 18. conſolatur ac ſuſtentat argumento inter alia ducto ab eo,

quòd

quòd Deus gratioſus ſit & miſericors, nec ullum ſit tempus, in quo non velit ſuam gratiam & miſericordiam exercere; imò quòd illam nunc quaſi *recentem* offerat ac exhibeat Iſraëli, dando ipſi reliquias, eaſque conſervando: *Hoc revocabo ad cor meum, ideo ſuſtinebo me. Studia Jehovæ ſunt, quòd non defecerunt, quòd non conſumptæ ſunt miſerationes ejus. Recentes matutinæ.* Thren. 3: 21. 22. 23. Et rurſus: *Non rejicit in perpetuum Dominus. Sed ubi mœrore affecerit, etiam miſeratur ſecundùm multitudinem gratiarum ſuarum. Nam non debilitat ex corde ſuo, & mœrore afficit filios viri.* Thren. 3: 31. 32. 33.

§. 3. Ezechiel clementiam Dei conſervantem & protegentem ſignificat, quando poſt procellam venientem ab Aquilone, ſe vidiſſe ait *nubem magnam*. Quamvis enim primariò per eam intelligat miſeriam expertem conſolationis, tamen & protectionem conſignificat. Eſt enim nubes aliquid, quod recreat ab æſtu. Ez. 1: 4. Idemque indicat, cùm interveniſſe nubi, i. e. calamitati, narrat *ignem amplectentem* & diffundentem ſe, incendentem ſcil. quicquam & devorantem, ſed ſe continentem. Deum ſcil., qui eſt ignis devorans, & claritas, & lux, ſe exhibens populo vindicem, & oſtendens ſe adhuc velle habitare in medio populi, & ſe continere, neque illos conſumere propter peccata illorum. Ezech. 1: 4. Itemque, ubi de tertiâ parte pilorum à capite & barbâ demeſſorum juſſus eſt *parum numeratò capere, idque includere oræ ſuæ*. Quo ſignificatur, Deum in illâ diſſipatione certam partem populi in terrâ retenturum, & quaſi in ſinu geſtaturum, nec diſperſurum per gentes. Ezech. 5: 3. Clarè autem nomine Dei hoc ipſum ita pronunciat: *Et reliquos faciam de ipſis homines numerabiles*, i. e. paucos, *de gladio, de fame, & de peſte.* Ezech. 12: 16. *Nam ſic dixit Dominus Jehovah: quantò magis, cùm quatuor judicia mea mala, gladium & famem & beſtiam malam & peſtilentiam miſi in Hieroſolymam, ad exſcindendum ex eâ hominem & pecus. Et ecce ſuperſtitatur in illâ evaſio, qui educuntur filii & filiæ: ecce illi exeunt ad vos*, Ezechiel. cap. 14: verſ. 20. 21.

§. 4. Eandem reliquiarum ſuperſtitationem prævidit Joël; ubi poſt *Zelum Dei pro terrâ ſuâ* proponit ejuſdem *compaſſionem ſuper populo ſuo.* Jo. 2: 18. Zephanias quoque, ubi manſuetos terræ jubet non deſperare *occultationem* ſive conſervationem *in die iræ Jehovæ.* Zeph. 2: 3. Et Malachias denique, qui in re præſenti huic populi conſervationi, quamvis aliarum gentium nomen periiſſet, & populus maximorum peccatorum ſe reum feciſſet, & in Babyloniam deportatus fuiſſet, atteſtatur, facitque argumentum veritatis & conſtantiæ Dei, verbis: *Nam ego ſum Jehovah, non mutatus ſum: & vos, filii Jacobi, non conſumti eſtis.* Mal. 3: 8.

ARTICULUS LXVIII.

Aliquis ex ſuperſtitibus venit, & nunciat Ezechieli excidium urbis & templi.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hujus adventum prævidit Ezechiel, cap. 24: 27. *Illâ die aperietur os tuum apud eum, qui effugerit.* Item cap. 33: 33. *Quum autem venerit, cognoſcent, quòd propheta exſtiterit in medio ipſorum.*

§. 2. Notatu dignum eſt, quòd veſperâ illâ, cum manè adveniret, qui nunciaret, percuſſam eſſe Hieroſolymam, revelatum fuerit Ezechieli, venire nun-

cium cladis, eumque de clade iſtâ, & adventu nuncii liberè locutum, donec is adveniret. Vid. Ezech. 33: verſ. 21. 22. coll. verſ. 33. Ubi hæc verba: *Ecce venit.*

ARTICULUS LXIX.

JUdæi, relicti à Nebucadnezare in Judæâ, ad colendum terram, cæſo, ut viſum ad Art. LXVI. Gedaljâ, ob metum regis Nebucadnezaris fugiunt in Ægyptum. Jer. 41. f. item cap. 42. & 43.

DEMONSTRATIO.

Competit in hunc Articulum querimonia, quæ exſtat Thren. 2: 22. *Vocas tanquam die conventus formidines meas undiquaque, & non exſtitit in die iræ Jehovæ, qui evaderet, & qui ſuperſtes eſſet.* intellige, qui civitatem & remp. inſtaurare poſſit. Quippe & Gedalja, qui datus erat reliquiis in caput, interfectus eſt, & duces ſuperſtites cum magnâ multitudine in Ægyptum tranſiverunt, inde non reverſi. Cæteri autem ita diſperſi ſunt, ut vix ullus reperiretur uſpiam incola.

ARTICULUS LXX.

DIlapſis reliquiis Judæorum, certatim, ut videtur, terram invaſerunt atque occuparunt gentes vicinæ.

DEMONSTRATIO.

Sicque impleverunt, quod exſtat Jerem. 12: 14. *Sic dixit Jehovah de omnibus vicinis meis malis, qui tangunt hæreditatem, quam tribui populo meo Iſraeli.* Item Ezech. 36: 4. 5. *Idcirco, inquam, montes Iſrael, audite verbum Domini Jehovæ, ſic dixit Dominus Jehovah montibus & collibus, alveis & acclivibus, eremis vaſtis & oppidis derelictis, quæ exſtiterunt direptio & ſanna reliquiis gentium, quæ undiquaque ſunt. Idcirco, inquam, ſic dixit Dominus Jehovah, ſi non in igne Zeli mei locutus ſum ſuper reſiduo gentium & Idumæâ tota, qui dederunt terram meam hæreditatem ſibi in lætitia totius cordis, cum impetu animæ, propter agrum ejus ſuburbanum, ad direptionem.* Conf. citata ad Art. XXVII. & XXVIII. ſuprà.

ARTICULUS LXXI.

VIdetur porrò factum, ut Nebucadnezar, horum tumultuum occaſione, iterùm moverit in Palæſtinam, & reliquias belli Palæſtini, domitis Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Philiſtæis, Tyriis atque Sidoniis, confecerit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Nam de gentibus hiſce Jeremias vaticinatur, quòd ſint *evellendæ ex terra ſua.* Jerem. 12: 14. Item quòd ſint ſervituræ regi Nebucadnezari. Ita enim propheta: *Et ſervient gentes hæ regi Babel ſeptuaginta annis.* Jerem. 25: 11. *Et accepi calicem è manu Jehovæ & dedi bibendum omnibus gentibus, ad quas miſerat me Jeho-*

Jehovah.... Et omni colluvici, nempe regibus terræ, ut & omnibus regibus terræ Philiſtæorum, & Aſcaloni, & Gazæ, & Accaroni, & reſiduo Aſdodi. Idumæis, & Moabitis, & filiis Ammon; Et omnibus regibus Tyri, & omnibus regibus Sidon. Jerem. 25: 17. 20 — 22. *Sic dixit Jehovah ad me: fac tibi vincula & juga, & pone ea in collum tuum. Et mitte ea ad regem Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidon, per nuncios venientes Hieroſolymam ad Zedekiam regem Judæ. Et manda illis ad dominos ipſorum, dicendo: Sic dixit Jehovah Deus exercituum, Deus Iſraëlis: Sic dicetis ad dominos veſtros: Ego feci terram, hominem & pecus, quod eſt in facie terræ viribus meis magnis & brachio meo extenſo, & do illud, cui rectum eſt in oculis meis. Et nunc ego do omnes terras has in manum Nebucadnezaris regis Babel ſervi mei, atque etiam feras agri do ipſi ad ſerviendum ipſi. Et ſervient ipſi omnes gentes, & filio ipſius, & filio filii ipſius, donec veniat tempus etiam terræ ipſius.* Jer. 27: 2. 3. 4. 5. 6. 7. Hoc ipſum eſt, quod prædixit Eſaias, fore, ut totus *maritimus tractus*, ab Ægypto ſcil. verſus Septentrionem, in quo & Palæſtina comprehenditur, & terra Canaan, & Syria, & Aſia minor, veniat in manus Aſſyrii; atque ita אי, h. e. *terra maris*, in *deſertum maris* convertatur. Eſai. 20: 6. & 21: 1. Ezechiel item; ubi *gladium*, ſemel eductum contra populum Dei, dicit *graſſaturum à meridie ad Septentrionem.* Ezech. 21: 9. 3.

§. 2. De Moabitis in ſpecie id demonſtrat Eſaias, ubi vaſtitatem quarundam urbium Moabiticarum prædicit: quam vaſtitatem ſecuturum oſtendit immenſum luctum & deſperationem, non obſtante vociferatione & claſſico expeditorum. Ita enim ille: *Sententia Moabi. Quia noctu vaſtata eſt Ar Moab, nullus eſt*, ſcil. Moab. *Quia de nocte vaſtata eſt Kir Moab, nullus eſt.* Eſai. 15: 1. *Aſcendit domum, & Dibon, Habbamoth ad flendum: Super Nebo, & ſuper Medaba Moab ejulat. In omnibus capitibus ejus eſt calvitium, omnis barba inciſa.* laniata, evulſa, luctus cauſâ raſa. verſ. 2. *In vicis ejus accincti ſunt ſacco, in tectis ejus & in foris ejus quiſque ejulat, deſcendit fletu.* verſ. 3. *Et clamat Cheſbon*, regia Sihonis, *& Elealè; uſque ad Jabatz auditur vox illorum. Idcirco expediti illorum vociferentur*, claſſicum canant, clamorem tollant, ut in prælio, *animo ipſi malè eſt.* verſ. 4. Quin & ſiccitatem atque ἀφορίαν inter alia mala Moabitis ſuperventuram, idem ſic prænunciat Ibidem: *Cor meum propter Moabum clamat: fugitivi ejus Zoaram uſque ſunt. Nam per aſcenſum Luchith cum ploratu aſcendet; Nam quà itur Choronajim, clamore fractionis quiritabuntur.* verſ. 5. *Nam aquæ Nimrim deſolationes fient. Nam exareſcit gramen, deficit herba, olus non exiſtit.* verſ. 6. Porrò & inſtrumentum hujus calamitatis deſignat *leonem* aliquem graſſatorem: quem ex citatis locis Jeremiæ conſtat eſſe Nebucadnezarem regem Babel; Et reliquias quaſdam *evaſuras*, oſtendit. Ibid. verſ. 9. Ac denique populum cum principibus deportandum, & ſolvendam rempublicam, denunciat: *Et enim fiet, ut aves palantes, nidus pullorum propulſus fient filiæ Moabi ad vada* vel *trajectus Arnonis.* Eſ. 16: 2.

§. 3. Concinit Eſaiæ Jeremias, in viſione calamitatem & vaſtitatem venturam in Moabum, ita deſcribens, ut oſtendat fore, ut deſoletur privata habitatoribus, quos *vaſtator* aliquis abduxerit in exilium; & regnum ejus deſtruatur. In hanc enim ſententiam intelligenda, quæ ſequitur, prophetia: *De Moab ſic dixit Jehovah Deus exercituum Deus Iſraëlis: Væ ſuper Nebo, quia vaſtata eſt, capta eſt Kirjathajim, pudefacta eſt arx illa, & conſternata eſt.* Jer. 48: 1. *Non eſt ampliùs gloriatio Moabi.* h. e. id, de quo gloriatur Moab, Deus ipſorum, omnes pompæ

 cultus

cultus ipſius, multitudo, urbes munitæ, fortitudo, divitiæ perierunt. *In Cheſbon cogitaverunt* h. e. aliquis cogitavit, Deus ſcil. *ſuper eâ malum: Venite & exſcindamus eam, ne ſit gens: Etiam, Madmen, occides, te perſequetur gladius.* verſ. 2. *Vox vociferationis auditur à Choronajim, vaſtitas & fractio magna.* verſ. 3. *Fracta eſt Moab: fecerunt exaudiri clamorem parvuli ejus.* verſ. 4. *Nam per aſcenſum Halluchith cum ploratu aſcendet ploratus*: h. e. deplorabilis. *Nam in deſcenſu Choronajim hoſtes facientes clamorem fractionis audiverunt.* verſ. 5. *Fugite, eripite animam veſtram, & fiatis ut erica in deſerto.* verſ. 6. *Nam, propterea quòd confiſa es operibus tuis & theſauris tuis, etiam tu capieris, & exibit Chemoſch in exilium, Sacerdotes ejus & principes ejus unà.* verſ. 7. *Et veniet vaſtator ſuper omnem civitatem, & civitas non præſervabitur, & peribit vallis, & profligabitur planicies: quod dixit Jehovah.* verſ. 8. *Date florem Moabo. Nam volando exibit* omnis ejus amplitudo, quâ ovat, inſtar floris, vel papporum, quos ventus quivis aufert; *& oppida ejus vaſtitas fient, ut non ſit, qui in illis habitet.* verſ. 9. *Maledictus, qui facit opus Jehovæ* quod decrevit de Moabo, *fraudulenter, & maledictus, qui inhibet gladium ſuum à ſanguine.* verſ. 10. *Tranquillus eſt Moab à pueritiâ ſuâ & requieſcit ſuper fæcibus ſuis, & non fuit effuſus de vaſe in vas, & in exilium non ivit*; ideo *ſubſtitit ſapor ipſius in ipſo, & odor ejus non eſt mutatus.* inveterata ipſius cæcitas & malitia. verſ. 11. *Propterea ecce dies veniunt, ait Jehovah, & mittam ipſi gradientes gradum, & facient illum magno paſſu incedere; & vaſa ipſius evacuabunt, & lagenas ſuas facient diſſilire.* verſ. 12. *Et pudefiet Moab à Chemoſch, quemadmodum pudefacti ſunt Iſraelitæ à Bethel fiduciâ ſuâ.* verſ. 13. *Quomodo dicitis: Fortes nos ſumus & homines ſtrenui ad prælium?* verſ. 14. *Vaſtatus eſt Moab, & quod attinet oppida ejus, aſcendit* fumo, & igne, quodvis, *& lectiſſimi juvenes ejus deſcenderunt ad mactationem, ait Rex ille, cujus nomen eſt Jehovah Deus exercituum.* verſ. 15. *Prope eſt calamitas Moabi ut veniat, & malum ejus feſtinat valde.* verſ. 16. *Complorate illi, omnia quæ circa ipſum ſunt, & omnes cognoſcentes nomen ejus. Dicite: Quomodo fractus eſt baculus roboris, virga decoris?* verſ. 17. *Deſcende à gloriâ, ſedens in ſiti,* cujus inexplebis ſitis eſt, *quæ habitas apud filiam Dibon. Nam vaſtator Moabi aſcendit in te, perdidit munimenta tua.* verſ. 18. *In viam conſiſte & proſpecta, quæ habitas Aroër: Interroga fugientem, quæque evaſit, dic: quid factum eſt?* verſ. 19. *Pudefactus eſt Moab, quia conſternata eſt: Ejulate & clamate, indicate in Arnon, quòd vaſtatus ſit Moab,* verſ. 20. *Et judicium venerit in terram planitiei, in Cholon & in Jahtſa & ſuper Mephaath,* verſ. 21. *Et ſuper Dibon & ſuper Nebo & ſuper Diblathajim,* verſ. 22. *Et ſuper Kirjathajim & ſuper Bethgamul, & ſuper Beth-meon,* verſ. 23. *Et ſuper Kerijoth, & ſuper Botſra, & ſuper omnia oppida terræ Moab, longinqua & propinqua.* verſ. 24. *Inciſum eſt cornu Moab, & brachium ejus fractum eſt, ait Jehovah.* verſ. 25. *Inebriate eum: quia contra Jehovam ſe magnificavit; & plaudat Moab in vomitu ſuo, & fiat deridiculum etiam ipſe.* verſ. 26. *Et ſi non hic riſus exſtaret, fieret tibi Iſraël: ſiquidem in furibus inventus eſt.* Inter idololatras, ſuperſtitioſos & infideles, qui Deo gloriam ſuam eripiunt. *Nam ex quo verba faceres de ipſo* Iſraële plagis affecto, *complorares.* verſ. 27. *Relinquite oppida, & habitate in petrâ, habitatores Moabiticæ, & aſſimilamini columbæ, quæ nidulatur juxta os foveæ.* in ſupercilio loci abrupti & profundi. verſ. 8.

§. 4. Amoſus brevi compendio vaticinatur non tantùm exſtinctionem regni, ſed & reipublicæ in Moab. *Et mittam ignem in Moabum, & comedet palatia Hakkerioth:*

rioth: & morietur in tumultu Moab, cum clangore; cum voce buccinæ. Et exſcindam judicem è medio illius; & omnes principes ejus interficiam cum ipſo: dixit Jehovah. Amoſ. 2: 2. 3.

§. 5. De Ammonitis à Nebucadnezare affligendis ſimilia habet Jeremias: *Propterea ecce dies veniunt, ait Jehovah, & faciam ut audiatur apud Rabbath filiorum Ammon barritus prælii; & fiet cumulus vaſtitatis & filiæ ejus igne incendentur: & hæreditabit Iſrael eos, qui hæreditabant ipſum: ait Jehovah.* Jerem. 49: 2. Et Amoſus: *Et accendam ignem in muro Rabbath, & comedet palatia ejus, cum clangore, in die belli, cum procellâ, in die tempeſtatis. Et ibit rex illorum in exilium, ipſe & principes ejus pariter.* Am. 1: 14. 15.

§. 6. De Idumæis prophetat Amoſus cap. 1: 12. *Et immittam ignem in Theman & edet palatia Botſræ.*

§. 7. De Philiſtæis Idem Ib. vers. 7. 8. *Et immittam ignem in murum Gazæ & comedet palatia ejus. Et exſcindam habitatorem ab Azoto, & tenentem ſceptrum ab Aſcalon, & referam manum meam in Accaronem, & peribunt reliquiæ Palæſtinorum; dixit Dominus Deus* ſive *Jehovah.*

§. 8. De Tyro prædicit Ezechiel, fore, ut per Nebucadnezarem deſtruatur; cujus aggreſſionem, oppugnationem, & deſolationem, vivis coloribus ita in anteceſſum depingit: *Propterea ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego contra te, Tyre, & faciam contra te aſcendere gentes multas, quemadmodum mare facit aſcendere fluctus ſuos.* Ez. 26: 3. *Et perdent muros Tyri & diruent turres ejus, & auferam pulverem ejus ab ipſâ, & dabo illam nudam, & ſplendens petræ.* Intellige, in quibus locis petroſa eſt. v. 4. *Expanſio lagenarum fiet in medio mari, quia ego locutus ſum, ait Jehovah, & fiet direptio gentibus.* vers 5. *Et filiæ ejus, quæ ſunt in agro, gladio occidentur, & cognoſcent, quòd ego Jehovah.* vers 6. *Nam ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego adduco ad Tyrum Nebucadnezarem regem Babel ab Aquilone, regem regum cum equis & curribus, & equitibus, & cætu, & populo multo.* vers 7. *Filias tuas in agro gladio occidet, & dabit contra te turrim, & fundet contra te aggerem, & eriget contra te ſcutum.* vers 8. *Et arietem ſuum dabit in muros tuos, & turres tuas diruet gladius ipſius.* v. 9. *Ab agmine equorum ejus operiet te pulvis eorum, à voce equitis, & rotæ & currus contremiſcent muri tui, cùm intravit in portas tuas, quemadmodum intratur urbs perrupta.* vers 10. *Ungulis equorum ſuorum calcabit omnes plateas tuas, populum tuum gladio occidet, & quod attinet columnas tuas robuſtas, in terram deſcendent.* vers 11. *Et ſpoliabunt copiam tuam, & deripient mercem tuam, & diruent muros tuos, & domos tuas deſiderabiles deſtruent, & lapides tuos, & ligna tua, & pulverem tuum in mediis aquis ponent.* v. 12. *Et faciam ceſſare ſtrepitum canticorum tuorum, & vox cithararum tuarum non audietur ampliùs.* vers 13. *Et dabo te nudum petræ, expanſio lagenarum fies, non ædificaberis ampliùs: quia ego Jehovah locutus ſum, ait Dominus Jehovah.* vers 14. Hactenùs prophetia; quæ edita eſt, ut habet inſcriptio, vers 1. anno undecimo, primo menſis, ſc. primi. Rem, ut factam, commemorat Ezechiel, anno 27. primo menſis, atque ita 16. annis poſt hanc prophetiam.

§. 9. Amoſus quoque ante Ezechielem de excidio Tyri ita prophetat: *Et mittam ignem in murum Tyri, & comedet palatia ejus.* Am. 1: 10.

§. 10. Cæterum, quòd dicit Ezechiel, *Tyrum non ædificati iri ampliùs*, putat Abarbanel, hoc dictum eſſe de παλαιᾷ Tyro. Eam enim dirutam, & non reædificatam eſſe. Poſt expugnationem & deſtructionem per Nebucadnezarem factam Tyrios ſe recepiſſe in inſulam, ut in ſedem tutiorem. Alexandrum Macedonem inſulanam

lanam Tyrum muris perruptis feciſſe mari permeabilem, & poſtea reædificatam non eſſe. Attamen Curtius lib. 4. cap. 4. ſcribit: *Multis ergo caſibus defuncta, & poſt excidium renata, nunc tamen longâ pace cuncta refovente ſub tutelâ Romanæ manſuetudinis quieſcit.* Junius ſic prophetiam explicat, ad tempus non reædificatum iri. Poſſemus dicere, quòd non redierit ad priſtinam amplitudinem: de quâ Plinius, l. 5. cap. 19. *Tyrus quondam inſula prealto mari 700. paſſibus diviſa, nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens. Olim partu clara urbibus genitis Lepri, Uticâ, & illâ Romani imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpurâ conſtat. Circuitus* $\overset{m}{\text{xix}}$ *paſſuum eſt, intra* παλαὶ *Tyro incluſâ. Oppidum ipſum 22. ſtadia continet.* Quod à Plinio videtur dictum ratione veteris magnitudinis. Tempore belli Hieroſolymitani non tanta fuit. Georgii Sandis itinerarium Anglicum lib. 3. dicit, Tyrum illam celebrem nunc nihil eſſe niſi acervum parietinarum, ita tamen ut aſpectus ejus ſit magnificus, & ſpectatorem ingenioſum ſuâ pulchritudine inſtruat. Itinerarium legati Gallici des Hages, pag. 441. dicit, ibi jam non eſſe domum, quæ ſit integra, niſi unica. Reliquas domos eſſe deſtructas, neque ſupereſſe niſi fornices & cryptas, in quibus ducenti propemodum homines commorentur. Videtur etiam ex Zach. 9: 3. optimè poſſe dici, Tyrum abuſam ſuâ ſapientiâ, ut quod verbo Dei prænunciatum apud Ezechielem fuerat, evaderet, ſibi munimentum condidiſſe in alio loco, ſcilicet in medio mari in inſulâ: diſtante quatuor ſtadiis à continente.

§. 11. Sequitur caſum Tyri conſternatio & luctus & lamentum inſularum, quarum ſcil. opes ſimùl cum eâ perierint. Ita enim Ezechiel: *Sic dixit Dominus Jehovah Tyro: Annon à ſono ruinæ tuæ, quùm gemet qui exanimatur, cum occidione occidetur in medio tui, commovebuntur inſulæ. Et deſcendent à thronis ſuis omnes principes maris, & removebunt chlamydes ſuas, & veſtimenta ſua acupicta ſibi detrahent, tremores induent, in terram deſidebunt, & trepidabunt in momenta, & obſtupeſcent ſuper te. Et ferent ſuper te threnum.* Ez. 26: 15. 16 17. p. pr.

§. 12. In Threno eſt admiratio interitus Tyri: *Et dicent tibi: Quando periiſti, quæ habitabaris à mari.* ab hominibus ſcil. per maria ad illam confluentibus, *urbs celebrata, quæ erat fortis in maris*, ita ut vim maris non metueret; *ipſa & habitatores ejus, qui dederunt terrorem ſuum omnibus habitatoribus ejus.* Nota, diſtingui habitatores, qui cum imperio ſunt, ab aliis habitatoribus, qui vel in eâ civitate habitant, vel jus illius civitatis habent in omnibus coloniis. vers 17. *Nunc trepidant inſulæ, die ruinæ tuæ, & conſternantur inſulæ, quæ ſunt in mari, ab exitu tuo.* vers 18. *Nam ſic dixit Dominus Jehovah, quum dabo te urbem deſolatam, ut urbes, quæ habitatæ non fuerunt, quùm faciam aſcendere contra te abyſſum, & operient te aquæ multæ.* vers 19. *Et faciam te deſcendere cum deſcendentibus in foveam ad populum ſœculi, & habitare te faciam terrâ inferiori, in vaſtitatibus à ſœculo cum deſcendentibus in foveam, ut non habiteris,* vers. 20. *Nebulas dabo te, & non eris, & requireris, & non reperieris ampliùs in ſœculum, ait Dominus Jehovah.* vers 21. Porrò threnus Tyri quoque eſt. Ezech. c. 27. ut præſcribitur, vers 2. Summa eſt, omnia maxima, quibus illa pollebat, bona, uno ferè momento periiſſe & concidiſſe, cum totius ferè mundi conſternatione, & mœrore plurimorum regnorum; quippe cùm caſus Tyri ad omnium civitatum damnum pertineret. *Et factum eſt verbum Jehovæ ad me, dicendo.* vers 1. *Et tu fili hominis, fer ſuper Tyro threnum.* vers 2. *Et dices Tyro ſedenti ad introitus maris, negotiatrici populorum ad inſulas multas, ſic dixit Dominus Jehovah: Tyre, tu dixiſti, ego ſum perfecta pulchritudine.* vers 3. *In corde marium termini tui; architecti tui perfece-*

runt

runt pulchritudinem tuam. vers 4. Abietibus ex Senir ædificârunt tibi omnes tabulas, cedrum ex Libano acceperunt, ut facerent malum apud te. vers 5. Quercubus ex Baſan fecerunt remos tuos, aſſerem tuum fecerunt ebore in lignis cedri optimæ ex inſulis Chittæorum. vers 6. Xylinum cum Phrygiano opere ex Ægypto erat expanſum tuum, ut eſſet tibi pro velo; hyacinthinum & purpureum ex inſulis Eliſchæ erat tegumentum tuum. vers 7. Habitantes Sidonem & Arvadum extiterunt remiges tibi; ſapientes tui, Tyre, fuerunt in te, illi naucleri tui. vers 8. Seniores Gebal & ſapientes ejus extiterunt in te concinnatores tui: omnes naves maris & nautæ illarum exſtiterunt in te ad negotia ſua exercenda. vers 9. Perſæ & Lydi & Putæi extiterunt in copiis tuis milites tui: ſcutum & galeam ſuſpenderunt in te; illi fecerunt te reverendam. vers 10. Filii Arvadi & copiæ tuæ in muris tuis circumquaque, & Gamadæi in turribus tuis exſtiterunt: clypeos ſuos ſuſpenderunt in muris tuis circumquaque; illi perfecerunt pulchritudinem tuam. vers 11. Tharſis negotiatrix tua præ copiâ omnis abundantiæ; argento, ferro, ſtanno & plumbo dederunt apothecas tuas. vers 12. Javan (ſive Jones) Tubal & Meſchech ſunt mercatores tui, animabus hominum & vaſis æris dederunt mercaturam tuam. vers 13 Ex domo Togarma equos & equites & mulos dederunt apothecas tuas. h. e. fecerunt, ut iis rebus apothecæ tuæ eſſent plenæ. vers 14. Filii Dedan mercatores tui, inſulæ multæ mercatura manus tuæ. h. e. habent commercium tecum arbitratu tuo, cornua eburna & hebenum retulerunt munus tuum. vers 15. Syria eſt negotiatrix tua propter multitudinem operum tuorum pro Nophech, purpurâ, opere Phrygionico & byſſo & Ramoth & Cadcod, quæ dederunt in apothecis tuis. vers 16. Juda & terra Iſraël ſunt mercatores tui; tritico Minnithæo & Phœnicio & melle & oleo & opobalſmo dederunt mercaturam tuam. vers 17. Damaſcus negotiatrix tua pro multitudine operum tuorum, præ multitudine omnis abundantiæ, pro vino Galbon & lanâ nitidâ. vers 18. Et Dan atque Græcus, qui perpetuò in itineribus verſantur, in apothecis tuis dederunt: ferrum nitidum, caſſia & calamus in commercio tuo exſtiterunt. vers 19. Dedan negotiatrix tua veſtimentis mutatoriis ad inſidendum. v. 20. Arabia & omnes principes Kedar, illi ſunt mercatores manus tuæ, agnis, arietibus, hircis, illis negotiantur tecum. vers 21. Mercatores Seba & Rama ſunt mercatores tui, ſummâ omnium aromatum, & omni lapide pretioſo dederunt apothecas tuas. vers 22. Charan & Canne & Eden, mercatores Sabæ, Aſſur, Kilmad negotiatrix tua. vers 23. Illi mercatores tui rebus perfectiſſimis, voluminibus hyacinthi & acupicti & gazis Beromim, funibus ligatis & cedratis in commercio tuo. vers 24. Naves Tharſis habent cantatrices (τὰς μετεγγὺς) merces tuas; & impleta es, & glorioſa extitiſti admodum in corde marium. vers 25. In aquas multas induxerunt te, qui te impulerunt; ventus Orientalis fregit te in cor marium. vers 26. Abundantia tua & apothecæ tuæ, merces tuæ, nautæ tui, naucleri tui, concinnatores tui, proxenetæ tui, qui in te, & omnis cœtus tuus, qui in medio tui cadebant in cor marium, in die ruinæ tuæ. vers 27. Propter vocem clamoris nauclerorum tuorum commovebantur ſuburbia. vers 28. Et deſcendebant ex navibus ſuis omnes tractantes remum, nautæ, omnes naucleri maris, in terram conſiſtebant. vers 29. Et auditum faciebant ſuper te voce ſuâ, & clamabant amarè & ſurſum projiciebant pulverem ſuper capita ſua, & in cinere volvebantur. vers 30. Et faciebant propter te calvitium, & induebant ſaccos, & plorabant propter te in amaritudine animæ planctu amaro. vers 31. Et ferebant propter te in ejulatu ſuo threnum, & lamentabantur ſuper te. Quis ut Tyrus, ut illa, quæ occidit in medio maris? vers 32. Cùm exirent apothecæ tuæ ex maribus, ſatiâſti populos multos, multitudine abundantiæ tuæ & mercium tuarum ditâſti reges terræ. v. 33. Tempore tui effractæ ex maribus in profunda aquarum merces tuæ, & omnis cœtus tuus in medio tui ceciderunt. vers 34. Omnes habitantes

inſulas ſtupuerunt ſuper te, & reges illorum terrore correpti ſunt, perculſi ſunt vultibus. vers 35. *Negotiantes in populis ſibilârunt ſuper te: nebulæ extitiſti, & non es in ſæculum.* vers 36.

§. 13. Quatenus verò cum urbe & regnum Tyri exciſum eſt, Capite ſequenti 28. eſt threnus ſuper Principe Tyri, præmiſſâ tamen increpatione ejus, & denunciatione judicii, uſque ad vers 11. *Et factum eſt verbum Jehovæ ad me, dicendo.* v. 1. *Fili hominis, dic principi Tyri: ſic dixit Dominus Jehovah: Quia ſe exaltavit cor tuum, & dixiſti, Deus ſuum, in ſede Dei conſedi, in corde marium, cùm ſis homo & non Deus, & dediſti cor tuum, ut cor Dei.* vers 2. (*Ecce ſapiens es præ Daniele, nihil obſignatum te celatum eſt.* vers 3. *In ſapientiâ tuâ & prudentiâ tuâ feciſti tibi opes, & paraſti aurum & argentum in theſauris tuis.* vers 4. *In multitudine ſapientiæ per negotiationem tuam multiplicâſti copias tuas, & exaltatum eſt cor tuum in copiis tuis.* vers 5.) Hiſce irridetur faſtus Principis Tyriorum, contemnentis ſapientiam prophetarum populi Dei, & Danielis, divinumque aliquid ſibi arrogantis, omneque ſtudium ad congerendas opes convertentis. *Idcircò ſic dixit Dominus Jehovah, quia dediſti cor tuum tanquam cor Dei,* vers 6. *Idcirco, inquam, ecce ego adduco contra te peregrinum, violentos gentium, qui ſtringent gladios ſuos contra pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & profanabunt ſplendorem tuum.* vers 7. *Ad foveam facient te deſcendere, & morieris mortibus profani in medio marium.* vers 8. *An dicendo dices, Deus ſum, coram interfectore tuo (at tu homo es & non Deus.) in manu profanantis te.* vers 9. *Mortibus præputiatorum morieris in manu peregrinorum: quia ego locutus ſum, dixit Dominus Jehovah*, vers 10. Hactenùs increpatio: Sequitur threnus. In quo 1. enumerantur prærogativæ principis Tyri: *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicendo:* vers 11. *Fili hominis, fer threnum ſuper rege Tyri, & dic ipſi: Sic dixit Dominus Jehovah. Tu es ſignator menſuræ.* Alluditur ad morem emporii: Fit enim negotiatio per menſuras; & publicæ auctoritatis eſt menſuras ſignare. *plenus ſapientiæ* nempe in iis quæ ad gubernationem & ordinem & bonum civitatis pertinent, *& perfectus pulchritudine.* vers 12. *In Eden horto Dei extitiſti, omnis lapis pretioſus eſt tegmen tuum. Rubinus, Topazius, Adamas, Sardonix, Scoham, & Jaſpis, Saphir, Nophech & Barcath & aurum; opus tympanorum tuorum & tibiarum tuarum, in te in die, quo creatus* h. e. initiatus regno tuo *es, aptata ſunt.* vers 13. *Tu Cherub,* qui te geris, tanquam ſi eſſes Angelus aliquis, in quo Deus habitet, *unctio tegentis,* q. d. unctus à tegente vel ad tegendum: *& poſui te, in monte ſancto Dei extitiſti*, ut cùm Hiram tempore Solomonis cùm Solomone operas junxit in templo ædificando; & forſan proſelytus fuit, ſaltem non alienus à religione Judæorum. *in medio lapidem ignis ambulâſti.* vers 14. *Integer tu in viis tuis, à die quo creatus es.* vers 15. p. pr. 2. Culpa ejus. vers 15: 16. 17. & 3. Interitus. v. 16: 17. 18. 19. *Donec reperta eſt injuſtitia in te.* vers 15. p. alt. *In multitudine negotiationis tuæ impleverunt medium tui injuriâ, & peccâſti, & profanavi te de monte Dei, & perdidi te, Cherub tegens, ex medio lapidum ignis.* vers 16. *Elatum eſt cor tuum in pulchritudine tuâ, corrupiſti ſapientiam tuam propter ſplendorem tuum: in terram conjeci te, coram regibus poſui te ad aſpiciendum te.* vers 17. *Præ multitudine pravitatum tuarum injuſtitia negotiationis tuæ profanâſti ſanctuaria tua, & feci exire ignem ex medio tui: is devoravit te, & poſui te cinerem in terrâ ante oculos omnium ſpectantium te.* v. 18. *Omnes cognoſcentes te in populis attoniti fuerunt propter te: nebulæ extitiſti, & non es in ſæculum.* vers 19.

§. 14. Et hæc quidem intelligi poſſunt de Tyro, & rege ejus, propriè, ſive cùm Nebucadnezar illam excidit, ſive cùm Alexander Macedo eam devicit & expu-

expugnavit. Sed tamen & intelligenda de emporio quodam alius generis, quod & Tyrus & Babylon myſticè appellatur, ut conſtat ex Eſai. 23. & paralleliâ ejus Apoc. 18. Quare & nobis in Tyro propriâ hujus myſticæ, & in rege Tyri, ut typo Antichriſti, hujus veſtigia legenda & recognoſcenda ſunt. Omnis enim civitas, quæ opponitur Hieroſolymæ in mundo, ſi non determinatione loci, ſaltem ſimilitudine ingenii & ſtudii, Tyrus eſt, ejuſque ut culpæ, ita pœnæ hîc deſcriptæ ſunt, & in antiquâ Tyro exemplum implementi habent.

§. 15. De Sidone à Nebucadnezare devictâ, aut exciſâ, nullum ſingulare monumentum in hiſtoriâ habemus. Certum tamen eſt ex Jeremiâ, c. 25: 22. & 27: 3. Sidonem Nebucadnezari paruiſſe. Et ex Ezechiele, cap. 32: 30. Sidonios ante Pharaonem regem Ægypti, exciſos aliquando (dubium an hoc ipſo temporis Articulo) fuiſſe. Sidoniorum etiam apud exteros, inprimis Poëtas, illuſtris mentio eſt. Et Sidonis Homerus meminit, Tyri non meminit. Fortè quia Tyrus Sidoniorum colonia & propugnaculum eſt. Auctor eſt Strabo lib. 16. p. 756. *Μετὰ Σιδόνα μεγίστη τῶν Φοινίκων καὶ ἀρχαιοτάτη πόλις Τύρος ἐστὶν, ἡ ἐνάμιλλος αὐτῇ κατά τε μέγεθος καὶ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ τὴν ἀρχαιότητα ἐκ πολλῶν μύθων παραδεδομένη. Οἱ μὲν οὖν ποιηταὶ τὴν Σιδόνα τεθρυλήκασι μᾶλλον. Ὅμηρος δὲ οὐδὲ μέμνηται τῆς Τύρου. Αἱ δὲ εἰς Λιβύην καὶ τὴν Ἰβηρίαν ἀποικίαι, μέχρι καὶ ἔξω στηλῶν, τὴν Τύρον πλέον ἐξυμνοῦσι, μᾶλλον* &c. In ſacris, tempore Davidis & Solomonis, Tyrii, ſervi Hirami ſaltem, regis Tyri, Sidonii nuncupantur. 1 Reg. 5: 6. Et Sidoniorum regis fit mentio 1 Reg. 16: 31. cujus filia Iſebel Achabi uxor. Fuerit itaque ante Tyrum, & exciſa aliquando, & dignitas ejus in Tyro reſtituta, jamque iterùm deſtructâ Tyro collapſa. Quod videtur ſignificare prophetia Ezechielis contra Sidonem, quæ exſtat Ezech. 28: 21 —— 24. in hanc ſententiam: *Fili hominis, pone faciem tuam verſus Sidonem, & propheta contra eam.* verſ. 21. *Et dic, ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego contra te, Sidon, & glorioſus fiam in medio tui. Et cognoſcent, quòd ego ſim Jehovah, cùm faciam in eâ* (Sidone, an Tyro? Dubium enim hoc facit mutatiò perſonæ in articulo.) *judicia, & ſanctificabor in eâ* verſ. 22. *Et mittam in eam peſtilentiam & ſanguinem in plateas ejus, & judicabitur profanus in medio ejus, gladio contra eam ſurgente undiquaque, & cognoſcent, quòd ego Dominus Jehovah.* verſ. 23. *Et non exiſtet ampliùs domui Iſraël ſudes moleſta & ſpina dolorifica undiquaque, qui flagellant ipſos: & cognoſcent, quòd ego Dominus Jehovah.* verſ. 24.

§. 16. Cœterùm in hiſce gentium finitimarum judiciis ſpectari cœpta eſt retaliatio prædenunciata ipſis ob immanitatem & blaſphemiam; de quâ talione Pſaltes: *Et repende vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum ipſorum, opprobrium ipſorum, quo te blaſphemarunt.* Pſalm. 79: 12. *Memento, Jehovah, opprobrium ſervorum tuorum.* Pſalm. 89: 51. *Memento, Jehovah, filiis Edom diem Hieroſolymorum: qui dicebant, nudate, nudate uſque ad fundamentum in eâ.* Pſalm. 137: 7. Ezechiel quoque: *Sic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego in Zelo meo & in ardore meo locutus ſum, quia ignominiam gentium tuliſtis. Idcircò ſic dixit Dominus Jehovah, ego ſuſtuli manum meam: Si non gentes, quæ vobis ſunt circumquaque, ipſæ ignominiam ſuam ferent.* Ezech. 36: 5. 6. 7.

ARTICULUS LXXII.

Aderat dies Domini, dies nubis & tempus gentium; Ezech. 30: 2. 3. Igitur Nebucadnezar, rebus in Palæſtinâ compoſitis, invadit atque occupat

cupat Ægyptum; totamque cædibus, rapinis, deportationibus, ac deſtructionibus, exciſis inter alias Thebis, urbe ampliſſimâ ac munitiſſimâ, exhaurit, & vaſtat; regnumque ejus evertit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De Ægyptiorum vaſtitate per Babylonios faciundâ ſic vaticinatur Eſaias: *Sic dixit Jehovah: Quemadmodum ambulavit ſervus meus Eſaias nudus & diſcalceatus, tribus annis, ſignum & portentum ſuper Ægypto. Sic ducet rex Aſſyriæ* (Nebucadnezar, ex Art. XLIV. ſuprà.) *captivos Ægypti, pueros & ſervos, nudos & diſcalceatos & denudatos natibus, opprobrium Ægypti.* h. e. Ægyptii viles fiant & ridiculi omnibus hominibus, inprimis hoſtibus. *Et dicet incola hujus maritimi tractus: Ecce ſic eſt aſpectus noſter, quò fugiebamus auxilii cauſâ, ut eriperemur, propter regem Aſſyriæ: & quomodo effugiemus nos?* Eſai 20: 3. 4. 5. Expreſſiùs autem Jeremias: *Sic dixit Jehovah Deus exercituum Deus Iſraëlis: Ecce ego mitto, & accipiam Nebucadnezar regem Babel ſervum meum, & ponam thronum ejus ſuper lapidibus his, quos occultavi, & tendet tentorium ſuum ſuper eis. Et veniet & percutiet Ægyptum, qui morti, morti; & qui in captivitatem, in captivitatem; & qui gladio, gladio. Et ſuccendam ignem in domibus Deorum Ægyptiorum, & cremabit eos, & abducet eos, & convolvet*, vel induet, & quidem ſtrictè, h. e. totam ſecum auferet, *Ægyptum, quemadmodum convolvit paſtor tunicam ſuam, & exibit inde cum pace. Et confringet cippos Heliopoleos, quæ eſt in Ægypto, & domos Deorum Ægyptiorum cremabit igne.* Jerem. 43: 10. 11. 12. 13. *Sic dixit Jehovah: Ecce ego do Pharaonem Hophra regem Ægypti in manum inimicorum ipſius, & in manum quærentium animam ipſius, quemadmodum dedi Zidkijam regem Judæ in manum Nebucadnezaris regis Babel inimici ipſius, & quærentis animam ejus.* Jerem. 44: 30. Luculentiſſima in hanc rem eſt Prophetia, quæ exſtat Jerem. 46: 13. & ſeqq. *Verbum, quod locutus eſt Jehovah ad Jeremiam prophetam de eo, quòd venturus eſſet Nebucadnezar rex Babel ad feriendam Ægyptum.* verſ. 13. *Indicate in Ægypto & facite ut audiatur in Migdol, & facite ut audiatur in Noph & Tachpanches: Dicite: Sta, & para tibi. Nam comedit gladius, quæ circa te ſunt.* Sunt verba nuncii cladis Ægyptiacæ; de quâ ſup. Art. XLIX. venientis in Ægyptum, & excitantis ad ſe parandum, ut hoſti imminenti occurrant. verſ. 14. *Quare everſi ſunt caballi tui? Non ſtetit: quia Jehovah impulit eum.* verſ. 15. *Plurimus eſt offendens, etiam cecidit vir in proximo ſuo. Et dixerunt: Surge & redeamus ad populum noſtrum & ad terram ortus noſtri propter gladium affligentem.* verſ. 16. *Venerunt eò: Pharao rex Ægypti calamitas: prolatus eſt locus conſiſtendi.* verſ. 17. Vid. de his verſiculis ſuprà ad Art. XLIX. *Vivo ego, ait rex ille, cujus nomen eſt Jehovah Deus exercituum, velut Thabor in montibus, & ut Carmelus, qui in mare procedit, exſtat.* aliquid ingens, validum, & irreſiſtibile, propter quod fugiant Ægyptii. verſ. 18. *Armamenta exilii fac tibi, habitans filiæ Ægypti. Nam Noph vaſtitas fiet, & deſolabitur, ut non ſit habitans.* verſ. 19. *Vitula pulchra Ægyptus: jugulatio ab Aquilone venit, venit.* verſ. 20. *Etiam conducti ejus in medio ejus ut vituli ſaginæ. Nam & illi verſi fugerunt unà, non conſtiterunt. Nam dies calamitatis ipſorum venit in eos, tempus viſitationis eorum.* verſ. 21. *Vox ejus ut* ſibilus *ſerpentis ibit.* humilis & ſubmiſſa. *Nam cum maximâ vi ibunt, & cum ſecuribus venerunt illi tanquam cæſores lignorum.* verſ. 22. *Exſciderunt ſylvam ejus, ait Jehovah: Quia non ſit perveſtigatio:*

gatio: Quia plures ſunt locuſtis, & non eſt ipſis numerus. verſ. 23. *Pudefacta eſt filia Ægypti, tradita in manum populi aquilonis.* verſ. 24. *Dixit Jehovah Deus exercituum Deus Iſraëlis: Ecce ego viſito ſuper Amon de No, & ſuper Pharaone, & ſuper Ægypto, & ſuper Diis ejus, & ſuper regibus ejus, & ſuper Pharaone, & ſuper confidentibus illi.* verſ. 25. *Et dabo illos in manum quærentium animam ipſorum, & in manum Nebucadnezaris regis Babel, & in manum ſervorum ejus.* verſ. 26.

§. 2. Nec minori claritate Ezechiel, cui diverſis temporibus de Ægypto editæ prophetiæ, eandem rem ſignificant. Prima legitur Ezech. 29: 1 —— 12. in hanc ſententiam: *Anno decimo, menſe decimo, duodecimo menſis, factum eſt verbum Domini Jehovæ ad me, dicendo:* verſ. 1. *Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, & propheta contra illum, & contra Ægyptum totam.* verſ. 2. *Loquere & dic: Sic dixit Dominus Jehovah, ecce ego contra te Pharao rex Ægypti, draco ille magne recubans in medio amnium ſuorum, qui dixit, meus eſt amnis meus, & ego feci me.* Superbia Pharaonis hîc notatur, quòd credat populum Nilum bibentem, Ægyptiacum, ſuum eſſe, tanquam propriam ſortem & hæreditatem, quæ auferri ab ipſo non poſſit; & quòd de ſe ipſo ita cogitet, quaſi non eſſet creatura Dei, ſed ſibimet ipſi deberet ſuam potentiam, ſuum regnum, & ſuum ſtatum. verſ. 3. *Et dabo uncos in malas tuas, & faciam adhæreſcere piſces omnium tuorum ſquamis tuis, & educam te ex amnibus tuis, & omnes piſces amnium tuorum: in ſquamis tuis hærebunt.* verſ. 4. *Et omittam te in deſertum, te & omnes piſces amnium tuorum: in faciem agri cades, non recipieris & non congregaberis, beſtiis terræ & volucribus cœli dedi te in cibum.* verſ. 5. Hæc potuerunt impleri per expeditionem ſuſceptam in Arabiam, in quâ cœſus ſit, aut per deportationem. Familiare enim erat Babyloniis, quos devicerant, deportare in alias terras. *Et cognoſcent omnes habitantes Ægyptum, quòd ego Jehovah: eò quòd extiterint ſcipio arundineus domui Iſraël.* fallax auxilium. verſ. 6. *Cùm apprehenderent te manu, quaſſabaris, & fidiſti ipſis omnem ſcapulam; & cùm recumberent in te, frangebaris, & feciſti ipſis conſiſtere* (vel *ſtupere*) *omnes lumbos.* verſ. 7. *Quapropter ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego adduco contra te gladium, & exſcindam ex te hominem & jumentum, & fiet terra Ægypti ſolitudo & vaſtitas, & cognoſcent, quòd ego Jehovah: quia dixit, amnis meus eſt, & ego feci.* verſ. 9. *Quapropter ecce ego ad te, & ad amnes tuos, & dabo Ægyptum in vaſtitates, vaſtitatem ſolitudinis* (ſive *horrendam*) *à turri Syenes uſque ad terminum Æthiopiæ.* in omnibus locis, tam quoad profunditatem Ægypti, quam notat turris Syenes, quàm quoad latitudinem, notatam per terminum Æthiopiæ, ſive intelligamus Madianitiden, ſive reliquam Æthiopiam Ægypto circumfuſam. verſ. 10. *Non tranſibit in eâ pes hominis, & pes jumenti non tranſibit in eâ, & non habitabitur quadraginta annis.* verſ. 11. *Et dabo Ægyptum ſolitudinem in medio terrarum deſolatarum, & urbes ejus in medio urbium devaſtatarum fient ſolitudo horrenda quadraginta annis, & diſpergam Ægyptios per gentes, & ventilabo eos in terris.* verſ. 12. Ubi quòd vaſtitas Ægyptiorum aſſignetur diſperſioni, fieri poteſt, ut bella inter Ægyptios, & Babylonios diu duraverint, atque inde omnibus locis paſſim nunc hoc nunc illo tempore vaſtitas effecta fuerit, ut populus Ægyptius fugeret ad alias gentes.

§. 3. Secunda ſedecim poſt præcedentem annis, exſtat eod. cap. verſ. 17. 18. 19. 20. *Et factum eſt vigeſimo ſeptimo anno, primo, primo menſis, factum eſt verbum Domini ad me, dicendo:* verſ. 17. *Fili hominis, Nebucadnezar rex Babel copias ſuas exercuit labore magno apud Tyrum, omne caput decalvatum, & omnis humerus*

 depila-

depilatus: & merces non contigit ipſi & copiis ipſius ex Tyro, pro labore, quo functus eſt contra eam. verſ. 18. Quapropter ſic dixit Dominus Jehovah, ecce ego do Nebucadnezari regi Babel Ægyptum, & tollet turbam ejus, & ſpoliabo ſpolium ejus, & diripiet eam, & fiet merces copiis ipſius. verſ. 19. Operæ pretium, pro quo ille laboravit, do ipſi Ægyptum, quia operam navârunt mihi, dictum Jehovæ. verſ. 20.

§. 4. Tertia in hoc genere occurrit prophetia, cap. 30: 1 —— 19. in quo agitur de deſolatione Ægypti, hoc tenore: Et factum eſt verbum Jehovæ ad me, dicendo: verſ. 1. Fili hominis, propheta, & dic: Sic dixit Dominus Jehovah: Ejulate, heu diei. verſ. 2. Nam propinquus eſt dies, propinquus inquam eſt dies Domini, dies nubis, tempus gentium exiſtet. verſ. 3. Et veniet gladius in Ægyptum, ... cadente confoſſo in Ægypto, & eum accipient turmæ ejus, deſtruentur fundamenta ejus. verſ. 4. ... Et deſcendet celſitas roboris ejus, à turri Syenes per gladium cadent in eâ, dictum Domini Jehovæ. Excidium Ægypti extendit per totam terram à turri Syenes. verſ. 6. Et deſolabuntur in medio terrarum deſolatarum, & oppida ejus in medio vaſtatorum erunt. verſ. 7. Et cognoſcent, quod ego Jehovah, me dante ignem in Ægypto.... verſ. 8. ... In die Ægypti. Nam ecce venit. verſ. 9. Sic dixit Dominus Jehovah, & ceſſare faciam multitudinem Ægypti (vel ſtrepitum) per manum Nebucadnezaris regis Babel. verſ. 10. Ipſe & populus ipſius cum ipſo violentiſſimi gentium adducuntur ad corrumpendum terram, & ſtringent gladios ſuos contra Ægyptum, & implebunt terram cadaveribus. verſ. 11. Et dabo omnes ſiccitatem, & vendam terram in manum malorum, & vaſtabo terram & multitudinem ejus in manum alienorum. Ego Jehovah locutus ſum. verſ. 12. Sic dixit Dominus Jehovah, & perdam ſtercora, & faciam ceſſare idola nihili ex Noph, i. e. Memphis, primariâ civitate, & princeps ex terra Ægypti non exiſtet amplius. Hîc denunciat excidium regni. Nam fuerunt ab hoc tempore ſub Babyloniis, deinde Perſis, tùm Græcis, poſtea ſub Romanis; & ſic porrò. & dabo timorem in terra Ægypti. ut in poſterùm ſint humiliores. verſ. 13. Et deſolabo Pathros, h. e. eam partem Ægypti, quæ eſt inter Nilum, & mare rubrum, & dabo ignem in Tſoan, & faciam judicia in No. verſ. 14. Et effundam æſtum meum in Sin arcem Ægypti, & exſcindam multitudinem No. verſ. 15. Et dabo ignem in Ægypto, dolendo dolebit Sin, & No erit ut findatur, portis & muris ejus perruptis, & Noph plena hoſtibus diurnis. v. 16. Juvenes Aven & Phibeſeth gladio cadent, & illæ captivæ abibunt. v. 17. Et in Tachpanches cohibuit diem (vel tenebravit dies) me frangente ibi vectes Ægypti, & cùm ceſſabis in ea celſitas roboris ejus. Illa, nubes operiet eam, & filiæ ejus captivæ abibunt. verſ. 18. Et faciam judicia in Ægypto, & cognoſcent, quod ego Jehovah. verſ. 19.

§. 5. Quarta eodem capite continetur, à verſu 20. ad finem: Et factum eſt undecimo anno, primo menſe, ſeptimo menſis, factum eſt verbum Jehovæ ad me, dicendo: verſ. 20. Fili hominis, brachium Pharaonis regis Ægypti fregi, & ecce non obligatum eſt, adhibita ſunt remedia, imò & faſciæ appoſitæ ad id obligandum, ut convaleſcat, ut teneat gladium. verſ. 21. Quocirca ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, & frangam brachia ejus, validum & fractum, & faciam cadere gladium ejus ex manu ejus. verſ. 22. Et diſſipabo Ægyptios in gentibus, & ſpargam ipſos in terris. verſ. 23. Et roborabo brachia regis Babel, & dabo gladium ejus in manum ejus, & frangam brachia Pharaonis, & gemiſcet gemitibus confoſſi coram ipſo. verſ. 24. Et firmabo inquam brachia regis Babel, & brachia regis Pharaonis cadent, & cognoſcent quòd ego Jehovah, me dante gladium meum in manum regis Babel, & cùm tetenderit illum in Ægyptum. verſ. 25.

verſ. 25. *Et diſſipavero Ægyptio in gentibus, & ſparſero ipſos in terris, cognoſcent, inquam, quod ego Jehovah.* v. 26.

§. 6. Quinta prophetia, Ez. c. 31. tangit nominatim regem Ægypti; cui verſu 1 — 13. ut & omnibus dynaſtis mundi, vers 14. 15. 16. 17. propoſito Aſſyrio in exemplum, ut ſi ei factus ſit ſimilis in pulchritudine, vitet ei aſſimilari in peccato, ne ei aſſimiletur in pœnâ; pronunciatur ſententia in Pharaonem, vers 18. *Et factum eſt undecimo anno, tertio, primo menſis, delatum eſt verbum Jehovæ ad me, dicendo:* vers 1. *Fili hominis, dic ad Pharaonem regem Ægypti, & ad turbam ejus: Cui ſimilis factus es magnitudine tuâ?* vers 2. *Ecce Aſſur, cedrus in Libano, pulcher ramis, & fronde umbroſo, & procerus ſtaturâ, cujusque lanugo exſtitit inter craſſos ramos.* i. e. infirmiſſima inter firmiſſima aliorum principum & regum. vers 3. *Quem aquæ amplificarunt, abyſſus extulit, quæ fluvios ſuos circumiens plantationem ſuam, & elices ſuos mittebat ad omnes arbores agri.* vers 4. *Propterea exaltata eſt proceritas ejus præ omnibus arboribus agri, & creverunt rami ejus, & prolongati ſunt termites ejus ab aquis multis, cùm emitteret.* vers 5. h. e. quaſi divina benedictio & abundantia divinarum opum ad ampliſicandum Aſſyrium redundavit in totum mundum, in omnes gentes & regna. *In ramis ejus nidulatæ ſunt volucres cœli, & ſub termitibus ejus pepererunt omnia animalia agri, & in umbrâ ejus conſidebant omnes gentes amplæ.* vers 6. *Et pulcher factus eſt magnitudine ſuâ, longitudine ramorum ſuorum: quia erat radix ejus apud aquas multas.* vers 7. *Cedri non operuerunt eum in horto Dei, abietes non fuerunt ſimiles ramis ejus, & caſtaneæ non fuerunt ut termites ejus: nulla arbor in horto Dei,* nulla poteſtas in toto mundo, *ſimilis fuit ipſi in pulchritudine ſuâ.* vers 8. *Pulchrum ipſi feci in multitudine ramorum ſuorum, & inviderunt ipſi omnes arbores Eden, quæ erant in horto Dei.* vers 9. *Quapropter ſic dixit Dominus Jehovah, quandoquidem exaltatus es proceritate, & dedit lanuginem ſuam uſque inter craſſos ramos, & elatum eſt cor ejus in altitudine ſuâ.* vers 10. *Et dabam ipſum in manum dynaſtæ gentium, qui faciendo faciebat ipſi, in injuſtitiâ ipſius expellebam ipſum.* vers 11. *Et exciderunt eum peregrini, violenti gentium, & omiſerunt eum: in montes & in omnibus declinationibus ceciderunt rami ejus, & frangebantur termites ejus in omnibus cavis terræ, & deſcendebant ab umbrâ ejus omnes populi terræ, & omiſerunt eum.* vers 12. *Super prolapſo* (ſive *ruinâ*) *ejus habitant omnes volucres cœli, & ſuper termitibus ſuis exſtiterunt omnia animalia agri.* vers 13. *Ne exaltentur proceritate ſuâ ullæ arbores aquarum, & dent lanuginem ſuam uſque inter craſſos ramos,* i. e. ne putent, imperia ſua tam ſtabilia eſſe, atque eſt imperium Dei & Chriſti, *& non conſiſtant dynaſtæ* (*aut robuſtæ*) *ipſarum in altitudine ſuâ omnes bibentes aquam; quia omnes datæ ſunt in mortem, in terram inferiorem in medio filiorum hominis, ad deſcendentes in foveam.* vers 14. *Sic dixit Dominus Jehovah: quo die deſcendit in infernum, luctum feci, texi propter ipſum abyſſum, & coërcui fluvios ejus, & cohibitæ ſunt aquæ multæ, & atrore indui propter ipſum Libanum, & omnes arbores agri propter ipſum obnuptæ.* Luctus & conturbatio ſtatus omnium populorum ſignificatur. vers 15. *A voce ruinæ ejus feci commoveri gentes, cùm deſcendere facerem in infernum ad deſcendentes in foveam, & conſolationem perceperunt in terrâ inferiori omnes arbores Eden, electiſſimum & optimum Libani, omnes bibentes aquam.* vers 16. *Etiam illæ cum ipſo deſcenderunt in infernum, ad confoſſos gladio, & brachium ejus, qui ſederunt in umbrâ mortis, in medio gentium.* vers. 17. *Cui aſſimilatus es ſic gloriâ & magnitudine in arboribus Eden? Et detruderis cum arboribus Eden in terram inferiorem:*

ſeriorem : in medio præputiatorum cubabis cum confoſſis gladio. Hic Pharao & omnis turba ejus, dictum Domini Jehovæ. v. 18.

§. 7. Sexta prophetia, cap. 32: 1 — 16. continet Threnum ſuper Pharaone rege Ægypti. In eo 1. Propheta ordinem ac modum exitus calamitoſi regni & vaſtitatis Ægypti ὑποτυποῖ. Modus excidii regis & regni Ægyptiaci poſt inſcriptionem, ita explicatur; *Et factum eſt, anno duodecimo, duodecimo menſe, primo menſis, factum eſt verbum Jehovæ ad me, dicendo*: vers 1. *Fili hominis, tolle lamentum ſuper Pharaone rege Ægypti. Dices ad ipſum*: *Leo gentium*, qui ſolebas inter gentes prædas agere, *occidiſti? at tu eras, ut cetus in maribus*, graſſans, terribilis omnibus piſcibus & navigantibus, *& impetu ferebaru in fluminibus* i. e. populis *tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis*, i. e. ſtatum rerum publicarum paſſim confundebas, *& conculcabas flumina illorum.* ſubint. marium. i. e. exercitus contra te productos proſternabas. vers 2. *Sic dixit Dominus Jehovah*: *Et* (h. e. *ideo*) *expandam ſuper te rete meum in cœtu populorum multorum & amplorum, & educent te lagenâ meâ.* vers 3. *Et omittam te in terrâ, in faciem agri projiciam te, & faciam tibi incubare omnes volucres cœli, & ſatiabo de te feram omnis terræ.* vers 4. *Et dabo carnem tuam ſuper montes, & implebo declivia præcellentiâ tuâ.* vers 5. Hiſce ſignificatur, venturos Ægyptios & regem ipſorum in poteſtatem hoſtium, quos Deus ad hoc excitaturus erat, & in unum imperium congregaturus ex populis multis, ita ut tanquam indagine cingantur, & in Ægypto ſubſiſtere non poſſint, & partim cædantur, partim exulare cogantur, & in gentibus ſint contemptibiles, ſubditi alienæ poteſtati, & ſint prædæ hominibus, & tandem ut cadavera viva in regnis mundi appareant; inſervientes continuandis magnis imperiis, quemadmodum expletis vallibus montes continuantur. Apparet, Ægyptios primò perveniſſe in poteſtatem Babyloniorum, deinde Perſarum, tum Græcorum, poſtea Romanorum, Arabum denique ac Turcarum. Ita ſine dubio per magna iſta imperia disjecti ſunt Ægyptii & vetuſtæ ipſorum familiæ, veneruntque in locum ipſorum alienigenæ, ipſi autem inſervierunt rerum potentibus ad imperia continuanda. Porrò & magnam cædem Ægyptiis interminatur: *Et irrigabo terram natatus tui*, h. e. in quam feciſti exundare aquas tuas, ut eam vel ei ſupernatares, *ſanguine tuo uſque ad montes, & alvei implebuntur ex te.* vers 6. Magnas item tenebras fore, h. e. tantam calamitatem, ut ſol ipſis non videatur lucere: *Et tegam, cùm extinguam te*, ut non luceas ampliùs, *cœlos, & atrore induam ſtellas ipſorum*: *Solem, nube tegam illum, & luna non faciet lucere lucem ſuam.* vers 7. *Omnia luminaria lucis in cœlis, atrore induam ea ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam, ait Dominus Jehovah.* vers 8. Ruinam Ægyptiorum, & regis ipſorum, cum incommodo populorum & gentium aliarum futuram eſſe: *Et excruciabo cor multorum populorum; cùm deducam fractionem tuam in gentes, in terras, quas non noveras.* vers 9. Gladium Dei ita vibrandum coram gentibus in Ægyptum, ut populi & reges horreant: *Et obſtupeſcere faciam ſuper te populos multos, & reges ipſorum horrebunt ſuper te horrore, cùm vibrabo gladium meum contra faciem ipſorum, & trepidabunt in momenta quisque pro animâ ſua, in die ruinæ tuæ.* vers 10. Inſtrumentum autem Dei regem Babylonium cum maximis copiis militum violentiſſimorum: *Nam ſic dixit Dominus Jehovah: gladius regis Babel veniet in te.* vers 11. *Gladiis fortium faciam cadere turbam tuam, qui ſunt violenti gentium omnes; & vaſtabunt elationem Ægypti, & profligabitur omnis turba ejus.* vers 12. Cum abolitione non tantùm hominum, ſed etiam pecudum; ut ceſſent expeditiones Ægyptiorum, per quas omnia fuerant confuſa: *Et perdam omne pecus ejus de aquis multis, & non turbabit eas pes hominis ampliùs, & , quod atteret ungulas pecudis, non turbabit illas.* vers 13. 2. Tùm

2. Tùm deinde promittit Deus, ſecuturam eſſe pacem poſt Ægyptiorum cladem: *Tunc faciam ſubſidere* (h. e. ſubſidente cœno limpidas faciam) *aquas eorum, & fluvios eorum inſtar olei faciam ire*, ; *ait Dominus Jehovah*, i. e. clementer & molliter ſine fluctibus & magno ſtrepitu. v. 14.

3. Eam denique pacem ſecuturum eſſe excidium Ægypti & vaſtitatem ejus. *Cùm dabo terram Ægypti vaſtitatem & vaſtatam, terram inquam à plenitudine ſuâ, cùm percutiam omnes habitantes in eâ, & cognoſcent quòd ego Jehovah.* vers 15. Clauſula threni: *Lamentum hoc, & lamentabuntur illud, filiæ gentium lamentabuntur illud; ſuper Ægypto & omni multitudine ejus lamentabuntur illud: ait Dominus Jehovah.* vers 16.

§. 8. Septima prophetia Ibid. vers 17. ad finem Capitis, eſt quaſi conſolatio Pharaonis. Tempus, quo dictata eſt, indicat Inſcriptio: *Et factum eſt duodecimo anno, decimo quinto menſis, factum eſt verbum Domini ad me, dicendo*: vers 17. Propoſitio: *Fili hominis, ejula ſuper turbâ Ægyptiorum, & fac illam deſcendere, illos & filias gentium ingentium in terram inferiorum partium* ſive infernum *cum deſcendentibus in foveam.* quarum ſors non eſt in altero ſœculo. h. e. ipſis denuntia talem deſcenſum. v. 18. *Præ quo amabilis extitiſti? Deſcende & projicere cum præputiatis* v. 19. *In medio confoſſorum gladio cadent. Gladius datus eſt, traxerunt illum, & omnes turbæ ejus.* ſc. Ægypti *datæ ſunt.* verſ. 20. Ad conſolationem Pharaonis enumerat ſocios & culpæ & pœnæ, qui ſimiliter ceciderint: *Loquentur ipſi potentes ſortium, ex medio inferni cum adjutoribus ejus: deſcenderunt, procubuerunt præputiati, confoſſi gladio.* vers 21. *Ibi Aſſur & omnis cœtus ejus, circum ipſum ſepulchra ejus, univerſi exanimes qui ceciderunt gladio.* vers 22. *Cujus data ſunt ſepulchra in lateribus foveæ, & exſtitit cœtus ejus circa ſepulturam ejus, univerſi confoſſi* (ſive *exanimes*) *qui ceciderunt gladio. qui dederant conſternationem in terrâ viventium.* vers 23. *Ibi Elam* ſubactus ut videtur, ab Aſſyriis. Tempore enim Abrahami fuit Cedor-Laomer rex Elam. Gen. 14: 1. Cùm Aſſyrius imperium ſuum dilatâſſet, Elamitarum regnum non fuit. *& omnis turba ejus circa ſepulturam ejus, univerſi exanimes, qui ceciderunt gladio, qui deſcenderunt præputiati in terram inferiorum partium, qui dederunt conſternationem ſuam in terrâ viventium*, h. e. pacem hominum, ordinem rerumpublicarum, & pacem populi Dei turbaverunt, *& tulerunt ignominiam ſuam cum deſcendentibus in foveam.* vers 24. *In medio exanimatorum dederunt cubile ipſi cum omni multitudine ejus, circa illam ſepulchra ejus ſunt: univerſi præputiati; exanimati gladio: quia data eſt conſternatio ipſorum in terrâ viventium. Et tulerunt ignominiam ſuam cum deſcendentibus in foveam: in medio exanimatorum datum eſt.* vers 25. *Ibi Meſech, Tubal*, i. e. Scythæ, quos Herodotus teſtatur etiam paruiſſe Aſſyriis, *& omnis multitudo ejus, circa eam ſepulchra ejus: univerſi præputiati, profanati gladio, quia dederant conſternationem ſuam in terrâ viventium.* vers 26. *Et non cubant cum fortibus, qui ceciderunt ex præputiatis, qui deſcenderunt in infernum cum armis ſuis bellicis, quorum capitibus gladios ipſorum ſuppoſuerint, & venerunt pravitates ipſorum in oſſa ipſorum, quia conſternatio fortium erat in terrâ viventium.* vers 27. *Et tu in medio præputiatorum confringeris, & cubabis cum exanimatis gladio.* vers 28. *Ibi Edom, reges ejus, & omnes principes ejus, qui dati ſunt cum fortitudine ſuâ cum exanimatis gladio. Illi cum præputiatis cubant, & cum deſcendentibus in foveam.* vers 29. *Ibi uncti Aquilonis univerſi & omnis Sidonius, qui deſcenderunt cum exanimatis propter conſternationem ſuam, à fortitudine ſuâ pudefacti, & procubuerunt præputiati cum exanimatis gladio, & tulerunt ignominiam ſuam cum de-*

ſcendentibus in foveam. vers 30. *Illos videbit Pharao , & conſolationem accipiet ſuper omni turbâ ſuâ : exanimati gladio Pharao & omnis exercitus ejus , ait Dominus Jehovah.* vers 31. *Quia dedi conſternationem meam in terrâ viventium , & projectus eſt in medio præputiatorum cum exanimatis gladio, nempe Pharao & omnis turba ejus , ait Dominus Jehovah.* v. 32.

§ 9. Et toti quidem Ægypto hæc calamitas incubuit ; nominatim verò ei illius parti , quæ *Pathros* dicitur , h. e. regioni ſitæ inter Nilum & mare rubrum ; & urbibus ejus. Vid. Ezech. 30: 14. 15. 16. 17. Inprimis matri urbium *No* i. e. ut vocant lxx. apud Ezechielem cap. 30: 14. 15. Διόσπολι. h. e. interprete Euſtathio ad Dionyſium p. 36. Thebis ; quæ ita deletæ , ut ne veſtigium quidem earum ſuperſit. De hujus urbis excidio jam egerat in anteceſſum Prophetia. Jeremias c. 46:25. *Ecce ego viſito ſuper Amon de* No. Ezechiel , cap. 30: 14. 15. 16. ter facit ejus mentionem , & primò ei denunciat judicia : *Et faciam judicia in No.* vers 14. Tum excidium multitudinis : *Et exſcindam multitudinem* No. vers 15. Tertiò diffiſſionem, nempe portarum , murorum , & domorum : *Et No erit ut findatur.* vers 16. Nahum , cap. 3: 8. 9. 10. Ubi & firmitatem ejus explicat , eamque ponit 1. in ſitu. 2. in aſſitis populis. 3. in auxiliis. *An tu melior es præ No-Amon.* i. e. No urbs Amon : *quæ ſedet inter amnes : aquæ ſunt circa eam.* Sitæ erant Thebæ ad Nilum , & ſine dubio à Nilo circumfluebantur. Nam inſulæ in Nilo multæ ſunt. vel amnes alii ingredientes Nilum eam munierunt. *cujus murus eſt copia maris à mari.* h. e. cui populi à mari rubro ad mare mediterraneum pro muro fuerunt. Sitæ enim erant Thebæ Ægyptiæ ad Nili latus Orientale , & verſus Orientem illis erat mare rubrum , non magnâ diſtantiâ. Ad Septentrionem verò , quicquid Ægypti erat inter mare rubrum & Nilum , uſque ad mare mediterraneum , illi erat pro muro. Ex poſitu liquet , eam urbem fuiſſe ferè totâ Ægypto munitam & circumvallatam. vers 8. *Cuſch robur.* h. e. Arabes , à mari rubro ad ſinum Perſicum , ab Oriente , *& Ægyptus* , ab Occidente , *& non eſt finis* , quia ſcil. Ægyptus in longum ad meridiem tendit : *Put* magis ad Occidentem , *& Lybes* Putæorum gens , *fueruntne in auxilium tuum ?* Interrogatio , ſenſu negante relata ad Niniven. vers 9. *Etiam illa* tam minuta civitas *in exilium abit in captivitate : etiam pueri ejus eliduntur in capite omnium vicorum ; & ſuper honoratis ejus jaciunt ſortem , & omnes magnates ejus conſtringuntur catenis* v. 10.

§. 10. De tempore , quo circiter hæc calamitas Ægypto ſupervenerit , æſtimari poteſt ex Ezech. 29: 17. In quod protrahenda , ex Ezech. 29: 13. 14. Conf. inf. Period. v. Art. xx.

ARTICULUS LXXIII.

ÆGyptiorum ruina traxit & Æthiopes , Putæos , Ludæos , totamque Arabiam , Cubæos denique , & omnes ſocios aut fœderatos Ægyptiorum.

DEMONSTRATIO.

Æthiopes Ægyptiis in communione cladis conjungit Eſaias, cap. 20: 3. 4. 5. Et dixit Jehovah : *Quemadmodum ambulavit ſervus meus Eſajas nudus & diſcalceatus , tribus annis , ſignum & portentum ſuper Ægypto & Æthiopiâ.* vers 3. *ſic ducet rex Aſſyriæ Nebucadnezar captivos Ægypti & exules Æthiopiæ , pueros & ſervos , nudos & diſcalceatos & denudatos natibus , opprobrium Ægypti.* vers 4. *Et conſternabuntur ac*

pude-

pudefient ab Æthiopibus aſpectu ſuo, & ab Ægyptiis decore ſuo. verſ. 5. Jeremias & gentes Arabiæ; quarum nonnullas enumerat. *Et accepi calicem è manu Jehovæ, & dedi bibendum omnibus gentibus ad quas miſerat me Jehovah.... Et omni colluviei, nempe regibus terræ Utz... Dedanæis, Thema, Buz, & omnibus præciſis angulo, Et omnibus regibus Arabiæ; denique omnibus regibus colluviei, qui habitant in deſerto.* Jer. 25: 11. 20. 23. 24. Add. Jer. 49: 27. Ez. 30: 4. 5. 6. 8. 9. omnes iſtos populos ita complectitur, ut tamen præcipuè ad Æthiopes communis damni neceſſitatem & ſenſum referat. *Et veniet gladius in Ægyptum, & exiſtet dolor in Cuſch, cadente confoſſo in Ægypto.* verſ. 4. *Cuſch, & Put & Lud, & omnis colluvies* (aut *Arabia*) *& Cubb & filii terræ fœderis*, nim. Ægyptiaci, *cum ipſis gladio cadent.* verſ. 5. *Sic dixit Jehovah, & cadent fulcientes Ægyptum, & deſcendet celſitas roboris ejus.* verſ. 6. *Et cognoſcent, quòd ego Jehovah, me dante ignem in Ægypto, & quum confringentur omnes adjutores ejus.* verſ. 8. *Die illo exibunt legati ad terrefaciendum Cuſchæos ſecuros, & exiſtet dolor in illis in die Ægypti. Nam ecce venit.* verſ. 9. Zephanias denique ad idem implementum reſpexit, cap. 2: 12. *Etiam vos, Cuſchæi, exanimati gladii mei eritis.* Sunt autem Cuſchæi in Sacris non tantùm extremi Æthiopes (quanquam etiam ii ſunt, unde Jerem. 13: 22. Æthiops negatur mutare pellem, quòd potiùs intelligendum de atris hominibus, quàm de fuſcis,) ſed etiam citeriores, v. c. habitantes in Arabiâ Felice, & terrâ Midjan, &c. Verbo, maris rubri & Perſici accolæ, vicini Ægypti ad Ortum.

ARTICULUS LXXIV.

EIdem quoque rei communis naufragio involuti Judæorum illi, qui ſalutis causâ in Ægyptum, (ſuprà Art. LXIX.) receperant ſeſe.

DEMONSTRATIO.

Quod ipſis eventurum prænunciavit Jeremias, cap. 42: 15. 16. 17. 18. 22. *Ergo igitur, audite verbum Jehovæ, reſiduum Judæ: Sic dixit Jehovah Deus exercituum, Deus Iſraël: Si vos animum inducitis ire in Ægyptum, & venitis ad commorandum ibi.* verſ. 15. *Fiet, gladius, quem vos metuitis, ibi aſſequetur vos in Ægypto; & fames, quam vos formidatis, eò perſequetur vos in Ægyptum, & ibi moriemini.* verſ. 16. *Et hoc fiet omnibus viris, qui animum induxerunt abire in Ægyptum, ad commorandum ibi, morientur gladio, fame, & peſte, & non erit ipſis ſuperſtes & qui evadat malum, quod ego adduco in ipſos.* verſ. 17. *Nam ſic dixit Jehovah Deus exercituum Deus Iſraëlis: Quemadmodum manavit ira mea & ardor meus in habitantes Hieroſolyma; ſic manabit ardor meus in vos, cùm veneritis in Ægyptum; & fietis adjuratio, & ſtupor, & exſecratio & convitium, & non videbitis ampliùs locum hunc.* verſ. 18. *Ergo ſcitote, quòd gladio & fame & peſte morituri ſitis in loco, ad quem vultis ire, ut commoremini ibi.* verſ. 22. Item cap. 44: 12. 13. *Et accipiam reliquum Judæ, qui induxerunt animum venire in Ægyptum ad commorandum ibi, & conſumentur ibi, in Ægypto cadent, gladio, fame, conſumentur tàm parvi quàm magni; gladio & fame morientur, & fient adjuratio, ſtupor, maledictum & convitium. Et viſitabo ſuper manentibus in Ægypto, quemadmodum viſitavi ſuper Hieroſolymis, gladio, fame, & peſtilentiâ.* Et verſ. 27. 29. Ibidem: *Ecce ego vigilo ſuper vos in malum & non in bonum, & conſumentur omnis vir Judæ, qui ſunt in Ægypto, gladio, & fame donec conficiantur.* verſ. 27. *Et hoc vobis ſignum, ait*

Jehovah, quòd ego viſitem ſuper vobis in loco hoc, ut cognoſcatis, quòd conſtitura ſint verba mea contra vos in malum.

ARTICULUS LXXV.

EVaſere tamen, quos Deus deſtinaverat, & reverſi ſunt in terram Judæ.

DEMONSTRATIO.

Indicat Jeremias, cap. 44: 14. *Et non erit, qui evadat, & reſiduus reliquiis Judæ.* ſcil. niſi ex verâ clade & calamitate. *Nam non revertentur, niſi qui evadent.* Et verſ. 28. *Et effugientes gladium redibunt ex Ægypto in terram Judæ, homines numeri.*

ARTICULUS LXXVI.

POſt Ægyptum vinci neminem puduit. Secuta igitur ſtatim Aſia minor, & Zimri, & Elam, & Madai, omneſque reges Aquilonis, propinqui & longinqui, cæteraque omnia; ſic adgubernante Deo, ut quemadmodum à Septentrione in Meridiem belli tempeſtas primò detonuerat, ità à meridie in Septentrionem cum ordine victoriarum remearet.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De Aſia minore id notat Eſaias cap. 20: 5. 6. *Et conſternabuntur ac pudefient ab Æthiopibus aſpectu ſuo, & ab Ægyptiis decore ſuo. Et dicet incola hujus maritimi tractus in illo die: Ecce ſic eſt aſpectus noſter, quò fugiebamus auxilii cauſâ ut eriperemur, propter regem Aſſyriæ: & quomodo effugiemus nos?* Sequenti verò capite 21. verſ. 1. quam hîc אִי *Inſulam*, vel *terram maris*, q. d. maritimum tractum; *deſertum maris*, appellat, ſignificans, id quod metuebat, ipſi eveniſſe, atque ita terram maris in deſertum verſam fuiſſe. Cœterùm ad terram maris, de quâ loquitur Eſaias, non tantùm Palæſtinam & terram Canaan, & Syriam, ſed & Aſiam minorem pertinere, patet ex parallelâ huic prophetiâ Jeremiæ, quæ exſtat Jer. 25: 22. Ubi propheta porrigit calicem iræ Dei *& Regibus Inſulæ, quæ eſt ultra mare.* Nam Judæis Aſia minor erat ultra mare. In reliquam partem Articuli porrò ſic vaticinatur idem Jeremias, Ibid. verſ. 25. 26. *Et omnibus regibus Zimri, & omnibus regibus Elam, & omnibus regibus Mediæ. Et omnibus regibus Aquilonis, propinquis & longinquis cuique cum fratre ſuo, & omnibus regibus terræ, qui ſunt in facie terræ.* Ubi terram, *οἰκουμένην*, vocat ditionem Babylonii, quia, quicquid extra hos, populos erat, barbarum erat. Ita ditio Romanorum *οἰκουμένη*, Luc. 2: 1. & apud Exoticos appellatur.

§. 2. Quin etiam vaſtandas ac perdendas fuiſſe omnes has regiones, cum internecione plurimorum hominum, futurâ gladio, quem Deus in illas regiones & gentes ſit immiſſurus, Spiritus pronunciat; Ibid. apud Jeremiam, cap. 25. *Ecce ego mitto, & capiam omnes familias Septentrionis, (ait Jehovah) & ad Nebucadnezarem regem Babel ſervum meum, & adducam eos in terram hanc, & in habitatores ejus, & in omnes gentes has circumquaque, & devovebo eos, & ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in vaſtitates ſæculi.* verſ. 9. *Et perdam ab ipſis vocem hilaritatis & vocem lætitiæ, vocem ſponſi & vocem ſponſæ, vocem molæ & vocem lucernæ.* verſ. 10. *Et fiet*

tota

tota terra hæc vaſtitas & ſtupor; & ſervient gentes hæ regi Babel ſeptuaginta annos. verſ. 11. *Nam ſic dixit Jehovah Deus Iſraël ad me: accipe calicem vini ardoris hunc è manu meâ, & da illum bibendum omnibus gentibus, ad quas ego te mitto.* verſ. 15. *Et bibent & fatiſcent, & inſanient propter gladium, quem ego mitto inter eas.* verſ. 16. *Et accepi calicem è manu Jehovæ, & dedi bibendum omnibus gentibus, ad quas miſerat me Jehovah.* verſ. 17. *Hieroſolymæ* &c. verſ. 18 —— 26. *Et dices ad eos: Sic dixit Jehovah Deus exercituum, Deus Iſraël: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, & ne ſurgatis, propter gladium, quem ego mitto inter vos.* verſ. 27. *Et fiet, cùm recuſabunt accipere calicem è manu tuâ ad bibendum, dices ad ipſos; Sic dixit Jehovah Deus exercituum: omninò bibetis.* verſ. 28. *Nam ecce ab urbe, ſuper quâ eſt nominatum nomen meum, ego incipio ad malè faciendum, & vos immunes eſſetis? Non eritis immunes.* verſ. 29. *Et tu vaticinare ad ipſos omnia verba hæc, & dic ad ipſos: Jehovah ex alto rugiet, & ex habitaculo ſancto ſuo dabit vocem ſuam: rugiendo rugiet ſuper habitaculo ſuo: hedad, ut calcantes, ſonabit ad omnes habitantes terram.* verſ. 30. *Venit repentina vaſtitas uſque ad terminum terræ. Nam lis eſt Jehovæ in gentibus: diſceptat ipſe omni carni: improbos* (ſive *damnatos*) *tradit gladio, ait Jehovæ.* verſ. 31. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: Ecce malum exit de gente ad gentem, & procella magna excitabitur à lateribus terræ.* verſ. 32. *Et erunt exanimati Jehovæ in die illo à fine terræ & uſque ad finem terræ: non plangentur & non compenentur, & non ſepelientur: fimus in facie terræ fient.* verſ. 33. *Ejulate, paſtores, & clamate, & conſpergite vos, majores gregis. Nam impleti ſunt dies veſtrs ad mactandum: & diſperſiones veſtræ meum fient, & cadetis, ut vas deſiderii.* verſ. 34. *Et peribunt perfugium à paſtoribus, &, qui evadant, à majoribus gregis.* verſ. 35. *Vox clamoris, paſtorum auditur, & ejulatus majorum gregis, quia vaſtat Jehovah paſtum ipſorum.* verſ. 36. *Et occidunt manſiones pacis propter æſtum iræ Jehovæ.* verſ. 37. *Dereliquit tanquam juvenis leo latibulum ſuum. Nam facta eſt terra illorum vaſtitas propter æſtum gladii affligentis, & propter æſtum iræ ejus.* verſ. 38.

§. 3. Scilicet *advenerat dies Domini, dies nubis & tempus gentium.* Ez. 30: 3. Et *impleti erant dies ipſarum ad mactandum.* Jer. 25: 34. Nam *lis erat Jehovæ in gentibus; diſceptabat ipſe omni carni.* Ibid. verſ. 31. Cujus diſceptationis effectus erat *ponere terram deſolationem, & profligare peccatores ex eâ.* Eſai. 13: 9. Jer. 25: 31. *Inceperat* autem *judicium ab urbe, ſuper quâ nominatum erat nomen Dei.* Jerem. 25: 29. Conveniens igitur erat, *ut* aliæ *gentes non eſſent immunes.* Ibid. Et *gladius* ſemel eductus contra populum Dei, *graſſaturus erat à Meridie verſus Septentrionem.* Ezech. 21: 9. 3. Imò ab hoc tempore *gladius non erat rediturus in vaginam;* Ibid. verſ. 10. *neque ignis iræ & excandeſcentiæ Divinæ extinguendus.* Ibid. verſ. 4. coll. Eſai. 13: 9. Deo omnia expediente ac præparante in adventum ſuum & regni ſui, adeoque magnis & horrendis judiciis impotentiam carnis ad ſubjiciendum ſeſe Deo, vel omninò aliquid faciendum, quo ipſi placeat, & legis ad condemnandum peccatum & juſtificandum peccatorem imbecillitatem denudante; quo ſic manifeſtata neceſſitate gratiæ & doni cœleſtis, opportunus ipſe ad ſalvandum, & juſtitiam ac pacem ſæculorum adducendam, tàm gentibus, quàm populo, adveniret.

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ

PERIODUS QUINTA.

De rebus geſtis à conſtitutione Monarchiæ Babylonicæ uſque ad Nativitatem Chriſti.

ARTICULUS I.

O*Mnibus in manum Nebucadnezaris datis, ubi homines habitabant;* Dan. 2: 38. Judæâ inquam, Palæſtinâ, Ægypto, Arabiâ, Aſiâ minore, &c. qui populi hâc tempeſtate ſapientiâ, potentiâ & opibus reliquos mortales antecellebant, Græcis nondum admodum celebribus, & Romanis adhuc prorſùs ignoratis; Exſtitit *Statuæ* illius portentoſæ, quam Nebucadnezar vidit per quietem, *Caput*, id eſt, Monarchia ex ordine prima. Dan. 2: 33. Babylonica nimirùm, *Nebucadnezaris & filiorum ejus.* Dan. 2: 38. 39.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Vid. loca citata. In hâc imagine *Caput* ſignificat non tantùm Monarchiam temporis aut loci ratione primam, ſed & unitatem illius: quòd nimirùm vera ac perfecta eſſet Monarchia; ſicut caput unum eſt corpori, ſine pari. Quòd verò *aureum* illud caput apparuerit, nobilitatem & præſtantiam hujus monarchiæ ſignificat. Sequentia enim imperia, ut deteriora, ita generi humano & populo Dei minùs commoda fuerunt. Convenit, quod eſt Eſai. 13: 19. *Babylon, decus regnorum, ornamentum celſitatis Chaldæorum.*

§. 2. Amplitudo hujus Monarchiæ facilè intelligitur ex Dan. 2: 33. & hactenus demonſtratis. Nebucadnezari verò repræſentatur in imagine *arboris proceritatis magnæ, quæ creverit, & invaluerit, & cujus altitudo pertigerit ad cælum, & conſpectus ad finem totius terræ; cujus frondes pulchræ & fructus copioſus; & in qua cibus fuerit omnibus, ſub qua manſerit fera agri, & in cujus ramis habitaverint volucres cæli.* Dan. 4: 10. 11. 12. 20. 21. 22. Eſaiæ imperium Nebucadnezaris & filiorum ejus *Serpens* appellatur, in comparatione Medorum & Perſarum, ut *Baſiliſci.* Nam Nebucadnezar ſolus aliquantum rerum geſſit, & fuit rex magnâ prudentiâ, & magnâ majeſtate. Eſai. 14: 29.

ARTICULUS II.

DEus interim exulum Judæorum habet rationem, mittendo ipſis Prophetas, & Jeremiam, Ezechielem, Danielem; & verba eorum implendo: Tùm

Tùm faciendo, ut Iſraël, quanquam in medio gentium extra terram Canaan habitaret, tamen maneret populus peculiaris, & inſtituta legis, quantùm in loco exilii licebat, obſervaret.

DEMONSTRATIO.

Huc reſpicit Eſaias, ita vaticinans: *Nam miſerabitur Jehovah Jacobum, & eliget adhuc Iſraëlem.* Eſ. 14: 1. Jeremias: *Sic dixit Jehovah Deus Iſraël: Tanquam ficus bonas illas, ita agnoſcam exules Judæ, quos expuli ex loco hoc in terram Chaldæorum in bonum. Et figam oculum meum ſuper ipſis in bonum.* Jerem. 24: 5. 6. *Nam ego novi cogitationes, quas ego cogito ſuper vobis, (ait Jehovah) cogitationes pacis, & non in malum, ad dandum vobis extremum & exſpectationem.* Jer. 29: 11. *Cùm dixeritis: Excitavit nobis Jehovah prophetas Babylonem.* Ibid. vers 15. Ezechiel: *Et vidi, & ecce* poſt ventum procelloſum venientem ab Aquilone, *nubes magna*, ſtatus quidem plenus triſtitiæ, ſed tamen in quo eſſet conſpicua Divina protectio & recreatio ab æſtu, *& ignis* incendens quidem aliquid & devorans, ſed & *circumplectens*, & continens ſeſe, *cui erat ſplendor circumquaque.* Deus nim. interveniens calamitati, qui eſt ignis devorans, & charitas, & lux: atque is ſe exhibens populo vindicem, & aſſertorem, & oſtendens, ſe adhuc velle in medio ipſorum habitare, atque ideo ſe continens, neque illos conſumens propter peccata ipſorum. Ezech. 1: 4. *Sic dixit Dominus Jehovah: Ecce me, me inquam, qui curabo oves meas, & luſtrabo eas. Ut luſtrat paſtor gregem ſuum, quo die eſt in medio ovium ſuarum ſegregatarum; ſic luſtrabo oves meas, & eripiam eas ex omnibus locis, quò diſſipatæ ſunt, in die nubis & caliginis.* Ezech. 34: 11. 12.

ARTICULUS III.

PEr vaticinia autem Prophetarum, eventis hactenùs comprobata, factum eſt. 1. ut veri Prophetæ agnoſcerentur, & falſorum auctoritas evaneſceret.

DEMONSTRATIO.

Hoc dicit, de veris Prophetis, Ezechiel: *Illâ die aperietur os tuum apud eum, qui effugerit, & loqueris, & non obmuteſces ampliùs, & eris ipſis in portentum, & agnoſcent, quòd ego Jehovah.* Ezech. 24: 27. *Die illo .... tibi dabo apertionem oris in medio illorum: & cognoſcent, quòd ego Jehovah.* Ezech. 29: 21. Scil. propheriis adimpletis, Ezechiel, ut & cæteri Prophetæ, habent apertionem oris. Loquuntur enim omnibus in nomine Dei in *libris* ſuis, & recognoſcuntur verba Dei loqui. Falſis id quod propoſitum, minatur Ezechiel: *Quare temerarium non videbitis, & divinationem non divinabitis ampliùs, & eripiam populum meum ex manu veſtrâ: & cognoſcetis, quòd ego Jehovah.* Ezech. 13: 23. *Sic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego in paſtores, & requiram oves meas ex manu illorum, & faciam eos ut eſſent paſcere oves, & non paſcent ampliùs paſtores ſe, & eripiam oves meas ex ore ipſorum, & non erunt ipſis cibus.* Ez. 34: 10. Scil. quorum prophetarum verba non implentur, eorum auctoritas hoc ipſo refutatur.

ARTI-

ARTICULUS IV.

FActum II. Ut auditorum alii, implementorum Propheticorum veritate excitati & illuminati, converterentur ad Deum; Alii, quanquam in moribus perſeverarent, tamen agnoſcere cogerentur, quod is, qui ipſos percuteret, ſit Jehovah: Sicque boni à malis ſegregarentur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque ſingulari modo impletum eſt, quod de repurgatione Iſraëlitarum eſt apud Eſajam: *Et referam manum meam ſuper te, & conflabo ad puritatem ſcorias tuas, & auferam* vel ſeparabo à te *omne ſtannum tuum.* Eſ. 1: 25. *Tritura mea, & fili horrei mei.* Eſ. 21: 10.

§. 2. Et de illuminatione quidem & converſione quorundam exulum ad Deum, quòd, & qualis, eſſet futura hoc rerum Articulo, ferè omnes loquuntur Prophetæ. Moſes: *Et erit, quum venient ſuper te omnia verba hæc, benedictio & maledictio, quam poſui coram te, tum revocabis ad cor tuum in omnibus gentibus, quò pepulerit te Jehovah Deus tuus. Et converteris ad Jehovam Deum tuum, & obedies voci ejus, ſecundùm omnia, quæ ego præcipio tibi.* Deut. 30: 1. 2. Pſaltes, quaſi perſonam pœnitentium induens: *Ad flumina Babylonis ibi ſedimus, etiam flevimus, dum recordaremur Sionis.* Pſ. 137: 1. Et clariùs: *Ædificat Hieroſolymam Jehovah, exules Iſraëlis colligit. Qui ſanat contritos corde, & obligat dolores illorum.* Pſ. 147: 3.

§. 3. Eſaias rem propoſitam innuit, ubi poſt ſarmentorum reciſionem, & ſtolonum avulſionem, & ſequentem proculcationem volatilis montium & pecudum terræ, id eſt regni deſtructionem, & populi deportationem Babylonicam, facit mentionem *Populi*: *In tempore illo offeretur munus Jehovæ Deo exercituum populus.* ſcil. in Ægypto Deus reperit *gentem*, quam extraheret, ut eam faceret *populum.* In Babylone fecit *populum*, ut eum *extraheret.* Fecit autem populum, per donum converſionis multorum. Eſ. 18. 7. Quem idcircò etiam *reliquum populum ſuum* vocat Deus. Eſ. 28: 5. Huc facit, quod eſt Eſ. 18: 4. *Quieſcam & intuebor in ſtatione meâ; ut calor ſereni circa lucem.* Sive Solem. id eſt, ut gratiâ illuminationis ſeu converſionis iis ipſis, qui affligerentur, præſens. Conf. inf. Ezech. 1: 4. Porrò eandem gratiam ſignificat Deus, ubi commemorans, quomodo Iſraëlem & tulerit & caſtigaverit, caſtigationis exemplum ponit, quòd *conflaverit eum in catino inopiæ*, putà in captivitate Babylonicâ, *non in argento*, meras ſcorias: Attamen dicit, in illâ caſtigatione *ſe elegiſſe Iſraëlem*, h. e. tanquam ex medio igne aſſumſiſſe, & ex ſcoriâ argentum feciſſe, exules nonnullos illuminando & convertendo ad ſe. Cauſam quoque electionis refert ad ſe: *Propter me feci, ne* ſcil. *profanaretur gloria mea, alteri non dabo.* Eſ. 48: 9. 01. 11.

§. 4. Jeremias præceptum Dei de converſione exulibus inculcat his verbis: *Tantùm agnoſce pravitatem tuam, quòd à Jehovah Deo tuo defeceris, & ſparſiſti vias tuas aliis ſub omnem arborem viridem, & ſermoni meo non auſcultaveritis; ait Jehovah. Convertimini, filii averſi, ait Jehovah: quia ego dominationem exercui in vos.* i. e. regnum meum inter vos retinui, non vos alienavi, quanquam vos abducendos curavi in Babyloniam: *& capiam vos unum de civitate, & duos ex familiâ, & deducam vos Sionem.* Decrevi aliquos veſtrum licet paucos reducere Sionem. Quare maturè convertimini, ut hujus reductionis & bonorum conſequentiam fiatis participes. Jerem. 3: 13. 14.

3. 13. 14. Idem de gratiâ converſionis reliquiis quibuſdam in loco exilii impertiendâ, ſic loquitur: *Ibi*, nempe in terrâ, in quam vos projiciam, *coletis Deos alios die ac nocte, quibus veſtrum non dabo gratiam* Jerem. 16: 13. *Omnes paſtores tuos depaſcetur ventus, & amaſii tui captivi abibunt. Nam tunc pudefies & confunderis propter omnem malitiam tuam.* Jerem. 22: 22. *Habitans in Libano, nidulans in cedris, quantoperè condolentiam conſecuta es, venientibus tibi cruciatibus, dolore ut parturientis.* Ubi ſignificatur, eos per condolentiam Dei converſum iri, eò nempe, ut patet ex v. præced., ut ipſos püderet malitiæ ſuæ. Jerem. 22: 23. *Agnoſcam exules Judæ, quos expuli ex loco hoc in terram Chaldæorum in bonum. Et figam oculum meum ſuper ipſis in bonum.* Jer. 24: 5. 6. *Et invocabitis me & pergetis,* (ſive *indeſinenter*,) *& orabitis ad me, & exaudiam vos. Et quæretis me & invenietis. Nam rationem mei habebitis* (ſive *intendetis mihi*) *ex toto corde veſtro.* Jer. 29: 2. 3.

§. 5. Ezechieli gratia illuminationis quorundam in captivitate ad converſionem in emblemate *lucis* ſive *ſplendoris circa ignem* fuit repræſentata. Ezech. 1: 4. Et rurſus eandem ſignificat in hiſce: *Quapropter dic, ſic dixit Dominus Jehovah: Quia elongavi eos in gentibus, & quia diſperſi eos in terris, exſtiti ipſis in ſanctuarium brevi* (vel *parum*, ſive *paucorum*) *in terris, in quas venerunt.* id eſt, per inhabitationem meam paucos ipſorum ſanctificavi, & converti ad me. Ezech. 11: 16. *Quapropter dic ad domum Iſraël: Sic dixit Dominus Jehovah, Revertimini ac reducite* vos & alios *à ſtercoribus veſtris, & ab omnibus abominationibus veſtris abducite faciem veſtram.* Dum enim id præcipit Deus, ſignificat, ſe nonnullos hâc gratiâ dignaturum. Ez 14: 5. *Et diſſipabo te in gentibus . . Et profanaberis in te.* h. e. profanitatem tuam cognoſces, *coram oculis gentium.* Fœditatem enim ſuam cognovit urbs ſanguinaria, Hieruſalem, quando converſi ſunt captivi ad Deum. Ezech. 22: 15. 16. *Et abolebo ſcelus tuum à te, & fornicationem tuam à terrâ Ægypti, & non tolles oculos tuos ad ipſos, & Ægypti non recordaberis ampliùs.* Ezech. 23: 27. *Nam ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce me, me inquam, qui curabo oves meas, & luſtrabo eas.* Ez. 34: 11.

§. 6. Joël hoc converſionis donum huic ſententiæ involvit: *Et compaſſus eſt Dominus populo ſuo.* Jo. 2: 18. Michæas iſti: *Dole & erumpe, filia Sion, ut puerpera, quia nunc exibis è civitate, & procumbes in agro, & pervenies uſque in Babyloniam.* Mich. 4: 10.

§. 7. Futurum autem, ut implementis propheticis excitati converterentur ad Deum, toties oſtendit Ezechiel, quoties occaſione judicii Divini populo irrogandi, vel beneficii promiſſi exſtantis, *ipſos cognituros* pronunciat, *quòd ipſe*, qui talia prædixiſſet, *ſit Jehovah.* Significat enim, cognituros, quòd neque ipſi, neque patres ipſorum, Jehovam cognoverint, nec coluerint, ignorantes Angelum teſtamenti reverâ Jehovam eſſe. Ut ea cognitio ſit converſio à ſapientiâ carnali, & pravâ opinione de Deo ad veram fidem & amorem Dei in Filio. Exempli gratiâ: *Vias tuas ſuper te dabo, & abominationes tuæ in medio tui exiſtent; & cognoſcetis, quòd ego ſim Jehovah.* Ezech. 7: 4. *Et cognoſcent, quòd ego ſim Jehovah, me ipſos diſpergente in gentibus & ventilante in terris. Et reliquos faciam de ipſis homines numerabiles de gladio, de fame, de peſte, ut narrent omnes ſuas abominationes in gentibus, ad quas venerint; & cognoſcent, quòd ego ſim Jehovah.* Ezech. 12: 15. 16. *Ut liquatur argentum in medio catini, ſic liquabimini in medio ejus,* (Hieroſolymæ) *& cognoſcetis, quòd ego Jehovah effuderim ardorem meum in vos.* Ezech. 22: 22. *Et fiet Jechezkel in portentum: planè quemadmodum fecit, facietis: Cùm venerit illud, cognoſcetis, quòd ego Dominus Jehovah.* Ez. 24: 24. *Illâ die aperietur os tuum apud eum, qui effugerit, & loqueris, & non*

& non obmuteſces ampliùs, & eris ipſis in portentum, & cognoſcent, quòd ego Dominus Jehovah. Ezech. 24: 27. Implementis ſcil. prædictionum exſtantibus, fiunt prophetæ in portenta, & habent apertionem oris, ut verba ipſorum agnoſcantur eſſe verba Dei, & qui ea impleta animadvertunt, hoc pacto ad Deum, qui eſt Jehovah, convertuntur. In quam ſententiam iterum affirmat Deus, ſe prophetæ, rebus prædictis exſtantibus, *daturum apertionem oris in medio exulum*; *& illos cognituros, quòd ipſe ſit Jehovah.* Ez. 29: 21.

§. 8. Et hi quidem ſunt, qui ſic convertebantur, quos Deus, ſe *erepturum è manu falſorum prophetarum*, promiſit. Ez. 13: 23.

§. 9. Fuiſſe autem in cœtu exulum quamplurimos, qui ſic ex toto corde non converterentur ad Deum, & in moribus ſuis perſeverarent, facile colligitur ex ante dictis; inprimis illo Jeremiæ, ubi *paucos*, nempe quia pauci convertendi, Hieroſolymam *reducendos*; Jer. 3: 14. Et Ezechielis, ubi *futurum Deum toti Iſraëli in ſanctuarium paucorum*; Ez. 11: 16. prænunciant.

§. 10. Horum erat præ impatientiâ dicere, *Dominus non videt.* Thren. 3: 36. Quibus reſpondet propheta: 1°. Nihil eſſe, quod Dominus non præceperit, vel juſſerit. *Quis dixit, & exſtitit, quod Dominus non præceperit?* vers 37. 2. Diſtributionem bonorum & malorum à ſolo Deo fieri, idque ipſius ita proprium eſſe, ut id negetur, altitudo ejus negetur. *Ex ore Altiſſimi non exeunt mala & bonum?* vers 38.

§. 11. Iidem erant, quibus, cùm *accederent cum ſtercoribus ſuis ad prophetam, Deus reſpondebat in ſe ipſum.* quique adeo verbis prophetarum indurabantur. Ez 14: 6. Horum fuit *dicere: Fiamus ut gentes, ut familiæ terrarum, ut miniſtremus ligno & lapidi.* Ezech. 20: 32. Nec tantùm dicere, aut cogitare, ſed etiam actu *Deos alios colere.* Jerem. 16: 13. Per hos denique *nomen Dei profanabatur* inter gentes, *dùm diceretur de ipſis: Populus Jehovæ hi, & ex terrâ ejus egreſſi ſunt.* Ez. 36: 20.

§. 12. In ſpecie his accenſebantur falſi prophetæ & propheti ſſæ. Quibus idcircò comminatur Deus, quòd *animas ſuas non ſint vivificaturi.* Ez. 13: 18.

§. 13. Quamvis autem hi judiciis Dei & plagis juxta prædictiones inflictis ad Deum in Filio ſuo amandum non converterentur, nec ad veram Dei cognitionem pervenirent, tamen ſaltem hoc *agnoſcebant, quòd is, qui ipſos percuteret, ſit Jehovah.* Ezech. 7: 9. ſive, *Quòd Jehovah effunderet ardorem ſuum in ipſos.* Ez. 22: 22. Scilicet tale non eſſe illud judicium, ut forte fortunâ, aut per communem aliquam proterviam, ut omnibus gentibus, ipſis ſit irrogatum, ſed ab eo, quem nominabant Deum ſuum, quemque non agnoſcebant. Facilè enim ex tam illuſtribus implementis apparuit, Judæos non percuti à Diis Babyloniorum. Nam Dii Babyloniorum non potuerunt ſervare reges Aſſyrios & exercitus eorum: & Sanchêrib, cùm blaſphemâſſet Deum Iſraëlis, ipſe coram Diis ſuis interfectus eſt à propriis filiis, ſecundùm verbum Dei Iſraëlis. Deinde Deus Iſraëlis hæc curaverat pronunciari articulatim. Dii Babylonii de rebus à Nebucadnezare gerendis nihil prædixerunt.

ARTICULUS V.

Converſi ſe componunt ad orandum, cum lachrymis.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§. 1. Si enim Deus apud Jeremiam: *Et invocâbitis me indeſinenter & orabitis ad me. Et quæretis. Nam rationem mei habebitis ex toto corde veſtro.* Jer. 29: 12. 13. Hinc prævidens propheta, quod futurum, conſilium dat converſis, & *quorum cor jam clamabat ad Dominum*, ut profuſis precibus ac lachrymis die ac nocte hanc ſuam converſionem teſtarentur: *Clamavit cor ipſorum ad Dominum. Mure filia Sion, dimitte inſtar torrentis lachrymam de die & nocte, ne des intermiſſionem tibi, ne contineat ſe pupilla oculi tui. Surge, vocem extolle in nocte, in principio vigiliarum; effunde inſtar aquæ cor tuum coram facie Domini: Tolle ad ipſum palmas tuas ſuper animâ puerorum tuorum, qui volutantur fame in capite omnium vicorum.* Thren. 2: 18. 19. Ipſe etiam propheta ſuo exemplo alios excitat & commonefacit, ut non deſiſtant à ſupplicatione: *Feramus cor noſtrum & manus ad Deum in cœlis.* Thren. 3: 41. *Rivus aquarum deſcendit oculus meus propter fracturam filiæ populi mei. Oculus meus manat, & non ſubſiſtit, ſine intervallis, Donec proſpectet & videat Jehovah ex cœlo.* Thren. 3: 48. 49. 50. Exemplum hujusmodi aſſiduæ ſupplicationis habemus in Daniele, cap. 6: 11. 12. & cap. 9: 3. Quem proculdubiò imitati ſunt ſocii ejus, itemque Sorobabel, Eſras & qui cum illis conſenſerunt.

§. 2 Formulam orationis ſupplicantibus non ſemel Spiritus præſcribit in viſione. Tales exſtant variæ in Pſalmis. I. legitur Pſalm. 74: 1 — 7. hoc tenore: *Quare, ô Deus, rejicis etiam atque etiam, fumat ira tua in gregem paſtionis tuæ?* verſ. 1. *Memento cœtus tui, quem emiſti olim, quem vindicâſti virgam hæreditatis tuæ: mentis Sion, in quo habitandi cauſâ conſediſti.* verſ. 2. *Suſtolle veſtigia tua* (pedes tuos) *ad vaſtitates inceſſanter factas, ad omne, quod læſit hoſtis in ſancto.* verſ. 3. *Rugierunt hoſtes tui in medio conditi tui. Poſuerunt ſigna ſua ſigna.* verſ. 4. *Noſcitur, tanquam infligens ſupra caput in perplexum arboris ſecures.* verſ. 5. *Atque adeo cœlaturas ejus pariter malleo & tuditibus tundunt.* verſ. 6. *Miſerunt in ignem ſanctuarium tuum. Ad terram profanè dejecerunt habitaculum nominis tui.* verſ. 7.

§. 3. II. Pſalm. 79: 5. — 11. *Quouſque, Jehovah, iraſceris etiam atque etiam, ardebit, tanquam ignis, zelus tuus?* verſ. 5. *Effunde ardorem tuum in gentes illas, quæ te non agnoſcunt: & in regna, quæ nomen tuum non noncupant.* verſ. 6. *Nam comedit Jacobum, & manſionem ejus vaſtam effecerunt.* verſ. 7. *Ne recorderis nobis delicta priora: maturè occurrant nobis* miſerationes *tuæ; quia extenuati ſumus admodum.* verſ. 8. *Opitulare nobis, Deus ſalutis noſtræ, propter gloriam nominis tui: & eripe nos: oblitera peccata noſtra propter nomen tuum.* v. 9. *Quare dicent gentes, Ubi eſt Deus ipſorum? Noſcatur inter gentes coram oculis noſtris ultio ſanguinis ſervorum tuorum effuſi.* verſ. 10. *Veniat coram te gemitus victi: ſecundùm magnitudinem brachii tui fac ſuperſtites filios occidionis.* verſ. 11.

§. 4 III. Pſalm. 80: 9 — 16. *Vitem ex Ægypto moveras; expuleras gentes, & plantaveras illam:* verſ. 9. *Vacuaveras coram illâ, & radicaverat radices ſuas & impleverat terram.* verſ. 10. *Cooperti fuerant montes umbrâ ejus, & ramis ejus cedri Dei.* verſ. 11 *Emiſerat ramos ſuos ad mare, & uſque ad fluvium ſtolones ſuos.* verſ. 12. *Quare diruiſti maceries illius, ut carperent illam omnes tranſeuntes viam,* verſ. 13. *Vaſtet illam ſus ſilveſtris, & animalia agri depaſcuntur eam?* verſ. 14. *Deus exercituum, convertere, quæſo,* ab irâ tuâ; *proſpice ex cœlo, & vide; viſita vitem hanc,* verſ. 15. *Et ſtirpem, quam plantavit dextera tua.* verſ. 16.

§. 5. IV. Pſalm. 89: 47. 48. 49. 50. 51. 52. *Quouſque, ô Jehovah, occultabe-*

ris indeſinenter? ardebit tanquam ignis æſtus tuus? verſ. 47. *Recordare, Ego quid ævi? Quare fruſtra creâſſes omnes filios hominum?* verſ. 48. *Quis homo vivet, & non videbit mortem? eripiet animam ſuam è manu inferni? Selah.* verſ. 49. *Ubi ſunt ſtudia tua priſca, Jehovah, quæ juráſti Davidi in veritate tuâ?* verſ. 50. *Memento, Jehovah, opprobrium ſervorum tuorum; portare me in ſinu, quàm mu..i ſunt, populos.* verſ. 51. *Quòd blaſphemant inimici tui, Jehovah; quod blaſphemant veſtigia Chriſti tui.* verſ. 52.

§. 6. V. Pſalm. 102. *Oratio inopis, quum ſe involvit, & coram Jehovah effundit querimoniam ſuam.* verſ. 1. *Jehovah, audi orationem meam, & vociferatio mea ad te veniat.* verſ. 2. *Ne occultes faciem tuam à me, quo die in arcto verſor: imò inclina aurem tuam ad aurem meam; quo die clamo, celeriter reſponde mihi.* verſ. 3. *Nam confecti ſunt, ut fumus, dies mei, & oſſa mea, ut focus, aduſta ſunt.* verſ. 4. *Percuſſum eſt, ut herba, & exaruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* verſ. 5. *Præ voce gemitus mei agglutinatum eſt os meum carni meæ.* verſ. 6. *Aſſimilatus ſum plateæ* vel *pelecano deſerti; extiti ut bubo deſertorum.* non tantùm deſertus ab omnibus hominibus, ſed etiam abominabilis. verſ. 7. *Pervigilavi* totâ nocte, *& factus ſum ut paſſer ſolitarius ſuper tecto*, ſine lætitiâ, ſine quiete aut humano ſolatio. verſ. 8. *Omni die probro me afficiunt inimici mei; furentes in me per me jurant.* me exemplum pœnæ indigitant. verſ. 9. *Quia pulverem inſtar panis comedo, & potum meum fletu temperavi,* verſ. 10. *Propter ſeveritatem tuam & fervorem tuum. Quia extuliſti me & projeciſti me.* verſ. 11. *Dies mei ſunt ut umbra inclinata.* ut veſpera. i. e. In tenebris vivo, & in triſtitiâ, perplexitate & confuſione: *& ego ut herba areo.* verſ. 12. *Attamen tu, Jehovah, in perpetuum ſedebis*; in Eccleſiâ, ut rex. *Memoriale tuum in ætatem & ætatem.* non tantùm nominaberis, ſed & in recordatione eris. verſ. 13. *Tu ſurgas, miſereris Sionem. nam tempus eſt gratiâ proſequendi illam. Nam venit condictum tempus.* Potuerunt veteres tempus finiendæ captivitatis Babylonicæ computare. Quod & fecit Dan. cap. 9. verſ. 14. *Nam acceptos habent ſervi tui lapides ejus & pulverem ejus miſerantur.* verſ. 15. *Et timebunt gentes nomen Jehovæ & omnes reges terræ gloriam tuam.* v. 16. *Quum ædificaverit Jehovah Sionem, apparuerit cum gloriâ ſuâ.* i. e. cùm poſt ædificatam Sionem Chriſtus apparuerit in carne, & ſuſceptus fuerit in gloriam. verſ. 17. *Reſpexerit ad orationem myricæ, & non ſpreverit orationem illorum.* verſ. 18.

§. 7. VI. Pſalm. 137. Hæc Oratio continet poſt declarationem triſtitiæ in exilio, imprecationem judicii in auctores everſæ Hieroſolymæ. Declaratio triſtitiæ eſt in iſtis: *Ad flumina Babylonis, ibi ſedimus, etiam flevimus, dum recordaremur Sionis.* verſ. 1. *In ſalicibus, quæ in medio ejus ſunt, ſuſpendimus citharas noſtras.* verſ. 2. *Nam ibi petiverant nos, qui captivos agebant nos, verba carminis; & auctores lamentorum noſtrorum lætitiam, dicendo: Canite nobis* aliquid *de cantu Sionis.* verſ. 3. *Quomodo caneremus carmen Dei in terrâ alienâ?* verſ. 4. *Si obliviſcar tui, ô Hieroſolyma, obliviſcetur ſui dextra mea.* verſ. 5. *Adhæreſcat lingua mea palato meo, ſi non memor fuero tui, ſi non extulero Hieroſolymam ſupra ſummam lætitiæ meæ.* verſ. 6. Imprecatio judicii Divini: *Memento, Jehovah, filiis Edom diem Hieroſolymorum: qui dicebant, Nudate, nudate uſque ad fundamentum ejus.* verſ. 7.

§. 8. Jeremias quoque ejuſmodi formulas lamentationibus ſuis interponit. Ut cùm cœtum Iſraëlis, tanquam matrem introducit orantem & quiritantem ad Deum: *Vide, Jehovah, & intuere: Cui feciſti ſic! Num comedunt mulieres fructum ſuum,*

pueros

pueros palmis tractatos? Num occiditur in Sanctuario Domini Sacerdos & Propheta? Decubuerunt in terram foris puer & ſenex, virgines meæ & juvenes mei ceciderunt gladio: occidiſti die iræ tuæ: Mactaſti, non uſus es clementiâ. Vocas tanquam die formidines meas undiquaque, & non exſtitit in die iræ Jehovæ, qui evaderet, & qui ſuperſtes eſſet: quos palmis tractavi & educavi: inimicus meus confecit eos. Thren. 2: 20. 21. 22.

§. 9. Item, ubi jubet miſeros Deum invocare, & ſimul præſcribit formulam: *Feramus cor noſtrum, & manus ad Deum in cœlis. Nos defecimus, & inobedientes exſtitimus: Tu non condonâſti. Texiſti te irâ* (vel *induiſti iram*) *& perſecutus es nos. Occidiſti, non uſus es clementiâ. Tegmen nube feciſti tibi, ne tranſeat oratio. Purgamentum & nauſeam ponis nos in medio gentium. Aperuerunt contra nos os ſuum omnes inimici noſtri. Pavor & fovea extitit nobis, deceptio & fractura.* Thren. 3: verſ. 41 — 47.

§. 10. Habaccuc denique hanc plenam libertatis filialis ἱκεσίαν ad Deum exulibus ſubminiſtrat: *An non tu ab olim, Jehovah Deus mi, ſanctus meus? Non moriemur?* *Jehovah, in judicium,* i. e. pœnam improborum & ſibi ac juſtitiæ ſuæ confidentium, *poſuiſti ipſum,* Nebucadnezarem, *& rupem ad arguendum,* i. e. cotem manifeſtandæ malitiæ & infidelitatis *fundaſti ipſum.* Hab. 1: 12. *Purus oculis, ne videas malum; & intueri ærumnam non potes. Quare intueris perfidos? Siles, cùm deſtruit improbus juſtiorem ſe?* verſ. 13. *Et facis hominem, ut piſces maris, ut reptile, quod non habet dominum.* verſ. 14. *Quantum eſt, hamo educit, trahit illud ſagenâ ſuâ, & aufert illud everriculo ſuo. Iccircò lætatur & gaudet.* verſ. 15. *Iccircò ſacrificat ſagenæ ſuæ, & ſuffitum facit everriculo ſuo; quia per illa pinguis eſt portio ejus & cibus ejus optimum.* verſ. 16. *An eâ gratiâ evacuabit ſagenam ſuam, & quidem perpetuò, ad occidendum gentes, non indoleſcet?* verſ. 17. Cum his jam confer orationem Danielis, quæ exſtat Dan. cap. 9.

ARTICULUS VI.

VIget quoque, ut fructus orationis, in converſis donum fidei, ſpei ac patientiæ, eamque fidem ac ſpem ſuam quæſtione ſobolis, ædificandis domibus, plantandis hortis, &c. excitant ac produnt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sic Jeremias: *Et quæretis me. Nam intenditis mihi.* Jer. 29: 13. Qui & fidem, ſpem, atque exſpectationem fidelium ſuſtentat argumentis ductis 1. ab eo, quòd Deus gratioſus ſit & miſericors, nec ullum ſit tempus, in quo non velit gratiam & miſericordiam exercere: quam etiam nunc quaſi recentem offerat & oſtendat Iſraëli, dando ipſi reliquias, & reliquiis prophetas. *Hoc revocabo ad cor meum, ideò ſuſtinebo me. Studia Jehovæ, quòd non defecerunt, quòd non conſumtæ ſunt miſerationes ejus, Recentes matutinis.* Thren. 3: 21. 22. 23. *Sed ubi mœrore affecerit, etiam miſeratur ſecundùm multitudinem gratiarum ſuarum. Nam non debilitat ex corde ſuo & mœrore afficit filios viri.* Ibid. verſ. 32. 33. 2. A Divinis promiſſionibus, à quibus *ampla*, imò majora exſpectent in futurum, quàm cogitare poſſint. *Ampla eſt veritas tua.* Ibid. verſ. 23. Ex quibus præcipuum ſit, quòd Jehovah ſit pars ipſorum, in quo ſcil. accepturi ſint juſtitiam ac vitam æternam; quam ut adducat, oportere & ſacerdotium reſtitui, ut ſub lege naſceretur. *Pars mea Jehovah, dixit*

anima mea; ideò ſuſtinebo me ipſi, vel *operiar ipſum*. verſ. 24. Quam exſpectationem Deus, utpote bonus, fallere nolit: *Bonus Jehovah exſpectantibus ſe, animæ, quæ curat ipſum*. verſ. 25. Igitur cum ſilentio operiendam eſſe ſalvationem Jehovæ: *Felix, qui & operitur & continet ſe ad ſalvationem Jehovæ*. verſ. 26. Et jugum, quod Deus impoſuerit, eſſe ferendum lubentes ac ſine recalcitratione, etiam in pueritiâ ſuâ. *Bonum eſt viro, ut ferat jugum in pueritiâ ſuâ*. verſ. 27. *Sedeat ſolus & contineat ſe; quia ſuſtulit, & poſuit ſuper ipſum*. verſ. 28. *Ponat in pulverem os ſuum, (fortaſſe eſt exſpectatio.)* verſ. 29. *Præbeat percutienti ſe malam, ſatietur probro*. verſ. 30. Neque rejicere in perpetuum illum, qui Dominus eſt illorum, qui eum partem ſuam dicunt: *Nam non rejicit in perpetuum Dominus*. verſ 31. Quod ſi quis impatiens ſit, & cogitet *Deum non videre*. verſ. 36. Eum debere ad animum revocare, primò nihil eſſe, quod Dominus non præceperit, ſive eſſe juſſerit. verſ. 37. Et 2. diſtributionem bonorum & malorum à ſolo Deo fieri. verſ. 38

§. 2. Fidei erat ac ſpei, quoniam promiſſum erat, ipſos reſtitutum iri in priſtinum, & multiplicatum iri, quærere ſemen multum. Vid. Jer. 29: 14. 3: 16. &c. Igitur Deus per Jeremiam ipſos hortatur: *Ducant uxores & gignant filios & filias, & accipiant filiis ſuis uxores, & filias ſuas dent viris, & pariant filios & filias, & multiplicentur ibi, ne deminuantur*. Jerem. 29: 6. Tùm etiam, cùm adhuc *eſſet longum tempus*, antequam reducerentur, jubet eos *ædificare domos, plantare hortos*, cum promiſſione Divinæ benedictionis. Ibid. verſ. 5. Atque etiam *orare pro pace civitatis illius, in quam erant deportati; namque in pace illius ipſis pacem futuram*. Ibid verſ. 7. Ad ſinceritatem fidei & pœnitentiæ pertinebat, quod *ſuas ipſorum abominationes ipſi narrarent in gentibus, ut & illi cognoſcerent, quòd is*, qui hæc in propheus loquebatur, *ſit Jehovah*. Ezech. 12: 16.

ARTICULUS VII.

Nec tantùm ſic quærendo ſobolem, ædificando domos &c. fidem & ſpem ſuam oſtendebant pii exules, ſed etiam exſpectando atque anhelando ad audiendum verbum Dei de annis & exitu captivitatis, & cupiendo de iis clariùs edoceri; eoque fine in Scripturis ſcrutando, ſi quam inde conſolationem ſpeive adjumentum reportarent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc fidelium ἀποκαραδοκίαν ſignificat Eſaias in parabolâ conſtituti Divino juſſu ſpeculatoris: *Nam ſic ait ad me Dominus: I, conſtitue ſpeculatorem. quod viderit, indicet*. Eſ. 21: 6. *Et vidit .... & attendit attentione accuratiſſimâ*. v. 7. *Et clamavit Leo*; Sic vocatur ſpeculator, à fidei conſtantiâ & robore. *In ſpeculâ, Domine, ego ſto ſemper interdiu, & in obſervatione meâ* (ſive ſtatione meâ) *ego ſto omnibus noctibus*. verſ. 8.

§. 2. Eſaiam imitatus Habaccuc, eandem piorum ἀγχίνοιαν, atque indefeſſam in ſcrutando vigilantiam, in perſonâ ipſorum ſic depingit: *In ſtatione meâ ſtabam, & perſiſtebam in propugnaculo; & ſpeculabar, ad videndum, quid locuturus eſſet ad me; & quid reportaturus eſſem pro argutione* (ſive *compellatione meâ*. Hab. 2: 1. Sic Daniel *diſceptavit* cum Deo, ſcil. in fide ac pœnitentiâ ipſum de remiſſione peccatorum, & benedictione, tanquam fœdere promiſſâ, conveniens & compellans; atque etiam *ſcrutatus eſt* in libris Jeremiæ. Dan. 9: 2.

§. 3. Con-

§. 3. Convenit eiſdem fidelibus ita exſpectantibus ὠδῖς, *dolor & parturientis*, ſub dominatione Chaldæorum: De quo dolore eſt. Eſ. c. 21: 3. Item. Jer. 30: 6.

ARTICULUS VIII.

NEbucadnezar interea per imperium cogens ad idololatriam, fit medium explorandi fidem & conſtantiam piorum. Vid. Dan. cap. 3.

DEMONSTRATIO.

Hoc dicit Eccleſia hujus temporis in oratione ad Deum; ubi affirmat, Nebucadnezarem eſſe poſitum *lapidem ad demonſtrandum.* λίθον εἰς ἔλεγχον, lapidem Lydium, cotem manifeſtandæ fidei & conſtantiæ piorum, cœterorum verò malitiæ & infidelitatis. Hab. 1: 12.

ARTICULUS IX.

QUum exaltaretur animus Nebucadnezaris rejicitur ab hominibus, & cum beſtiis per ſeptem annos agit. Dan. 4. 33.

DEMONSTRATIO.

Hoc futurum vidit Eſaias, ubi *Inſignem* illum inter Aſſyrios, ſive *Ingentem*, Nebucadnezarem ſcil., *futurum* ut *tabem*, prænuntiat. Eſ. 10: 18. Ipſi Nebucadnezari hoc fuit prædictum, & in imagine *arboris* illius *magnæ*, de quâ ſup. Art. I. *Poſtquam creviſſet & pertigiſſet uſque ad cœlos, inciſæ & corruptæ, cujus ſtipes radicum vinculo ferreo relinqueretur in grāmine agri, & cum feris agri, dum ſeptem tempora tranſirent ſuper ipſā*, in ſomnio demonſtratum. Dan 4: 14. 15. 16. 23. 25. 32.

ARTICULUS X.

EXpletis illis ſeptem annis, ſibi & priſtinæ dignitati, & regno, redditur. Dan. 4: 26.

ARTICULUS XI.

SUccedit patri Nebucadnezari filius Evilmerodach, eique ſerviunt omnes gentes, quemadmodum ſerviverant patri.

DEMONSTRATIO.

Nebucadnezarem habiturum ex familiâ ſuâ ſucceſſorem, indicat Eſaias, cap. 10: 19. *Et reliquum arborum ſylvæ ejus numerus erunt.* Et quidem *filium*, Jeremias, cap. 27: 7. Qui & *ſervituras ei gentes*, Ibidem docet.

ARTICULUS XII.

EEvilmerodach Jechoniam vinculis ſolvit, & primâ ſede inter reges collocat. 2 Reg. 25: 31. 32. Jer. 52: 31. 32.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§.1. Itaque *fecit Deus germinare cornu domui Iſraël.* Ez. 29: 21. Et adhuc benefecit populo captivo, dando ipſi Dominos clementes, & de populo nonnullos exaltando; nec tantùm, ſed & ad regni adminiſtrationem admovendo. Ut Danielem, qui magnus fuit & in regno Nebucadnezaris, & in imperio Perſarum. Dan. 2: 48. 49. 6: 29.

§.2. Sic *prophetis* iterùm *os apertum eſt.* Ez. 29: 21. i.e. Hoc rurſus implemento cum prophetia collato, agnoſcunt & *dicunt* Iſraëlitæ, quòd *excitaverit ipſis Jehovah prophetas*, etiam *Babylonem.* Jer. 29: 15.

ARTICULUS XIII.

Filium Nebucadnezaris excipit *filius filii ejus* Belſazar; *eique*, ut patri, & avo, *ſerviunt omnes gentes.*

DEMONSTRATIO.

Vide rurſus Eſ. 10: 19. & Jer. 27: 7. ut ante ad Art. XI. Fuiſſe autem Belſazarem nepotem Nebucadnezaris, patet ex Dan. 5: 11. 13. 18. Ubi Nebucadnezar *avus* ejus appellatur.

ARTICULUS XIV.

Deus interim, jam præcipitantibus LXX. *annis captivitatis & ſervitutis Babylonicæ*; Jer. 29: 11. 29: 10. *viſitaturus ſuper rege Babel, & ſuper gente & terrâ Chaldæorum pravitatem ipſorum*; Jerem. 25: 12. *Viſitaturus* & *captivos*; & *facturus, ut ſuper ipſis audiatur verbum ipſius bonum, de reductione ipſorum in terram.* Jerem. 29: 10. Excitat in viciniâ aliud Imperium magnum, futurum ordine ſecundum, Medorum ſcil. & Perſarum.

DEMONSTRATIO.

§.1. Itaque *ex radice* i.e. viciniſ populis, imò ſubditis, *ſerpentis* illius, de quo ſup. ad Art. 1. *exivit Baſiliſcus*, i.e. Imperium, quod futurum erat magis diuturnum, quam Babylonicum, & valde grave populis. Eſ. 14: 29.

§.2. Id imperium quatenus excepturum erat Babylonicum, per *Pectus*, ſecundam regionem corporis; Dan. 2: 33. 39. Et quatenus duas habiturum dynaſtias, duorum ſcil. populorum, per *duo brachia*; Dan. 2. item *duo cornua*; Dan. 8: 3. 20. in viſione adumbratur.

§.3. Populi illi quoque nominantur in prophetiâ. Ut Eſ. 13: 17. *Ecce ego excito in illos Medos.* Item. Eſ. 21: 2. *Aſcende, Elam, obſide Madai.* Medi ſcil. & Perſæ. quorum regio Chaldææ Orientalis, Mediæ finitima eſt ad Notum. Ammian. l. 23. pag. 271. Populi longo tractu à mari Hyrcano, ſive Caſpio, uſque ad ſinum Perſicum habitantes.

§.4. Quatenus verò per Medos & Perſas erat deſtruendum imperium Babylonicum; ſecundùm illud: *Aſcendit diſſipator ante te.* Nah. 2: 2. Ita & alter *faber* alteri *cornu*, de quo ſup. ad Art. lxv. Per. IV. præparatus eſt. Zach. 2: 3. 4.

ARTI-

ARTICULUS XV.

CYrus Perſa nominatim excitatur, futurus præcipuus Imperii Babylonici deſtructor.

DEMONSTRATIO.

Hunc necdum natum compellat Spiritus nomine ſuo; ſimulque ei promittit vocationem ad regnum, & ſummam felicitatem in expeditionibus; Eſ. 45: 1 —— 7. *Sic dixit Jehovah uncto ſuo Cyro: ô tu, quem apprehendi dextrâ ſuâ ad ſubigendum coram ipſo gentes, & ut lumbos regum ſolvam, ad aperiendum coram ipſo valvas, & ut portæ non ſint clauſæ.* vers 1. *Ego ante te ibo, & anfractuoſa rectificabo, valvas æneas frangam, & vectes ferreos incidam.* vers 2. *Et dabo tibi theſauros tenebrarum, & recondita latebrarum, ut cognoſcas, quòd ego ſim Jehova, qui te nomine tuo nuncupat, Deus Iſraëlis.* vers 3. *Propter ſervum meum Jacobum, & Iſraëlem electum meum. Nam vocavi te nomine tuo, vocavi te, & non noſti me.* vers 4. *Ego Jehovah, & non eſt alius, præter me non eſt Deus; cingo te, & non noſti me.* vers 5. *Ut cognoſcant ab ortu Solis, & occaſu ejus, quòd non ſit præter me, ego Jehovah, & non ſit ampliùs.* vers 6. *Qui format lucem & creat tenebras, qui facit pacem; & creat malum. Ego Jehovah facio omnia hæc.* vers 7. Et vers 13. *Ego excitavi illum propter juſtitiam, & omnes vias ejus rectificabam.* Et vers 15. cap. 48. *Ego, ego locutus ſum, etiam vocavi illum; adduxi illum, & proſperavit viam ſuam.*

ARTICULUS XVI.

A*Scendit Elam* in Chaldæos, *obſidet* Babyloniam *Madai.*

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ex præcepto, Eſ. 21: 2. Ubi nota, *τὸ obſidere* tribui *Medis*, quoniam eorum erant *τὰ πρωτεῖα* & ducatus in hâc expeditione. Quare & ſoli *Medi* nominantur in prophetiâ, quos Deus excitaverit in Babylonios. Eſ. 13: 17. Et Græci, qui bella geſſerunt cum Perſis, Medos eos appellant. Dicitur tamen & *aſcendiſſe Elam.* i. e. Perſa: quia Perſæ operam ſuam Medis in hoc bello aſſociaverunt, & Imperator Cyrus erat ex Perſis, & quaſi militabat Cyaxari regi Medorum avunculo ſuo. Nota ex Xenophonte hiſtoria.

§. 2. Nahum expeditionem iſtam atque obſidionem etiam prævisam ſic ὑποτυποῖ: *Aſcendit diſſipator ante te, faciendo obſidium, ſpeculando ad viam, confirmando lumbos, contendendo vires admodum.* Nah. 2: 2. Scil. obſidio deſcribitur à vigilantiâ in excubiis agendis; viam verſus: ne ſcil. aliunde ſuperveniente exercitu obſidentes opprimerentur. tùm à lumborum in laborando, fodiendo, oppugnando, & omnium virium confirmatione.

§. 3. Convenit huic implemento, quòd ubi *inter duos montes*, id eſt inter duo regna, ſive potiùs inter duas manifeſtationes unius regni Dei ſibi ſubjicientis mundum, ordo rerum ſub emblemate equorum unorum poſt alios emiſſorum Zachariæ ſpectandus exhibetur, primi *Equi*, iique *atri*, i. e. populis graves, inprimis Iſraëlitico, *miſſi in* Babyloniam & Aſſyriam, terræ Iſraëlis *Aquilonares* vergentes in Orientem, producantur in ſcenam. Zach. 6: 1. 6. Sunt enim hi Medi & Perſæ. Ut

 vel

vel ex eo manifeſtum, quòd effectus hujus viſionis ut jam exſtans tempore Prophetæ, ipſi proponatur, Ibid. vers 8. *Et inclamavit me & locutus eſt ad me, dicendo: Vide, qui exeunt in terram Aquilonis, fecerunt ſpiritum meum acquieſcere*, h. e. ſatis fecerunt voluntati meæ, *in terrâ Aquilonis*. Perſæ in Babyloniis.

ARTICULUS XVII.

HAc expeditione admoniti fideles Iſraëlitæ, ἀποκαραδοκοῦσι, & ſpeculantur in tempus, quo Deus & ruinam Babeli, & ipſis ſolutionem captivitatis promiſerat; idque jam concludunt adeſſe.

DEMONSTRATIO.

Scilicet ut notat Eſaias cap. 21: 7. *Speculator* ille, de quo ſup. Art. VII. *vidit currum, par equitum, jugum aſinorum, jugum camelorum.* ut in expeditione ſcil. & appropinquante hoſte. Quibus viſis, ut eſt porrò Ibidem. vers 8. & 9. *Clamavit* ille: *In ſpeculâ, Domine, ego ſto ſemper interdiu, & in obſervatione meâ ego ſto omnibus noctibus. Et ecce venit currus virorum, jugum equitum. Et reſpondit, & dixit: Cecidit, cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum ejus fregit ex terrâ.* Nempe ex viſis conficitur ſignum, *Babylonem cecidiſſe*. h. e. jamjam caſuram, & tantùm non cecidiſſe, & idola ejus cum urbe ipſâ interiiſſe. Cæterùm de ἀποκαραδοκίᾳ fidelium in captivitate Babylonicâ repetantur, quæ dicta ſup. ad Art. VII.

ARTICULUS XVIII.

CApit Cyrus Babelem, & imperium Babylonicum deſtruit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Factum itaque eſt, quod Pſaltes in ſpiritu oraverat: *Effunderet Deus iram ſuam in gentes illas, quæ ipſum non agnoſcunt, & in regna, quæ nomen ejus non nuncupant*. Pſ. 79: 9. Et quod Eſaias de *conſternatione* etiam Babyloniorum, qui ſe accinxerant contra Judam, prævidit, Eſ. 8: 9. f. Quodque ſpeculator ille Art. præced. ex ſigno propè adeſſe cognoverat, nempe *cecidiſſe Babelem*. Eſ. 21: 9. Et quod prædixit Eſaias, fore, ut *quem Jehovah diligit*, Filius Dei, *faciat voluntatem ejus in Babylone*. Eſ. 48: 21. Jeremias: *fore, ut expletis* lxx. *annis* ſervitutis Babylonicæ, *Deus viſitet ſuper rege Babel, & ſuper gente & terrâ Chaldæorum, pravitatem ipſorum*; Jer. 25: 12. *Et regem Scheſchach* i. e. Babylonium, *biditurum calicem iræ Divinæ poſt reges & gentes omnes*, quæ illum jam ſub imperio ejus guſtâſſent. Ibid. v. 26. Et *venturum tempus etiam terræ regis Babel, quo eo ſervo utantur gentes magnæ & reges magni*; Jerem. 27: 7. Et *fractum iri ab Iſraële jugum Babylonii*; Jerem. 30: 8. Et *Deum conſummationem facturum cum gentibus, quò Iſraëlitas pepuliſſet*; Jer. 30: 11. Et *omnes vorantes Iſraëlem voratum iri, & omnes hoſtes ejus in captivitatem abituros, & laceratores ejus lacerationem ſituros, & omnes direptores ejus in direptionem datum iri.* Jerem. 30: 16. Et *Deum viſitaturum ſuper rege Babel, & ſuper terrâ ejus, quemadmodum viſitaverat ſuper rege Aſſyriæ*; Jerem. 50: 18. Ezechiel: fore, ut Deus *habeat regnum* in populum deportatum *manu validâ & brachio extenſo, & excandeſcentiâ effuſâ* in gentes, in quas deducti erant, ut nempe ſic tandem ex captivitate liberarentur; Ezech.

Ezech. 20: 34. Et *gladium Dei* ſemel eductum contra Hieroſolymam, *non rediturum in vaginam, neque ignem ſemel accenſum eſſe exſtinguendum.* Ezech. 21: 10. 4. Et fore *diem nubis & caliginis in iis locis, in quos diſperſi erant Iſraëlitæ.* Ez. 34: 12. Daniel quoque, fore ut *quatuor venti cœli impetum faciant in mare magnum.* Dan. 7: 2. Nahum: fore *ut exſcindatur Impius ille*, qui fuerat omnibus terribilis, & videbatur invictus. Nah. 2: 1. f. Et Joël, fore, ut *Aquilonaris illius anteriora in mare anterius conjiciantur.* id eſt, Imperium Chaldæorum Oriens, Medus ſcil., abſorbeat. Jo. 2: 10. Et Zacharias denique; cui hoc ipſum, ut jam exſtans, in emblemate *Fabri* ſecundi *tremefacientis & diſpergentis cornu* ſecundum, quod ventilaverat Iſraëlem; Zach. 2: 3. 4. & *Equorum atrorum miſſorum in Aquilonares, qui ſpiritum Dei jam feciſſent acquieſcere in terra Aquilonis*; Zach. 6: 6. 8. commonſtratum eſt.

§. 2. Diſtinctiſſimè verò Daniel; ubi objectam regi Belſazari in convivio magnificentiſſimo ab ignotâ manu Scripturam interpretans *regnum ab ipſo* Belſazare *in Medos & Perſas transferendum eſſe* edocet. Dan. 5: 28. Cui mox reſpondit eventus: Siquidem *eâdem nocte interfectus eſt Belſazar rex Chaldæorum*; Ibid. verſ. 30. & *Darius Medus*, devictis jam & ſubactis Chaldæis, *regnum accepit.* Daniel. 6: verſ. 1.

§. 3. Sic impletæ prophetiæ, quæ poſt Inſignem illum, (Nebucadnezarem intellige) *paucos regnaturos reges, puero numerabiles*; Eſai. 10: 19. Et *Nebucadnezari* tantùm, *filioque ejus, & filio filii ejus ſervituras gentes*; Jerem. 27: 7. oſtendunt. Epulum Belſazaris, qui nocte eâ, quâ epulatus eſt, animâ orbatus eſt; Dan. 5: 30. & ſubitum ab invaſione hoſtili terrorem Babyloniorum, nihil tale metuentium, egregiè Spiritus prædeſcribit, Eſai. 21: 5. *Struitur menſa, ſpeculatur ſpeculator*, ut fieri ſolet in pace, *edunt, bibunt. Surgite, Principes, & ungite clypeum.* Cui mox verſ. 9. ſubjicitur hoc carmen: *Cecidit, cecidit Babylon.* Non ſine excidio ſæviſſimo Babyloniorum per Medos futuram fuiſſe hanc tantæ urbis tantique imperii ruinam, notat Prophetia. Sic eſt in Pſalmis: *Filia Babelis deſolata; beatus, qui tibi rependet, quod feciſti nobis. Beatus, qui apprehendet, & affliget, ut diffluant, pueros tuos ad rupem.* Pſalm. 137: 8. 9. Itemque apud Eſaiam: *Ecce ego excito contra illos* (ἀυτοὺς. Intell. Babylonios.) *Medos, qui argentum non reputabunt, & auro non delectabuntur. Et arcus juvenes laniabunt, & fructum ventris non miſerabuntur; filiis non parcet oculus ipſorum.* Eſ. 13: 17. 18.

§. 4. Nec ſine ſtrage idolorum Babyloniorum. Sic apud Eſaiam clamavit Leo ſpeculator: *Cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum ejus, fregit ex terrâ.* Eſ. 21: 9. Et, quod eſt Eſai. cap. 46: 1. 2. *Inclinavit ſe Belus, diffudit ſe Nebo, devenerunt idola illorum ad feram & ad beſtiam, . . . onus laſſæ. Diffiderunt ſe, inclinaverunt ſe pariter, non potuerunt eripere onus, & anima illarum in captivitate abiit.* Huc refer, quod Jeremias verbis Chaldaicis operi ſuo Prophetico inſertis, & Chaldæis à Judæis in captivitate monſtrandis, vaticinatur: *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, peribunt de terrâ, & de eo, quod ſub cœlis eſt, hi.* Jer. 10: 11.

Nec ſine direptione auri, argenti & æris fanorum Babyloniorum. Hoc enim facilè intelligitur ex loco Eſai. 46: verſ. 1. 2. modo adducto. Idemque dicit Jeremias, cap. 30: 16. *Propterea omnes vocantes te devorabuntur, & omnes hoſtes tui, omnes inquam in captivitate ibunt, & fient omnes laceratores tui laceratio, & omnes direptores tuos dabo in direptionem.*

Conſequens hujus calamitatis ponitur in viſione vaſtatio ac deſtructio ipſius urbis

Ff 2 Baby-

Babylonis perpetua. De quâ ſic cecinit Eſaias: *Et fiet Babylon decus regnorum, ornamentum celſitatis Chaldæorum, ut ſubverſio Dei,* quâ ſubvertit *Sodomam & Gomorrham.* c. 13: 19. *Non habitabitur in perpetuum, & non habebit tabernaculum in ætatem & ætatem, & non figet ibi tentoria Arabs, & paſtores ibi non facient recubare.* verſ. 20. *Et recubabunt ibi deſerticolæ, & implebunt domos illorum Ocbim, & habitabunt ibi filiæ ululæ, & hirci ſalient ibi.* verſ. 21. *Et ſonabit quælibet inſulanarum avium in palatiis illius; & dracones in palatiis voluptuoſis.* verſ. 22. Jeremias: *Et ponam illam* terram Chaldæorum *vaſtitates ſæculi.* Jerem. 25: 12. Et hic plenarius *caſus Babelis* eſt. Eſai. 21: 9. Rem quod attinet, dicunt Hebræi, Babelem terræ motu concidiſſe, poſtquàm à Cyro & Medis capta eſt. Poſtea reædificatam fuiſſe alio in loco. Sed non eſt tutum illis hâc in re credere. Cyrus rex Babylonis dicitur Eſr. 5: 13. quod poteſt de Babyloniâ intelligi. Herodotus negat, Cyrum urbi incommodâſſe; ſed Darium Hyſtaſpis dicit eam muris & portis privâſſe. Thal. ſ. lib. 3. cap. 159. Unde colligere eſt, eam Herodoti tempore adhuc fuiſſe, & habitatam fuiſſe. Perſarum reges ſoliti fuerunt in Perſide, Suſis, Ecbatanis habitare. Alexander Macedo Babylone periit. Strabo lib. 16. dicit, Babylonem partim à Perſis deſtructam, partim à Macedonibus neglectam, inprimis cùm Seleucus Nicator condidiſſet Seleuciam, 300. ſtadiis diſtantem ad Tigridem. Dicit etiam μεγάλην ἐρημίαν. Pauſanias lib. 8. Βαβυλῶνος δὲ τὸ μὲν Βήλου τὸ ἱερὸν λείπεται. Βαβυλῶνος δὲ ταύτης, ἣν ποτε εἶδε πόλεων τῶν τότε μεγίστην ἥλιος, οὐδὲν ἔτι ἦν εἰ μὴ τεῖχος. Ptolomæus ei locum aſſignavit. Ammianus lib. 23. de eâ, ut ſuo tempore adhuc exſtante, ſcripſit. Prophetia tamen, licet fortaſſe ſerò, tamen impleta eſt. A Scaligero obſervatum in Animadverſionibus ad Euſebium, Babylonem A. C. 1037. everſam & ſolo æquatam. Calviſ. ad eum annum. Nunc in eo loco, ubi ea ſtetit, nihil niſi tenuiſſima veſtigia urbis reperiuntur. Eâ de re teſtatur Laurentius Ranwolfius Auguſtanus, in ſuo Itinerario. Is etiam memorat, quaſi reliquias turris illius, quam primi homines ædificarunt, procul conſpici; ſed ſerpentibus illum locum inacceſſum eſſe. Similia dicit Benjamin Tudelenſis de palatio Nabuchodonoſoris.

§. 5. Cœterùm evenerunt iſta huic magno Imperio propter Iſraëlem, quem afflixerat, & ut populus ille ſic tandem patriæ ſuæ, ſolutâ captivitate, reſtitueretur. Quod dicit Eſaias, cap. 45: 4. *Propter ſervum meum Jacobum & Iſraëlem electum meum. Nam vocavi te nomine tuo, vocavi te, & non noſti me.* Et cap. 50: verſ. 2. *Numquid abbreviata eſt manus mea, ne poſſit redimere? & annon eſt in me vis ad eripiendum? Ecce increpatione mea ſicco mare, pono fluvios deſertum: fœtet piſcis ipſorum ob defectum aquæ, & moritur præ ſiti.* Siquidem hæc allegoricè de abolitione & exſtirpatione rerumpublicarum in gratiam Iſraëlis intelligantur. Ezechiel quoque id affirmat cap. 20: 34. *Et educam vos ex populis & colligam vos ex terris, in quas diſſipati eſtis, manu valida & brachio extento, & excandeſcentiâ effuſâ.* in gentes, in quas deducti eſtis. Quemadmodum, ut liberarentur Judæi ex captivitate Babylonicâ, Aſſyrii per Babylonios, Babylonii per Perſas oppreſſi ſunt. Ut hîc iterum exemplum habeamus eorum, quæ generaliter dicuntur Pſ. 22: 5. 6. 129: 1. 2. &c.

§. 6. Hæc quoque cauſa eſt, cur Deus in hâc rerum commotione populum ſuum potenter conſervaret. Ita enim futurum promiſerat ipſe, Eſai. cap. 46: 3. 4. *Auſcultate mihi, domus Jacobi, & omne reſiduum domus Iſraëlis, qui ſuſcepti eſtis portandi ab utero, qui geſtamini à vulvâ. Etiam uſque ad ſenectutem ego idem, & uſque ad canitiem ego bajulabo; ego feci & ego portabo, ego bajulabo & eripiam.* Et Ezechieli oſtenderat in emblemate partis pilorum, quam juſſit ipſum *capere, & illigare oris*

re oris ſuis. Ezech. 5: 3. Et ſine involucro idem pronuntiat, Ezech. cap. 34: 12. *Ut luſtrat paſtor gregem ſuum, quo die eſt in medio ovium ſuarum ſegregatarum; ſic luſtrabo oves meas, & eripiam eas ex omnibus locis, quò diſſipatæ ſunt, in die nubis & caliginis.*

§. 7. Tempus quod attinet, quo hæc rerum converſio futura erat, id ſimiliter deſignatum fuit in anteceſſum, tùm ſine certâ annorum determinatione, tùm cum eâ. Sine annorum determinatione, apud Eſaiam, cap. 13: 22. *Et propinquum eſt ut veniat tempus ejus, & dies ejus non protrahentur.* Quibus ſimul indicatur, & propinquitas judicii per Babylonios peragendi, & propinquitas caſus Imperii Babylonici. q. d. Brevi orietur imperium illud, & non erit diuturnum. Cum eâ apud Jeremiam, cap. 25: 12. 14. 27: 7. 29: 10. Ubi LXX. annorum termino definitur.

ARTICULUS XIX.

CAptâ Babele, ſublatoque rege Chaldæorum, & regno in victores tranſlato, conſtituta eſt Monarchia ordine ſecunda, cum duplici dynaſtiâ, Medorum & Perſarum.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque ex *radice ſerpentis exivit Baſiliſcus*; Eſai. 14: 29. Et exſtitit ſtatuæ Nebucadnezareæ *pectus & brachia ejus.* Dan. 2: 32. h. e. interprete Daniele, *Poſt Nebucadnezarem ſurrexit regnum aliud infra ipſum.* verſ. 39. Et viſus eſt *aries unus habens duo cornua.* h. e. *Reges*, ſive Regnum, *Mediæ & Perſiæ.* Dan. 8: verſ. 3. 20. Et erectus eſt *Thronus regnorum*; Hagg. 2: 22. Sub emblemate *Montis magni*, Zachariæ, cap. 4: 7. & *Equorum atrorum*, eidem, cap. 6: 6. repræſentatus.

§. 2. Harum dynaſtiarum altera quidem ordine poſterior, at major priore futura erat. Primus enim rex ex Medis, cæteri ex Perſis fuerunt. Dan. 5: 28. 8: 20. Atque ita fuit prædictum Dan. 8: 3. *Et is aries habebat cornua duo, eaque cornua erant alta, & unum erat altius altero, & altum aſcendebat poſterius.*

§. 3. Amplitudo hujus Monarchiæ intelligitur ex eo, quòd *Baſiliſcus* appelletur, reſpectu prioris, ut *Serpentis*; Eſai. 14: 29. Et *Thronus regnorum*; Hagg. 2: verſ. 22. Et *Mons magnus.* Zach. 4: verſ. 7. Habuit enim 127. provincias ſub imperio.

§. 4. In partes autem mundi Occidentales, ut Aſiam minorem, Syriam, Palæſtinam, Græciam; & Septentrionales, ut Scythas; & Auſtrales, ut Ægyptios, hujus Monarchiæ pomœria extendenda fuerunt. Hoc enim eſt, quòd *viderat* Daniel *arietem illum cornibus ferientem verſus mare & Aquilonem & Auſtrum*; *& nulla animalia coram eo ſtetiſſe.* Dan. 8: 4.

§. 5. Decus quod attinet, nobilitatem & amabilitatem ejuſdem Monarchiæ, minor erat futura præcedenti. Quare & *Argento* comparatur reſpectu auri. Dan. 2: 32. 39. Et quia, non quidem ſanguinarium, attamen grave & moleſtum populis futurum erat; hinc *Equis atris*; Zach. 6: 6. & *Baſiliſco*, in comparatione Serpentis; Eſ. 14: 29. aſſimilatur.

ARTICULUS XX.

Inclinantibus ac deficientibus Babyloniorum rebus, Ægyptii *poſt quadraginta annos vaſtitatis*, de quâ ſup. Period. IV. Art. LXXII. *recolliguntur ex populis, quò diſſipati erant; reſtituuntur jacturæ eorum, & reducuntur in terram Pathros ad terram originis ſuæ.*

DEMONSTRATIO.

§. 1. Vid. Ezech. 29: 13. 14. Et add. Jerem. 46: 26. Ubi eſt: ***Et poſtea habitabit ut diebus prioribus.*** Nec tamen idcircò priſtinam potentiam recuperant, ſed manent ***regnum humile.*** Ita enim Ezechiel: ***Et erunt ibi regnum humile. Præ regnis erit humile, & non levabit ſe ampliùs ſuper gentes, & minuam eos, ut ne dominentur gentibus.*** Ezech. 29: 14. 15. Item: ***Et dabo timorem in terrâ Ægypti.***

§. 2. Ita ſcil. adimenda erat Iſraelitis occaſio Ægyptiis fidendi in poſterùm. Sicut prædictum Ezech. 23: 27. ***Et abolebo ſcelus tuum à te, & fornicationem tuam à terrâ Ægypti, & non tolles ampliùs oculos tuos ad ipſos, & Ægypti non recordaberis ampliùs.***

ARTICULUS XXI.

EOdem tempore, eâdemque occaſione invitante, videtur factum, ut Arabes vicinam ipſis Moabitidem & Ammonitidem irruptione factâ occupaverint.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sicque impleverint vaticinia; de Moabo, quod exſtat Eſai. 15: 7. ***Iccircò reſiduum fecerit, etiam depoſitum ipſorum, in vallem Arabum portabunt ea.*** Jerem. 48: 28. ***Relinquite oppida, & habitate in petrâ, habitatores Moabiticæ, & aſſimilamini columbæ, quæ nidulatur juxta os foveæ.*** in ſupercilio nim. loci alti & prærupti. Et Ezech. 25: 9. 10. 11. ***Iccircò ecce ego aperio latus Moabi inde ab urbibus, ab urbibus inquam ipſius, inde ab extremo ipſius; decus terræ Beth Haiſimoth, Baalmeon, & Kirjathajim uſque. Filiis Orientis; ... & dabo id in hæreditatem. Et in Moab faciam judicia, & cognoſcent, quòd ego Jehovah.*** Hiſtoriam quod attinet, conſtat, Moabitiden poſt captivitatem Babylonicam Arabum poſſeſſionem fuiſſe. Nam Joſephus Ant. lib. 13. cap. 20. & 22. Ubi facit mentionem Moabitarum, narrat, Alexandrum coactum fuiſſe loca in Moabiticâ reſtituere Arabibus. cap. 23. Idem enumerat quaſdam civitates Moabiticas, à Judæis ſub Hyrcano Simonis filio occupatas. Et lib. 14: 2. enumerantur 12. civitates, quas Hyrcanus Secundus promiſit Aretæ ſe reſtituturum, ſi ab eo in regnum, ex quo Ariſtobulus eum expulerat, reſtitueretur. 2. De Ammone idem prædictum Ezech. 25: 4. 5. ***Idcircò ecce ego do te filiis Orientis in hæreditatem, & conſtituent arces ſuas in te, & dabunt in te tabernacula ſua; illi comedent fructum tuum, & illi bibent lac tuum. Et dabo Rabbam manſionem camelorum, & filios Ammon recubitum ovium: & cognoſces, quòd ego Jehovah.*** Et verſ. 7. ***Idcircò ecce ego extendi manum meam contra te, & dedi te in direptionem gentibus, & exſcindam te ex populis, & faciam te perire de terris: profligabo te; & cognoſces, quòd ego Jehovah.*** Similia dicuntur. verſ. 8.

Hujus

Hujus prophetiæ implementum in eo eſt, quòd jam Ammonitæ nulli ſint in mundo, h. e. nullus populus Ammonitarum; quòdque Ammonitis, poſt reductionem Judæorum in terram, fuit poſſeſſa ab Arabibus, & pars Arabiæ fuit. Joſephus enim Antiq. l. 12. cap. 12. ſub nomine Arabum indigitat Ammonitas ultra Gileaditiden habitantes; ut patet ex fine cap. 11. Arabes autem filii Orientis ſunt.

ARTICULUS XXII.

ANno primo Daii Medi, deſtructo jam imperio Babylonico cùm proculdubio anni ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ jam effluxiſſent, Daniel ſcrutatur libros & verba Jeremiæ, ut inde, quid ſperandum eſſet in poſterum, diſceret: Et Deus ad ipſius votum & petitionem ei reſpondet, & futura revelat, cum mandato ſcribendi viſionem ad cujusvis expeditam lectionem. Dan. 9.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque adhuc *ſtans in ſtatione ſua, & perſiſtens in propugnaculo* fœderis & promiſſionis Divinæ, *ſpeculatus* eſt Daniel in libris, *ad videndum, quid Deus* in illis *eſſet locuturus ad ſe*. Hab. 2: 1. Nec tantùm: ſed etiam *in diſceptationem* venit *cum Deo*, in fide & pœnitentiâ ipſum de remiſſione peccatorum & benedictione, tanquam fœdere promiſſâ, conveniens & compellans; *ad videndum, quid reportaturus eſſet* reſponſi à Deo *pro redargatione ſua*. Hab. loc. cit. Conf. ſup. Artic. VII. & XVII.

§. 2. De reſponſo Dei, quòd accepturus eſſet Daniel, ita porrò Habaccuc: *Et reſpondit mihi Jehovah, & dixit: Scribe viſionem, & explica in tabulis, ut currat legens in ea.* Hab. 2: 2. Vid. Dan. 9: 20. & ſeqq. Ubi Habbacuci prophetiâ vers 3. paucioribus & obſcuriùs comprehenſa, clariùs & diſtinctiùs explicatur.

ARTICULUS XXIII.

VIſitat Deus populum ſuum, & procuratâ omnibus omnium tribuum hominibus edicto regio facultate redeundi in terram, urbemque & templum ædificandi, reditu quoque regiâ magnificentiâ & liberalitate adjuto, ſolvit captivitatem, & populum in terram ſuam reducit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Huic populi viſitationi, & reductioni in terram multæ ſunt prophetiæ, quæ atteſtantur. Moſes pater prophetarum eam luculenter promittit his verbis: *Et reſtituet Jehovah Deus captivitatem tuam, & miſerabitur te, & convertetur & recolliget te ex omnibus populis illis, quò diſperſerit te Jehovah Deus tuus, in terram, quam hæreditarunt patres tui, & hæreditabitis illam.* Deut. 30: 3. 5. Ubi & ſignaculum hujus reductionis facit recollectionem Judæorum futuram ultimo tempore ad Chriſtum. Sic enim ille Ibid. vers 4. *Si fuerit exul tuus in extremo cœlorum; inde colliget te Jehovah Deus tuus, & inde accipiet te.*

§. 2. David in ſpiritu ita orans: *Opitulare nobis, Deus ſalutis noſtræ, propter glo-*

riam nominis tui, & eripe nos. liberationem è manu gentium ipſos captivos detinentium ſignificat. Pſ. 79: 9. Eandemque exprimit, ubi celebrat Dei clementiam, pœnam captivitate illatam auferentem: *Et aſpexit quum arctum illis eſſet, quum audiret clamorem illorum, Et recordatus eſt ipſis fœdus ſuum,* h. e. promiſſionem, quam patribus fecerat de ipſis, *& pœnituit ipſum, ſecundùm amplitudinem gratiarum ſuarum. Et dedit ipſos in miſerationem coram omnibus, qui ipſos habebant captivos.* Pſ. 106: 44. 45 46. *Ædificat Hieroſolymam Jehovah, exules Iſraëlis colligit. Qui ſanat contritos corde, & obligat dolores illorum.* Pſ. 147: 2. 3. Huc refer generalia, quæ ſunt Pſ. 22: 5. 6. 129: 1. 2.

§. 3. Eſaias idem dicit in ſequentibus: *Nam miſerabitur Jehovah Jacobum, & eliget adbuc Iſraëlem, & ſtatuet illos in terra ipſorum.* Eſ. 14: 1. *In die illo fiet Dominus Deus exercituum corona decoris, & circulus ornamenti* (vel *diadema*) *reſiduo populi ſui.* h. e. oſtendet ſe ipſorum regem eſſe. quod factum eſt reſtitutione populi in terram ſuam ad obeundum cultum ſuum, & ibi porrò exſpectandum adventum Chriſti regis ſui. Eſ. 28: 5. O *Ariel, Ariel,* i. e. altare, *civitas metationis Davidis,* i. e. Hieroſolyma; *Addite annum ad annum.* i. e. duas periodos inhabitationis numerate. Eſ. 29: 1. *Solamini, ſolamini populum meum: dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Hieroſolymæ, & prædicate ad illam, quòd impleverit militiam ſuam, quòd abſolutum ſit peccatum ipſius,* (ſive *reconciliatum*) ad acceptationem ipſorum i. e. quòd tempus appetat, ut peccatum ipſius planè non exprobretur aut commemoretur ampliùs: *quia accepit ex manu Domini Duplum pro omnibus peccatis ſuis.* i. e. quia Deus in eâ quodammodo modum ſuæ ſeveritatis videtur eſſe ſupergreſſus, ut quos non tantùm toto vitæ tempore in timore mortis habuerit, ſed etiam tanquam alienos ex terrâ ſuâ ejecerit. Eſ. 40: 1. 2. *Conſolatio* iſta in reductione populi in terram ſpectata fuit; quæ etiam ſupponitur, quum *populus Dei* etiam poſt captivitatem exantlatam vocatur.

§. 4. Jeremias: *Et capiam vos unum de civitate, & duos ex familiâ, & deducam vos Sionem.* Jerem. 3: 14. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & non dicetur ampliùs, vivit Jehovah, qui fecit aſcendere filios Iſraël ex Ægypto; ſed, vivit Jehovah, qui fecit aſcendere filios Iſraël ex terrâ Aquilonis, & ex omnibus terris, quò illos pepulerat, & reducam illos in terram ipſorum, quam dedi patribus veſtris.* Jerem. 16: 14. 15. *Et ego congregabo reliquias ovium mearum ex omnibus terris, quò eos pepuli, & reducam eos ad manſiones ſuas.* Jer. 23: 3. *Et figam oculum meum ſuper ipſis in bonum, & reducam eos in terram hanc.* Jerem. 24: 6. *Nam ſic dixit Jehovah, nam ſimul ac impleti fuerint Babyloni ſeptuaginta anni, viſitabo vos & faciam ut exſtet ſuper vobis verbum meum bonum, ut reducamini ad locum hunc.* Jerem. 29: 10. *Et præſtò ero vobis, ait Jehovah, & reſtituam jacturas veſtras, & colligam vos ex omnibus gentibus & ex omnibus locis, quò vos pepuli, ait Jehovah: Et reducam vos ad locum hunc, unde deportavi vos.* Jer. 29: 14. *Nam ecce dies veniunt, ait Jehovah, & reſtituam jacturas populi mei Iſraël & Juda, dixit Jehovah; & reducam eos ad terram, quam dedi patribus ipſorum, & hæreditabunt eam.* Jerem. 30: 3. *Tempus anguſtiæ hoc eſt Jacobo, & ex eâ ſalvabitur.* Ibid. vers 7. *Et fiet die illo, ait Jehovah Deus exercituum, frangam jugum ejus à collo tuo.* Ibid. vers 8. *Et tu, ne timeas, ſerve mi Jacob, ait Jehovah, & ne conſterneris, Iſraël. Nam ecce ego ſalvo te ex longinquo & ſemen tuum ex terrâ captivitatis ipſorum; & revertetur Jacob & requieſcet.* Ibid. vers 10. item cap. 46: 27. *Sic dixit Jehovah: Ecce ego reſtituo jacturas tentoriorum Jacobi; & tabernacula ejus miſerabor, & ædificabitur urbs uſque ad metam ſuam, & palatium, ut oportet, habitabitur.* Ib. vers 18. *Ecce ego congrego eos ex omnibus terris, quò pepuleram eos in irâ meâ & ardore meo &*

fervore

fervore magno, & faciam ut redeant ad locum hunc, & faciam ut habitent ſecure. Jerem. 32: 37. *Et hilaris ero ſuper ipſis, ut benefaciam ipſis.* Ib. vers 41. *Nam ſic dixit Jehovah: quemadmodum adduxi ſuper populum hunc omne malum magnum hoc; ita ego adduco ſuper ipſos omne bonum, quod ego lóquor de ipſis.* Ib. vers 42. *Sic dixit Jehovah: Adhuc audietur in loco hoc, quem vos dicitis deſolatum eſſe, ut non ſit homo & ut non ſit pecus; in oppidis Judæ & in vicis Hieroſolymorum, quæ deſolata ſunt, ita ut non ſit homo, & ut non ſit habitans, & ut non ſit pecus: Vox hilaritatis & vox lætitiæ, & vox ſponſi & vox ſponſæ, vox dicentium: Confitemini Jehovam Deum exercituum, quia bonus eſt, quia in ſæculum gratia ejus: afferentium confeſſionem ad domum Jehovæ: quia reſtituam damna terræ in priſtinum, dixit Jehovah.* Jerem. 33: 10. 11. *Et reducam Iſraëlem ad manſionem ſuam, & fruetur Carmele & Baſan, & in monte Ephrajim & Gilead ſatiabitur anima ejus.* Jer. 50: 19.

§. 5. Ezechiel: *Idcirco dic, ſic dixit Dominus Jehovah: colligam vos ex populis, & ſimul auferam vos ex terris, in quas diſperſi eſtis, & dabo vobis terram Iſraël.* Ez. 11: 17. *In cœtu populi mei non exiſtent* (falſi prophetæ) *& in catalogo domus Iſrael non ſcribentur, & in terram Iſraël non venient.* Ezech. 13: 9. *Ex igne exiverunt* in captivitatem abducti, *& ignis comedet eos.* in terram reductos. Ezech. 15: 7. *Et educam vos ex populis, & colligam vos ex terris, in quas diſſipati eſtis manu validâ & brachio extenſô, & excandeſcentiâ effuſâ.* Ezech. 20: 34. *Quum colligam domum Iſraël ex populis, in quibus ſparſi ſunt.* Ezech. 28: 25. *Ut luſtrat paſtor gregem ſuum, quo die eſt in medio ovium ſuarum ſegregatarum; ſic luſtrabo oves meas, & eripiam.* i. e. conſervabo *eas ex omnibus locis, quò diſſipatæ ſunt, in die nubis & caliginis. Et educam eas ex populis, & congregabo eas ex terris, & deducam eas in terram ſuam: & paſcam eas in montibus Iſrael, in cavis, & in omnibus habitatoribus terræ.* Ezech. 34: 12. 13. *Et vos, montes Iſraël, frondem veſtram dabitis, & fructum veſtrum feretis populo meo Iſraël, quum appropinquaverint venire.* Ezech. 36: 8. *Et accipiam vos ex gentibus, & colligam vos ex omnibus terris, & adducam vos in terram veſtram.* Ib. v. 24.

§. 6. Cap. 37. Ezechielis eadem reductio Iſraëlis confirmatur typo & ſigno deſumpto à reſurrectione mortuorum, uſque ad vers 15. Nimirum fides promiſſionis de reſtitutione Iſraëlis habetur coram Deo reſuſcitante mortuos; quia ſcil. reſtitutio illa per divinam potentiam, non humanâ ope, ſed ſpiritu Dei effici debebat. Zach. 4: 6. Et quia hoc beneficium erat conferendum adeò inhabilibus, quemadmodum mortui ſunt ad vitam. Regiones enim populorum, in quos diſperſi erant, habebantur, tanquam ſepulchra; & reductio illorum in terram erat quaſi vivificatio quædam, nempe ad reſtitutionem ſacramentorum fœderis, & quandam lætitiam, & exſpectationem adventus Chriſti in proximum tempus.

§. 7. Idem beneficium etiam indicant: Hoſeas; *Et domum Judæ miſerabor, & ſalvabo ipſos in Jehovah Deo ipſorum: & non ſalvabo ipſos arcu, & gladio & bello, cum equis & equitibus.* Hoſ. 1: 7. Joël: *Et compaſſus eſt populo ſuo.* Jo. 2: 18. Michæas: *Propterea non erit tibi jaciens ſortem in panegyri Jehovæ.* Mich. 2: 5. *Colligendo colligam, ô congregatio Jacobi, te totam: congregando congregabo reliquias Iſraëlis*: Mich. 2: 12. *Ibi* (in Babyloniâ) *eripieris, ibi aſſeret te Jehovah è manu inimicorum tuorum.* Mich. 4: 10. Zephanias: *Nam viſitabit illos Jehovah Deus ipſorum, & reſtituet illos in integrum.* Zeph. 2: 7.

§. 8. In hâc verò populi reſtitutione *proſpectavit Jehovah, & vidit ex cœlo.* Thren. 3: 50. *& finita eſt pravitas Sionis.* h. e. id actum eſt, ut filii Sionis per liberationem ex captivitate Babylonicà, & conſequentia beneficia in terrâ provehantur ad exſpe-

ctandam liberationem illam, per quam non neceſſe ſit ipſos ampliùs communicare cum aliorum peccatis & conſequentibus pœnis, ſed in toto mundo ſine impuritatis accuſatione verſentur. eò, ut *non addat* hoſtis aliquis *eam* amplius *in exilium educere*. tanquam affixam certo loco aut populo; cùm libertatem habeant relinquendi omnes, qui nomen Dei caſtè & purè non profitentur, & ſe fratribus duobus vel tribus aggregandi. Thren. 4: 22. Procurata autem eſt hæc reductio modo admirando; quem explicat Scriptura: Primo negativè. *Non pretio neque munere.* Eſ. 45: 13. *Sine arcu aut gladio, aut bello, equis ve aut equitibus.* Hoſ. 1: 7. *Non ſtrenuitate, neque vi.* Zach. 4: 6. Secundo, Poſitivè. *Dando ipſi miſerationem coram omnibus captivatoribus ipſorum.* Pſ. 106: 46. Et efficaci operatione Spiritus Dei in Dario & Cyro, ut tandem decerneretur liberatio & reductio Judæorum in terram, & Cyrus *verbum de reducendo & ædificandis Hieroſolymis*, Dan. 9: 25. promulgaret. 2 Chron. 36: 22. 23: Eſr. 1: 1—4.

§ 9. De hâc potenti ſpiritus Dei operatione in flectendis animis illorum, qui Iſraëlem detinebant, intelligendus eſt hic locus Jeremiæ: *Propterea ecce ego facio ipſas* (gentes) *cognoſcere vice hâc, cognoſcere faciam eas manum meam & præpollentiam meam, & cognoſcent, quòd nomen meum ſit Jihovah.* Jer. 16: 21. Et hic Zachariæ: *Hoc eſt verbum Jehovæ ad Sorobabelem, dicendo: Non ſtrenuitate, neque vi, ſed per Spiritum meum, inquit Jehovah Deus exercituum.* Zach. 4: 6. Atque hinc eſt, quòd Pſaltes non tam Cyro, Dario, ullive homini attribuit *ædificationem Hieroſolymæ*, & *recollectionem exulum Iſraëlis*, ſed *Deo.* Pſ. 147: 2. Et hunc ſecutus Eſaias: *In die illo fiet Jehovah Deus exercituum corona decoris & circulus ornamenti reſiduo populi ſui.* Eſ. 28: 5. *Qui facit exſtare ſermonem ſervi mei, & conſilium miſſorum meorum impleo: qui dico Hieroſolymæ, habitaberis: & civitatibus Judæ, ædificabimini, & deſolata ejus origo. Qui dico abyſſo, exſiccare, & fluvios tuos exareſaciam. Qui dico de Cyro, paſtor meus, & omnem voluntatem meam implebit, idque ut dicat Hieroſolymæ, ædificator, & ô templum, fundator.* Eſ. 44: 26. 27. 28. Quare & Jeremias verbum Cyri de reductione in terram, vocat *verbum Dei bonum.* Jer. 29: 10.

§. 10. Ipſe Spiritus apud Danielem hanc efficacem ſui operationem in regibus Perſiæ ad decernendum populi liberationem in viſione ſic exponit: *Et princeps regni Perſarum ſtabat adverſus me unum & viginti dies: & ecce Michael, unus principum primorum, venit ad juvandum me, & ego ſuperfui ibi, apud reges Perſarum.* Dan. 10: 13. *Et non eſt unus, qui ſe confirmet mecum contra hos, niſi Michael princeps veſter.* Ibid. vers 21. *Et quod me attinet, anno primo Darii Medi ſteti in confirmationem & munimentum ipſi.* Dan. 11: 1. Quibus convenit, quod eſt apud Eſaiam: *Quem Jehovah diligit, faciet voluntatem ſuam in Babel, & brachium ejus ſunt Chaldæi. Ego locutus ſum, & vocavi eum, adduxi eum, & proſperavit viam ſum. Non à capite in occulto locutus ſum, à tempore quo id exſtitit, ibi eram, & nunc Dominus Jehovah miſit me & ſpiritum ſuum.* Eſ. 48: 14. 15. 16. Scilicet haud dubium eſt, quin multus ſermo, & magnæ deliberationes interceſſerint, ut tandem decerneretur inſtauratio politiæ Iſraëlis. Nec ſine Deo effectum eſt, quòd Daniel inter primos regni Darii locum obtinuit. Vid. Dan. cap. 6: 3. Et dubium non eſt, quin per Danielem reges hi Darius & Cyrus edocti ſint, quæ Eſaias nominatim de Cyro, quæque Jeremias de regno Babylonis prophetaverant: in quibus oraculis meditandis Daniel totus fuit. Atque ideo etiam oportuit Darium videre & cognoſcere, quàm charus Deo ſuo Daniel eſſet. De quo Danielem locutum eſſe Dario conſtat ex dicto capite. His rebus *Spiritus Dei ſtabat in confirmationem & munimentum Dario*, & conſilia ipſi ſuggerebat

gerebat, quæ populo Dei eſſent ſalutaria. Contra ea Satanas, princeps mundi cum angelis ſuis omni modo nitebatur animum illorum regum avertere, ne populo benefacerent, unde & *princeps Perſiæ* appellatur. Dan. 10: 13. 20. diciturque *ſtetiſſe adverſus ſpiritum Dei.* Dan. 10: 13. Ibi igitur *Michael, unus principum primorum.* i. e. ſummus principum, *princeps ille magnus.* Dan. 12: 1. qui hactenus in omni anguſtiâ populum ſuum portaverat, ſicque & *princeps ille Iſraelis, pro quo ſtabat*, Dan. 10: 21. 12: 1. Jeſus Chriſtus, ſponſor teſtamenti, Spiritum ſuum in ſuggerendis regibus Perſiæ bonis conſiliis, & abigendo Satanâ, *adjuvit, & ſe cum eo confirmavit adverſus hoſtes ſuos.* Dan. 10: 13. 21. nimirum interceſſione ſuâ & jure, quod tanquam mediator habet ad habendum regnum & hæreditatem è mundo. Atque ita Spiritus Dei adjutus meritis & juſtitiâ Chriſti, *ſuperfuit apud reges Perſarum*, & ſine omni motu, ſuaviſſimo ſuo impulſu fecit liberos dimitti à domino ſuo, & urbem templumque reædificari. *Verbum* Cyri erat de *reducendo & ædificandis Hieroſolymis*, & *ædificando templo.* Dan. 9: 25. Eſai. 44: 26. 28. 45: 13. Quo verbo quidem omnibus dabatur poteſtas redeundi in terram; conceſſum etiam fuit reducibus domos ædificare, & templum, & urbem; non tamen licuit ex eodem urbem munire. Formulam edicti vide 2 Chron. 36: 22. 23. Eſr. 1: 1 — 4.

§. 11. Hoc Cyri edictum, ejuſque argumentum ſic in anteceſſum ipſe Spiritus prædictaverat apud Eſaiam: *Qui facit exſtare ſermonem ſervi mei, & conſilium miſſorum meorum impleo: qui dico Hieroſolymæ, habitaberis; & civitatibus Judæ, ædificabimini, & deſolata ejus erigo. Qui dico de Cyro, paſtor meus, & omnem voluntatem meam implebit, idque ut dicat Hieroſolymæ, ædificator; & , ô templum, fundator.* Eſai. 44: 26. 28. *Ego excitavi illum propter juſtitiam, & omnes vias ejus rectificabam; ille ædificabat urbem meam, & exules meos dimittebat, non pro pretio & non pro munere; dixit Jehovah Deus exercituum.* Eſai. 45: 13. Unde & vocatur *verbum Dei bonum de reductione ipſorum ad locum*, unde erant educti, nempe Hieroſolymam. Jer. 29: 10. Et *verbum exiturum de reducendo & ædificandis Hieroſolymis.* Dan. 9: 25.

§. 12. Nec tantùm rex edixit, ſed etiam re & operâ reditum exulum, & ædificationem urbis ac templi promovit. Namque & Sorobabelem cum delectis miſit, qui templum reſtitueret, domos ædificaret, ut paulatim cæteri poſſent ſequi. Illis & vaſa ſancta tradidit; & eos opibus ſuis adjuvit. De reſtitutione vaſorum domus Dei prophetaverat Jeremias cap. 27: 22. *Babylonem deferentur, & ibi manebunt, uſque ad diem, quo viſitabo ea, ait Jehovah, & faciam ea auferri & referri ad locum hunc.* Ab hoc edicto Cyri jubet Spiritus numerari *ſeptimanas ſeptuaginta, quæ deciſæ ſint ſuper populo & ſuper urbe ſanctâ.* id eſt, quibus manere reſpublica Judæorum, & urbs cum templo ut inſtrumento cultus, adiri & frequentari, debeant. Dan. 9: 24. Illud tempus LXX. *ſeptimanarum*, id eſt annorum 490, Spiritus deinceps in certas pericopas diſtinguit; & quid iis fluentibus ſit futurum, animadverti monet.

§. 13. Scilicet *inde ab exitu edicti de reducendo populo & ædificandis Hieroſolymis.* id eſt ab anno I. Cyri *uſque ad unctum principem*, ſicque in exſpectatione Meſſiæ, jubet Spiritus *conſiderari* primò *ſeptem ſeptimanas*, id eſt annos 49. quibus ſcil. ſit valiturum illud edictum. Deinde *ſeptimanas ſexaginta & duas.* id eſt, annos 434. quibus *urbs* ſit *ædificanda*, quoad *forum & foſſam.* id eſt muris & portis inſtruenda, atque ita inhabitanda. Tertiò monet, fore *tempora quædam anguſtiæ.* Quæ tempora quàm ſint longa; & ſeptuaginta ſeptimanis, anve ſeptem illis, an ſexaginta

 duabus

duabus ſeptimanis, includantur, an accedant; &, ſi hoc, ubi ponenda, Spiritus relinquit in medio, & ex eventu ſive hiſtoriâ, determinandum eſt. Daniel. 9: 25. Jam. vid. inf. Art. XXXIV. XXXV. & ſeqq. item XLIV. ex quibus intelligitur, fuiſſe hæc tempora anguſtiæ ſeptuaginta annorum, & LXX. ſeptimanis, poſt ſeptem priores, intercalanda eſſe. Iſtis omnibus temporum periodis expletis, *exſcindendus erat Unctus.* verſ. 26. Et quartò ſecutura erat prolongatio fœderis, ad minimùm *ſeptimanâ unâ*, id eſt ſeptem annis ab exciſo Uncto: Et *medio hujus ſeptimanæ*, cùm ageretur annus quartus à morte Chriſti, *abolendum erat ſacrificium & munus.* Et ſic tandem non erat exſpectàndum niſi *bellum*, exiturum *ad finem* templi, & urbis, & politiæ Judæorum. Ibid. verſ. 27.

ARTICULUS XXIV.

SIc igitur exſtante ac promulgato edicto Cyri, pauci ex converſis ad Deum exulibus, quorum ſcil. cor Deus tetigiſſet, Hieroſolymam revertuntur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sic enim erat prædictum apud Jeremiam: *Et capiam vos unum de civitate, & duos ex familiâ, & deducam vos Sionem.* Jerem. 3: 14. Hinc Ezechiel *de tertiâ parte* pilorum *capere* juſſus *parùm numeratò, idque includere oræ ſuæ.* Ezech. 5: 3. Quo paucitas reducendorum adumbratur. Intelliguntur enim partim ii, qui ab initio non erant abducti, partim qui ex Babylone reducti ſunt, & libero commeatu ex omnibus terris, præcipuè ſub Romanis, uſi ſunt, & in terrâ domicilium fixerunt. Ii enim univerſi erant pauci in comparatione illorum, qui in diſperſione remanebant. Quibus ſic ab invicem ſeparatis, & optimis quibuſque cum Sorobabele & Eſrâ eductis, iterùm factum eſt, ut Deus *referendo manum ſuam ſuper Hieroſolymam, eam repurgaret.* Eſai. 1: 25. Add. Eſai. 21: 9.

§. 2. Cœterùm plurimi reſtitabant Babylone, partim neceſſitate, quia in terrâ necdum omnes domos, agros, urbes, victum habere potuiſſent initiò; partim metu, quòd ſecuriùs Babylone, quàm in terrâ Judaicâ ſe habitare poſſe exiſtimarent; idque propter gentium vicinarum terrorem. Hiſce igitur accommodatæ ſunt hæ exhortationes propheticæ: *Exite de Babylone, fugite ex Chaldæâ in voce cantus: indicate, prædicate hoc, proferte hoc ad finem terræ: dicite, aſſeruit Jehovah ſervum ſuum Jacobum.* Eſai. 48: 20. *Heus, heus, & fugite ex terrâ Aquilonis, ait Jehovah.... Heus, Sion, effuge: habitans cum filiâ Babylonis.* Zach. 2: 10. 11. Celeriter ſcil. & quaſi fugâ domum ſe proripiant, atque ita malum Babyloniæ imminens evitent. Exprobrat etiam illis, qui poſt captivitatem Babylonicam ac reſtitutum templum in terrâ Babylonis remanent, *quòd in Aſſyriâ impurum comedant. Non libent Jehovæ vinum, & non ſapiant ipſi ſacrificia ipſorum; Ut panis lugentium ſit panis ipſorum, de quo qui veſcuntur, polluantur. Nam panem ipſorum pro animâ ipſorum non intrare domum Jehovæ.* Hoſ. 9: verſ. 3. 4. Qui autem in terram reverſi ſunt, *Primogeniti tenuium*, & *pauperes* appellantur, Eſai. 14: 30. *Primogeniti tenuium* ſive *humilium* ſcil., quia privati regno, & ſervi Perſarum, & quia inſigniter erant humiliati, & quaſi δίμοιρον ἐν πενθοῦσι habentes ut primogeniti in paternâ hæreditate ſolent: Conf. Eſai. 40: 2. vel quia filii Dei, *primogeniti* inter eos humiles ſunt, quibus illa recreatio eſt conceſſa.

ARTI-

ARTICULUS XXV.

NEc tantùm Judæi, ſed etiam vicini Judæorum Moabitæ, Ammonitæ, &c. qui, ut ſuprà demonſtratum Period. IV. Art. LXXI. à Nebucadnezare deportati fuere, ſive hoc tempore, ſive poſtea ſub Perſis, & Græcis, acceptâ facultate ad ſua redeundi, ad ſedes ſuas remigrarunt.

DEMONSTRATIO.

Hoc dicit Jeremias, cap. 12: 14. 15. *Sic dixit Jehovah de omnibus vicinis meis malis, qui tangunt hæreditatem, quam tribui populo meo Iſraeli.... Et fiet cùm avellero ipſos, denuò miſerebor ipſorum, & reducam eos, quemque ad hæreditatem ſuam, & quemque ad terram ſuam.* Sed & ex promiſſione additâ Ibid. verſ. 16. liquet, eos reductos partim in ipſam Judæam conceſſiſſe, & in medio Judæorum habitâſſe.

ARTICULUS XXVI.

VAlet edictum ab exitu ejus per *ſeptimanas ſeptem*, ſive annos 49, Dan. 9; verſ. 25. iiſque fluentibus *Spiritus cum principe Perſiæ præliatur*, ut per hoſtes vel adverſarios Judæorum apud reges Perſiæ nihil obtineret. Dan. 10: verſ. 20.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Vid. loca citata. Itaque teſtatur Spiritus, ſe adhuc *anno tertio Cyri principem regni Perſarum*, Diabolum nempe, *habuiſſe adverſarium.* Daniel. 10: 1. 13. Cui convenit, quod eſt Eſr. 4: 5. *hoſtes Judæorum conduxiſſe adverſarios contra Judæos omnibus diebus Cyri.* At hîc Spiritus prophetæ ſignificat, ſe virtute meritorum Chriſti & viciſſe & victurum. Dan. 10: 13. 20.

§. 2. Ita Deus *benefacere* populo recollecto; Deut. 30: 5. Et *hilaris eſſe ſuper ipſo* incepit. Jer. 32: 41.

ARTICULUS XXVII.

IGitur vi ac vigore hujus edicti templum & urbs ædificantur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Pro hâc Hieroſolymæ & templi inſtauratione jam olim oraverat David: *Benefac in benevolentiâ Sioni, ædifica muros Hieroſolymæ.* Pſalm. 51: 20. *Tu ſurgas & miſerearis Sionem. Nam tempus gratiam exercendi cum eâ adeſt. Nam venit præfinitum tempus. Nam gratos habent ſervi tui lapides ejus, & pulverem ejus miſerantur. Et timebunt gentes nomen Jehovæ, & omnes reges terræ gloriam tuam: quum ædificaverit Jehovah Sionem, apparuerit in gloriâ ſuâ.* Pſal. 102: 14. 15. 17. Et hanc futuram ſignificat Eſaias, cap. 29: 1. *O Ariel, Ariel, civitas metationis Davidis, Addite annum ad annum.* i. e. Duas periodos inhabitationis numerate; unum uſque ad Zedekiam, alteram à Sorobabele & Nehemiâ uſque ad bellum & excidium Judaicum. Et cap. 44: 28. *Qui dico de Cyro, paſtor meus, & omnem volun-*

voluntatem meam implebit, idque ut dicat Hieroſolymæ, ædificator, & ô templum, fundator. Item Jeremias: *Sic dixit Jehovah: Ecce ego reſtituo jacturas tentoriorum Jacobi; & tabernacula ejus miſerabor, & ædificabitur urbs uſque ad metam ſuam, & palatium* id eſt templum, *ut oportet, ſedebit.* h. e. conſtituetur, vel habitabitur. Jer. 30: 18.

§. 2. Urbis excitationem ſeorſum prædicit Eſaias: *Qui facio exſtare ſermonem ſervi mei, & conſilium miſſorum meorum impleo: qui dico Hieroſolymæ, habitaberis; & civitatibus Judæ, ædificabimini, & deſolata ejus erigo.* Eſai. 44: 26. *Ego excitavi illum propter juſtitiam... ille ædificabit urbem meam.* Eſai. 45: 13. *Excute pulverem, ſurge, Hieroſolyma.* i. e. reædificare à fundamentis, atque ita excitare in altum; *& ſede.* i. e. inhabitare. Eſai. 52: 2. Et Jeremias: *Ecce ego faciam aſcendere urbi huic prolixitatem & conſolidationem, & reconcinnabo eam.* Jer. 33: verſ. 6.

§. 8. Hæc templi & urbis reædificatio proponitur, ut ſignum majoris beneficii, quod *in benevolentiâ*, Pſalm. 51: 20. & *juſtitiâ* veri nominis, Eſai. 45: 13. conſiſtit.

ARTICULUS XXVIII.

NEc tantùm Hieroſolyma, ſed etiam reliqua oppida Judæ ædificantur, totaque terra incipit hominibus & pecoribus frequentari.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ita Eſaias: *Qui dico Hieroſolymæ, habitaberis: & civitatibus Judæ, ædificabimini.* Eſ. 44: 26. Jeremias: *Ecce ego reſtituo jacturas tentoriorum Jacobi; & tabernacula ejus miſerabor.* Jerem. 30: 18. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: Adhuc erit in loco hoc deſolato, ut non ſit homo aut pecus, & in omnibus oppidis ejus manſio paſtorum facientium recubare oves. In oppidis montanæ, in oppidis depreſſæ & in oppidis Auſtralis & in terrâ Benjamin & circa Hieroſolyma, & in oppidis Judæ adhuc tranſibunt oves ſub manu numerantis, ait Jehovah.* Jer. 33: 12. 13. *Et reducam Iſraelem ad manſionem ſuam, & fruetur Carmelo & Baſan, & in monte Ephrajim & Gilead ſatiabitur anima ejus.* Jer. 50: 19. Ezechiel: *Et conſidebunt in terra ſua, quam dedi ſervo meo Jacobo.* Ezech. 28: 25. *Et educam eas* (oves meas) *ex populis, & congregabo eas ex terris, & deducam eas in terram ſuam: & paſcam eas in montibus Iſrael, in cavis, & in omnibus habitatoribus terræ.* Ezech. 34: 13. *Et vos, montes Iſrael, frondem veſtram dabitis, & fructum veſtrum feretis populo meo Iſrael, quum appropinquaverint venire. Nam ecce ego ad vos, & convertar ad vos, & colemini & conſeremini. Et multiplicabo ſuper vobis homines, totam domum Iſrael univerſam, & habitabuntur oppida, & eremi ædificabuntur.* Ez. 36: 8. 9. 10.

§. 2. Eòdem facit, quòd Deus promittit apud Jeremiam, fore, ut *Deus ipſos plantet in terrâ.* Jer. 24: 6. 32: 41. Item: *Adhuc fore, ut emantur domus & agri & vineæ in terra;* Jer. 32: 15. Fore inquam, *ut emantur agri argento, & ſcribant in libello, & obſignent, & adhibeant teſtes in terra Benjamin, & circa Hieroſolymam, & in oppidis Judæ, & in oppidis montanæ, & in oppidis depreſſæ, & in oppidis Auſtralis. Fore enim, ut Deus reſtituat jacturas eorum.* Ib. v. 43. 44. Sic & diſtributionem terræ inter filios & nepotes abductorum indicat Michæas, ubi improbis denuntiat: *Propterea non erit tibi jaciens funem ſorte in panegyri Jehovæ.* Mich. 2: 5.

ARTI-

ARTICULUS XXIX.

His reipublicæ, urbis, & templi, quaſi de novo renaſcentium, initiis non defuere, grati animi confeſſio, & in publicâ omnium lætitiâ, fauſta omina & vota gratulantium.

DEMONSTRATIO.

Præluſit huic gaudio Spiritus apud Jeremiam: *Et exibit ab ipſis confeſſio & vox ludentium.* Jer. 30: 19. *Sic dixit Jehovah : Adhuc audietur in loco hoc, quem vos dicitis deſolatum eſſe, ut non ſit homo & ut non ſit pecus; in oppidis Judæ & in vicis Hieroſolymorum, quæ deſolata ſunt, ita ut non ſit homo, & ut non ſit pecus: Vox bilaritatis & vox lætitiæ, & vox ſponſi & vox ſponſæ, vox dicentium: Confitemini Jehovam Deum exercituum, quia bonus eſt Jehovah, quia in ſæculum gratia ejus; offerentium confeſſionem ad domum Jehovæ: quia reſtituam damna terræ in priſtinum, ait Jehovah.* Jerem. 33: 10. 11.

ARTICULUS XXX.

Tres reges poſt Cyrum ordine ſeſe excipiunt in regno Perſiæ, Cambyſes, Darius Hyſtaſpis, & Xerxes.

DEMONSTRATIO.

Id ita futurum, anno tertio Cyri Danieli indicatum eſt: *Ecce adhuc tres reges ſtabunt Perſis.* Dan. 11: 2. Non quòd non plures futuri fuerint; ſed quia de tertio illorum, h. e. *quarto*, qui vocatur Xerxes, prophetia rem inſignem erat pronunciatura. Eſras ex his regibus nominat Cyrum, Darium, Ahaſuerum, cap. 4: 5.6. omiſſo Cambyſe. Quod ſi quis inter reges Perſarum numerare velit Magum, qui fuit ante Darium, hoc ſciat licitum: dummodo hoc poſito, Xerxem faciat quartum, non à Cyro, ſed poſt Cyrum. Phraſis enim Scripturæ hoc in medio relinquit.

ARTICULUS XXXI.

Græci ſerviunt Perſis ſub Cyro, Cambyſe, & Dario Hyſtaſpis.

DEMONSTRATIO.

Id ſignificatur apud Zachariam; ubi Deus *ſe agitaturum manum ſuam ſuper illis,* (Perſis) *& fore direptionem ſervis ſuis,* (Græcis) pronunciat. Zach. 2: 13. Perſæ enim Græcis imperitaverunt; qui tributa illis dederunt. Sic Herod. Erat. cap. 44. Τῷ πεζῷ Μακεδόνας πρὸς τοῖσι ὑπάρχουσι δούλους προσεκτήσαντο. τὰ γὰρ ἐντὸς Μακεδόνων ἔθνεα πάντα σφι ἤδη ἦν ὑποχείρια γεγονότα. Sub Dario Hyſtaſpis. Idem in Polymniâ cap. 51. Κῦρος ὁ Καμβύσεω Ἰωνίην πᾶσαν πλὴν Ἀθηναίων κατεστρέψατο δασμοφόρον εἶναι Πέρσῃσι. Hi facti αὐτόνομοι ſub Longimano.

ARTI-

ARTICULUS XXXII.

SEptimanæ ſeptem, ſ. anni 49. inde ab exitu verbi de reducendo, h. e. à primo anno Cyri, decurrentes, regno Darii Hyſtaſpidis ad finem vergente, exſpirarunt. Ab illo igitur tempore bella atrocia Perſis cum Græcis fuere, usque ad Darium Nothum.

DEMONSTRATIO.

Hinc rex Perſiæ *Equus rufus*, & multo cruore maculatus, tempore Darii Nothi, dicitur in prophetiâ. Zach. 1: 8.

ARTICULUS XXXIII.

XErxes inter alios, rex quartus à Cyro, ingenti apparatu bellum inſtruit & gerit contra Græcos.

DEMONSTRATIO.

Ita expreſſè Daniel: *Et quartus ditabitur divitiis magnis præ omnibus, &, cùm confirmatus fuerit in divitiis ſuis, excitabit omnia contra regnum Græcorum.*

ARTICULUS XXXIV.

FActum verò hinc eſt, ut cùm reges Perſiæ ad ea, quæ domi gerebantur, jam minùs attendere poſſent, externis bellis impliciti; & ſinè ſumtibus regiis, qui ad alios uſus impendebantur, ædificatio urbis & templi procedere non poſſet; & Judæi vicinos haberent irriſores & infeſtos, paucis (ut ſuprà viſum Art. XXIV.) in terram reverſis, & plurimis Babylone adhuc agentibus: Structura templi maneret impedita; & populus, abſterriti ab opere, & contenti jejunium inſtituiſſe, quisque ad res privatas curandas, & agriculturam exercendam, dilaberentur, tempus nondum adeſſe rati ædificandæ domus.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De infeſtatione vicinorum ita loquitur: *Nam quis contumeliam facit in die parvorum?* Zach. 4: 10. De jejunio: *Quando jejunâſtis & planxiſtis . . . . . his ſeptuaginta annis, an jejunâſtis me; me inquam?* Torporem populi in ædificando templo, & ſtudium rerum privatarum & agriculturæ incuſat Haggæus, cap. 1: 2. & ſeqq. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum, dicendo: Populus hic dixerunt; Non eſt tempus, ut veniat tempus domus Jehovæ, ut ædificetur.* vers 2. *Et fuit verbum Jehovæ in manu Chaggæi prophetæ; dicendo*: vers 3. *An opportunum eſt vobis ipſis habitare in domibus veſtris contabulatis, dum domus hæc deſolata eſt?* vers 4. *At nunc (ſic ait Jehovah Deus exercituum) ponite cor veſtrum ad vias veſtras.* vers 5. *Seminâſtis multùm. . . . edistis, . . . bibitis, . . . veſtitus eſt, ... & qui meretur, ...* vers 6. *Sic ait Jehovah, Deus exercituum: Ponite cor veſtrum ad vias veſtras.* v. 7.

§. 2. Sananæ

§. 2. Satanæ ea interturbatio ædificationis templi adſcribitur, omnibus modis id agenti ſcil. ut Aharonidæ, utpote adhuc impuri, à conſpectu Dei, destructo templo, & impeditâ illius ædificatione, amoverentur. Indicat Zacharias, cap. 3: 1. 3. *Et fecit me videre Joſuam Sacerdotem maximum ſtantem coram Angelo Jehovæ, & Satanas ſtabat ad dextram ejus ad eum infeſtandum.* vers 1. *Et Joſua erat amictus veſtibus ſordidis, & ſtabat coram Angelo.* v. 3.

ARTICULUS XXXV.

DEus interim per increpationem proventuum terræ, & ſubtractionem benedictionis in rebus privatis, illum languorem ac deſidiam populi ſibi non placere identidem demonſtrat.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc teſtatur Haggæus cap. 1: 6. & ſeqq. *Seminâſtis multùm & infertis parùm: editis, & non eſt ſatietas; bibitis, & non eſt ad ebrietatem; veſtitus quis eſt, & non eſt ad calorem ipſi; & qui meretur, meretur in loculos pertuſos.* vers 6. *Reſpiciebatis ad multùm, & ecce fuit in parùm, & retuliſtis domum, & difflavi illud. Quam ob cauſam, ait Jehovah Deus exercituum? Propter domum meam, quæ deſolata eſt: vobis currentibus unoquoque domum ſuam.* vers 9. *Ea propter ſuper vobis continebant cœli etiam rorem; & terra continebat proventum ſuum.* vers 10. *Et vocabam æſtum in terram, & in montes, & in frumentum, & in muſtum, & in oleum, & in id, quod profert terra, & in hominem & in pecus & in omnem laborem manuum.* vers 11. Zacharias quoque: *Efferbuerat Jehovah in patres veſtros fervore.* Zach. 1: 2. *Et reſpondit Angelus Jehovæ & dixit: Jehovah Deus exercituum, quouſque tu non miſeraris Hieroſolymam & urbes Judæ: quas rigidè tractâſti hos ſeptuaginta annos?* Ib. vers 12. Et hæc *Anguſtia* eſt, in quâ Danieli, exactis ſeptimanis ſeptem, *fore tempora quædam*, revelatum eſt. Dan. 9: 25. f. Ut hîc iterùm effectum *Excandeſcentiæ* habeamus, de quâ eſt. Dan. 8: 19.

§. 2. Quàm longum fuerit hoc tempus Anguſtiæ, inde æſtimemus licet, quòd anno ſecundo Darii Nothi, quo tempore Haggæus & Zacharias prophetarunt, *ſeptuaginta anni rigoris* nominentur. Zach. 1: 12. Et anno quarto ejuſdem regis jejunium illud, de quo paulò ante, obſervâſſe *ſeptuaginta annis* expreſſè dicantur. Zach. 7: 5. Nec videtur dubitandum, quin proximi anni intelligendi ſint, ſcil. uſque ad annum ſecundum Darii. Ante eum Artaxerxes Longimanus regnavit annis 40, Xerxes 21, Darius Hyſtaſpis 36. Sic retrò numerando annos 70. ab anno ſecundo Darii Nothi, incidimus in 29. Darii Hyſtaſpis; ſub quo jam interturbari templi ædificatio cœpit. Vid. Eſr. c. 4: 5. 6.

ARTICULUS XXXVI.

ACceſſit & hæc Anguſtia, quòd fluentibus illis ſeptuaginta annis rigoris, Satanæ à Deo permitteretur, regem Perſiæ Xerxen, adverſus populum inſtigare. Quâ ratione effectum eſt, ut non modò etiam ille ædificationi templi obſtaret. Eſr. 4: 6. verùm etiam per Hamanem juberet exſcindi totam gentem Judæorum. Eſth. c. 3.

DEMONSTRATIO.

Hanc proculdubio *Anguſtiam* quoque innuit Daniel, cap. 9: 25. Itaque Xerxes, ſive Haman *tertium cornu* exſtitit ad populum ventilandum. Zach. 2: 1. 2. Et *Equi* illi, qui miſſi fuerant in terram Aquilonis, *atri*, id eſt, populo graves & incommodi fuerunt. Zach. 6: 6. Adde generalia Pſ. 129: 1. 2. Dan. 8: 19.

ARTICULUS XXXVII.

GRæci ſub Themiſtocle Xerxen; Hamanem Eſther, expavefaciunt. Ab eoque tempore conſilia & res Perſarum paulatim corrumpi & in pejus ire cœperunt.

DEMONSTRATIO.

Factum id, *Spiritu Dei à Perſis exeunte.* Dan. 10: 20. Et producente *tertium fabrum*, ad comminuendum tertium illud cornu, de quo Art. præced. Zach. 2: 3. 4. Add. Pſ. 129: 2.

ARTICULUS XXXVIII.

ARtaxerxes Longimanus edicto prohibet ædificationem templi. Eſr. 4: 8. & ſeqq.

DEMONSTRATIO.

Id novum *tempus anguſtiæ*; Dan. 9: 25. Pſ. 129: 1. 2. Dan. 8: 19. Et *quartum cornu* adverſans populo; Zach. 2: 1. 2.

ARTICULUS XXXIX.

GRæci ſub Cimone, Athenienſium duce Artaxerxem Longimanum terrefaciunt; eòque redigunt, ut pacem facere cum Græcis eâ lege cogeretur, ut Græcorum in Aſiâ liberæ coloniæ eſſent. Vid. Thucyd. & Diodor. Sic.

DEMONSTRATIO.

Itaque & *faber* inventus eſt ad deſtruendum quartum illud cornu. Zach. 2: 3. 4.

ARTICULUS XL.

GRæcia hinc tota, ducibus Athenienſibus & Lacedæmoniis, tumultuatur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque *motus* Græciæ tanquam *maris* alicujus continuò exagitati, jamnunc incipiunt, eò tendentes, ut compoſiti tandem in Aſiam exæſtuent, eamque inundent. Hagg. 2: 6.

§. 2. Horum motuum hiſtoria ex Græcis repetenda eſt. Sub Artaxerxe Longimano,

mano anno ipſius 24. poſt finem Xerxis 37. cùm Eubæam Athenienſes duce Pericle ſibi ſubjeciſſent, pax inter Athenienſes & Lacedœmonios & utrorumque ſocios facta eſt in triginta annos. Thucyd. l. 1. p. 75. Edit. Steph. Ea inviolata manſit ſex annos. Sequentibus annis turbatum eſt nonnihil, & cauſæ novi belli ſeminatæ; donec anno 37. Artaxerxis, 50. poſt bellum Xerxis Lacedæmone bellum in Athenienſes decerneretur, quod bellum Peloponneſiacum vocatur; & 26. annos duravit, continuatum uſque ad demolitionem murorum & triremium Athenienſium. Anno hujus belli ſeptimo Artaxerxes mortuus eſt.

ARTICULUS XLI.

ANno ſecundo Darii Nothi, nono belli, induciæ factæ ſunt inter partes unius anni, in ſpem pacis.

DEMONSTRATIO.

Hoc tempus obiter deſignat Zacharias: *Ecce tota terra ſedet & quieſcit.* Zach. 1: verſ. 11.

ARTICULUS XLII.

DArius etiam hoc tempore cogitur conſiſtere, atque ita frenatur, ut conatibus populi ædificantis templum minimè eſſet impedimento.

DEMONSTRATIO.

Quod indicat Zacharias, quum, *Vidi*, inquit, *nocte, & ecce vir equitans in equo rufo, & is ſtabat* quietus *inter myrtos* electos Iſraelis, *quæ erant in profundo.* Iſraël enim tum non in alto monte, ſed in profundâ valle erat collocatus inter mundi regna, quorum unum poſt aliud emergebat. Per *Equum* verò *rufum* regem Perſiæ intelligi, conſtat ex Art. XXXI. Zach. 1: 8. Idem ſignificatur per *complanationem montis magni coram Zerubbabele.* ut ſcil. is fiat in æquabilem campum coram Zerubbabele, eique non ſit impedimento, *ut ſummum lapidem educere* ac imponere ſtructuræ templi poſſit, *cum clamoribus*, *Gratia*, *gratia illi.* Zach. 4: 7.

ARTICULUS XLIII.

PRæſens Deus adeſt & habitat in populo ſuo, non quidem in nube, ſed cum verbo pro illis intercedente, eoſque cuſtodiente circumquaque, & jam omnia in adventum ſuum præparante; & cum Spiritu ſuo, excitante in eo prophetas minimè fallaces, ut Haggæum, Zachariam, & obedientiam Deo ad verba prophetarum; quique porrò eſſet conſervaturus legiſlatores & doctores ſedentes in cathedrâ Moſis, donec ſecundùm promiſſionem Spiritus S. in filios ipſorum effunderetur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc Dei præſentiâ & inhabitatione in populo ſic loquitur Deus apud Haggæum: *Ego vobiſcum ſum, ait Jehovah.* Hagg. 1: 13. *Ego vobiſcum ſum, ait*

Jehovah Deus exercituum. Cum verbo, quod promiſi vobis, cùm exiretis ex Ægypto; & Spiritus meus ſtat in medio veſtri. Hagg. 2: 4. 5.

§. 2. Non erat autem hæc inhabitatio in nube ſuper arcam. Talem enim poſt captivitatem Babylonicam nullam futuram ampliùs, ſignificat Jeremias cap. 3: 16 *Et fiet cum multiplicabimini in terrâ, in diebus illis, ait Jehovah, non dicent ampliùs: Arca fœderis Jehovæ, & non veniet in mentem, neque recordabuntur ejus, & non adibunt, & non fiet ex illo.*

§. 3. Verbum pro populo intercedens ſic introducit Zacharias: *Et reſpondit Angelus Jehovæ* interceſſor, *& dixit: Jehovah Deus exercituum, quouſque tu non miſeraris Hieroſolymam & urbes Judæ: quas rigidè tractaſti hos ſeptuaginta annos?* Zach. 1: 12.

§. 4. De Verbo vel Angelo Jehovæ cuſtodiente populum undiquaque, teſtatur ipſe apud Eſaiam, cap. 46: 3. 4. *Auſcultate mihi, domus Jacobi, & omne reſiduum domus Iſraelis, qui ſuſcepti eſtis portandi ab utero, qui geſtamini à vulvâ. Etiam uſque ad ſenectutem ego idem, & uſque ad canitiem ego bajulabo.* Et cap. 63: 9. *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat ipſos* quiſquam, *& Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos, in dilectione ſuâ & in clementiâ ſuâ ipſe aſſerebat ipſos, & bajulabat illos, & fovebat illos omnibus diebus ſæculi.* Item Zach. 2: 9. *Et ego fiam illi, ait Jehovah, murus igneus circumquaque.*

§. 5. De Angelo Jehovæ jam omnia præparante ad παρουσίαν, & ſic velut egrediente è tabernaculo ſancto ſuo, & Spiritu Dei habitante in populo per prophetas, eſt ibidem apud Zachariam; Ubi Angelus, qui loquitur ad prophetas, prodit de cœlo, & ei obvius fit alius Angelus, è cœlo egrediens, qui dictat ei revelanda prophetæ: *Et ecce Angelus loquens ad me exibat, & Angelus alius exibat obviam ei. Et dicebat ad illum, Curre, loquere ad puerum hunc, dicendo* &c. Zach. cap. 2: verſ. 7. 8.

§. 6. Cœterùm de Spiritu Dei prophetas excitante in populo veraces, & quibus tutò credant, hæ exſtabant promiſſiones apud Jeremiam: *Et dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent vos ſcientes & conſideratè.* Jerem. 3: 15. *Ecce ego mitto etiam piſcatores multos, ait Jehovah, & piſcabuntur ipſos, & poſtea mittam etiam venatores multos, qui venentur eos de omni monte, & de omni colle, & de fiſſuris petrarum.* id eſt, qui eos ad Deum vel eſcâ propoſitâ, vel violentiâ quâdam, nempe claritate demonſtrationis ſuæ ad Deum reducant. Quemadmodum fecere primò prophetæ poſt captivitatem, deinde & Apoſtoli. Jerem. 16: 16. *Et conſtituam ſuper eos paſtores, qui paſcent eos.* Jer. 23: 4.

§. 7. Sed & Zachariam filium Barachiæ inter illos prophetas exſtiturum, & clariſſimè tùm de multiplicatione populi, tùm de adventu Chriſti vaticinaturum, prædixit Eſai. 8: 2. *Et teſtes mihi conſciſcam fideles, Urijam ſacerdotem & Zachariam filium Jebarachiah.*

§. 8. Eſſe autem hoc prophetiæ donum à Spiritu S. in populo habitante, declarat Zacharias: *Et poſuerunt cor ſuum ſilicem, ne audirent legem & verba, quæ mandavit Jehovah Deus exercituum in ſpiritu ſuo per prophetas priores.* Zach. 7: verſ. 12.

§. 9. Obedientiam in populo à Spiritu Dei excitatam ad verba prophetarum ſic repræſentat Haggæus: *Et auſcultavit Zorobabel filius Salathiel & Joſua filius Joſadaci, Sacerdos maximus, & omnes reliqui populi, voci Jehovæ Dei ſui, & ad verba Haggæi prophetæ, quemadmodum miſerat ipſum Jehovah Deus ipſorum, & timuit*

muit populus Jehovam. Hagg. 1: 12. Item: *Et excitavit Jehovah ſpiritum Sorobabelis filii Salathielis præſidis Judæ, & ſpiritum Joſuæ filii Joſadaci, ſacerdotis maximi, & Spiritum totius reliqui populi: & venerunt & fecerunt opus in domo Jehovæ Dei exercituum.* Ibid. verſ. 14.

ARTICULUS XLIV.

SIc itaque per prophetas excitato populo, ædificatio templi, per tempora anguſtiæ hactenùs intermiſſa, de novo per Sorobabelem incepta eſt, anno ſecundo Darii Nothi, tandemque abſoluta. Hagg. 1: 14. 15. Eſr. 6: verſ. 14. 15.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ut in hoc ipſo anno terminare liceat tempora anguſtiæ; & *ſeptimanas ſexaginta duas* inchoare. Id eſt tempus 434. annorum: Quos ſi à dicto principio exordiamur, annum Chriſti 13. mum vel 12. mum inveniemus; in quo finem habent.

§. 2. His itaque *ſeptimanis ſexaginta duabus* jam ineuntibus *denuò ædificatæ ſunt Hieroſolymæ*, in quantum *urbs ſancta* dici merebatur ſcilicet, id eſt, templum in eâ. Quod prædictum Dan. 9: 25. coll. 24. Rem narrat Haggæus cap. 1: 14. 15. *Et excitavit Jehovah ſpiritum Sorobabelis, præſidis Judæ, & ſpiritum Joſuæ ſacerdotis magni, & ſpiritum reliqui populi, & venerunt, & fecerunt opus in domo Jehovæ: In die viceſimo quarto menſis ſexti, anni ſecundi Darii regis.* Promittit & eandem Zacharias, cap. 1: 16. *Quapropter ſic dixit Jehovah, reverſus ſum ad Hieroſolymam in miſericordiâ, domus mea ædificabitur in eâ, ait Jehovah Deus exercituum.* Cum promiſſione abſolutionis operis repetiti per Sorobabelem, quantumvis longævum: *Et educet* Sorobabel *lapidem capitalem cum clamoribus, Gratia, gratia illi.* Zach. 4: 7. *Manus Sorobabelis fundarunt domum hanc*, (Eſr. 3: 10. 11.) *& manus ejus abſolvent.* Ibid. verſ. 9. *Et lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanni* (ſive *perpendiculum*) *in manu Sorobabelis ſeptem hi.* i. e. Septem Eccleſiæ gentium cum maximâ ſemper lætitiâ viderunt, videntque conſilium Dei per manum Sorobabelis exſecutioni mandatum; nempe templi erectionem ad præparandum locum & ſtatum populi convenientem adventui filii Dei. Ibid. verſ. 10.

§. 3. Dum itaque urbs templum ſuum recepit, *induit veſtes ſuas ornatus civitas ſancta.* Eſai. 52: 1.

ARTICULUS XLV.

TEmplo reſtituto, inſtauratur cultus, & Sacerdotium; & quatenus Sacerdos maximus erat præſes ordinarius Synedrii, Politia quoque, omnium Tribuum hominibus ad eam aggregatis.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc cultus, hactenus interrupti, reſtaurationem ſignificat Deus, promittens Davidi cultus conſervationem, uſque dum veniat *Salus*, quâ *Sacerdotes ſint induendi.* Ita enim ille; *Nam elegit Jehovah Sionem, appetivit in habitatio-*

nem ſibi. Hæc requies mea in perpetuum: hîc habitabo. Nam appeto illam. Et ſacerdotes ejus induam ſalute. Pſalm. 132: 13. 14. 16. Eſaias item ſatis clarè: O *Ariel, Ariel*, (Ita dicitur dorſum ſive focus altaris, in quo victimæ cremabantur. Vid. Ezech. 43: 15. 16. à הַרְאָה & אל, quod ſit in conſpectu Dei, & quod in eo offertur.) *Adde annum ad annum.* duos annos frequentationis numera; unum uſque ad Zedekiam, alterum à Sorobabele: interimque Sacerdotes *victimas deſtringant.* Eſai. 29: 1. Jeremias quoque, ubi prædicit, in totâ terrâ *adhuc tranſituras oves ſub manu numerantis.* innuit, decimas datum, & cultum Dei de novo celebratum iri. Jerem. 33: 13. Clariſſimè Habaccuc: *Adhuc erit viſio ad ſtatutum tempus.* Siquidem per viſionem miniſterium propheticum à Moſe inſtitutum ad demonſtrandum eminùs Chriſtum verbo & figuris, intelligatur. Hab. 2: 3.

§. 2. Initiatio quaſi nova Sacerdotii χρηματίζεται apud Zachariam: *Et dixi: ponant cidarim* (inſigne poteſtatis miniſtrandi) *puram in caput ejus.* (Joſuæ ſacerdotis maximi, ex verſ. 1.) *Et poſuerunt cidarim puram in capite ejus, & induerunt eum veſtibus. Et Angelus Jehovæ ſtabat. Et conteſtabatur Angelus Jehovæ Joſuam, dicendo: Sic dixit Jehovah Deus exercituum, Si in viis meis ibis, & ſi obſervationem meam obſervaveris, tùm etiam tu cuſtodies atria mea, & dabo tibi ambulantes* (Sacerdotes) *inter ſtantes hoſce.* (Angelos inſpectores cultus ſacri, & vindices tranſgreſſionum.) Zach. 3: 5. 6. 7.

§. 3. Quatenùs verò Sacerdos maximus præſes erat ordinarius Synedrii, Deut. 17: 1. ita Joſuæ cidaris impoſita fuit, ut inſigne poteſtatis, non tantùm miniſtrandi, ſed etiam judicandi; & ſic in initiatione Sacerdotis maximi, inſtitutio Synedrii ſub præſide ordinario, facta intelligitur. Igitur & expreſſè Angelus Jehovæ in conteſtatione prædictâ: *Sic dixit Jehovah: Si in viis meis ambulabis, & ſi obſervationem ejus obſervaveris, tùm etiam tu judicabis domum meam, & etiam cuſtodies atria mea.* Zach. 3: 7. Et jam olim Eſaias: *In die illo fiet Dominus Deus exercituum... In ſpiritum judicii, ſedenti ad judicium.* Eſai. 28: 5. 6. Et Jeremias: *Capiam de ſemine Jacobi poteſtatem habentes in ſemen Abrahami, Iſaaci, & Jacobi.* Jer. 33: 26.

§. 4. Sic itaque inſtituto cum Præſide Synedrio, Reſpublica eſt conſtituta, & populus recollectus eſt in קהל / id eſt πανήγυριν, quæ propriè eſt, ubi comitia reipublicæ cauſâ celebrantur; & quidem, cùm templum eſſet reſtitutum, panegyrin Dei, inter ipſos habitantis per verbum & ſpiritum ſuum; regibus Perſiæ permittentibus, ut αὐτονόμως & ex propriis legibus agerent, atque etiam præfectos ſuæ gentis, ut Sorobabelem, & Nehemiam, ipſis concedentibus Vid. Eſr. 7: 25. 26. Item cap. 2: 2. 3: 2. 5: 2. Neh. 5: 14. Reipublicæ conſtitutio ſignificatur, quoties multitudo Iſraëlitarum poſt captivitatem & reductionem *Populus* appellatur. Ut Eſai. 40: 1. Dan. 9: 24. &c. Significatur enim hâc appellatione, datum eſſe Iſraëlitis, ut adhuc habeant πολιτείαν ſub Senioribus ſuis, ſive Legiſlatoribus; & diſtincti ſint ab omnibus gentibus, obſervantes præcepta legis.

§. 5. De populo recollecto in קהל / ſive panegyrin, & quidem panegyrin Jehovæ, eſt apud Michæam: *Propterea non erit tibi jaciens funem ſorte in panegyri Jehovæ.* Mich. 2: 5. *Ponam illum ut gregem in medio ovilis.* Mich. 2: 12. Item apud Jeremiam: *Et cœtus ejus conſtabilietur coram me.* Jer. 30: 20. Et Ezechielem: *In concilio populi mei non exiſtent, & in catalogo domus Iſrael non ſcribentur, & in terram Iſrael non venient.* Ezech. 13: 9.

§. 6. Reſtituta autem eſt reſpublica in eam formam, ut ſub *Judicibus*, non ſub

Regi-

Regibus eſſet. Ita enim Eſaias: *Et reſtituam judices tuos, ut primitùs, & conſiliarios tuos, ut initiò.* Conf. ex ſupp. Per. IV. Art. lxv. Ubi de ablatione ſceptri, ſ. regiæ poteſtatis à Judâ agebamus. Judices illi fuerunt Sorobabel, Nehemias, tanquam præfecti, Pontifex, Sacerdotes, Seniores populi. Quemadmodum ex libris Eſræ & Nehemiæ patet.

§. 7. Ad hanc panegyrin & politiam, & communionem cultus Dei in templo etiam acceſſere reliquiæ de decem tribubus, tùm quæ in gentes diſperſæ, tùm inprimis quæ poſt abductionem in terrâ remanſerunt; ut ita hic populus fuerit duodecim tribuum recollectarum non tantùm in locum, ſed etiam in ſenſum & nomen unum, ut unum altare & templum frequentare ſub unoque Senatu eſſe, & omnes Judæi appellari, vellent.

§. 8. De hâc recollectione intelligendus eſt Moſes: *Et reſtituet Jehovah Deus tuus te in integrum, & miſerabitur te, & convertetur & recolliget te ex omnibus populis, quò diſperſerit te Jehovah Deus tuus.* Deut. 30: 3. Et ubi, agens de manifeſtatione regni Dei, *Factus eſt*, inquit; *in Jeſchurun rex, congregatis unà tribubus Iſraelis.* Deut. 33: 5.

§. 9. Eſaias eandem ſubinnuit, ubi, in contentione Chriſti in carne apparentis, introducit eum deferentem judicium ad *ſedentes Hieroſolymis*, i. e. Senatum Hieroſolymis reſidentem, & *virum Judæ.* i. e viros, præſides, Seniores, tribus Judæ; in cujus nomen ſic totus Iſraël collectus ſignificatur Eſ. 5: 3. 4. Et, expreſſis etiam partibus, Eſ. 8: 14. *Et erit in ſanctuarium, & in lapidem offenſionis, & in petram ruinæ, ambabus domibus Iſraëlis.* Intellige, toti populo XII. tribuum, prius reunitarum in unum populum & unam remp. antequam Jehovah fieret in ſanctuarium, & in lapidem offenſionis, illis ambabus domibus Iſraëlis.

§. 10. Jeremias eandem unionem indigitat, ubi *Deum ædificaturum reductos in terram* promittit. Significat enim, Deum ipſos collecturum in unum, ut non ampliùs ſint duo populi & duo regna. Jer. 24: 8. Item ubi *Iſraëlem & Judam* conjungit in beneficio *ſalvationis*; ut Jerem. 23: 6. *& reſtitutionis jacturarum populi & reductionis in terram*; ut Jerem. 30: 3. 4. Vel etiam ſub nomine *Jacobi*, vel *Iſraëlis*, utroſque complectitur; ut Jer. 30: 7. 10. 18. In eandemque ſententiam accipienda ſunt iſta: *Et reſtituam jacturas veſtras, & colligam vos.* Jerem. 29: 14. *Ecce ego congrego eos ex omnibus terris, quò pepuleram ipſos irâ meâ & ardore meo & fervore magno, & faciam ut redeant ad locum hunc.* Jer. 32: 37.

§. 11. Ezechiel propoſitum docet, cap. 11: 17. *Sic dixit Dominus Jehovah: Colligam vos ex populis, & ſimul auferam vos ex terris, in quas diſperſi eſtis, & dabo vobis terram Iſraël.* Et cap. 23: 36. 44. Ubi poſtquam egiſſet de *Oholah* & *Oholibah*, earumque judiciis ſeorſum, utraſque conjungit, earumque ſic conjunctarum peccata & judicia conjunctim deſcribit. Iterumque cap. 28: 25. *Sic dixit Dominus Jehovah, quum colligam domum Iſraël ex populis, in quibus ſparſi ſunt.* Et cap. 34: 13. 36: 24. Ubi *Deum educturum* oves ſuas diſperſas *ex populis, & collecturum ex terris, & deducturum in terram ſuam*, promittit. *Eductio* enim illa facta eſt per Cyrum, cum Sorobabel & Eſras, factâ exeundi poteſtate, eduxerunt Judæos ex Babylone: *Collectio*; quando omnium tribuum hominibus datâ poteſtate revertendi in terram, ii omnes in unum populum conſpirârunt, ab unoque Senatu regi voluerunt. *Introductio in terram ſuam* facta eſt non tantùm ad habitandum, ſed etiam ad ſanctuarium viſitandum, quamvis adhuc in διασποραῖς habitarent, atque ita partim adhuc eſſent conſtituti *in deſerto*, Eſ. 40: 3. ſcil. *populorum*; uti explicat Ezechiel, cap. 20: 35.

Quibus

Quibus per ruinam regnorum Orientis via Hieroſolymam patefacta eſt. Ac denique, ubi, ſub adventum Chriſti, *Edomum dixiſſe* affirmat: *Duæ illæ gentes, & duæ illæ terræ, meæ ſunt, & hæreditabimus eas.* Ezech. 35: 10. Et *Deum in montibus Iſraëlis multiplicaturum totam domum Iſraelis*, i. e. omnium tribuum homines, oſtendit Ezech. 36: 10. Quin & typo aliquo hanc tribuum conjunctionem Deus per Ezechielem obſignavit. Scil. juſſit prophetam duos baculos, inſcriptos nominibus Joſephi & Judæ, in manum accipere, ita ut fiant in manu ipſius unus baculus; ſive hoc ita intelligendum fuerit, cohæſuros iſtos duos baculos in manu ipſius, ut ſint unum lignum continuum, ſive ita junctos debuerit in manu ſuâ tenere duos iſtos baculos, ut viderentur eſſe unus baculus. Ita ſignificabatur omnium tribuum recollectio ex locis diſperſionis ſuæ, ut reducantur ad eandem terram, & ibi vivant tanquam una gens. Baculus autem notabat ſceptrum; & duo regna eſſe coalitura in unum, ut in terrâ agnoſcerent omnes unum templum, & uni ſenatui parerent. Ezech. 37: 15—22.

§. 12. Hoſeas rem declarat, ubi antecedens vocationis gentium ponit *congregationem filiorum Judæ & filiorum Iſrael.* Hoſ. 2: 2. Amos item, ubi *rupturas illorum*, ſcil. regnorum, ſ. populorum duorum, Iſraëlis & Judæ, *obſepiendas eſſe* ac reſarciendas cum adventu Chriſti, demonſtrat. Am. 9: 11. Michæas etiam clariſſimè: *Colligendo colligam, ô congregatio Jacobi, te totam: congregando congregabo reliquias Iſraelis.* Mich. 2: 12. Duo enim hic diſtinctè ſignificantur: 1°. Reductio Judæorum ex captivitate Babylonicâ, ut ibi nulla tribus deſit. non quidem omnium & ſingulorum hominum de tribubus, ſed tamen omnium ad hoc delectorum, datâ omnibus occaſione redeundi, ſi vellent. 2. Conjunctio reliquiarum de X. tribubus in unam politiam ad communionem cultus Dei in templo. qui ante ſeparati erant in diverſos populos per Jaroboamum.

§. 13. Hæc porrò ratio eſt, cur Zacharias reduces ſui temporis compellet nomine *domus Judæ & domus Iſraelis* ſimul. Ut Zach. 8: 13. Cur etiam ſub adventum Chriſti regis, mentionem faciat *omnium tribuum Iſraelis*, Zach: 9: 1. Itemque *Ephrajimi & Hieroſolymæ*, ut conjunctorum. Zach. 9: 10.

§. 14. Nec tantùm ſic in unum ſenſum, & unam rempublicam, ſed etiam in nomen unius Tribus, coalituras fuiſſe omnes Tribus, & omnes deinceps Judæi appellarentur, ſignificatur Mich. 6: 9. Ubi tempore præconii Chriſti in carne totum populum *Tribum* appellat. Non tantùm enim eo tribus Judaicæ politiæ, ſed etiam totius Iſraëlis in nomen unius tribus coalitio deſignatur. Et quia ſic tribus Judæ, præterquam quod fortior eſſet ac robuſtior reliquis tribubus, harum acceſſione mirum in modum aucta eſt & confirmata, hinc tribus illa præ cæteris *ſurculus* appellatur, *quem Deus confirmaverit ſibi.* Pſ. 80: 17.

§. 15. Hanc denique reſtitutionem templi, urbis, Sacerdotii, prophetiæ, reipublicæ, ac XII. tribuum, Spiritus proponit, ut ſignum infallibile adventus Meſſiæ jàm propinqui. *Non* enim *erat receſſurus Legiſlator* aut potiùs legis vindex, *à Judâ, donec veniret Schiloh.* Gen. 49: 10. Ita David conſilium Dei explicans: *Sacerdotes ejus induam ſalute.* Stante ergo adhuc & vigente ſacerdotio carnali adducenda erat ſalus populo, & ſacerdotibus ipſis. Pſ. 132: 16. Et apud Nahumum *Jehovah reſtituit id, in quo celſos animos gerit Jacob*, id eſt templum ad continuationem cultus cerimonialis, in quo templo gloriabatur populus ſecundùm carnem, *ut is, in quo celſos animos gerebat Iſrael*, quem ſcil. oportebat venire ad populum in ſervitute conſtitutum, & ſic in ſervitute naſci, & fieri legi ſubditum, & decus Iſraëlis.

Nah.

Nah. 2: 3. Ita Habaccuc *viſionem adhuc futuram ad ſtatutum tempus, & præconem futurum in fine.* ſcil. præſtituti termini, adhuc exiſtente viſione, prænunciat. Hab. 2: 3. Et Zacharias *Joſuam ſacerdotem maximum & ſocios ejus* vocat *viros portenti*, ſive *ſigni, quòd Jehovah ecce adduceret ſervum ſuum* G E R M E N. Zach. 3: 8. Unde intelligitur, Joſuam & diſcipulos ejus magis eſſe viros ſigni, quam Aharonem & filios ejus ante captivitatem Babylonicam. Nam in ipſis certum erat argumentum, quòd jamjam adducturus eſſet Deus Meſſiam. Huc facit, quòd adventui Chriſti *ſedentes Hieroſolymis & vir Judæ*, Eſ. 5: 3. *Urbs*, Hoſ. 9: 7. *Tribus*, Mich. 6: 9. *Principes, Judices, Prophetæ*, Zeph. 3: 3. coordinentur in prophetiâ.

§. 16. Ne quis verò titubaret, vel quæreret ambages, HANC domum ſecundam, HOC Templum, quod tunc ædificatum erat, HUNC locum, id eſt hanc faciem terræ, urbis, & templi, prophetæ quaſi digito demonſtrant, ut quo ſtante, & in quo, Meſſias promiſſus erat apparirurus. Ita enim Jeremias: *Solium gloriæ in celſo præ priori eſt locus ſanctuarii noſtri.* Ratio: Quia eo ſtante adfuturus erat *Exſpectatio Iſraëlis, Jehovah.* i. e. is, quem Iſraël exſpectat. Jerem. 17: 12. 13. Haggæus: *Aſcendite montem, & afferte ligna, & ædificate domum, & gratam* I L L A M *habebo, & glorificabor; ait Jehovah.* Hagg. 1: 8. Et expreſſiùs: *Major fiet gloria domus* H U J U S P O S T E R I O R I S *quàm prioris, dixit Jehovah Deus exercituum; & in loco* H O C *dabo pacem; ait Jehovah Deus exercituum.* Hagg. 2: 9. Zacharias: *Et ego fiam illi* Hieroſolymæ, *ait Jehovah, murus igneus circumquaque: & in gloriam ero in medio* E J U S. Zach. 2: 9. Eſſe enim hoc intelligendum de glorioſâ Dei apparitione in Hieroſolymâ, apparet ex ſequentibus: *Canta & lætare, filia Sion. Nam ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Jehovah.* Ibid. vers 14. Talia ſunt & iſta: *Manus Sorobabelis fundarunt domum* H A N C, *& manus ejus abſolvent: & cognoſces, quòd Jehovah Deus exercituum miſerit me ad vos.* q. d. Hæc res erit in ſignum & argumentum, me miſſum eſſe, & mox quidem venturum, deinde & veniſſe ad vos. Zach. 4: 9. *Ecce ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me; & derepentè veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis, & Angelus ille fœderis, quo vos delectamini: Ecce venit: dixit Jehovah Deus exercituum*, Mal. 3: 3. Cùm enim dicit, *ad templum ſuum*, intelligit, in eâ qualitate temporis venturum, quo hoc templum, ſub quo Malachias prophetabat, ſtaret adhuc integrum, & ſic integro adhuc exercitio cultus, & integrâ republicâ. Non enim, quem jam venturum exſpectant Judæi, venire poteſt ad templum; utpote jam deſtructum, nec reparandum, antequam venerit.

§. 17. Indidem porrò eſt, quòd Malachias ante adventum Chriſti opinionem fuiſſe in populo vulgarem oſtendit, templum ſecundum, ſub quo vivebant, non eſſe deſtruendum, antequam *Deus judicii* apparuiſſet. Ita enim propheta: *Laſſâſtis Jehovam verbis veſtris. Et dixiſtis: Quâ re laſſavimus? Dum dicitis: Omnis faciens malum bonus eſt in oculis Jehovæ, & eis delectatur; aut ubi eſt Deus judicii?* Mal. 3: 2. Putabant ſcilicet, fieri non poſſe, ut judicium differatur, & templum non iterum deſtruatur, ſiquidem ipſi à verâ religione deſciviſſent. Per conſequens, Deum judicii, ſtante adhuc templo apparitururum. Quam opinionem propheta non refutat; quin approbat potiùs & confirmat.

ARTICULUS XLVI.

Benedicit Deus populo in ſubſidiis hujus vitæ, & longævitate, cum promiſſione, hujus benedictionis in poſterum continuandæ.

DEMONSTRATIO.

§. 1. David in ſpiritu hanc benedictionem cum electione & inhabitatione Sionis ita conjungit: *Nam elegit Jehovah Sionem, appetivit in habitationem ſibi.... Commeatum ejus benedicendo benedicam: Egenos ejus ſatiabo pane.* Pſ. 132: 13 — 15. Eſaias in eandem: *Et omnes montes, qui ligone paſtinabantur, quos non accedebas præ timore ſentium, & veprium, erunt, inquam, actus bovis & conculcatio ovis.* Eſ. 7: 25. Jeremias: *Et hilaris ero ſuper ipſis, & benefaciam ipſis.* Jerem. 32: 41. ex Deut. 30: 5. *In oppidis montanæ, in oppidis depreſſæ, & in oppidis Auſtralis, & in terrâ Benjamin & circa Hieroſolyma, & in oppidis Judæ adhuc tranſibunt oves ſub manu numerantis, ait Jehovah.* Jerem. 33: 16. Ezechiel: *Et vos, montes Iſraël, frondem veſtram dabitis, & fructum veſtrum feretis populo meo Iſraël, quum appropinquaverint venire.* Ezech. 36: 8. *Et multiplicabo ſuper vobis homines, & pecudes, & multiplicabuntur, & fructificabunt, & faciam vos habitare more priſtino, & benefaciam præ prioribus veſtris, & cognoſcetis, quòd ego Jehovah.* Ib. vers 11.

§. 2. Joël: *Et reſpondit Jehovah, & dixit ad populum ſuum: Ecce ego mitto vobis frumentum, & muſtum, & oleum, & ſatiabimini eo: & non dabo vos ampliùs opprobrium in gentibus.* Jo. 2: 19. Michæas: *Ponam illum ut gregem in medio ovilis ſui.* Mich. 2: 12. Quo etiam terræ, in quam reducti, reformatio in priſtinum ſtatum, ut fit ovile Dei, reſtaurato templo, ſignificatur. Haggæus, ut illi tempori proximus, quo Deus benedicere conſtituerat: *Numquid adhuc ſemen eſt in granario? imò vitis & ficus & malogranatus & arbor oleæ non tulit. A die hoc benedicam.* Hagg. 2: 19. Jubet ſcil. comparari tempora proximè præcedentia inde à fundatione templi, & opere intermiſſo, cum tempore jam ſecuturo; idque ut evidentiùs conſtaret, eſſe hanc benedictionem opus Dei. Zacharias eodem exemplo: *Adhuc prædica, dicendo: ſic dixit Jehovah Deus exercituum, Adhuc diffundentur urbes meæ præ bono, & conſolabitur Jehovah ampliùs Sionem, & eliget adhuc Hieroſolymam.* Zach. 1: 17. *Nam, ut ſemen pacis, vitis dabit fructum ſuum, & terra dabit proventum ſuum, & cœli dabunt rorem ſuum. & dabo hæreditanda reliquo populo hujus omnia hæc.* Zach. 8: 12.

§. 3. Longævitatem Deus promittit apud Ezechielem: *Et faciam in vobis ambulare homines, nempe populum meum Iſraël, & hæreditabunt te, & fies ipſis hæreditas, & non addes amplius eos orbos facere. Sic dixit Dominus Jehovah: Quia dicunt vobis, voratrix hominum es, & exſtitiſti orbatrix gentium tuarum. Propterea homines non devorabis ampliùs, & gentes tuas non facies ampliùs orbas, ait Dominus Jehovah.* Ezech. 36: 12. 13. 14. Et Zachariam: *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: Adhuc ſedebunt ſenes & vetulæ in foris Hieroſolymæ, & quisque tenebit ſcipionem ſuum in manu ſuâ præ multitudine dierum.* Zach. 8: 4.

§. 4. Exemplum hujus longævitatis fuere Joſua filius Jozadaci, Sacerdos maximus, & Sorobabel: quos idcircò probabile eſt appellari *Viros portenti*, Zach. 3: 8. Nam ab anno ſolutæ captivitatis uſque ad annum ſextum Darii Nothi, quo templum per Sorobabelem fuit abſolutum, ſi calculum exotericorum in ſupputandis annis regum Perſicorum ſequamur, ſunt anni 142. Portendebat autem ea longævitas adventum Dei ad templum.

ARTI-

ARTICULUS XLVII.

EXcitat Deus animum aliorum multorum exulum, ut cum Eſrâ aſcendant, & revertantur in terram.

DEMONSTRATIO.

In quibus nimirùm efficaciam habuerunt exhortationes atque evocationes Propheticæ, de quibus ſuprà Art. XXIV. Accidit hæc remigratio anno ſeptimo Artaxerxis Mnemonis. Eſr. 7: 8.

ARTICULUS XLVIII.

REducti in terram repurgant eam à ſcandalis & corruptelis. Eſr. cap. 9. & 10.

DEMONSTRATIO.

Factum itaque eſt, quod prædicit Ezechiel, cap. 11: 18. *Et venient eò, & auferent omnes abominationes illius ex eâ.* Et cap. 28: 25. *Et ſanctificabor in eis*, collectis, *ante oculos gentium.* Ab erroribus & peccatis enormibus eos purificando. Continuatum, quod eſt Eſai. 1: 25. *Et referam manum meam ſuper te, & conflabo ad puritatem ſordes tuas, & auferam omne ſtannum tuum.* Et cap. 21: 9. *Tritura mea, & fili horrei mei.* Trituravit enim etiam nunc Deus Hieroſolymam, ut à paleis repurgaret; nec tamen ejecit ex horreis ſuis, ſed repoſuit repurgatos in æternis manſionibus.

ARTICULUS XLIX.

ABſolutâ ædificatione templi, urbs muris & portis circumvallatur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hæc urbis munitio per Nehemiam primùm facta eſt: impetratâ ab Artaxerxe Mnemone id faciendi poteſtate, anno ipſius 20. Neh. 2: 1. Cœterùm David pro eâ in ſpiritu ſic oravit: *Benefac in benevolentiâ tuâ Sioni, ædifica muros Hieruſalem.* Et quaſi factam præſenſit verbis: *Nam firmavit vectes portarum tuarum.* Pſalm. 147: 13. De eâdemque intelligendus eſt Jeremias ita vaticinans: *Et ædificabitur urbs uſque ad metam ſuam.* Jerem. 30: 18. *Et ego faciam ei* (urbi) *aſcendere prolixitatem & conſolidationem, & reconcinnabo eos.* Jerem. 33: 6. 30: 17. Ubi quod eſt de *aſcenſione prolixitatis*, dicitur de muris Hieroſolymæ, cùm reſtaurarentur, Neh. 4: 7. Et ſic videtur propriè capi. Daniel diſtinctè eam explicat, cap. 9: 25. *Et cognoſce, & animadverte ab exitu ſermonis de reducendo, & de ædificandis Hieroſolymis, uſque ad unctum Principem ſeptimanas ſeptem; &* deinde *ſeptimanas ſexaginta & duas, quibus denuò ædificabuntur quoad forum*, id eſt portas, apud quas fora erant, *& foſſam.* id eſt muros ſuperpoſitos profundis illis vallibus, quæ Hieroſolymæ erant pro foſſâ; & valli Tyropœōn, ad muniendam urbem ſuperiorem; denique & foſſis manufactis, ubi profunditas vallium naturale munimentum non præſtabat. Ubi quòd 62. ſeptimanis, ſc. annorum, hæc murorum & portarum inſtauratio tribuatur, ita intelligendum eſt, quòd poſtquam id

operis primùm à Nehemiâ conſummatum eſt, deinceps ſit continuatum, vel quando pomœria ſunt prolata, vel quando vetera mœnia ſunt refecta.

§. 2. Zacharias denique huc reſpexit, cap. 1: 16. *Quapropter ſic dixit Jehovah, reverſus ſum ad Hieroſolymam in miſericordiâ, domus mea ædificabitur in eâ, ait Jehovah Deus exercituum, & linea tendetur ſuper Hieroſolymâ.* Zach. 1: 16.

ARTICULUS L.

NEhemias opus reformationis, ab Eſrâ inceptum ſuprà Art. XLVIII., reſumit, & terram à ſcandalis expurgat. Neh. cap. 5. & 13.

DEMONSTRATIO.

Repete loca ad Art. dictum citata.

ARTICULUS LI.

INſtituit porrò, ut Senatus Hieroſolymis, ut in propriâ ſede & metropoli totius gentis, reſideret. Neh. 11: verſ. 1. atque ita rempublicam plenè ordinat.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Huc refer, quæ de formatione populi & reip. per inſtitutionem Synedrii, & ordinarii præſidis ejus, ſup. ad Art. XLV. pluribus explicata ac demonſtrata ſunt.

§. 2. Conſequens collocati Hieroſolymæ Synedrii eſt, quòd jam feſta, ut Neomeniæ, Paſcha, & reliqua ab eo dependentia, miſſis nunciis, juſſu Senatus, Hieroſolymæ præſidentis, per præconium publicè indici poterant. Quâ de re eſt in Nahumo: *Ecce ſuper montibus ſunt pedes nuncii promulgantis pacem: Celebra, ô Jehuda, feſta tua, ſolve vota tua,* &c. Nah. 2: 1.

§. 3. Sic verò conceſſâ populo *αὐτονομίᾳ* & proprio Senatu, dum per proprios judices ex præſcripto legis regeretur, conſpicuum fuit in eo populo *Dominium Dei*; Jer. 3: 14. & *Regnum Dei*; Ezech. 20: 33. Unde & peculariter *populus Dei* appellatur in hujus temporis prophetiâ. Vid. Eſ. 40: 1.

§. 4. Hunc populum comparat Scriptura *myrteto, quod erat in profundo.* Zach. 1: 8. Iſraël enim tum temporis non in alto monte, ſed in profundâ valle erat collocatus; ibi virebat, ibi odorem proferebat inter mundi regna, quorum unum poſt aliud emergebat.

ARTICULUS LII.

REſidente Hieroſolymæ ſenatu, aliiſque ex toto populo tùm ſorte lectis, tùm ſpontè ſeſe offerentibus ad inhabitandam Hieroſolymam, urbs incolis frequentatur. Neh. 11: 1. 2. & ſeqq.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Notat Eſaias, cap. 44: 26. *Qui dico Hieroſolymæ, habitaberis.* Et cap. 52: 2. *Excute pulverem, ſurge, ſede,* i.e. inhabitare, *Hieroſolyma.* Jeremias, cap.

cap. 30: 18. *Ædificabitur urbs uſque ad metam ſuam, & palatium, ut oportet, habitabitur.* Ezechiel, cap. 36: 12. *Et faciam in vobis ambulare homines, nempe populum Iſraël, & hæreditabunt te, & fies ipſis hæreditas, & non addes amplius eos orbos facere.* Ubi præterquam quod promittat Deus, ſe facturum, ut per montes Iſraëlis ambulent homines, nempe populus ſuus Iſraël, addit fore, ut Iſraël hæreditet montem. intellige montem Judæ, quem propter templum præcipuè docet poſſidendum à populo ſuo Iſraël.

§. 2. Atque hinc jam alter *annus*, ſive altera periodus, inhabitationis Davidis & ſeminis ipſius *Arieli*, i. e. altari, & *civitati metationis Davidis*, in quâ ſcil. David cum ſuis domicilium habuit, Hieroſolymæ, eſt numerandus; cùm prior annus, uſque ad Zedekiam, jam effluxiſſet. Eſai. 29: 1.

ARTICULUS LIII.

NEc tantùm Hieroſolyma, ſed etiam reliqua oppida Judæ, totaque adeo terra hominibus & pecoribus impletur. Vid. Neh. 11: 1. 3.

DEMONSTRATIO.

Repete hîc, quæ ſuprà ad Art. XXVIII. collecta ſunt. Non enim unius certi temporis ſunt implementa harum prophetiarum.

ARTICULUS LIV.

MUltiplicatur populus intra urbem, & in reliquis oppidis adeò, ut in iis manere non poſſint, ſed neceſſe habeant in villis & ſuburbiis habitare.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ita ſcilicet Deus *populum amplificare*; Deuter. 30: 5. & *cooperire adipe*; Deut. 32: 15. incepit. Et *benedictione ſuâ multiplicavit filios in medio ipſius*; Pſal. 147: 13. *Et amplificavit gentem*; Eſai. 9: 2. Ut *fieret ad inſtar arenæ maris*; Eſai. 10: 22. Hoſ. 2: 1. Et *addidit ad gentem*; Eſai. 26: 15. Iique *multiplicati ſunt & fructificarunt in terrâ*; Jer. 3: 16. 23: 3. Ezech. 36: 10. 11. *Multiplicati*, inquam, *neque deminuti*; Jer. 30: 19. Ita ut *filii ejus exiſterent, ut ante.* Jerem. 30: 20. Et *Deus ædificavit illos & plantavit in terrâ*; Jer. 24: 6. 32: 41. Et *multiplicavit ſuper montibus Iſraëlis homines*, nempe non gentes, ſed *totam domum Iſraël*, & omnium tribuum homines, *ita ut urbes inhabitarentur & eremi ædificarentur*; Ezech. 36: 10. Sic populus *ad inſtar Nili* tenuis & exilis, *expulſus* inundavit totam terram; Am. 8: 8. Et *poſitus eſt ut oves Botzra*; Mich. 2: 12. adeo ut *perſtreperent præ hominibus*; Ibid. Et *pagis habitata eſt Hieroſolyma, præ multitudine hominum in eâ.* Zach. 2: 8. Et *fora urbis impleta ſunt pueris & puellis ludentibus in foris ejus*; Zach. 8: verſ. 8. *ſenibus & vetulis ſedentibus ibidem.* Zach. 8: verſ. 4.

§. 2. Notandum autem, hanc populi multiplicationem rurſus ut ſignum Chriſti *exeuntis*, omniaque in adventum ſuum præparantis, proponi in prophetiâ. Sic Michæas: *Ecce Iehovah exit è loco ſuo, & deſcendet.* &c. Mich. 1: 3. Et poſtea in verum hunc adventum antecedentium enarratione ponit verba, modò ex Mich. 2: 12.

2: 12. allegata. Zacharias ſimiliter: *Et ecce Angelus loquens ad me*, Spiritus S. loquens in prophetis, & futura eis revelans, exibat, *& Angelus alius*, Filius Dei, *exibat obviam ei.* i. e. Egrediebatur ex habitaculo ſancto ſuo, præparans omnia in παρουσίαν. *Et dicebat ad illum, Curre, loquere ad puerum hunc, dicendo: Pagis habitabitur Hieroſolyma.* &c. Zach. 2: 7. 8.

ARTICULUS LV.

NEc minor in proventu animalium & fructibus terræ erat benedictio, creſcente in dies atque affluente omnibus bonis ad invidiam uſque republicâ, cum abundantiâ pacis.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Talia incrementa innuit Zacharias: *Ecce ego pono Hieroſolymam pelvim vertiginis omnibus populis circumquaque.* Zach. 12: 12. Et de benedictione ſpectatâ in corporalibus vid. ſup. Artic. XLVI. De multiplicatione animalium in ſpecie prophetat Jeremias: *Adhuc erit in loco hoc deſolato, ut non ſit homo aut pecus, & in omnibus oppidis ejus, manſio paſtorum facientium recubare oves. In oppidis montanæ, in oppidis depreſſæ, & in oppidis Auſtralis, & in terrâ Benjamin, & circa Hieroſolyma, & in oppidis Judæ, adhuc tranſibunt oves ſub manu numerantis, ait Jehovah.* Jerem. 33: 12. 13. *Et reducam Iſraelem ad manſionem ſuam, & fruetur Carmelo & Baſan, & in monte Ephrajim & Gilead ſatiabitur anima ejus.* Jer. 50: 19. Ezechiel: *Et multiplicabo ſuper vobis homines & pecudes, & multiplicabuntur & fructificabunt, & faciam vos habitare more priſtino.* Ezech. 36: 11. Zacharias: *Pagis habitabitur Hieroſolyma præ multitudine hominum & animalium in eâ.* Zachar. 2: verſ. 8.

§. 2. Pacem innuit Eſaias, ubi loco vinearum promittit paſcua: *Et omnes montes, qui ligone paſtinabantur, quos non accedebas præ multitudine ſentium & veprium, erunt, inquam, actus bovis & conculcatio ovis.* Eſ. 7: 25. Eſt enim in eo רב שלום / ut rectè Abarbanel monet. Et cap. 14: 30. *Et paſcent primogeniti humilium, & egeni ſecurè recubabunt.* Jeremias quoque cap. 32: 37. *Et faciam ut habitent* reducti *ſecurè.* Et cap. 33: 12. 13. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: Adhuc erit in loco hoc deſolato, ut non ſit homo aut pecus, & in omnibus oppidis ejus manſio paſtorum facientium recubare oves. In oppidis montanæ*, &c. *adhuc tranſibunt oves ſub manu numerantis, ait Jehovah.* Atque ita Ezechiel: *Conſidebunt in eâ ſecurè, & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & ſedebunt ſecuri, quum faciam judicia in omnibus flagellantibus ipſos circumquaque.* Ezech. 28: 26. *Et faciam in vobis* (montibus Iſraëlis) *habitare homines, nempe populum meum Iſrael.* Ez. 36: 12. Involvit enim ea ambulatio pacem. Zacharias denique: *Et ego fiam illi, inquit Jehovah, in murum igneum circumquaque.* Zach. 2: 9. Senſus enim eſt: Tutò habitabitis, Domino id præſtante, licet hoſtibus ſitis ἀτείχιστοι, nec opibus, nec arcibus, vallati. Deus enim vel avertet conſilia hominum, vel terrebit, & humiliabit, vel occaſiones nocendi non dabit, vel affectum inclinabit, vel alibi occupabit. Et hanc quidem pacem Judæi habuere ſub imperio Perſarum uſque ad Darium ultimum; de quo eſt Neh. 12: 22.

ARTI-

ARTICULUS LVI.

HIc ſtatus rerum in Judæâ. Interea motus Græciæ cœpti ſuprà Art. xl. & per inducias interrupti Art. xlI. continuantur. Et quanquam finito bello Peloponneſiaco, novi tumultus inter gentes exiſtunt. Cyrus II. bellum facit Artaxerxi Mnemoni. Ageſilaus agitavit expeditionem in Aſiam: Sed is propter motus inteſtinos ab Ephoris domum revocatus eſt, tandemque operâ Antalcidæ Artaxerxis opibus pax in Græciâ facta eſt. Hinc Thebani motus, & in Thebanos Laconum injuriæ, & in Leuctricam cladem Lacedæmoniorum exeuntes.

DEMONSTRATIO.

Vid. Hagg. 2: 6. de quo loco ſuprà ad Art. xlI. dictum eſt.

ARTICULUS LVII.

PAulo poſt Græci bellis & cladibus feſſi & fracti Philippo Macedonum regi dicto audientes eſſe cœpere, ut eo facilior Alexandri Magni in Aſiam trajectus eſſet.

DEMONSTRATIO.

Itaque motibus hiſce paulatim compoſitis, & Spiritu Dei interim exeunte à Perſis (Sup. Art. xxxvII. 9. *Græci adducti fuere*; Dan. 10: 20. De nullâ re magis ſolliciti, poſtquam à Xerxe bello fuiſſent laceſſiti, quàm de bello Perſis inferendo: Ut ex crebris eâ de re in conventibus ipſorum habitis orationibus, & conatu Ageſilai, qui ante Alexandrum rem tentavit, eſt manifeſtum. Unde & Dan. 11: 3. 4. cum Xerxe Alexander committitur in ordine Prophetiæ.

ARTICULUS LVIII.

SIc itaque compoſitis in Græciâ rebus Græci ſub Alexandro M. expeditionem ſuſcipiunt in Aſiam; eamque totam, everſo Imperio Perſico, occupant; & Monarchiam tertiam à Babylonicâ condunt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc Græcorum expeditionem præſignificat Scriptura per *adventum navium juxta Chittæos*; Num. 24: 22. Et *adventum Græcorum*; Dan. 10: 20. & quidem *adventum ab occaſu*. Dan. 8: 5. Futurum autem, ut Græci Perſas debellarent, & imperium illorum deſtruerent, clariſſima exſtant vaticinia, quæ portendunt. Horum antiquiſſimum eſt Bileami; qui prædixit, fore ut *Aſſyrii* (Ii autem hoc tempore Perſæ & Medi Aſſyriam tenentes) *ſubigantur per naves venientes juxta Chittæos*. Num. 24: 24. Cui ſuccinunt: Joël; qui *poſteriora Aquilonaris illius in mare poſterius conjecta*. i. e. imperium Perſarum per Occidentales raptum vidit. Jo. 2: 20. Daniel; Ubi *hircum caprarum*, id eſt *regem Græciæ*, *venientem ab Occaſu*, *veniſſe ad arietem illum*

illum habentem duo cornua, id eſt *regem Perſiæ*; (Vid. ſup. Art. XIX.) *& curriſſe contra ipſum cum ardore virium ſuarum*; *& percuſſiſſe illum arietem*, *& fregiſſe duo cornua ejus*; *& non fuiſſe vires in ariete*, *ut ſtaret coram ipſo*, *& projeciſſe illum in terram*, *& conculcâſſe illum*, *nec habuiſſe arietem*, *qui ſe eriperet è manu ejus*. in imagine futuri demonſtrat. Dan. 8: 5. 6. 7. coll. vers 20. 21. Haggæus; quando *Deum commoturum cœlum & terram*. id eſt aboliturum regnum hominum in Eccleſiâ, ſuum verò in eâ erecturum, & ad illam abolitionem omnia præparaturum; Hagg. 2: 6. Sicque & *everſurum thronum regnorum*, id eſt monarchiam Perſarum, per Græcos; Ibid. vers 22. idque *brevi*, vers 6. vaticinatur. Zacharias denique; ubi Deum *agitaturum manum ſuam ſuper illis*, *& futuros ſpolium ſervis ſuis*, nimitum Græcis, qui Perſis ſerviverant, (Sup. Art. XXXI.) prænunciat. Zach. 2: 13.

§. 2. Sic itaque futurum, ut Græci *tertiam* à Babylonicâ erigerent *Monarchiam*, in imagine, quam vidit Nebucadnezar, ipſo interprete Daniele, per *ventrem*, tertiam regionem corporis, eſt præfiguratum. Dan. 2: 32. 39.

§. 3. Convenit quòd ſub emblemate *Preſteris volantis* excipientis *Baſiliſcum* illum, de quo ſup. Art. XIV. & XIX. Eſ. 14: 29. Item *Equorum alborum* poſt *atros* illos, de quibus Art. XIX. introductorum, Zach. 1: 8. 10. 6: 6. hoc ipſum Imperium adumbratur.

§. 4. *Preſter* autem ille *volans fructus Baſiliſci* vocatur; quia Perſæ Græcos omni labore in ſe irritârunt.

§. 5. *Æreum* vocatur hoc regnum in comparatione priorum, argentei & aurei; quæ præſtantiora, & generi humano commodiora fuere. Dan. 2. Tùm & cum *Hirco caprarum*, ſive *Hirco juvene*, adhuc *recente à lacte materno*, comparatur; quia Græci regnantes petulantiſſimè & inſolentiſſimè ſe geſſerunt. In Medis enim & Perſis major modeſtia & gravitas apparuit: Unde & *Arieti* aſſimilantur. Dan. 8.

§. 6. Amplitudo hujus imperii partim indicatur, ubi *regii* illius *dominatus* dicitur *amplus* futurus; Dan. 11: 3. & *hircus ille caprarum creturus admodum*; Dan. 8: 8. partim etiam deſcribitur, ubi *poteſtatem* dicitur *habiturum in totam terram*, præcipuam videlicet orbis partem, Aſiam cum Ægypto, potentiſſimâ parte Africæ, & Græcia in totam uſque ad Scythas vel Germanos, & Romanos; quæ gentes tum habebantur pro barbaris, & vix hominibus, ſaltem non pro gentibus aut populis rempublicam habentibus. Et Romani tum adhuc adoleſcebant. Dan. 2: 39.

§. 7. Alexander verò per *cornu ſpecioſum*, ſive *magnum*, quod erat inter oculos *hirci caprini*, deſignatur. Dan. 8: 5. 21. Atque etiam deſcribitur, ut *rex fortis ac præpotens*, *& exercens poteſtatem amplam*, *& agens ſecundùm voluntatem ſuam*. Dan. 11: 3. Ejuſdem celeritas in expeditionibus & rebus agendis denotatur iſtis: *Et non erat qui tangeret terram*. Dan. 8: 5. *Et*, *ut conſiſtet*, *frangetur*. Dan. 11: 4. Unde & *Preſter volans* emblematicè appellatur. Eſ. 14: 29.

§. 8. Expeditio quoque Alexandri iis, contra quos ſuſcepta, non futura gravis ſignificatur verbis: *Et non erat*, *qui attingeret terram*. Dan. 8: 5. Cum hoc Imperio Princeps mundi, Diabolus, adventurus indicatur; qui ſit conaturus populo Dei nocere per Alexandrum & ſucceſſores ejus. Unde & Diabolus *Princeps Græciæ* appellatur. Dan. 10: 20.

§. 9. Hinc, Græcis adventantibus, *rumor venit*, *unde liquefiebat omne cor*, *& remittebantur omnes manus*, *& hebetabatur omnis ſpiritus*, *& omnia genua manabant aquâ*. Ezech. 21: 12. Nempe *Filius Dei* hoc tempore *dabat gladium* quendam *exacuendum* Græcis, à Romanis verò *apprehendendum*, quo uſuri eſſent *ad mactandum homines*. Ib. vers 16.

Ibidem

Ibidem verſ 15. hic gladius cum quâdam diligentiâ deſcribitur, ut valde acutus, & valde fulgens, ut *coruſcet*, id eſt valde terribilis ſit in toto mundo. Eumque futurum *ſceptrum filii Dei*; tum *ſpreturum omnem arborem*, id eſt exciſurum omnem procerum in mundo; ac inprimis ſuo tempore in populo Dei.

§. 10. Sed tamen Princeps Græciæ vim Spiritus S. ſub Alexandro Magno expertus eſt. Alexandri enim expeditio non incommodavit Judæis: Contra ipſis pacem dedit, & hoſtes illorum afflixit. Vid. inf. Art. LXI.

§. 11. Cæterùm propter Iſraëlem id factum eſſe, ut Imperium quoque Perſicum everteretur, innuitur Eſ. 50: 2. Ezech. 20: 34: locis ſuprà ad Art. XVIII. citatis. Quem idcirco etiam, ut infrà dicetur Art. LXI. in caſu hujus dominationis conſervavit.

ARTICULUS LIX.

Alexander poſt primum conflictum cum Dario ad Iſſum, Tyrum utramque, veterem, quæ in continente, & novam, quæ in medio mari, quatuor ſtadiis à continente, poſt ſeptem menſium obſidionem, expugnavit, & deſtruxit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Igitur & fame & gladio Tyrus enecta eſt; idque ut impleretur prophetia Eſ. 14: 29. 30. *Ne læteris, Palæſtina, tota tu, quod fractum ſit ſceptrum percutientis te. Nam ex radice ſerpentis exibit baſiliſcus, & fructus ejus preſter volans. Et paſcent primogeniti tenuium, & egeni ſecurè recubabunt: ſed enecabo radicem tuam*, Tyrum radicem, & quaſi metropolin, Palæſtinæ, *fame*.

§. 2. Poſſunt etiam huc transferri ea, quæ de excidio Tyri ſup. Per. IV. Art. LXXI. ex Ezechiele, & Amoſo, comportata ſunt. Siquidem non ſit abſurdum, per Nebucadnezarem hoc rerum articulo, devicto jam Perſâ, Alexandrum intelligi. Et notabile eſt, quòd quo tempore Tyrus ab Alexandro exciſa eſt, etiam Thebæ, *filia Tyri*, id eſt colonia, ab eodem ſit diruta; ut non tantùm Nebucadnezar filias ejus in agro occiderit. Ez. 26: 6.

§. 3. Zacharias poſt captivitatem Babylonicam peccatum & judicium Tyri ſic deſcribit: *Et ædificavit Tyrus munitionem ſibi, & coacervavit argentum, ut pulverem, & aurum, ut lutum platearum.* Taxat vanam ſapientiam Tyriorum, apertiùs occupatam in ædificandis munitionibus, & congerendis divitiis. *Ecce Dominus exſtirpabit eam, & percutiet in mari copiam ejus, & ipſa ab igne devorabitur.*. Supplicium eſt 1. Expulſio ex ſuis ſedibus, ad dandum aliis ſucceſſionem. 2. Navalium copiarum in mari deſtructio. 3. Crematio urbis. Zach. 9: 3. 4. Horum tamen ultimum videtur pertinere ad Sidonem; quam etiam Tyro in judicio conjungi, oſtenſum eſt ſuprà ad Per. IV. Art. lxxi. Sidonis autem conflagrationem ſub Ocho narrat Diodorus Sic. lib. 15. pag. 543.

§. 4. Cæterùm de Tyro narrat idem Diodorus lib. 17: pag 583. Alexandrum in ipſâ continente τὴν παλαιὰν Τύρον deſtruxiſſe; deinde verò ad invadendam Tyrum novam ex continente aggerem feciſſe.

ARTICULUS LX.

POſtea Alexander in Ægyptum tendens, Gazam Palæſtinæ urbem, quæ ipſum morabatur, poſtquam duos menſes obſediſſet, occupavit, & incolas ejus interfecit. Diod. Sic.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque impleta eſt prophetia Eſaiæ cap. 14: 30. Ubi excidio Tyri judicium Gazæ ita conjungitur: *Enecabo radicem tuam fame, & reliquias tuas occidet.* q. d. ultimam Palæſtinorum Gazam, vi occupabit, & incolas ejus interficiet. Notant hiſtorici, Gazenſes, occupatâ jam urbe, conglobatos nihilominùs pugnâſſe, & in loco vitam pugnantes amiſiſſe. Curtius ſanè notat, Batim præfectum pugnantem captum eſſe. Similis Eſaiæ eſt Ezechiel, cap. 25: 16. ita vaticinans: *Idcircò ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego extendo manum meam in Palæſtinos, & exſcindam Crethæos*, (in Hebræo eſt paronomaſia) *& perdam reliquum littoris maris.*

§. 2. Amos de judicio Gazæ & reliquorum Palæſtinorum agit in hunc modum: *Et immittam ignem in murum Gazæ, & comedet palatia ejus. Et exſcindam habitatorem ab Azoto, & tenentem ſceptrum ab Aſcalon, & referam manum meam in Accaronem, & peribunt reliquiæ Palæſtinorum; dixit Dominus Deus* (ſive *Jehovah.*) Am. 1: 7. 8. Cui concinit Zacharias, cap. 9: 5. 6. 7. *Videbit Aſcalon & timebit, & Gaza, & terrebitur admodùm, & Accaron, quia pudefactus eſt aſpectus ejus*, (ſic vocat Tyrum, quæ quaſi metropolis, & prima & maxima & potentiſſima urbs illius littoris.) *& periit rex à Gazâ, & Aſcalon non habitatur. Et habitabit ſpurius* i. e. omnis hominum colluvies, *in Azoto; & exſcindam elationem Palæſtinorum. Et auferam ſanguines ipſius ex ore ejus, & abominationes ejus ex medio dentium ejus.*

ARTICULUS LXI.

JUdæis verò Alexander pepercit, & pacem dedit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque *egeni ſecurè recubuerunt*; cùm Deus fame enecaret radicem Palæſtinæ, & reſiduum ejus interficeret. Eſ. 14: 30. Et Deus ſic *in ipſos habuit regnum manu valida & brachio extenſo, & excandeſcentiâ effuſâ* in gentes; illos conſervando ſcil. dum in gentes animadverteret. Ezech. 20: 34. Et *conſederunt in terrâ ſecurè, quum faceret Deus judicia in omnibus flagellantibus ipſos circumquaque.* Ezech. 28: 26. Et *Deus oves ſuas eripuit ex omnibus locis, in quos diſperſæ erant, in die nubis & caliginis.* quam ſcil. Deus inducebat in populos, quò abductæ erant: quemadmodum ſanè Deus hoc tempore Iſraëlem cuſtodivit in caſu Perſarum, ut ſuprà Art. XVIII. eundem conſervaverat in caſu Babyloniorum, & Per. IV. Art. XLIV. in caſu Aſſyriorum.

§. 2. Idem quoque Alexandri beneficium aptè ſignificatur iſtis: *Et non erat, qui attingeret terram.* Dan. 8: 5. Item, ubi *Equi* illi, qui poſt atros emiſſi, *albi*, id eſt pacifici, nimirùm populo inprimis, dicuntur in prophetiâ Zach. 1: 8. 10. 6: 6.

§. 3. Huc etiam referri poſſunt illa, quæ de pacificatione populi ſuprà Art. LV. pluribus dicta atque enarrata ſunt.

ARTI-

ARTICULUS LXII.

EXcedit Alexander in ipſo vigore ætatis, & victoriarum ſuarum curſu, ac triumpho.

DEMONSTRATIO.

Cùm enim *robuſtiſſimus eſſet hircus ille caprarum*, *frangi* debuit *cornu illud magnum.* Dan. 8: 8. Et *ut conſiſtebat* rex ille victorioſus, ita *frangi* oportebat *regnum ejus.* Dan. 11:4.

ARTICULUS LXIII.

POſt exceſſum Alexandri M. frangitur regnum ejus, & in plures partes, quaſi præfecturas, inter duces Alexandri dividitur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ita enim Daniel: *Et ut conſiſtet, frangetur regnum ejus, & dividetur in quatuor plagas cœli.* Id eſt, Imperium, quod ſub uno fuerat, à multis ſuſtinebitur ducibus ipſius, tanquam præfectis, in omni parte & plagâ mundi. Dan. 11: 4.

§. 2. Diviſionem quoque regni futuram denotabant *femora* juxta ventrem in ſtatuâ Nebucadnezaris, Dan. 2: 33. item *cornua* plura *loco iſtius* magni *exſtitura verſus quatuor ventos cœli.* Dan. 8: 8.

§. 3. Quamvis autem ſic duces, quaſi præfecti, regis alicujus nomine, ſuas provincias obtinerent, tamen notat prophetia, iſtud veluti *regnum non poſteritati regis* illius primi obtigiſſe. Daniel. cap. 11: verſ. 4. Fuit enim primò delatum Aridæo fratri. Hercules filius Barſines puer neglectus eſt, & poſtea cum matre occiſus.

ARTICULUS LXIV:

DUces Alexandri diu de ſummâ poteſtate inter ſe confligtantur, unis alios expellentibus, & expulſionem metuentibus viciſſim, nec diu prædam ſuam retinentibus. Græcia quoque magnam partem in libertatem ſe vindicat, & qui eam occupaverant, coguntur eam miſſam facere.

DEMONSTRATIO.

Sic impleta eſt prophetia, quæ dicit, *derelictum iri regnum ejus.* Dan. 11: 4.

ARTICULUS LXV.

TAndem poſt multa & longa certamina, exſtinctâ quoque ſobole Alexandri, Hercule, quem ex Barſine, & Alexandro, quem è Roxane genuerat; duces Alexandri, & præfecti ſuarum quiſque provinciarum, diademata ſumſerunt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sic duces Alexandri nomine regio *ſeſe confirmârunt*. Dan. 11: 5. Et *loco ejus quod confractum fuerat, tornu*, ſive *Imperii* magni unius, plura *cornua* ſive *regna ex gente exſtiterunt*. Dan. 8: 8. 22. Et poſt thronum regnorum everſum, *regna gentium*, id eſt Imperium Græcorum, in plura regna diviſum, Perſico deſtructo, in ſcenam prodierunt. Hagg. 2: 22.

§. 2. Nominatim *quatuor cornua*, ſive *regna*, notabilia ex uno excitanda hîc notat prophetia: In Ægypto, Syriâ & Babyloniâ, Aſiâ minore, & Macedoniâ. Dan. 8: 8. 22.

§. 3. Horum autem quatuor regnorum duo præcipuè indigitat, per duo *femora* quoque præfigurata, Dan. 2: 33. Lagidarum in Ægypto, & Seleucidarum in Aſiâ: Quia non tantùm notiora populo Judaico fuere, ſed & majorem cæteris habuere potentiam, & diutiùs imperârunt. Lagidæ *reges Auſtri*, Seleucidæ *reges Aquilonis* vocantur in prophetiâ. Dan. cap. 11. Hinc & Zacharias facit mentionem quorundam *tendentium*, id eſt expeditionem ſuſcipientium, proculdubio ex terrâ Aquilonis, *in terram Meridiei*. id eſt Ægyptum. Zach. 6: 6.

§. 4. Non niſi exſtinctâ ſtirpe regiâ futurum fuiſſe, ut diademata ſumerent, & regna ſua confirmarent, hi novi reges, haud obſcurè indicat prophetia; ubi primò *regnum non futurum poſteritati ejus*; Dan. 11: 4. ac deinde *confirmatum iri reges illos*; Ib. verſ. 5. prænunciat.

§. 5. Minora futura erant illa regna imperio Alexandri, ita ut ſingulorum poteſtas unius Alexandri vires æquare non potuerit. Nam *non cum viribus ejus*. Dan. 8: 22. *Non ſecundùm dominatum ejus, quem exercuerat*. Dan. 11: 4.

§. 6. *Violentia* tribuitur his regnis, quoniam magnâ violentiâ omnia adminiſtrârunt. Hagg. 2: 22.

§. 7. Apud Zachariam ſub emblemate *Equorum ſpadiceorum*, id eſt medii coloris ex albo & fulvo; Zach. 1: 8. & *Grandinatorum*; Zach. 6: 6. ſubmiſſorum *Albis* illis, de quibus ſup. Art. LXI. repræſentantur hæc duo regna; quoniam nunc clementia, nunc crudelia populo exſtiterunt.

ARTICULUS LXVI.

PTolemæus Lagi, qui & Soter, cui ceſſerat Ægyptus & Arabia, Juſt. lib. 13. ſumto diademate & nomine regis confirmatur.

DEMONSTRATIO.

Ita Daniel: *Et confirmabitur rex Auſtri*. ſ. Auſtralis plagæ, h.e. qui occuparat Auſtralia regni. Daniel. 11: 5. Quod enim inter Nothia hîc intelligatur Ægyptus, patet ex verſ. 8.

ARTICULUS LXVII.

ANtigonus, rex Aſiæ, etiam præ cæteris invaleſcit.

DEMONSTRATIO.

De illo intellige, quod ſequitur apud Danielem: *Et* aliquis *ex principibus ejus*, Scil. confirmabitur. Dan. 11: 5. De Antigono illo vid. Juſt. lib. 13. & 15.

ARTI-

ARTICULUS LXVIII.

VIncit illum rex Auſtri, Ptol. Lagi, & ſocii; inter quos fuit Seleucus Nicator.

DEMONSTRATIO.

Propheta dicit: *Et vincet illum.* Dan. 11: 5. Seleucus verò ille cum poſteris ſuis poſt hanc victoriam tenuit Syriam. Quæ quia Ægypto & Terræ ſanctæ eſt Aquilonaris, hinc Seleucidæ reges Aquilonis, ſicut Lagidæ reges Auſtri, deinceps appellantur in prophetiâ.

ARTICULUS LXIX.

DIſcordiæ magnæ, & multa bella, exiſtunt inter regem Auſtri & Aquilonis.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hoc indicatur verbis: *Et ad finem annorum ſociabuntur.* vel *conſociabunt ſe.* Dan. 11: 6. Prodit etiam Zacharias; ubi poſt equos albos *grandinatos* dicit *exiviſſe in terram Meridiei.* Zach. 6: 6. Diſſidia illa inde exorta, quòd in diviſione provinciarum, quas Antigonus antea habuerat, inter ſe de prædâ non convenirent, utroque Cœleſyriæ, adeoque & Judææ, imperium ſibi vendicante. Vid. Polyb. l. 5. p. 416. Innuit hanc cauſam Zacharias; ubi *Hieroſolymam* dicit *poſitam pelvim vertiginis omnibus populis circumquaque.* Zach. 12: 2. Significat enim, cupiditatem Hieroſolymæ obtinendæ incrementis ejus in populis excitatam.

§. 2. Et quidem Ptol. Lagi inſidioſè ſibi Hieroſolymam ſubjecit anno 17. poſt mortem Alexandri. Sed is beneficus Judæis fuit.

ARTICULUS LXX.

COnſociantur inter ſe rex Auſtri & rex Aquilonis, Ptol. Philadelphus & Antiochus Θεὸς; datâ etiam Berenice Philadelphi filiâ Antiocho in uxorem, in ejuſque gratiam Laodice ab Antiocho repudiatâ.

DEMONSTRATIO.

Id futurum demonſtrat Daniel: *Et ad finem annorum ſociabuntur; & filia regis Auſtri veniet ad regem Aquilonis ad conciliandam complacentiam.*

ARTICULUS LXXI.

MOritur Philadelphus, & per liberos ſuos, quos peperit Antiocho, non obtinet regnum. Nam Seleucus Callinicus filius Antiochi novercam Berenicen cum filio & amicis occidit. Quemadmodum narrant Juſtinus, & Appianus.

DEMONSTRATIO.

In viſione res ita præmonſtratur. *Et non obtinebit vim brachii, & non ſtabit vis & brachium*, h. e. liberi, *ejus, & tradetur illud* brachium, *& qui adduxerant illam*, amici Berenices, qui eam adduxerant ad Antiochum, *& genitrix & confirmator ejus* (ſive *retinens eam*) h. e. Antiochus Theos, qui eam in matrimonio habuerat, *per tempora illa*. Dan. 11: 6.

ARTICULUS LXXII.

EUergetes, frater Berenices, rex Ægypti, ulturus ſororis injuriam, exercitum conſcribit, & munitiones Seleuci Callinici invadit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sic rurſus Daniel: *Et ſtabit ex ſurculo radicum ejus ſtolo ejus, & veniet ad exercitum, & invadet arcem regis Aquilonis, & faciet in illis, & confirmabitur*. Berenices enim radices ſunt Ptolemæus Lagi. Surculus radicum ejus eſt pater Philadelphus. Stolo ex iſto ſurculo eſt Euergetes frater Berenices. Dan. 11: 7.

§. 2. Addit Prophetia: *Atque etiam Deos ipſorum cum fuſilibus ipſorum, cum vaſis deſiderabilibus ipſorum argenteis & aureis inter capta auferet in Ægyptum*. verſ. 8. Grotius annotat, abducta eſſe vaſa ſimul & ſimulachra duo millia quingenta: in iis etiam ſimulachra, quæ Cambyſes olim ex Ægypto in Perſida aſportaverat: ob quæ reducta Ptolemæus Tertius ab Ægyptiis Euergetes dictus ſit. Hæc ab Hieronymo ſumta.

ARTICULUS LXXIII.

TAndem verò cum *eveniſſet aliquid in regno ejus*, nimirum ſeditio, *revertitur* in Ægyptum; & quidem *cum prædâ multâ*.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 9. Et tradit Hieronymus, eum aſportâſſe prædam ad 40000. talentorum argenti.

ARTICULUS LXXIV.

FIlii illius, nimirum Seleuci Callinici, Seleucus Ceraunus, & poſtea Antiochus Magnus, *bellum gerunt* cum rege Ægypti.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 10. Et de hâc commotione ſive expeditione ſuſcipiendâ à Septentrionalibus in Ægyptum, etiam loquitur Zacharias, ubi dicit, poſt equos illos alios *exiviſſe grandinatos in terram Meridiei*. Zach. 6: 6.

ARTICULUS LXXV.

ANtiochus Magnus primam expeditionem ſuſcipit adverſus regem Ægypti Ptol. Philopatora, cum proſpero ſucceſſu.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Eam expeditionem innuit Eſaias, ubi *Aſſyrium* futurum ait *in viâ Ægypti*. Eſ. 10: 24. Antiochi enim Syrorum & Aſſyriæ ac Babylonis Domini in hoc temporis articulo rectè Aſſyrii appellantur. Eandemque, ut & felicitatem ejus denotant iſta: *Et veniet, & inundabit & tranſibit.* Dan. 11: 10.

ARTICULUS LXXVI.

INterim ſub vexatione fuit Judæa: donec, victo Philopatore, rediret in poteſtatem Antiochi, anno à morte Alexandri 113. Joſephus Ant. lib. 12. cap. 3. Prodente eam Theodoro Ptol. Philopatoris toparchâ; ut Grotius ex Polybio annotat.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Scil. poſt *commotos montes*, id eſt concuſſionem & labefactationem duplicis regni, Iſraëlis & Judæ, illius per Salmanaſſarem, hujus per Nebucadnezarem, de quibus actum proximâ Per. *necdum averſa erat ira Dei, & adhuc manus ejus extenſa erat.* id eſt, adhuc דפו durabat: Sicuti in Antiochi & Syrorum atque Ægyptiorum, tandemque Romanorum dominatione patuit. Eſ. 5: 24. 25. Ut huc etiam pertineant, quæ de *Arctatione Iſraëlis*; Pſ. 129: 1. 2. Et de *Anguſtiâ*; Eſ. 63: 9. Item de *Excandeſcentiâ*; Dan. 8: 19. Et *Nutatione terræ*, Pſ. 93: 1. generaliter dicuntur.

§. 2. De afflictione faciendâ per Antiochum, agit in ſpecie Eſaias, cap. 10: 24. *Quare, ſic ait Dominus Jehovah Deus exercituum, ne timeas, popule mi, habitans Sione, propter Aſſyrium: qui virgâ percutiet te, & baculum ſuum extendet ſuper te in viâ Ægypti.* Itaque etiam Antiocho Magno *Hieroſolyma poſita fuit in pelvim vertiginis*, & is bibit ex eâ. Zach. 12: 2.

§. 3. Cœterùm vexatio populi poſt capt. Bab. non una erat futura. Quod innuit τὸ *Conſolamini*, bis poſitum Eſ. 40: 1. Et, quæ ſequuntur Zachariæ: *Et ego fiam illi, ait Jehovah, murus igneus circumquaque: & in gloriam ero in medio ejus.* Zach. 2: 9. *Poſt gloriam Jehovah miſit me ad gentes, quæ deprædantur vos. Nam qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ib. v. 12.

ARTICULUS LXXVII.

V*Ertigine* punitus Antiochus, poſtquam ex illâ pelvi bibiſſet; Zach. 12: 2. ſecundâ expeditione contra regem Ægypti ſuſceptâ, cùm perveniſſet Raphiam uſque, locum munitiſſimum in finibus Ægypti, ibi prælio commiſſo cum Ptol. Philopatore rege Ægypti, turba Antiochi traditur in manum Ptolemæi. Vid. Grotius ex Polybio.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc ſecundâ Antiochi M. expeditione, ejusque ſucceſſu, ita Daniel: *Et redibit & bellum geret uſque ad arcem ejus. Et exacerbabitur rex Auſtri, & præliabitur cum eo, cum rege Aquilonis, & dabitur illa turba in manum illius.* Dan. 11: 10. 11.

§. 2. Ita

§. 2. Ita Deus perrexit *in populum ſuum regnare excandeſcentiâ effuſâ* in gentes, à quibus vexabatur; Ezech. 20: 33: 34. *Et exſtitit Hieroſolymæ murus igneus circumquaque.* Zach. 2: 9. Et *gloriam* juſtitiæ & ultionis reportavit, *à gentibus, quæ deprædabantur Iſraelem*; Et reipſâ oſtendit, quòd *qui tetigiſſet Iſraelem, tetigiſſet pupillam oculi ſui.* Ibid. vers 12. Add. quæ. generaliter dicuntur. Pſ. 22: 5. 6. 129: 1. 2. Eſ. 63: 9.

ARTICULUS LXXVIII.

PTol. Philopator elatus hâc victoriâ, majora homine cogitat. Nam vult intrare in templum Dei, & iram concipit adverſus Judæos. Vid. 3. Maccab. & Joſeph. Ant. lib. 12. c. 3.

DEMONSTRATIO.

De hâc ipſius elatione ita Daniel: *Et, cùm ſublata fuerit illa turba, efferetur cor ejus.* Dan. 11: 12.

ARTICULUS LXXIX.

IGitur fructus victoriæ ipſi denegatur, ut Antiochum non interficeret, vel caperet, vel in ordinem redigeret, quanquam multa millia proſterneret.

DEMONSTRATIO.

Hic ſenſus eſt oraculi: *Et faciet cadere myriades, & non invaleſcet.* Ut particula prior *Et* valeat *Idcircò*; & tota ſententia ſit adverſativa, ut rectè explicat Grotius ex Hieronymo. Dan. 11: 12.

Sub hoc tempus Judæi ad ducem Ptol. Epiphanis Scopam redierunt, anno ab exceſſu Alexandri 121.

ARTICULUS LXXX.

ANtiochus M. collecto exercitu ampliore, expeditionem ſuſcipit in Ægyptum, mortuo Philopatore, cùm puer eſſet Ptol. Epiphanes.

DEMONSTRATIO.

Meminit prophetia: *Et rurſus rex Aquilonis excitabit turbam majorem priore, & finitis temporibus quibuſdam, annis, veniet cum exercitu magno, & opibus multis.* Dan. 10: 13.

ARTICULUS LXXXI.

ETiam Philippus Macedoniæ rex ſocietatem init cum Antiocho M. ad invadendam Ægyptum. Hieron. & Polyb. l. 3. p. 159.

DEMONSTRATIO.

Indicat hanc conſpirationem Daniel: *Per hæc tempora multi ſtabunt contra regem Auſtri.* Dan. 11: 14.

ARTICULUS LXXXII.

PEr Tempora illa, quibus ſic Judææ Dominium inter reges Ægypti & Syriæ alternabatur, extitere in populo *violenti*, impudentes, & fœderis Divini transgreſſores.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Vid. Dan. 11: 14. Tales erant, qui in gratiam Ptol. Evergetæ, de quo ſup. Art. lxx11., religionem patriam abjecerant, quærentes res magnas.

§. 2. Eorum potentia notatur, quum dicitur, *ad reſtituendam viſionem*; item, *corruent*. Dan. 11: 14. Et hæc nova *Anguſtia* eſt, de quâ Eſ. 63: 9. Pſal. 129: 1. 2. 93: 1.

ARTICULUS LXXXIII.

F*Ilii violentorum efferunt ſe* adverſus Antiochum Magnum, ſtantes pro Scopâ, duce Ptolemæi.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 14.

ARTICULUS LXXXIV.

VEnit itaque Antiochus Magnus adverſus Scopam: Quem fugat; Sidonem, arcem Sionis, Syriam, Ciliciam, Lyciam recipit, totam Syriam ſibi ſubjicit, Ptol. Epiphane & auxiliis ejus non valentibus ipſi reſiſtere. Vid. Joſeph. Ant. lib. 12. c. 3. Liv. lib. 33. Appian. in Syriacis.

DEMONSTRATIO.

De victorioſo progreſſu hujus expeditionis ita Daniel: *Et veniet rex Aquilonis, & fundet aggerem, & capiet urbem munitionum, & brachia Auſtri non ſtabunt & populus delectuum ejus; & non erit vis ad ſtandum. Et faciet de eo, quod veniet ad ipſum, ſecundùm voluntatem ſuam, & non erit, qui ſtet coram ipſo; & conſiſtet in terrâ decoris.* Dan. 11: 15. 16.

ARTICULUS LXXXV.

TUnc eliminatis ex populo violentis, reſtitutum eſt exercitium religionis, & Moſes ac Prophetæ de integro liberè prædicantur.

DEMONSTRATIO.

Ita Daniel: *Et filii violentorum populi tui efferent ſe, ad reſtituendam viſionem.* h. e. cum eo eventu, ut reſtituatur viſio, *& corruent.* Dan. 11: 14. Add. Pſ. 22: 5. 6. 129: 2. Eſ. 63: 9.

ARTICULUS LXXXVI.

JUdæi, reſtitutâ viſione, libenter concedunt in manum victoris; Antiocho liberalitate ac munificentiâ remittendo tributa, largiendo pecudes, pecunias, ligna, ad templi ſtructuram, & ad cultum peragendum, ſtudia & obſequia ipſorum provocante. Vid. Joſ. l. c.

DEMONSTRATIO.

Hoc dicit Daniel: *Et omnia venient in manum ejus.* Dan. 11: 16.

ARTICULUS LXXXVII.

POſtea Antiochus M. occupare Ægyptum ſtatuit, non vi, ſed blanditiis; dando ſcil. filiam Cleopatram Ptol. Epiphani in matrimonium, unà cum dote, Syriâ & Judæâ.

DEMONSTRATIO.

Hoc Antiochi conſilium, qui prævidit Spiritus, in anteceſſum ſic patefecit: *Et parabit ſe ad veniendum cum robore regni ſui, & æqua cum ipſo erunt, & perficiet; & habentem mulieres*, filiam ſuam cum mulieribus, id eſt regnis ſive provinciis, ut dote, *dabit ipſi ad corrumpendum illud.* Scil. regnum. Ptolemæi. Dan. 11: 17.

ARTICULUS LXXXVIII.

N*On ſuccedit* hoc conſilium, *neque ipſius eſt* filia, ſed potiùs eſt in rem mariti.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 17.

ARTICULUS LXXXIX.

HInc Antiochus expeditionem ſumit in Romanos, & loca quædam Thraciæ, & Græciæ, Rhodum, Samum, Eubæam, Delum, capit. Vid. Livius lib. 34. Florus, & Appianus.

DEMONSTRATIO.

De hâc expeditione, & ſucceſſu ejus, ita Daniel: *Et convertet faciem ſuam ad inſulas, & capiet multas.* Dan. 11: 18. Et jam olim Eſaias, cap. 10: 26. *Et virga ejus erit ſuper mare.*

ARTI-

ARTICULUS XC.

ÆMilius prætor, claſſe Antiochi devictâ, facit, ut deſinat laceſſere Romanos. Vid. Juſt. lib. 31. extremo.

DEMONSTRATIO.

Quod futurum indicat propheta: *Et ceſſare faciet dux* aliquis *probrum ejus ipſi.* Dan. 11: 18. Et ſic *excitavit in ipſum Jehovah Deus exercituum flagellum.* Eſai. 10: verſ. 26.

ARTICULUS XCI.

MOx & terreſtri prælio à L. Scipione fratre Africani, victo Antiocho, quum turpiter deſeruiſſet loca in Thraciâ & Græciâ occupata; Pax data eſt eâ lege, ut omni Aſiâ cederet cis Taurum montem, elephantos & naves traderet, quot vellent Romani, belli impenſas ſolveret, certum tantùm navium numerum haberet. Appian. in Syriacis. Juſtin. lib. 31. & Alii.

DEMONSTRATIO.

Ita *ſine probro ſuo regeſſit ipſi* aliquis probrum. Dan. 11: 18. Et *vis regnorum gentium*, de quibus ſup. Articul. LXV. *profligari*, ſaltem in Syriâ, cœpit. Hagg. 2: verſ. 22.

ARTICULUS XCII.

TAndem quum à Romanis gravi tributo mulctatus eſſet, animum induxit ſpoliare templa terræ ſuæ; atque ita cum omni exercitu ſuo ad fanum Jovis Didymæi nocte, quum illud ſpoliaret, concurſu hominum interfectus eſt. Juſt. lib. 32. c. 2. Strabo lib. 16. dicit, eum à barbaris occiſum eſſe, volentem ſpoliare templum Beli.

DEMONSTRATIO.

Hæc eſt quaſi *plaga Midian, in rupe Oreb.* Eſai. 10: 26. Nam Romani & Aſſyrii quoad religionem unus Midjan erant. Quâ de plagâ ita Daniel: *Et convertet faciem ſuam ad arces terræ ſuæ, & offendet, & cadet, & non invenietur.* Dan. 11: verſ. 19.

ARTICULUS XCIII.

SUcceſſor ejus Seleucus Antipator, qui & Soter, à ſubditis ſuis exigit pecuniam, ut tueretur dignitatem regiam; adeo ut etiam pecuniam ex templo Hieroſolymitano ſibi peteret dari. 2 Macc. 3: 7. 28.

DEMONSTRATIO.

Quod prædictum Dan. 11: 20. *Et ſtabit in loco ejus, qui faciet tranſire exactorem decoris regii.*

ARTICULUS XCIV.

IS verò *paucis diebus fractus eſt*, *non per iram*, ut Antiochus pater, *neque bello*, aperto Marte; ſed inſidiis Heliodori, ut refert Appianus.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 20. Heliodorus iſte cum ſociis *brachia inundationis* appellantur, Dan. 11: 22.

ARTICULUS XCV.

SUcceſſit illi Antiochus Epiphanes, Seleuci frater, Romanis obſes à patre datus, non vocatus ad regnum, quod Heliodorus occupaverat, vel quod filio fratris Demetrio deſtinabatur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Quod Daniel dicit: *Et ex uno de illis* quatuor cornubus, de quibus ſup. Art. LXV. *egreſſum eſt cornu unum minus, quàm parvum.* Dan. 8: 9. *Et ſtabit in loco ejus homo ſpretus, cuique non tribuerant majeſtatem regiam.* Dan. 11: 21.

§. 2. *Venit* autem in tranquillitate, *& occupavit regnum per blanditias.* nomine tutoris ſcil. Dan. 11: 21.

§. 3. *Ingenium* hujus *regis* deſcribitur, ut *pertinacis & intelligentis ænigmata.* Quo præter pertinaciam ſignificatur aſtutia, quâ ſciret hominibus uti, & opportunitatibus, & hominum conſilia, quamvis occulta, perſpecta haberet. Daniel. cap. 8: verſ. 23. 25.

§. 4. Tempus etiam, quo rex ille exſtiturus erat, notatur: *In fine regni Græcorum.* Id eſt, poſt Antiochum M. devictum; cum Ægyptii ad eas anguſtias redacti eſſent, ut Senatus Romani auxilium cogerentur implorare; cùm jam Perſeo Macedonum regi immineret, ut in triumpho duceretur: Atque ita regnum illud Græcorum tantùm non veniſſet in poteſtatem Romanorum; Dan. 8: 23. & *aliis fieret præter hos.* Dan. 11: 4. f. Nihil enim attinet, an poſt Antiochum adhuc fuerint aliqui quaſi reges in Syriâ.

ARTICULUS XCVI.

OPpreſſus eſt autem Heliodorus ab Eumene & Attalo; quemadmodum teſtatur Appianus.

DEMONSTRATIO.

Atque ita *brachia* illa *inundationis*, de quibus Art. XCIV. *inundata ſunt coram ipſo, & confracta.* Dan. 11: 22.

ARTICULUS XCVII.

ATque etiam Demetrius, filius Seleuci fratris, vel frater, per quem habebat fœdus & pacem cum Romanis, coactus eſt Romæ manere obſes.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Itaque factum, quod eſt Dan. 11:22. *Atque etiam princeps fœderis.* Scil. confractus eſt coram ipſo.

ARTICULUS XCVIII.

ANtiochus verò ſub ſpecie procurandi bonum Demetrii egit fraudulenter, ut ipſe regnaret, & invaluit cum parvâ manu, & largitionibus ſibi devinxit exercitum, & ſocios Attalum & Eumenem. 1 Macc. 3:28.

DEMONSTRATIO.

De his ita Daniel: *Et roborabuntur vires ejus, & non per vires ejus... Et propter ingenium ſuum faciet, ut proſperetur fraus in manu ipſius.* Dan. 8:24. 25. *Et ex conſociatione ad ipſum* Demetrium *faciet fraudem, & aſcendet & corroborabitur cum pauco gentis. In tranquillitatem & opima ditionis veniet, & faciet quod non fecerant patres ejus & patres patrum ejus, prædam & ſpolia diſperget illis.* Dan. 11: 23. 24.

ARTICULUS XCIX.

MOx Syriam occupavit; & poſtea, premente ipſum penuriâ, movit quoque in Perſida, aliaſque regiones Orientales.

DEMONSTRATIO.

De expeditione Syriacâ ita Daniel: *Et contra munitiones excogitabit artes.* Dan. 11:24. De Perſicâ: *Et crevit* cornu illud parvum, etiam *in Ortum.* Dan. 8:9. Vid. 1 Macchab. 3:29. & ſeqq. Ubi notatur, penuriam ipſi cauſam hujus expeditionis fuiſſe.

ARTICULUS C.

PEr hæc tempora plerique Judæorum, non tantùm, ſicut antea, fœdus Dei irritum fecerunt, ſed etiam ad ſummam impudentiam progreſſi, palàm dixerunt, ſe non velle habere partem cum Deo Iſraëlis, ſibique præputia fecerunt, & Diis gentium adoleverunt; ducibus ad tantam impietatem Sacerdotibus, Jaſone & Menelao, qui de ſacerdotio rixabantur, & in gratiam regis Helleniſmum introducebant.

DEMONSTRATIO.

De his eſt apud Danielem: *Conſummabunt defectores.* Dan. 8:23. *Deſertores fœderis ſancti.* Dan. 11:30. *Et brachia ſupra illud* fœdus ſanctum *ſtabunt.* h. e. multi erunt violenti, qui graſſabuntur in pios, nemine obſiſtente. Hæc *defectio ſtupenda* appellatur, Dan. 8:13. id eſt, improbiſſima & impudentiſſima. Nihil enim erat abſurdius, quàm quòd defectores illo tempore faciebant: qui Divinitatem & veritatem Dei Iſraëlis nuper experti in exilio Babylonico, & reductione ex eo, & videntes harum Danielis prophetiarum impletionem in rebus tam manifeſtis, cùm religio

ligio gentium nihil haberet probabile; voluerunt templum commutare in templum Diaboli, & quod de ipſis ſcriptum erat verbis tam ſignificantibus, tanquam datâ operâ impletum ibant, ut ſe ipſos in judicium hoc præcipitarent. Jam add. Pſ. 93: 1. 129: 1. 2. Eſai. 5: 25. 63: 9.

ARTICULUS CI.

AD *illos* itaque Antiochus *animum applicuit*. Illos ad ſtatus & honores promovit. Ut cùm primùm Jaſoni, mox & Menelao ſacerdotium vendidit.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 30.

ARTICULUS CII.

ANtiochus poſtea, quum Philometor Cœleſyriam repeteret, expeditione in Ægyptum ſuſceptâ, bellum ei intulit. Hieron. ad Dan. cap. 11. Polyb. legat. 71. & 72.

DEMONSTRATIO.

Idque ut impleretur hoc vaticinium: *Et excitavit vires ſuas & cor ſuum contra regem Auſtri cum magno exercitu.* Dan. 11: 25. Cui adde illud ex Eſaiâ: *Extendit virgam ſuam in mare inviâ Ægypti.*

ARTICULUS CIII.

PHilometore inter Peluſium & montem Caſſium proditione ſuorum cæſo, Antiochus occupavit Peluſium, & ſi quos alios locos. Ipſe Philometor, metu perculſus, fugit Alexandriâ, venit in manus Antiochi, qui puero pepercit, amicitiam cum eo firmavit, curam illius ſuſcipere ſe ſimulavit, diadema tamen ademit, & Ægypti regem ſe ipſum fecit. Hieron. ad locum Dan. cit. & Vid. omninò, quæ de hoc bello quàm diligentiſſimè congeſſit Valeſius ad Exc. Peir. p. 49.

DEMONSTRATIO.

Ita factum eſt, quod deinceps legitur apud Danielem: *Et rex Auſtri incitabit ſe ad prælium cum exercitu magno & valido admodum: & non ſtabit, quia excogitabunt contra illum artes. Et edentes cibum ejus frangent eum, & exercitus illius inundabit, & cadent cadavera multa.* Dan. 11: 25. 26. *Et* cornu illud parvum *crevit ampliùs in Auſtrum.* Dan. 8: 9.

ARTICULUS CIV.

ALexandrini autem id ægrè ferentes Ptolemæum Juniorem, qui Evergetes & Phyſcon dictus eſt, fratrem Philometoris, regem renunciarunt:

ac ſtrenuè Antiocho reſtiterunt. Porphyr. in Græcis Euſeb. Scalig. p. 45. & 225. Sed Antiochus ſimulans ſe Ptolemæo Majori regnum recuperare, bellum Phyſconi intulit, & victis navali prælio ad Peluſium Alexandrinis, & ponte per Nilum transgreſſus, cum copiis Alexandriam obſidere inſtituit. Tandem cum fratres inter ſe de regno pepigiſſent, medio vel ſaltem haud invito Antiocho, ſponte ſuâ diſceſſit ab obſidione, & relicta majori Ptol. Ægypto, in Syriam rediit. Liv. lib. 44. & 45.

DEMONSTRATIO.

Itaque adhuc magis *exercitus illius inundavit*, Dan. 11: 26. & *crevit cornu illud parvum ampliùs verſus Auſtrum.* Dan. 8: 9. & *extendit virgam ſuam in mare in viâ Ægypti.* Eſ. 10. 26. Et hinc explicationem habet, quod addit Propheta: *Et quod attinet duos illos reges, cor illorum erat ad noxam, & ad menſam unam mendacium loquebantur.* Dan. 11: 25. Conſtat enim, Antiochum cum ſororis filio Philometore pacem feciſſe: Conſtat etiam, duos fratres, Philometorem & Phyſconem de regno inter ſe pepigiſſe, ut avunculum Antiochum, tanquam ſub ſpecie juvandi alterum utriuſque regno inſidiantem, averterent. Rectiùs autem, in hoc quidem loco, intelligitur colloquium inter Antiochum & Philometorem, qui hactenus bellum geſſerant: quòd nempe hi duo ad unam menſam mendacium locuti ſint: Antiochus, ut qui cuperet bene utrique fratri; Philometor, ut qui pareret avunculo, & fratrem ad conſortium regni admitteret: cùm tamen neuter iſtius animi eſſet; Antiocho id reverâ agente, ut fratres inter ſe committeret, atque iis diſſentientibus ſupervenires, ſicque tandem totâ Ægypto potiretur.

ARTICULUS CV.

SEd *hoc non profecit.* Neque hic neque ille obtinuit intentionem ſuam.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 27. Rationem addit Spiritus: *Nam adhuc eſt finis tempori præſtituto.* Non eſt ille finis ſc. quem illi duo reges in animo habebunt: Sed alius eſt finis & alius eventus conjunctus cum magnâ rerum mutatione, atque eâ quidem, ut & rex Aquilonis, & rex Auſtri deſinant eſſe reges: qui eventus in præſtitutum tempus dilatus eſt, ut ita *finem* habeat ipſorum dominatio & mutua oppugnatio: quemadmodum dictum eſt. v. 4. *Et aliis præter hos.*

ARTICULUS CVI.

ANntiochus in reditu ſuo vaſtavit Judæam, Hieroſolymam occupavit, templum ingreſſus eſt, & ſpoliavit, multoſque occidit & vendidit, tanquam nolens aliquem eſſe populum veri Dei. Vid. 1 Macc. 1.

DEMONSTRATIO.

De hâc populi afflictione ita Daniel: *Et revertetur ad terram ſuam, cum opibus magnis, & cor illius erit contra fœdus ſanctum.* id eſt contra populum Dei, habentem

tem fœdus cum Deo; *& perficiet.* Dan. 11: 28. Itaque etiam hic *virgâ percuſſit populum, & baculum ſuum extendit ſuper ipſum in viâ Ægypti*; Eſ. 10: 24. Et bibit ex illâ *pelvi vertiginis*; Zach. 12: 2. *Et* cornu illud parvum crevit in decus. id eſt contra Judæam, quæ terra non tantùm propter bonitatem ſuam & fertilitatem, ſed etiam propter inhabitationem Dei & ejus manifeſtationem in carne atque effuſionem Spiritus S. cum prædicatione Euangelii gratiæ vocatur terra decoris & decus omnium terrarum. Dan. 8: 9. Add. Pſal. 93: 1. 129: 1. 2. Eſr. 5: 25. 63: 9. Dan. 8: 19.

ARTICULUS CVII.

ANtiochus poſtea, ſpe ſuâ fruſtratus de Ægypto, ſecundam in eam expeditionem agitat.

DEMONSTRATIO.

De quâ ſic Daniel: *Ad tempus præſtitutum revertetur & invadet Auſtrum.* Vid. 2 Macc. 5: 1. & Joſeph. Ant. l. 12. cap. 6.

In hâc expeditione in eo fuit, ut & Cyprum & Peluſium occuparet, Alexandriamque obſideret. Quâ iterùm ratione *virga ejus fuit ſuper mare, & ſuſtulit illam in viâ Ægypti.* Eſ. 10: 26.

ARTICULUS CVIII.

S*Ed non fuit ut prima* expeditio, *ſic ſecunda. Et* enim *venerunt in eum naves Chittæa.* id eſt, Romanæ, cum legatis, & mandato, quo Antiochum vetarent intrare in Ægyptum, aut, ſi intrâſſet, juberent exire. Hi legati quum Antiochum ad Alexandriam in littore offendiſſent, & rex Popilio Lænati, (is princeps legationis) ut veteri amico, dextram porrigeret, ab eo juſſus eſt primùm audire Senatus decretum: Quòd cùm audiviſſet, & ſe deliberaturum diceret, ab eodem juſſus eſt deliberare, antequam egrederetur circulo, quem circa ipſum & amicos in ſabulo duxerat. *Hebetatus* eâ ſeveritate Antiochus reſpondit ſe pariturum: Quo dicto legatus ipſi dextram ut amico & ſocio populi Romani dedit, & rex in Syriam copias ſuas reduxit. Polyb. legat. 93. Liv. lib. 45.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 11: 29. 30. Itaque *excitavit in ipſum Jehovah Deus exercituum flagellum*; & flagellum iſtud *auferre virgam ejus, in viâ Ægypti.* Eſ. 10: 26. Sicque *ad finem* ſpectare dominatio regum Auſtri & Aquilonis, eorumque mutua oppugnatio, cœpit. Dan. 11: 27. Omniaque deinceps in manum Romanorum pervenerunt.

ARTICULUS CIX.

DEfectores interim, ut ſuprà Art. C., Hieroſolymæ dominantur; atque etiam *qui erat ſuper Judam*, Princeps Sacerdos Judæ, *erat in obſidione*

Apoſtata interea, a. 109. *& poſt illos Antiochus vaſtat Iudæam perficiendo dione contra Hieroſolymam.* Ut cùm Menelaüs Jaſonem expulit; 2 Macc. 4: 26. & Jaſon viciſſim urbem invaſit ac cepit. 2 Macc. 5: 5. 6.

DEMONSTRATIO.

Vid. Ut ſup. Art. C. item Zach. 12: 2.

ARTICULUS CX.

POſt hæc reipublicæ vulnera, Antiochus ex Ægypto redux perfecit illa contra Judæos & nomen Dei, quæ ſup. Art. CVI. inchoaverat; & quæ in libris Maccabæorum, & apud Joſephum deſcripta exſtant; ut & in libris Περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ. Etiam apud exteros: Ut Tac. 5. Hiſt. c. 8.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Quænam autem & qualia iſta fuerint, ex Prophetiis hæc habemus: *Et crevit* cornu illud parvum *uſque ad exercitum cœlorum, & dejecit in terram de exercitu illo, & de ſtellis, & calcavit eas.* Dan. 8: 10. Quod ita explicat propheta: *Et roborabuntur vires ejus, & mirabiliter perdet, & proſperè aget, & faciet, & perdet numeroſos* (vel *robuſtos*) *& populum ſanctorum.* Dan. 8: 24. Intelligimus, rectos & probos, etiam illos, qui inſtar ſtellarum in populo ſanctorum lucebant, quales erant principes, & Sacerdotes, violentiam Antiochi expertos fuiſſe. Atque ita etiam eſt Dan. 11: 30. *Et redibit & exardeſcet contra fœdus ſanctum, & perficiet.* Et vers 33. *Et prudentes populi corruent gladio & flammâ, captivitate & direptione, dies multos.* Quinimò, quaſi ipſum Deum oppugnare vellet, *uſque ad principem exercitus* cœlorum,* populi ſancti, *crevit.* Dan. 8: 11. Id eſt, ut explicatur Ibid. vers 25. *Contra principem principum ſtetit.* Deum ipſum quaſi oppugnavit. Quomodo autem oppugnaverit, hiſce declaratur: *Et ab eo ſublatum eſt juge.* honorem quotidiani ſacrificii à principe principum ſuſtulit ſcilicet; *& ſic projecta eſt ſedes ſanctuarii ejus.* Sacer cultus neglectus eſt. Dan. 8: 11. *Et viciſſitudo dabetur ſuper jugi.* ſive intervallum, quo ceſſabat; *& projiciebat veritatem in terram.* veram doctrinam, & verba illa, per quæ nomen Dei celebratur, oppugnabat. *Et peregit, & proſperatum eſt.* Ib. v. 12. De ablatione jugis vid. 1 Macc. 1: 47.

§. 2. Nec tantùm ablatione jugis, & veræ religionis, ſed etiam poſitione idoli Jovis Olympii & falſæ religionis in templo, Deum oppugnavit. Utrumque oppugnationis modum ſic Spiritus conjungit: *Et auferent juge, & dabunt abominationem ſtupefacientem* vel *deſolantem.* Simulachrum Jovis Olympii, & omnes ritus Græcorum, abnegato vero Deo & fœdere ipſius, introducent: Unde ſequi ſtuporem in mente impletâ falſis de Deo opinionibus, tandemque ἐρήμωσιν oportebat. Dan. 11: 31.

§. 3. Veriſimiliter & Synagogas accendit, qui ædem ſacram Dei profanare auſus eſt. Atque ita Pſalmus 74: 8. *Dixerunt in corde ſuo: Opprimamus illos pariter. Cremarunt omnes Synagogas Dei.*

§. 4. Addit prophetia & effectum, quem hæc perſecutio in improbis, qui erant in populo, quique juſtitiam, quæ eſt in fœdere Dei, non quærebant, eſſet habitura: *Et improbè ſe gerentes erga fœdus faciet hypocryſi uti.* h. e. partim inquinabit & polluet, facietque ſuam hypocriſin oſtendere atque manifeſtare, per quam antehac

ſe ſimulaverant populum veri Dei; partim faciet, ut ſimulent ſe cum ipſo ſentire, cùm tamen nihil quærant niſi utilitatem ſuam, nec Græcanicos ritus ex amore Deorum vel religionis Græcorum ſuſcipiant.

§. 5. Nec difficile erat regi deſtinata perficere, cùm, ut ſupra notatum, jam eſſent in populo multi, ipſique adeo Principes & Sacerdotes ſummi, qui ultrò, in gratiam regis, palàm Deum Iſraëlis abnegarent, & conſilia atque conatus ejus adjuvarent: Cùm ſic *non per vires ejus*, ſed potiùs ipſorum & Judæornm apoſtatarum, *vires ejus corroborarentur.* Dan. 8: 24. Atque hæc eſt ratio, cur *Defectioni* cauſa ceſſationis jugis tribuatur. Ita enim Daniel: *Et viciſſitudo dabatur ſuper jugi in defectione.* Dan. 8: 12.

§. 6. Sic itaque ablato ſacrificio jugi, & rebus hominibuſque profanis in locum ejus ſubſtitutis, viſa eſt Hieroſolyma profanata, & in cenſum hypocritarum (quales gentiles omnes ſunt, Matth. 24: 51.) redacta; & impleta eſt prophetia: *Et nunc quidem congregatæ ſunt contra te gentes magnæ; quæ dicunt; Hypocriſi contaminabitur, & aſpiciet Sionem oculus noſter.* Mich. 4: 11. Item: *Et profanabunt ſanctuarium, arcem illam.* Iſraëlis, domum Dei, muri Iſraëlitarum ignei. Zach. 2: 9.

§. 7. Atque hæc *Conſilia* illa ſunt, de quibus Eſaias, cap. 8: 10. Hæc ſecunda poſt captivitatem Babylonicam populi *Anguſtia* eſt; Eſ. 63: 9. Jerem. 30: 7. Ob. vers 12. & *Severitas*; Eſ. 5: 25. Dan. 8: 19. poſtquam priorem ſub Antiocho M., de quâ ſup. Art. lxxvi. lxxxvii. exantlâſſet, Art. lxxxv. Hæc *preſſura*, & *vaſtitas*, & *conculcatio terræ*, eſt, de quâ Eſ. 16: 4. Hâc vice pii Judæorum verè egeni facti ſunt; Eſ. 14: 30. *Deo* rurſus *manum ſuam referente ſuper Hieroſolymam*, ut eam *repurgaret*; Eſ. 1: 26. & *trituraret*, paleaſque à granis utilibus ſegregaret; Eſ. 21: 9. & *deteſtabilia omnia ex eâ auferret*; Ezech. 11: 18. Atque ita denique *ſurculus ille, quem Deus confirmaverat ſibi*, (de quo ſup. Art. xlv. *uſtus igne*, *detonſus* ferro *eſt*. Pſ. 80: 17.

§. 8. Acceſſit ad cumulum malorum infeſtatio, irriſio, & quaſi triumphus vicinarum gentium de Iſraëlitis, & religione verâ, & ſpe regni, quam dudum conceperant Iſraëlitæ. Id patet ex admonitione Eſaiæ factâ ad Moabum, de hoſpitalitate exercendâ erga exules & ſupplices. *Admittite conſilium fac jus. Pone inſtar noctis umbram tuam in meridie; occulta propulſos, fugientem ne reveles. Commorentur in te propulſi mei, Moab, eſto latibulum ipſis propter vaſtantem.* Eſ. 26: 3. 4. Obadiæ ad Edomum: *Ne magno ore utaris*, h. e. cachinnum tollas, *in die anguſtiæ*. Ob. vers 12. Et ſequentibus Michææ & Zephaniæ teſtimoniis: *Et nunc quidem congregatæ ſunt contra te gentes magnæ; quæ dicunt, Hypocryſi contaminabitur, & aſpiciet Sionem oculus noſter.* Mich. 4: 11. *Audivi probrum Moabi, & blaſphemias filiorum Ammon; qui probris proſciderunt populum meum; & cachinnârunt ſuper termino ipſorum.* Zeph. 2: 8. Huc refer defectum ſolatii, & blaſphemiam nominis Divini; de quibus ita queruntur pii hujus temporis: *Signa noſtra non videmus.* Intell. ſigna, quæ Deus in ſancto ſuo populo dederat, gratiæ ſuæ pignora, credentibus; miracula etiam ad confirmandam fidem imbecillem per ſervos ſuos edita; potentem hoſtium compreſſionem & Eccleſiæ liberationem; ſigna denique, quibus Deus populum ſuum à gentibus diſtinxit. *Non eſt ampliùs propheta; neque eſt nobiſcum, qui ſciat, quouſque? Quouſque, ô Deus, blaſphemabit Hoſtis, ſpernet Inimicus nomen tuum inceſſanter?* Pſ. 74: 9. 10.

§. 9. Futurum autem fuiſſe, ut ſic duas vices ſeveritatis Divinæ Judæi poſt captivitatem Babylonicam experirentur, ſubindicat Spiritus, bis ponendo, *Adhuc parum*,

parum, puſillum. Scil. Antequam *finiatur ſeveritas.* Eſ. 10: 25. Item, *Conſolamini, Conſolamini.* Eſai. 40: 1.

§. 10. Tempus quod attinet, quo hæc ab Antiocho tentatio erat eventura, id ita ponit Spiritus: *In extremo excandeſcentiæ.* Imminente ſcil. anno liberationis à jugo & exſecratione, & lege, quæ iram operabatur. Dan. 8: 19. Item: *Viſio iſta erit ad tempus finis.* Dan. 8: 17. dum nempe id agitur, ut *finis præſtituto tempori,* excandeſcentiæ ſcil. deſtinatus, adducatur. Ibid. verſ. 19.

§. 11. Duratura autem fuit hæc defectio, & ceſſatio jugis, *dies bis mille tercentum.* Id eſt ſex annos, tres menſes, & octodecim dies. Dan. 8: 14. 26. Incepit enim anno 143. regni Seleucidarum, 1 Macc. 1: 21. deſiit anno 149., qui Antiochus periit. Alii ſic computant hos annos. Anno 142. die ſexto. menſis ſexti Menelaus Pontifex M. Antiocho ſuam operam obtulit. Joſeph. Ant. l. 12. c. 6. ſicque incepit poni deſolatio; Anno autem 148. die 25. menſis 9. Judas Maccabæus templum expiavit. 1 Macc. 4: 52.

ARTICULUS CXI.

EFfectus hujus anguſtiæ in piis hujus ſæculi fuit gemitus, timor, & fuga multorum propter vaſtatorem.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De *gemitu* eſt Eſai. 21: 2. De *timore*, Jo. 2: 21. *De fugâ*, Eſai. 16: 3. Cùm autem in cauſâ Dei ſeſe proriperent, *propulſi Dei* appellantur in prophetiâ. Ib. verſ. 4.

§. 2. Hos propulſos Dei jubentur recipere & abſcondere Moabitæ. Ibid. Eſai. 16: 3. 4. *Admittite conſilium, fac jus.* Eſt præfatio commendans præceptum ab utilitate & juſtitiâ ejus. *Pone inſtar noctis umbram tuam in meridie.* Ut bonis & honeſtis viris ſit tuta & ſecura habitatio & refrigerium in æſtu hujus vitæ. *Occulta propulſos fugientem ne reveles. Commorentur in te propulſi mei, Moab, eſto latibulum ipſis propter vaſtantem.*

§. 3. Huic porrò tempori accommodata eſt Oratio, præſcripta Eccleſiæ in cauſâ Dei, Pſalm. 74: 11 — 23. Eſt in ea I. Petitio continuationis auxilii: *Quare retrò abducis manum tuam, & dexteram tuam? Ex ſinu tuo plenè educ.* ad ſalutem tuorum, & corruptionem blaſphemantium te & nomen tuum. verſ. 11. II. Commemoratio effectuum potentiæ, gratiæ & veritatis Dei, oppiſita hoſtium blaſphemiæ: *At Deus eſt rex meus à priſco; parans ſalutes in medio terræ.* verſ. 12. Quas? *Tu rupiſti vi tuâ mare. Tu fregiſti capita draconum,* h. e. magnatum, dynaſtarum, & projeciſti *in aquam.* verſ. 13. *Tu conquaſſâſti capita Balænæ,* ſ. Crocodili, Pharaonis, ut Ezech. 29: 3. *Dediſti illam* balænam *cibum populo, eremicolis.* verſ. 14. *Tu effidiſti rivum & torrentem.* h. e. findendâ rupe effluere feciſti. *Tu exareſeciſti fluvios validos.* ut aquas Jordanis. verſ. 15. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox. Tu conſtituiſti luminare & Solem.* verſ. 16. *Tu fixiſti omnes terminos terræ: æſtatem & hiemem tu formâſti.* verſ. 17. q. d. Non tantùm exſtant evidentiſſima opera tua in gubernatione Eccleſiæ, quibus arceantur meritò hoſtes à blaſphemiâ: Sed etiam exſtant opera communis providentiæ, quâ ipſis etiam hoſtibus benefacis, quæque illi ignorare non poſſunt. III. Exaggeratio blaſphemiæ 1. à malitiâ & ſtultitiâ blaſphemantium. *Memento hoc, Inimicus blaſphemat Jehovam, & populus ſtultus contemtim aſper-*

nantur nomen tuum. verſ. 18: 2. Ab impotentiâ Eccleſiæ: *Ne des Beſtiæ animam turturis tui, vitam inopum tuorum ne obliviſcaris in perpetuum.* verſ. 19. 3. A fœdere: *Reſpice ad fœdus. Nam plenæ ſunt tenebræ terræ, manſiones violentiæ.* verſ. 20. 4. A fidelium gaudio & laude jam per afflictionem aliquo modo ceſſante: *Ne abeat contritus confuſus; inops & egenus laudent nomen ſuum.* verſ. 21. IV. Concluſio petitionis: *Surge, Deus, age cauſam tuam, recordare probrum tuum à flagitioſo toto die.* verſ. 22. *Ne obliviſcaris vocem hoſtium tuorum, tumultum inſurgentium tibi creſcentem ſemper.* verſ. 23.

ARTICULUS CXII.

NEc tantùm Deus propulſis ſuis proſpexit de loco perfugii & latebræ, verùm etiam auxilium ipſis excitavit, & duces ad pugnandum pro religione & templo ac libertate. Nempe Matthatiam, & mox Judam Maccabæum cum fratribus; eoſque fortes ac felices.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ita cecinerat David, poſtquam bonitatem Dei in ædificandis Hieroſolymis & collectione exulum Iſraëlis in terram prædicâſſet: *Statuminat manſuetos Jehovah.* auxilio ſcil. lato, & victoriis ingentibus. Pſalm. 146: 6. Præformavit quoque Eccleſiæ hujus temporis orationem pro Judâ Maccabæo & fratribus, & qui cum ipſis arma pro religione & libertate corripuerunt: *Sit manus tua ſuper virum dextræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem roborâſti tibi.* Robur illud ſcil. ſpectabatur tùm in anima, tùm in labore ingenti & indefeſſo. In animo fuit ſingularis fides & magna in Deo fiducia & amor nominis Dei, ac populi ipſius; promtitudo conſilii æquè ac manus; & conſtantia in omnibus periculis. Additur & votum perſeverantiæ: *Et non recedemus à te.* Pſalm. 80: verſ. 18. Vid. & Pſalm. 22: 5. 6. 129: 1. 2.

§. 2. Eſaias hoc auxilium ſic deſcribit, Eſai. 28: 5. 6. *In illo die fiet Dominus Deus exercituum .... in ſpiritum judicii, ſedenti ad judicium: & in fortitudinem regerentibus bellum ad portam.* Et complectitur illud vaticinio de *conſiliis* Antiochi Illuſtris *irritis faciendis*; Eſai. 8: 10. de *ſecuro recubitu* dando *egenis*; Eſai. 14: 30. & *extrahendo* populo, nim. à violentiâ & rapinis hoſtium; Eſai. 18: 7. & *conſolando* iterum *populo Dei*; Eſai. 40: 1. Qui & Chriſtum introducit ſolantem reliquias Jacobi, ſive oves domus Iſraëlis, declarando ſe eundem eſſe, eaſque ab initio huc uſque geſtatas porrò in omnem ætatem geſtaturum, nihilque de iis, quos portandos ſuſceperat, perditurum. Eſai. 46: 3. 4. *Auſcultate mihi, domus Jacobi, & omne reſiduum domus Iſraëlis, qui ſuſcepti eſtis portandi ab utero, qui geſtamini à vulvâ. Etiam uſque ad ſenectutem ego idem, & uſque ad canitiem ego bajulabo; ego feci & ego portabo, ego bajulabo & eripiam.* Et gratiam tùm ſuperioris temporis omnis, tùm hujus quoque commemorat: nempe quòd *in omni anguſtiâ ipſorum non oppugnaverit eos quiſquam, quin ſtatim Angelus faciei ipſius ſervaverit ipſos; in dilectione ſuâ & in clementiâ ſuâ aſſeruerit ipſos,* ſive pro iis tanquam ſponſor interceſſerit, & ſibi liberos dimitti petierit; quodque *illos ſibi quaſi impoſitos tulerit* verbo potentiæ ſuæ, *omnibus diebus ſeculi.* Eſai. 63: 9.

§. 3. Jeremias propoſitum ſignificat hâc prophetiâ: *Et ex anguſtiâ ſuâ Jacob ſalva-*

ſalvabitur. Non enim uni tempori hæc promiſſio convenit. Jer. 30: 7. Ezechiel iſtâ: *Et eripiam eas* oves meas *ex omnibus locis, quò diſſipatæ ſunt, in die nubis & caliginis.* Ezech. 34: 11. Daniel quoque: *At populus agnoſcentium Deum ſuum tenebunt*, ſcil. fœdus, (vel *confirmabuntur*) *& perficient.* Dan. 11: 32.

§. 4. Huc pertinet promiſſio *ſalvationis*, quæ fiat *non arcu, aut gladio*, ſed *in Jehovah Deo ipſorum.* Hoſ. 1: 7. Et huic tempori accommodata eſt conſolatio, quæ exſtat. Jo. 2: 21. *Ne timeas, terra, gaude & lætare; quia Jehovah magna effecit.* Nam quid vetat hîc intelligere maxima Dei opera, quæ fecit in die anguſtiæ per Maccabæos? Michæas quoque, ut in re præſenti, rem futuram ita demonſtrans: *Aſcendit Perfractor ante ipſos, perrumpunt.* &c. Significat, fore poſt captivitatem Babylonicam, ut omnes anguſtias, quibus anguſtabantur, inprimis à regibus Syrorum, per potentiam Dei perrumpant. Mich. 2: 13.

§. 5. Zacharias, ubi inter futura bona ponit iteratam conſolationem Sionis, à malis ſcil. aliunde obiter inferendis, nim. profanatione templi & afflictionibus iſtius temporis, ad Articulum noſtrum ita alludit: *Adhæc prædica, dicendo: Sic dixit Jehovah Deus exercituum, Adhuc diffundentur urbes meæ præ bono & conſolabitur Jehovah ampliùs Sionem, & eliget adhuc Hieroſolymam.* Zach. 1: 17. Eidemque accommodata ſunt iſta: *Et ego fiam illi, ait Jehovah, murus igneus circumquaque; & in gloriam ero in medio ejus.* Zach. 2: 9. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2: 12. *Et metabor domui meæ*, templo ſcil. tam literali & manufacto, quàm myſtico ſive Eccleſiæ, *ut præſidium, ob tranſeuntem & revertentem.* ne quis ſcil. ei noceat. Zach. 9: 8. *Et ſuper domo Judæ acuam oculos meos.* Zach. 12: 4. Nihil autem eo luculentiùs, ubi Spiritus quaſi ſuccinens voto piorum in Pſalmis orantium pro principibus, introducit principes glorificantes Deum, ipſos roborantem, & eâ roboratione ipſorum fidei & precibus fidelium filiorum Hieroſolymæ reſpondentem & ſatisfacientem: *Et dicent principes Judæ in corde ſuo: Robur mihi habitantes Hieroſolymæ in Jehovah Deo ipſorum.* Zach. 12: 5.

§. 6. Scilicet cur Divino auxilio, & non haſtæ aut gladio, quibus pugnabant, aut ſuæ virtuti adſcriberent victoriam, in cauſâ erant iſta: 1. Quòd magna eſſet hoſtium potentia. 2. Quòd inopinata eorum humiliatio. ut in interitu Antiochi Epiphanis videre eſt. 3. Quod nullum externum auxilium eſſet Judæis, putà à Romanis. 4. Quòd populus maximâ ex parte profanitatem ſectabatur. 5. Quòd parvâ manu aggrederentur propugnationem Maccabæi. 6. Quod fortiſſimi ipſorum duces violentâ morte interirent.

§. 7. Hæc videntur indicata à Daniele: *Et dum corruent, juvabuntur auxilio parvo, & adjungent ſe ad illos per fraudes. Et ex prudentibus corruent, ad conflandum illos, & ad purgandum, & ad dealbandum, uſque ad tempus finis.* Dan. 11: 34. 35. Quamvis enim hæc videantur eſſe majora, quàm ut in tempus Antiochi includi poſſint, quia tamen tempore Antiochi includi poſſint, quia tamen tempore Antiochi hæc inceperunt impleri, nihil impedit, quo minùs ad iſta velut initia conflictationis pro religione eadem referamus.

ARTICULUS CXIII.

CONfringitur interim Antiochus *ſine manu*, atque ita exſtingitur. Vid. 3 Macc. 6: 8. & 2 Macc. 9: verſ. 5. Appianus narrat, quòd poſtquam

Antiochus obſtupefactus ex Ægypto diſceſſiſſet, ſpoliato in Elymæis templo Veneris, tabe perierit.

DEMONSTRATIO.

Vid. Dan. 8: 25. Itaque *conſiliis* Antiochi *irritis factis*; Eſai. 8: 10. *juſtificari* incepit *ſanctus*. Dan. 8: 14. Id eſt, judicium exerceri, quo juſtificaretur princeps principum & populus ſanctorum, & veritas proculcata, & fœderis ſanctitas. Porrò in hoc Antiochi interitu exemplari ſpectabatur, *Ab increpatione faciei Divinæ perire, qui ſurculum Dei, populum Judæ, cremaverant igne, exciderant ferro*; Pſalm. 80: 17. *Humiliare Jehova improbum uſque ad terram*; Pſalm. 147: 6. *Deſinere preſſuram, conſummari vaſtitatem, & finiri conculcantes ex terrâ*; Eſai. 16: 4. *Deum viſitare in omnes opprimentes Iſraëlem*; Jerem. 30: 20. *Deum regnare in populum ſuum excandeſcentiâ effuſâ* in omnes eos, qui vexant illum; Ez. 20: 33. 34. Deum *gloriam ultionis referre ab iis, qui deprædantur Iſraelem*; Zach. 2: 12. Et *qui tangit illum, tangere pupillam oculi ſui*. Zach. l. c.

ARTICULUS CXIV.

ADhuc congregantur gentes magnæ contra Hieroſolymam, cum propoſito eam deſtruendi, & gentem delendi.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Non ceſſavit ſcil. cum Antiocho Illuſtri furor hoſtilis; quemadmodum in expeditionibus Antiochi Eupatoris, Demetrii, Alexandri, Demetri II. filii prioris, Antiochi Alexandri filii, qui Sedetes vocitabatur, ex Maccabaicis & Joſepho videre eſt. Et in Antiocho Eupatore notabile eſt, quòd conſiliarii ejus ſuaderent, ut gentem Judaicam totam deleret: id memorante Diodoro Siculo.

§. 2. Eam rem prædepinxerat Spiritus prophetiæ: *Et erit in illo die, ponam Hieroſolymam lapidem bajulationis omnibus populis, & congregabuntur contra illam omnes gentes terræ*. Notatur enim, ſtudium regum futurum hoc, movere Hieroſolymam loco, & illam aliò transferre; quemadmodum athletæ vel juvenes ad lapides graviſſimi ponderis ſeſe ſolebant exercere, & in iis ſublevandis ac de loco in locum geſtandis fortitudinem ſuam experiri. Zach. 12: 3. Ut huic etiam Articulo conveniant iſta Michææ, cap. 4: 11. *Et nunc quidem congregatæ ſunt contra te gentes magnæ; quæ dicunt, Hypocriſi contaminabitur, & aſpiciet Sionem oculus noſter.*

ARTICULUS CXV.

FRuſtra! Cùm Deus pro populo ſuo excubaret, & conſilia hoſtium, imminutione animi, atque ademptione perſpicaciæ & prudentiæ in rebus agendis, diſcuteret.

DEMONSTRATIO.

Hic ſenſus eſt oraculi: *Omnes bajulare illam conantes* (vel *onerantes ſe eâ*) *lacerando lacerabuntur. Illo die, dixit Jehovah, percutiam omnem equum ſtupore, & ſeſſorem ejus inſaniâ: Et in domnm Judæ acuam oculos meos; & omnem equum gentium percutiam*

entiam cæcitate. Zach. 12: 3. 4. Quàm notabilis autem ſtupor & cæcitas & furor fuerit in expeditionibus regum ante memoratorum, ex hiſtoriâ Maccabæorum & Joſephi cognoſcendum eſt. Iſtud hoc loco memorabile eſt, quòd Antiochus Eupator, conſiliariis, quod ante viſum, ſuadentibus, contentus fuerit Hieroſolymam mœnibus nudâſſe. Vid. Diodorus Siculus. Scilicet Deus non ſivit ipſum videre ea, quæ accommodata erant ipſius propoſito; & porrò ne munitio quidem relinquenda erat Hieroſolymæ, ut gloria attribueretur ſoli Deo.

ARTICULUS CXVI.

JUdæi interim per legatos *colloquuntur* cum Romanis, fœdus & amicitiam illorum petentes: qui & in fidem Judæos ſuſcipiunt, defendendos contra Seleucidas. Rege tamen Syriæ oſtendente, Judæos ſuos ſubditos eſſe, illi nullâ re à Romanis adjuvantur.

DEMONSTRATIO.

Ita eſt Eſ. 8: 10. *Loquimini verbum, & non conſiſtat.* Juſtinus facit mentionem hujus confœderationis, lib. 36. *Amicitiâ Romanorum petitâ.* &c.

ARTICULUS CXVII.

SIc itaque ſolâ Divinâ ope hoſtium conſiliis fruſtratis, & rebus Judæorum magis magiſque convaleſcentibus, factum tandem eſt, ut liberarentur Iſraëlitæ non tantùm à violentiâ & rapinis, ſed etiam à jugo & ſervitute gentium, ut ita in poſterum ſoli Deo ſub principibus ac judicibus tantùm ſervirent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc populi aſſertione in civilem libertatem jam olim ita prophetavit Bileam: *Iſraële faciente ſtrenuè.* Num. 24: 18. *Et bene tibi faciet.* ſcil. recollecto. Deut. 30: 5. David: *Firmavit vectes portarum tuarum.* atque ita effecit, ut portæ ejus ab hoſtibus non ampliùs effringerentur. In quo eſt libertas. Pſ. 147: 13. Eſaias: *Et erit in die illo, recedet ſarcina ipſius ab humero tuo, & jugum ejus à collo tuo.* Eſ. 10: 27. *In tempore illo offeretur munus Jehovæ Deo exercituum populus tractus.* Plenè enim tractus, ſ. extractus populus tum demum eſt, quum non tantùm ex captivitate Babylonicâ, ſed etiam ex ſervitute gentium eductus eſt. Eſ. 18: 7. *In die illo fiet Jehovah Deus exercituum corona decoris, & circulus ornamenti* (vel *diadema*) *reſiduo populi ſui. Et in ſpiritum judicii, ſedenti ad judicium: & in fortitudinem regerentibus bellum ad portam.* Quibus innuit, fore, ut non tantùm αὐτονομία & judices, ſed etiam libertas civilis reſtituatur; & non tantùm judices, ſed etiam defenſores habeant. Eſ. 28: 5. 6. Unde & populum Iſraëlis vocat Deus *populum ſuum*, utpote aſſertum in libertatem, & qui ſub propriis tantùm judicibus Deo ſerviret. Eſ. 40: 1. *Exſolve te vinculis colli tui, captiva filia Sionis.* Ubi rectè *Sion captiva* vocatur circa tempus recuperatæ libertatis: quia libertas data & ſanctuarium juſtificatum eſt occaſione amoti ſacrificii jugis, & ejectionis piorum extra Hieroſolymam. Eſ. 52: 2.

§. 2. Similia habet Jeremias; *Et figam oculum meum ſuper ipſis in bonum .... & plantabo*

plantabo & non evellam. id eſt confirmabo illos ita, ut terram obtineant, nec ſint ampliùs in poteſtate aliorum. Jerem. 24: 6. *Et fiet die illo, ait Jehovah Deus exercituum, frangam jugum ejus à collo tuo, & vincula tua diſrumpam, & non ampliùs, ut ſervo utentur ipſo alieni.* Quibus ſignificatur, Deum aboliturum non tantùm jugum regis Babylonii, ſed etiam omne jugum, quod Jacobus portaverat; & Iſraëlitas fore αὐτονόμους & liberos, uſque dum regnum Dei & Chriſti adveniret: ita ut, antequam Chriſtus venerit ad colligendum populum ſuum, Judæi & Iſraëlitæ non ſint futuri ſubjecti dominationi exterorum iterum. quod eſt indubitabile ſignum temporis, quo Chriſtus debuit venire. Jer. 30: 8. *Faciam ut aſcendat tibi proceritas, & à plagis tuis ſanabo te.* Jer. 30: 17. *Et hilaris ero ſuper ipſis, ut beneſaciam ipſis.* Jer. 32: 41. *Adduco ſuper ipſis omne bonum, quod locutus ſum de ipſis.* Ib. vers 42. Ezechiel: *Vivo ego, ait Domenus Jehovah, ſi non manu validâ & brachio extento, & excandeſcentiâ effuſâ regnabo ſuper vos.* Deus enim regnum in populum capeſſivit, quando ipſos imperio gentium exemit, ut ſibi ſoli ſervirent. Ezech. 20: 33. Daniel: *Et populus agnoſcentium Deum ſuum confirmabuntur, & perficient.* Dan. 11: 32. Zacharias denique, ubi populo attribuit *currus & equos*, poteſtatem belligerandi, & decus bellicum magnis triumphis aſſertum attribuit, & plenam populi liberationem à jugo gentium indigitat. Zach. 9: 10.

§. 3. *Magna ſanè hæc opera Dei*; Jo. 2: 21. Et per ea Deus *finire* incepit *ſeveritatem*; Eſ. 10: 25. Et *facere ut ceſſaret omnis genitus*; Eſ. 21: 2. Et *ſuſtulit ſignum videndum in montibus*, id eſt, opera edidit teſtantia adventum Chriſti. Eſ. 18: 3.

ARTICULUS CXVIII.

DUm in eo eſt Iſraël, ut ſeſe aſſerat in libertatem, quidam ab eo deficiunt; & quanquam redditâ terrâ & templo, in Ægyptum redeunt, ibique templum ad ſimilitudinem Hieroſolymitani ædificant, duce Oniâ. Joſ. Ἀρχ. lib. 13. c. 6.

DEMONSTRATIO.

De hâc defectione perſpicua exſtat prophetia. Hoſ. 9: 3. *Non* (vel *vix*) *ſedebant in terrâ Jehovæ*, id eſt terrâ Iſraëlis, quæ dicitur terra Jehovæ, quia Deus in illâ memoriam nominis ſui conſtituerat; *& reverſus eſt Ephrajim in Ægyptum.* Ubi *Ephrajimum* vocat populum defectorem κατ' ἀναλογίαν ejus Ephrajimi, qui ante captivitatem Babylonicam defecit à regno & templo Dei. idque eo magis, quia totus populus, quotquot Synedrio paruerunt, & templo Hieroſolymitano adhæſerunt, hoc tempore *Judæi*, ut olim Juda diſtinctè ab Ephrajimo, appellabantur. Ut ſit mirandum, quòd quum ad hoc audendum occaſionem arripuiſſent ex Eſ. c. 19: 19. non hâc prophetiâ Hoſeæ ab illo conſilio fuerint depulſi.

ARTICULUS CXIX.

MUltiplicatur populus in maximam & ſuperioribus ætatibus inuſitatam multitudinem, diffunditurque per colonias innumerabiles in totum mundum.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§. 1. Teſtes hujus tantæ numeroſitatis fuere hoc tempore Judæorum διασπορὰ tanquam coloniæ per Aſiam totam majorem & minorem. Ægyptum, Africam, Græciam, Italiam, Hiſpaniam, ductæ. Srabo de Ioppe, lib. 16. Καὶ δὴ καὶ εὐάνδρησεν οὕτως ὁ τόπος, ὡς ἐκ τῆς πλησίον κώμης ἰαμνείας καὶ τῶν κατοικιῶν τῶν κύκλῳ τέτταρας μυριάδας ὁπλίζεσθαι. Joſ. de b. Jud. l. 7: 17. narrat 256500 agnos pachales cæſos fuiſſe Hieroſolymis: qui per contubernia non minùs 10. hominum comedebantur.

§. 2. De multiplicatione populi adeo, ut impleret totam terram, actum eſt ſuprà ad Art. LIV. Quæ videantur. De exuberante hâc ejuſdem abundantiâ notentur ſequentia: *Et multiplicabit te præ patribus tuis.* Deut. 30: 5. *Texiſti te adipe.* Deut. 32: 15. *Amplificaſti gentem* Eſ. 9: 2. *Nam licet futurus ſit populus tuus, Iſraël, ut ſabulum maris.* Eſ. 10: 22. *Addidiſti ad gentem, Jehovah, addidiſti ad gentem.* Eſ. 26: 15. *Et multiplicabo illos, & non diminuentur, & amplificabo illos, & non erunt parvi.* Jerem. 30: 19. *Et fiet numerus filiorum Iſraël, ut arenæ maris, quæ non menſuratur, nedum ut numeretur.* Hoſ. 1: 10. *Et expelleretur*, terramque & mundum ferè totum inundaret, *ut amnis Ægypti.* Amoſ. 8: 8. *Ponam illum ut oves Botſra, ut gregem in medio ovilis ſui, perſtrepent* (vel *perſtrepetis*, ſcil. ô Jacob, ô reliquiæ Iſraël,) *præ hominibus.* Mich 2: 12.

ARTICULUS CXX.

Populus ſic multiplicatus & liberatus à jugo gentium pace fruitur imperturbatâ uſque ad Chriſtum, ſaltem ratione cultus; ut ſcil. non exiſtat alius, qui, ut Antiochus, memoriale nominis Dei, & Hieroſolymam è loco ſuo auferre conetur.

DEMONSTRATIO.

Hanc pacem ita indigitat Pſaltes: *qui ponit terminum tuum pacem.* id eſt, qui tibi dedit pacem undiquaque. Pſ. 147: 14. Eſaias: *Defiit preſſura, conſummata eſt vaſtitas, finiti ſunt conculcantes ex terrâ.* Eſ. 16: 4. Zacharias: *Et habitabit porrò Hieroſolyma,* id eſt corpus civium Hieroſolymitanorum; inprimis ſancti in eo, & qui cum illis de iisdem ſymbolis gratiæ participant, *in loco ſuo in Hieroſolymâ.* Ne ſcil. ſit in poſterum, qui Hieroſolymam auferre à facie Dei nitatur. Zach. 12: 6. Conf. ea, quæ de pace ad Art. LV. ſup. congeſta ſunt.

ARTICULUS CXXI.

Dilatatur Imperium Judæorum ad dextram, ſ. Meridiem, ubi Idumæi; & ſiniſtram, ſive Septentrionem, ubi Damaſcus, Antiochia, Tyrus & Sidon; Occidentemque, ubi tractus maritimus, Cretæi & Palæſtini; & Orientem, ubi Moabitæ & Ammonitæ: Iique populi non tantùm ſubiguntur per Maccabæos, ſed etiam ad communionem fœderis & circumciſionis adducuntur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc vicinorum populorum ad imperium & religionem adjectione multæ exſtant prophetiæ, tàm generales, quàm ſpeciales. Generaliores ſunt iſtæ: *Et majorem faciet te præ patribus* tuis. Reverâ enim hæc populi amplificatio præ patribus ipſius ſpectata eſt, non tantùm in numeroſitate inuſitatâ, de quâ modò dictum, ſed etiam in ſubjugatione gentium vicinarum, nunquam ante ſubactarum, aut ſaltem non ad fœderis communionem adductarum. Deut. 30: 5. *Texiſti te* (vel *cooperuiſti te*) *adipe*, ô Jeſchurun. Deut. 32: 15. *Et accedet* προσήλυτος, proſelytus, *ad ipſos, & agglutinabuntur ad domum Jacobi.* Ut ſcil. fiant acceſſio ejusdem reipublicæ, atque ita in fœdere atque conditione pari cum Iſraëlitis habeantur. Eſ. 14: 1. *Et paſcentur primogeniti tenuium.* Reverâ enim paſti ſunt Judæi, quum vicinos populos ſub poteſtatem redegerunt. Eſ. 14: 30. *Addidiſti ad gentem, Jehovah, addidiſti ad gentem.* Eſ. 26: 15. *Et fiet, cùm avellero ipſos* (vicinos Judæis populos) *denuò miſerebor ipſorum, & reducam eos, quemque ad hæreditatem ſuam, & quemque ad terram ſuam.* Sic enim factum eſt. Non tantùm ſub Perſis & Græcis data eſt facultas omnibus gentibus redeundi ad ſua, & in terram ſuam; ſed etiam inprimis ſub Maccabæis, terras vicinorum occupantibus, ipſosque ad unitatem religionis adducentibus, licuit Ammonitis, Moabitis, &c. remigrare in terram ſuam, in viciniam Judææ, in ipſam Judæam, & in medio Judæorum habitare; quorum habitatio fuit etiam uſque ad Euphratem, imò per totum Orientem; ut liquet ex Act. c. 2. Jerem. 12: 15. *Et non erit ampliùs domui Iſraëlis ſentis amaricans, & ſpina dolorifica ex omnibus circumſitis ſuis, qui eos laniant; & cognoſcent, quòd ego ſim Dominus Jehovah.* Ezech. 28: 24. *Gaude, terra, & lætare; quia Jehovah magna effecit.* Jo. 2: 21. *Aſcendit Perfractor ante ipſos, perrumpunt* omnes anguſtias, *& tranſeunt portam, & exeunt per eam.* id eſt, Divinâ potentiâ terram ſubigunt, urbes occupant, easque retinent, ex iisque prodeunt, & in eas redeunt. Mich. 2: 13. *At illæ neſciunt cogitationes Jehovæ, & non intelligunt conſilium ejus: quòd congregaverit illas, ut manipulum in horreum. Surge, & tritura, filia Sion. Nam cornu tuum faciam ferreum, & ungulas tuas faciam æneas; & comminues populos multos: & devovebo Jehovæ quæſtum ipſorum, & opulentiam illorum Domino totius terræ.* Ubi notandum eſt, hunc Articulum poni ut certum ſignum adventus Chriſti, jam propinqui, utpote naſciturі & regnum ſuum orſuri, quum gens Iſraëlitica vicinas gentes occupâſſet, & fœderi circumciſionis adjeciſſet, ut ſcil. Chriſtus Dominus totius terræ eò uberiorem meſſem fidelium ex populo, jam portas hoſtium poſſidente, per præconium Evangelii lucraretur. Mich. 4: 12. 13. *Illo die ponam duces Judæ,* (Intellige Sacerdotes & Senatores conſtituentes Synedrium.) *ut foculum ignis in lignis, imò ut flammam ignis in manipulo, & comedent ad dextram & ſiniſtram omnes gentes circumquaque.* Zach. 12: 6. Hinc propheta ſubjectum recipiens verbum Dei indiſtinctè facit terram circumſitam: *Et prolatio verbi Jehovæ eſt circa te.* Zach. 9: 1.

§. 2. Speciatim etiam gentes deſignant prophetæ, quæ per Iſraëlitas domandæ & fœderi adjiciendæ erant. Jeremias eas complectitur hoc verſiculo: *Viſitabo ſuper omni circumciſo præputiato, ſuper Ægyptiis, & Judâ, & Edom, & filiis Ammon, & Moab, & ſuper omnibus præfectis extremitate in deſerto.* Innuit enim, ante hanc viſitationem fore, ut gentes iſtæ vicinæ redigantur in ditionem Judæorum, & circumciſionem recipiant. Jerem. 9: 25. 26. Nec obſcurum, quæ gentes intelligantur, in iſtis; *Capiam de ſemine Jacobi & Davidis ſervi mei poteſtatem habentes in ſemen*

Abra-

Abrahami, Iſaaci, & Jacobi. Promittitur enim, fore, ut principes & Seniores reip. Judaicæ Idumæos, Arabes, & alias vicinas gentes habeant in poteſtate. Jer. 33:26. Itaque Eſaias *Dumam*, filium Iſmaëlis, Gen. 25:4. & *Seïrem*, montem Arabiæ, in quo Idumæi habitabant, conjungit eo temporis articulo, quo eſt in monte Seir aliquis, qui in exſpectatione adventus Chriſti ſcrutatur, *Quantum de nocte ſuperſit?* Eſai. 21:11. Sed de ſingulis gentibus jamnunc videamus.

§. 3. Et I. de Edomo. Vetuſtiſſimum de Edomo eſt vaticinium Iſaaci, quod exſtat Gen. 27:29. *Et adorent te filii matris tuæ.* Impletum enim hoc eſt, quando Edomi reliquiis Judæ aggregatis, Chriſtus, filius Jacobi, quem adorarent, annunciatus eſt. Succinit Iſaaco Bileam: *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Seir, inimici ejus; & Iſraële faciente ſtrenuè.* Num. 24:18. Eſaias: *Ad me eſt qui clamet ex Seïre: Vigil, quid de nocte? Vigil, quid de nocte?* Scil. ſupereſt. Ex quo facilè intelligitur nationis Edomiticæ cum Iſraële conjunctio futura, dum adhuc nox eſſet, & dies appropinquaret. Eſai. 21:11. *Quis hic veniens ex Edom, fermentatus veſtes ex Botſra?* Quo ſignificatur Chriſtus naſcens & patiens eo tempore, quo populus Judaicus unus erat futurus cum Edom, & ſub regibus Idumæis. Eſ. 63:1. Ezechiel: *Idcirco ſic dixit Dominus Jehovah, extendam manum meam ſuper Edom, & exſcindam ex eâ hominem & beſtiam, & dabo eam vaſtitatem à Theman; & Dedanem uſque gladio cadent. Et dabo ultionem meam in Edom per manum populi mei Iſraël, & facient cum Edom ſecundùm iram meam, & cognoſcent ultionem meam, ait Dominus Jehovah.* Ezech. 25:13. 14. Amos: *Et immittam ignem in Theman, & edet palatia Botſræ.* Am. 1:12. *Et deſolabuntur celſa Iſaaci.* Quo utrumque populum, Iſraelem & Idumæos, innuit conjunctos in unitate politiæ. Am. 7:9. Malachias: *Quum dicet Edom, Depauperati ſumus.* Mal. 1:4.

§. 4. II. De Moabo. Ezechiel: *Et in Moab faciam judicia, & cognoſcent, quod ego ſim Jehovah.* Moabitæ enim non potuere, niſi adcorporati Judæis, cognoſcere, quod filius Dei ſit Jehovah, qui fit quod eſt. Ezech. 25:11. Amos: *Et mittam ignem in Moabum, & comedet palatia Hakkerioth: & morietur in tumultu Moab, cum clangore, cum voce buccinæ. Et exſcindam judicem è medio illius; & omnes principes ejus interficiam cum ipſo, dixit Jehovah.* Am. 2:2. 3. Zephanias: *Propterea vivo ego, ait Jehovah Deus exercituum, Deus Iſraël, quòd Moab ut Sodoma fiet, & filii Ammon ut Gomorra, diſcurſatio urticæ & fodina ſalis & ſolitudo in ſæculum. Reliquiæ populi mei prædabuntur illa, & reſiduum gentis meæ hæreditabunt ea.* Zeph. 2: verſ. 9.

§. 5. III. De Ammonitis. Præter jam citatos Jerem. 9:25. & Zeph. 2:9. videantur ſequentes: Jeremias: *Propterea ecce dies veniunt, ait Jehovah, & faciam ut audiatur apud Rabbath filiorum Ammon barritus prœlii; & fiet cumulus vaſtitatis & filiæ ejus igne incendentur: & hæreditabant ipſum: ait Jehovah.* Jer. 49:2. Ezechiel: *Et cognoſcent filii Ammon, quòd ego ſim Jehovah.* Tunc enim Deum cognoverunt, cùm Judæorum ritus & ſacra receperunt. Ez. 25:5. 7. Amos: *Et accendam ignem in muro Rabbah, & comedet palatia ejus, cum clangore in die belli, cum procellâ, in die tempeſtatis, Et ibit rex illorum in exilium, ipſe & principes ipſius pariter: dixit Jehovah.* Am. 1:14. 15.

§. 6. IV. De Palæſtinis. Eſaias: *Et paſcentur primogeniti tenuium.* Scil. per Palæſtinam; de quâ ibi eſt ſermo. Eſai. 14:30. coll. 29. Ezechiel: *Idcircò ſic dixit Dominus Jehovah, Ecce ego extendo manum meam in Palæſtinos, & exſcindam Cretæos, & perdam reliquum littoris maris. Et faciam in ipſis ultiones magnas cum redar-*

gutionibus excandeſcentiæ, & cognoſcent. quòd ego Jehovah, cùm dabo ultionem meam in ipſis. Ezech. 25: 26. 17. Amos: *Et immittam ignem in murum Gazæ, & comedet palatia ejus. Et exſcindam habitatorem ab Azoto, & tenentem ſceptrum ab Aſcalon, & referam manum meam in Accaronem, & peribunt reliquiæ Palæſtinorum; dixit Dominus Deus.* ſive *Jehovah.* Am. 1: 7. 8. Zephanias: *Nam Gaza deſerta fiet, & Aſcalon in ſolitudinem; Azotus? in meridie expellent eam; & Accaron eruncabitur. Væ ſedentibus in funiculo maris, genti Cretæorum! Verbum Jehovæ eſt contra vos, Canaan, terra Palæſtinorum: & perdam te, ut non ſit habitator. Et fiet funiculus reliquiis domus Judæ; in quibus paſcent: in domibus Aſcalonis veſperè recubabunt. Nam viſitabit illos Jehovah, & reſtituet illos in integrum.* Zeph. 2: 4. 5. 6. 7. Zacharias denique: *Videbit Aſcalon* excidium Tyri, *& timebit, & Gaza, & terrebitur admodum, quia pudefactus eſt aſpectus ejus, & periit rex à Gazâ, & Aſcalon non habitatur. Et habitabit ſpurius in Azoto: & exſcindam elationem Palæſtinorum. Et auferam ſanguines ipſius ex ore ejus & abominationes ejus ex medio dentium ejus: & ſuperſtitabit etiam ille Deo noſtro, & erit ut dux familiæ in Judâ, & Accaron ut Jebuſæus.* Zach. 9: 5. 6. 7.

§. 7. V. Denique de Septentrionalibus, Syriâ & Phænice; & nominatim Damaſco, Antiochiâ, Tyro & Sidone, illuſtris exſtat prophetia apud Zachariam: *Prolatio verbi Jehovæ eſt in terrâ circa te; & Damaſcus*, metropolis Syriæ, atque ita totum regnum Syriæ, *erit requies ejus.* Verbum hoc requieſcet in Damaſco. *Nam Jehovæ eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſraelis.* h. e. Dominus ſibi vendicat fidem, amorem, reverentiam tùm gentium (quæ nil niſi Homines) tùm omnium tribuum Iſraëlis. quæ ſcil. in illis partibus diſperſæ. *Atque etiam Chamath*, altera urbs primaria Syriæ, ſive ea Epiphania, ſive Antiochia; quam tamen alii Riblatham priùs fuiſſe exiſtimant, *terminum habebit in eâ.* Scil. requie verbi Domini. Chamatha accenſebitur terræ ſanctæ, & loco requietis verbi Domini. *Tyrus & Sidon.* Metropoles quaſi Carthaginienſium & Græcorum. Etiam in illis vult Deus eſſe requiem & domicilium verbi ſui & populi ſui. *Quia valde ſapiens evaſit.* Scil. ut Deus eludat ſapientiam hominum, quâ illi ſe muniunt adverſus Deum & regnum ejus. Zach. 9: 1. 2. Sic & de adductione Tyri ad communionem ſortis ſanctorum, tanquam ſpecimine vocationis gentium, agitur Pſalm. 45: 13. *Et, filia Tyri, cum munere ſupplicant tibi divites populi.* Pſalm. 87: 4. *Faciam in memoriâ eſſe Rahab* i. e. Ægyptum, *& Babylonem cognoſcentibus me: ecce Palæſtinam & Tyrum cum Æthiope; qui natus eſt ibi.* Et Hoſ. 9: 13. *Quando vidi Tyro plantatam* filiam, h. e. cœtum filiorum, *in ovili.* ſive in habitaculo aut paſcuo Dei.

§. 8. Hiſtoria horum omnium, inprimis poſt mortem Antiochi Pii vel Sedetis, eſt hæc. Joſephus Ant. l. 13. cap. 23. *Per hæc tempora* (Intell. ſub Alexandro Jannæo) *jam Syrorum & Idumæorum & Phænicum urbes tenebant Judæi: ad mare Stratonis turrim, Apolloniam, Joppen, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocuram. In mediterraneis per Idumæam regionem Adora & Mariſſam, totamque Samariam & montes Carmelum ac Itabyrium. ad hæc Scythopolin,* (quæ eſt Bethſan) *Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala, & Moabiticas urbes, Eſebonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem Cilicium, Pellam. Hanc ultimam diruerunt, quòd incolæ recuſarent Judaicos ritus recipere. Poſſidebant & alia Syriæ non obſcura oppida, quæ imperio ſuo noviter adjecerant.* Sic Juſtin. lib. 36. *Judæorum vires tantæ fuere, ut poſt hunc* (Antiochum Pium vel Sedetem) *nullum Macedonum regem tulerint, domeſticiſque imperiis uſi Syriam magnis bellis infeſtave-*

ſtaverint. Strabo lib. 36. Καὶ τῆς Συρίας κατεστρέφοντο καὶ τῆς Φοινίκης πολλήν. In ſpecie verò de Idumæis hæc Joſephus: *Johannes Hyrcanus, Simonis Maccabæi filius, Idumæam occupavit, & iis edixit, ut circumciderentur, niſi vellent è propriis pelli ſedibus. At illi amore patriæ admiſerunt & circumciſionem, & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formulam, atque ex eo inter Judæos recenſeri cœperunt.* Ant. l. 13: c. 7.

§. 9. De Moabo præter ſuperiora idem narrat, Medabam Moabitarum civitatem ab Hyrcano Simonis filio fuiſſe expugnatam; Ant. l. 13: c. 17. Facit & Moabitarum mentionem; cap. 21. & 22. Ubi narrat, Alexandrum coactum fuiſſe loca in Moabiticâ reſtituere Arabibus. Et lib. 14. cap. 2. enumerantur duodecim civitates, quas Hyrcanus ſecundus promiſit Aretæ ſe reſtituturum, ſi ab eo in regnum, ex quo Ariſtobulus eum expulerat, reſtitueretur. Denique & Judæos habitâſſe in Arabiâ, & ſic Moabitide, juxta Art. XXI. ſup., patet ex Gal. 1: 17.

§. 10. De Ammonitis à Judæis occupatis, nihil quidem in ſpecie Joſephus. Conſtat tamen, poſt reductionem Judæorum in terram, Ammonitidem fuiſſe poſſeſſam ab Arabibus, & partem Arabiæ fuiſſe. Et Joſeph. Ant. lib. 12. cap. 12. ſub nomine Arabum indigitat Ammonitas ultra Gileaditiden habitantes; ut patet ex fine cap. 11. Jam verò de Judæis conſtat ex paulo ante dictis, quod in Arabiâ, ſaltem Synagogas habuerint. Sed & Arabum rex Aretas tempore Pauli non parvam Damaſci auctoritatem obtinuit. 2 Cor. 11: 32. Act. 9: 24. 25.

§. 11. De Palæſtinis. præter jam dicta, nominatim refert Joſephus, quòd Gazam expugnaverit Alexander Jannæus; Ant. lib. 13.

§. 12. De urbibus Syrorum ex Joſepho cognovimus ante. Sed & Alexandra uxor Alexandri ſive Jannæi, qui ſucceſſit Ariſtobulo fratri, filius Johannis Hyrcani, nepos Simonis, qui poſt Judam & Jonatham fratres rerum ſummæ præfuit, Illa, inquam, Alexandra, Damaſcum cepit. Joſ. 6. Jud. lib. 1. cap. Conſtat etiam, Damaſcum fuiſſe Synagogis plenam tempore primæ prædicationis Euangelii, & cum eâ libertate, ut vinciri quos vellent, jubere poſſent Sacerdotes: Ibidemque Eccleſiam fuiſſe, ex Act. 9: 2. 19. 24. 25. 2 Cor. 11: 32. Ubi ἐθνάρχου mentio, qui Judæis videtur fuiſſe. Gal. 2: 17.

§. 13. Antiochiam conſtat fuiſſe primam ſedem Chriſtianorum, (ſic enim ibi nominati ſunt) & inde Apoſtolum Paulum profectum eſſe, & eò aliquoties rediiſſe.

§. 14. Apud Tyrios & Sidonios potentia Judæorum temporum Apoſtolorum non fuit ἀκαταφρόνητος. ut apparet ex Act. 12: 20.

§. 15. Quibus adde, quòd & Ægyptus ipſâ atque Æthiopia ab una parte, ab alterâ Babylon, Judæis ubique habentibus, imperii hujus magnitudinem ſentirent. Quo reſpexit Propheta, Pſalm. 87: 4. *Faciam in memoriâ eſſe Rabab*, i. e. Ægyptum, *& Babylonem cognoſcentibus me ... cum Æthiope, qui natus eſt ibi.* Nec abludit hiſtoria. Nam & Cuſchæorum proſelytorum mentio eſt in Actis; & tempore Petri, ut Eccleſia, ita etiam hoſtes Eccleſiæ Judæi, fuerunt Babylone. 1 Pet. 5: verſ. 13.

§. 16. Sic itaque amplificatis Judæorum rebus, accepit populus Judaicus inſtar *Montis in agro.* id eſt, populi eminentis ſupra omnes populos. Jer. 17: 3. Et habitabat jam populus atque imperabat *à mari* rubro *uſque ad mare* Philiſtæorum (Exod. 23: 31.) *& à fluvio* Euphrate (Exod. l. c. & Deut. 11: 24. Conf. Gen. 15: 17.) *uſque ad terminos terræ.* Ut ita Chriſtus, cujus jam regnum appropinquabat, & cujus hæc ipſa amplificatio erat ſignum adventus. Num. 24: 18. 19. Geneſ. 17: 8.

 poſſet

poſſet dominari à mari ad mare, & à fluvio uſque ad terminos terræ. Pſalm. 72: verſ. 8.

§ 17. Quia verò cum populis devictis etiam mores ipſorum plerique, tàm hujus, quàm ſequentium ætatum, Judæi adſciverunt, & peccata imitati ſunt; ideò ab hoc tempore populus Judaicus nominibus iſtorum populorum deſignatur in prophetiâ; atque ita deinceps & *Edom*, Eſai. 34: 5. 63: 1. Jerem. 49: 7. & ſeqq. Thren. 4: 21. 22. Ezech. 35: 2. Et in Obadiâ. Et ſic Judæa *Mons Seïr*; Eſai. 21: verſ. 11. Ezech. 35: 2. Et Hieroſolyma *Botſra*; Eſai. 34: 6. 63: 1. Jer. 49: 22. Item *Moab*; Eſai. 16: 6. & ſeqq. Jer. 48: 29. & ſeqq. *Vitis Sibma*; Jer. 48: 32. & Hieroſolyma *Cheſbon*; Ibid. verſ. 45. & *Kircheres*; Ibid. verſ. 31. 36. *Ammon* quoque; Ezech. 21: 33. Et ſic Jerem. 49: 3 — 5. Et *Palæſtina*; Eſai. 14: 31. Et *Babel* denique; Jerem. 50: 21. coll. verſ. 1. Sicut & Judæa ipſa à ſcriptoribus poſt hæc tempora Idumæa, & Palæſtina, nominatur.

§. 18. Notandus autem hic Articulus, quia ſpeciale ſignum continet Chriſti jam appropinquantis, indice prophetiâ. Ita enim eſt Num. 24: verſ. 18. 19. *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Seïr, & Iſraële faciente ſtrenuè. Et dominabitur aliquis è Jacobo.* &c. Item Eſai. 63: verſ. 1. *Quis hic veniens ex Edom, fermentatus veſtes ex Botſrâ? Ego, qui loquitur in juſtitiâ, multus ad ſalvandum.* Et Mich. 4: 13. *Surge, & tritura, filia Sion. Nam .... & comminues populos multos; & devovebo Jehovæ quæſtum ipſorum, & opulentiam illorum Domino totius terræ.* Et Zeph. 2: 11. coll. 4 — 10. Ubi conjungitur manifeſtatio Jehovæ apud populum ſuum ei tempori, quo Palæſtina & Moabitis erit hæreditas Judæorum. Ita enim propheta: *Reliquiæ populi mei prædabuntur illa...* verſ. 9. *Timendus Jehovah ſuper ipſis erit.* &c. v. 11. Item Zeph. 3: 5. 6. *Jehovah juſtus in medio ejus erat... Excidi gentes, deſolati ſunt anguli illarum; deſolavi vicos earum, ne eſſet, qui tranſiret: Devaſtatæ ſunt urbes earum, ne eſſet vir, ne eſſet incola.* Similia plura paſſim occurrunt.

ARTICULUS CXXII.

NEc tantùm armis, & vi bellicâ, ſed etiam ſermonibus ac vi demonſtrationis, Judæi plurimos exterorum eò adduxere, ut circumciſionem & legem Moſis admitterent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Quod Spiritus prævidens futurum, orationem ab Iſraële habendam ad gentes, in quarum medio habitabat, vel quas ſubjngabat, quâ illæ converterentur ad Deum, ipſi præformat. Typus hujusmodi orationis exſtat Pſalmo 147. verſ. 1 — 11. Eſt in eo I. Parænefis obliqua, quæ fit exemplo ὁμολογίας agnoſcentium verum Deum apud alios omnes; cujus ſcopus eſt, ut Deus verus Iſraëlis ab omnibus agnoſcatur & celebretur. verſ. 1 — 6. Eſt autem iſta: *Celebrate Jehovam: quia bonus eſt. Cane Deum noſtrum, quia ſuavis, decora eſt celebratio.* Convenit hæc oratio Iſraëli nuper liberato à captivitate Babylonicâ ad gentes, in quarum medio habitabat. verſ. 1. *Ædificat Hieroſolymam Jehovah, exules Iſraelis colligit.* verſ. 2. *Qui ſaniat contritos corde, & obligat dolores illorum.* verſ. 3. Ita confirmatur oratio ad gentes habita, quâ illæ excitantur ad celebrandum Deum Iſraëlis, à potentiâ exercitâ erga Eccleſiam Iſraëlis in miſericordiâ. *Qui numerat numerum ſtellis omnibus*

bus indit nomina. id eſt, dat ipſis uſum & miniſterium, lucem ſuam caloremque proprium, quo noſcerentur, & locum, partim varium, ſed certis regulis adſtrictum, partim invariatum; cuique in ſuâ claſſe & turmâ, in quâ cenſeri ac nominari poſſunt. vers 4. *Magnus eſt Dominus noſter & amplus viribus, & prudentiæ ejus non eſt numerus.* vers 5. Hiſce confirmatur paræneſis à ſupereminentiâ ſupra Deos gentium. *Statuminat manſuetos Jehovah*; ut inprimis ſpectatum ſub Antiocho. *humiliat improbos terræ.* ut Aſſyrios, Perſas, Macedones, Syriæ regem Antiochum Magnum, & Epiphanem, &c. vers 6. Sic confirmatur paræneſis à potentiâ exercitâ in judicio.

§. 2. II. Paræneſis directa, quâ omnes non adhæreſcentes Deo excitantur ad confitendum Deo. vers 7 —— 11. *Reſpondete Jehovæ*, multis beneficiis præeunti, *in confeſſione*, *canite Deo noſtro cum citharâ.* vers 7. Hæc propoſitio. Sequitur confirmatio. 1. A generalis providentiæ beneficiis: *Qui operit cœlos nubibus, & aptè dat terræ pluviam: qui facit montes germinare gramine.* vers 8. *Dat pecudi cibum ſuum, filiis corvi, qui clamitant.* vers 9. 2. A vilitate altitudinis humanæ coram Deo. *Non prævalentiâ equi delectatur, neque grata habet crura viri.* vers 10. Quamvis enim hæc ſuo loco hominibus utilia eſſe poſſint, non tamen ſunt habenda pro iis, quæ Deo grata ſunt, quaſi illarum rerum oſtentatione colatur. Quali oſtentatione apud Græcos in Olympiacis, Iſthmicis, Nemeis certaminibus, apud Romanos in ludis theatralibus, Dii illorum colebantur. Quod & Hebræi voluerunt imitari, qui *γυμνάσιον* ædificarunt; ut patet ex Joſ. lib. 12. Ant. & 1 Macc. 1: 14. *Gratos habet Jehovah timentes ſe, ſperantes ad gratiam ſuam.* vers 11. Hoc ſolo ſc. diſtinguitur Deus Iſraëlis ab omnibus Diis gentium. Solus enim teſtatus eſt, ſe gratiam exercere velle cum peccatoribus, & eos ab exſecratione redimere, & juſtitiam illis procurare, & gratiam ſuam ſervare amantibus ſe. Igitur hoc eſt ſacrificium, quod ipſi placet, cum timore & reverentiâ audire verbum ejus, ipſi gloriam dare, & tantam ſalutem non adſpernari; ſed in exſpectatione gratiæ ipſius, & propter gratiam promiſſam eum amare.

§. 3. Eſaias quoque futurum tale præconium Iſraëlitarum ad gentes, poſtquam reducti eſſent in terram, ita ſignificat: *Exite de Babylone, fugite ex Chaldæa in voce cantus: indicate, prædicate hoc.* inter gentes, per quas diffuſi eſtis, quòd nempe fueritis captivi in Babylone, & Cyri ſententiâ ſecundùm prophetias inde ſitis liberati, & hæreditatem patrum veſtrorum obtinueritis. Eſ. 48: 20. Et Ezechiel idem innuit, ubi *narraturos* converſos & conſervatos Iſraëlis *omnes abominationes ſuas in gentibus* prænuntiat; & quidem eo cum effectu, *ut & ipſæ gentes cognoſcant, quia ſit Jehovah.* Ez. 12: 16.

ARTICULUS CXXIII.

Ariſtobulus filius Hircani, expletis annis, poſt reditum in terram, ut Joſephus annotat Ant. l. 13. cap. 19. quadringentis octoginta & uno, tribus menſibus, ſumto diademate, rempublicam Judaicam ad faſtigium regiæ majeſtatis extollit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hoc diademate & regno clarè vaticinatur Ezechiel, ubi poſt ablationem regni à domo Davidis, prædictam verbis: *Auferam cidarim, & tollam coronam;*

Aliam

Aliam quandam *coronam* ſpectandam exhibet, *antequam adveniat is; cujus eſt judicium.* Ezech. 21: 31 32. Nulla enim alia corona hîc poteſt intelligi, quàm intermedia illa, quæ fuit Haſmonæorum. Innuit idem regnum Eſaias, cap. 3. verſu 4. *Et dabo adoleſcentes principes ipſorum, & pueri dominabuntur eis.* Ita ſcil. factum eſt, Maccabæis ſe in reges extollentibus. Pueri enim in illâ dominatione & fœminæ regnarunt. Item ubi poſt quietem & pacem populo à calamitatibus, preſſurâ, perſecutione, & conculcatione, conciliatam & confirmatam, mentio fit *palmitum generoſorum, qui dominos gentium contuderunt.* Eſ. 16: 8. Intelliguntur enim per *palmites* baculi, ſive ſceptra dominantium. Vid. Ezech. 19: 14. Ezechiel quoque, ubi tempore illo, quo prædicit fore, ut *in Dei reconditum*, id eſt ipſum ſanctum ſanctorum, *intrent violenti*, latrones & prædones, ut Pompejus; c. 7: 27. ob publicas calamitates *Regem* ipſum *futurum mœſtum* denunciat, *principem attonitum, & populum conſternatum* vers 27. Item Amoſus, quando ſub domo ſecundâ facit mentionem *Regni*, quod vocat *peccaminoſum*; ſive illud Haſmonæorum, ſive Herodiadarum, fuerit. Zacharias denique, ubi de decretâ in habitantes terram pœnâ agens, inter alia vindictam exercendam oſtendit per *Regem* ipſorum. Ubi primò Haſſamonæi poſſunt intelligi, deinde Herodes, denique & Romani, ſecundùm illud: *Non habemus regem niſi Cæſarem.* Zach. 11: 6.

§. 2. Altitudo tribuitur huic coronæ Ezech. 21: 31. *Quæ humiliata eſt*, per ablationem ejus à populo ſemel factam, *exaltando exaltabo.* Quia nim. hæc corona fuit conceſſa populo, ut ſignum & argumentum, quòd Deus ipſos liberâſſet à jugo gentium; quòdque ipſos *majores feciſſet patribus ſuis*; Deut. 30: 5. Et *in ſtaturam proceram erexiſſet*; Jerem. 30: 17. Majorem enim fuiſſe populum, etiam quoad hanc coronam, patribus ſuis, ex hactenùs demonſtratis eſt conſpicuum. Fuit enim hoc regnum cum majori gloriâ, quàm ſub priori templo; quia in totam terram, & in populum Idumæum, & Syriam, & Palæſtinam, & in populum XII. tribuum ita multiplicatum, & per colonias regnis vicinis mixtum, inque omnibus civitatibus partem reipublicæ obtinentem, & in proſelytos ex gentibus innumerabiles.

§. 3. Non tamen datam eſſe hanc coronam populo, ut eâ oblectarentur, quaſi cum hâc datum eſſet regnum Iſraëli promiſſum, ſimul indicat prophetia, cùm dicit, quòd *hæc* corona *non ſit ea.* quæ ſcil. promiſſa eſt; & quòd *in nihilum exſtitura.* antequàm veniret, cui erat dandum judicium. Ezech. 21: 31. 32. Quin imò ex locis ſuprà citatis intelligi poteſt, regum vel regni, niſi cum connotatione peccati vel pœnæ, vix fieri mentionem in hujus temporis prophetiâ.

ARTICULUS CXXIV.

DUm hæc in Judæâ & vicinis regionibus & regnis geruntur, populus Romanus per orbem legiones ſuas ductat; iisque tanquam equis imperium ejus, gubernatum à multis, videlicet Senatu populoque Romano, aurigis Conſulibus, vel etiam Principe, tanquam currus quidam triumphalis, trahitur per Aſiam, Africam, Græciam & Europam, parteſque annexas: Donec tandem, profligatâ vi regnorum gentium, de quibus ſupra Art. LXV. &, ut ait Vellejus, Antiocho (Magno) Syriæ, & Philippo Macedoniæ, regibus debellatis, ſuprà Art. XCI. adde, & Ægyptiis ad ſummam impo-

tentiam redactis, ſup. Art. XCV. Summa rerum ad populum Romanum pervenit, & quarta à Babylonicâ, de quâ ſup. Art. I. Monarchia, conſtituta eſt.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De populo Romano legiones ſuas per orbem terrarum ductante, & unam provinciam poſt aliam, unum regnum poſt aliud debellante & delente, eſt apud Michæam: Qui, poſtquam egiſſet de ſubjugatione gentium vicinarum per Iſraëlitas: *Nunc ducta legiones*, inquit, *filia legionum*. Mich. 4: 14. De *curru* illo triumphali, *& victoribus ejus* prophetat Haggæus, ubi currum illum, poſt *profligatam vim regnorum gentium*, in ſcenam introducit. Hagg. 2: 22. De *quartâ Monarchiâ* ſic conſtitutâ expreſſe loquitur Daniel; ubi per *crura pedesque*, quartam regionem corporis humani, in coloſſo Nebucadnezari monſtrato eam docet figuratam. Dan. 2: 33. 40. Et ſub nomine *Regis* eandem poſt Seleucidas & Lagidas indigitat Dan. 11: 36. Addatur Vellejo & Florus, l. 2. c. 8. Initio.

§. 2. Zephanias, quod erat, *congregatas gentes, & regna ſociata* in unum imperium, quaſi periphraſin, appellat. Zeph 3: 8. Et talem congregationem ſupponit Habaccuc, ubi Deum *vidiſſe & ſolviſſe gentes*, priùs ſociatas, indicat. Hab. 3: 6. Zacharias denique ſub emblemate *equorum rubrorum* poſt *grandinatos* illos, de quibus ſup. ad Artic. LXV., ſubmiſſorum, hanc Monarchiam repræſentat. Zach. 6: 7. 1: 8.

§. 3. Hoc imperium, & hunc populum, cum curâ quâdam ac diligentiâ deſcribit prophetia. Eſaias illum depingit 1. A loco, ut *longinquum*, & *à fine terræ* advenientem. *Et ſuſtollet ſignum gentibus longinquis, & ſibilabit illi à fine terræ*. Eſ. 5: 26. Romani enim ad ultimum Oceanum, inque ipſam adeo Britanniam, imperii ſui limites extenderunt. 2. A velocitate adventus. *Et ecce feſtinanter velox adveniet*. Ibid. Utut enim remotus ut mox apparebit, obſidione cinxit populum, & proximus factus eſt. 3. Ab ἀκαμασίᾳ, itemque ſtrenuitate & vigilantiâ. *In quo non eſt defeſſus aut labans; qui non dormitat, nec dormit; cujus cingulum non ſolvitur, & non rumpitur corrigia calceamenti ejus*. vers 27. 4. Ab apparatu: *Cujus ſagittæ acutæ ſunt, & omnes arcus ejus contenti; ungulæ equorum ut rupes æſtimantur; & rotæ ut procella*. vers 28. 5. A terribilitate: *Cui rugitus eſt, ut Leonis; rugit, ut juvenes leones*. vers 29. p. pr. 6. Denique à ſucceſſu perpetuo. *Et fremit & arripit prædam; & aufert, & non eſt, qui eripiat*. vers 29. p. alt. Eſt, ubi ſub imagine *Fumi* eundem populum, & imperium ejus exhibet: Quia per incendia regnorum & populorum graſſati ſunt, & quia vaſtum fuit imperium magnâ mole, ut fumus in altum ſurgens. Fumi autem *venientis ab Aquilone*. Omninò enim Romani magis ab Aquilone domi-b ntur. Eſ. 14: 31.

§. 4. Horum *Legiones* idem vocat מוֹעָדִים; eisque attribuit fortitudinem & diſciplinam: *Et non eſt ſolivagus* (λειποτάκτης) *in conſcriptis* legionibus *ejus*. Ibid.

§. 5. Ezechiel, ubi *Filium Dei dediſſe gladium*, quendam *exacuendum* Græcis, à Romanis verò *apprehendendum*; Ez. 21: 16. hunc gladium deſcribit, ut *valde acutum*, & *valde fulgentem*, ut *coruſcet*. id eſt valdè terribilis ſit in toto mundo. Ibid. vers 14: 15. Hunc futurum *ſceptrum Filii Dei*. ex Pſ. 2: 7. 9. & *ſpreturum omnem arborem*. id eſt, exciſurum omnem procerum in mundo; & inprimis omne id, quod eminebat in populo Dei. Ibid. vers 15. Ita enim propheta: *Fili hominis, propheta &*

dic: Sic dixit Jehovah: Dic, gladium, gladius exacutus eſt, atque etiam perpolitus. verſ. 14. *Ad mactandum mactationem exacutus eſt, ut ſit ipſi coruſcatio, perpolitus eſt.... virga Filii mei ſpernens omnem arborem.* vers 15. *Et dedit illum ad poliendum, ad capiendum manu; ille exacutus eſt gladius, & ille politus eſt, ad dandum illum in manus occidentis.* vers 16.

§. 6. Daniel *robuſtum ut ferrum* vocat *hoc imperium, quia inſtar ferri, quod comminuit & debilitat omnia, omnia comminuit.* Seleucidas enim & Lagidas in Oriente & Ægypto ſubegerunt Romani; Perſas ſæpe contuderunt; ipſos Judæos denique, eorumque templum & urbem à nemine hactenùs comminuta, ſubegerunt ſuo tempore & comminuerunt. Dan. 2: 40. Eidem hic *populus principis advenæ* appellatur, quia erat principis, qui advena eſſet, & non ex Judæis; & qui tamen eſſet adventurus ſive intraturus, & Judæos ſub poteſtatem habiturus. Dan. 9: 26.

§. 7. Succeſſum ejuſdem populi & Regis exteri idem ſic denotat: *Et faciet pro voluntate ſuâ Rex.* Dan. 11: 36. Tùm & *ἔπαρσιν* ejuſdem notat, ſive ſuperbiam & elationem plus quàm humanam. *Et efferet ſe, & magnificabit ſe ſupra omnem Deum,* vel *Dynaſtam.* Conceperunt enim Romani altiſſimos ſpiritus. Vid. Flor. lib. 2. cap. 19. Imò extulerunt ſe ſupra omnes reges & dynaſtas; & conſtituendæ religionis, Deorumque fingendorum, admittendorum, vel excludendorum poteſtatem ſibi ſumſerunt: Urbem, atque Principes, templis & aris honorârunt: per genium Principis jurârunt: eoſdemque poſt mortem in numerum Deorum retulerunt. Dan. loc. cit.

§. 8. Zachariæ *Equi*, poſt grandinatos emiſſi, *rubri* apparuere. Quo ſanguinolentia hujus populi deſignabatur. Zach. 6: 7. 1: 8. Itaque in Apocalypſi *Draconi ruſo* Imperium Romanum aſſimilatur. Non tantùm quia ſolent magna imperia in mundo per emblemata beſtiarum & Draconum aquatilium vel reptilium repræſentari. Vid. Eſ. 27: 1. Ezech. 29: 3. Sed etiam quia Diabolus, qui larvam ſerpentis in paradiſo aſſumſerat, in imperio Romano ab hoc tempore poteſtatem ſuam, tùm ad ſeducendum gentes, tùm ad nocendum Eccleſiæ, exercuit. *Rufus* autem hic Draco à ſanguinis effuſione appellatur. Apoc. 12: 3.

§. 9. *Septem capita*, id eſt ſeptem magnæ regiones, Ibidem huic *Draconi* adſcribuntur, ita numeranda; Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Syria, Aſia, Græcia: Quibus cæteræ provinciæ ut appendices, facilè poſſunt accenſeri. Apoc. 12:3.

§. 10. Quod geminum vel diviſum hoc Imperium per duo *crura* repræſentetur, ſignificare poteſt duas quaſi ejuſdem Imperii partes, vel duo Imperia, unum in Oriente; alterum in Occidente; & duas metropoles, Romam & Byzantium, ſuo tempore in eo exſtitura. Dan. 2: 33.

ARTICULUS CXXV.

EXeunt Romani, jam Divinitus evocati, Art. præced. Mich. 4: 14. & quaſi de induſtriâ vellent Judæam habere in poteſtate, occupatis aut domitis vicinis, eam obſident.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hoc exitu & conatu Romanorum eſt apud Zachariam: *Et rubri exibant, & quærebant ambulare in terrâ.* Zach. 6: 7. Factum id ab illo tempore, quo Romani rebus Macedonicis ſe implicuerunt: ut quum Æmilius Antiocho Magno regeſſit probrum;

probrum; ſup. Art. xc. & xci. Quum naves Chittææ cum legatis Romanorum, nominatim Popilio Lænate, venerunt ad Antiochum Illuſtrem; ſup. Art. cviii. Quum Romani fœdus fecerunt cum Judæis, eoſque contra vim Seleucidarum defendendos ſuſceperunt; Art. cxvi.

§. 2. De obſidione quaſi terræ ſanctæ Michæas vaticinatur, poſtquam Romanos, filiam legionum, evocaſſet: *Obſidium poſuit circa nos!* Mich. 4: 14. Factum hoc, quum Romani Aſiam teſtamento Attali donatam occuparunt. Juſtin. lib. 26. ad finem. Quum deinde bello Mithridatico per totum Orientem, ſecuti Armenios; inde in Septentrionem per Colchos, Iberos, & Albanos; inde in meridiem verſo agmine, Libanum Syriæ, Damaſcumque transgreſſi, per Ægyptum, & Arabiam, arma victricia circumtulerunt. Flor. lib. 3. cap. 5. ad f. Hinc Romani, Judæis circumpoſiti, *vincula ipſorum* appellantur, Eſai. 28: 22. Et Ezechiel hanc obſidionem deſignat in emblemate *adventus ſex virorum à plagâ* mundi *Septentrionali, cum inſtrumentis diſſipatoriis in manibus ipſorum.* id eſt, omnis exercitus Angelorum noxiorum venientium cum turmis populorum, per quos Hieroſolyma erat exſcindenda, atque ita eam primò obſidentium. Ez. 9: 2. 3.

ARTICULUS CXXVI.

Tandem etiam, datâ Romanis occaſione terram redigendi in poteſtatem, perambulant eam. Ut quum, Pompejo arbitro electo inter Ariſtobulum & Hyrcanum, de principatu inter ſe decertantes, Pompejus urbem obſedit, & expugnavit, templum intravit, atque ita ſanè intima terræ, ipſa adyta, perambulavit, regnum Hyrcano abſtulit, & Hieroſolymam tributariam populo Romano fecit. Joſ. Ant lib. 14. cap. 4. 5. 6. 7. 8. Vid. & Appian. in Syriacis, p. 119. Edit. Steph. Gr. Lat.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Sic expreſſè Zacharias: *Et dixit* equis illis rubris quærentibus ambulare in terrâ: *Ite, ambulate in terrâ. Et ambulârunt in terrâ.* Zach. 6: 7. *Hi ſunt*, (equos illos rufos inter alios indigitat, ex verſ. 8.) *quos miſit Jehovah ad ambulandum in terrâ.* Zach. 1: 10. Itaque impletum eſt vaticinium Bileami: *Et naves juxta Chittæos venient ... & ſubigent Heberum.* Romani Judæos ſcil. Num. 24: 19.

§. 2. De occaſionibus omnibus præbitis Romanis ad occupandum terram, intelligendus eſt Eſaias in hiſce: *Suſtollet ſignum gentibus longinquis*, invitando per occaſiones, *& ſibilabit Illi.* δεικτικῶς. nempe populo principis intrantis, incitando illum per occultam ſuam providentiam. Eſai. 5: 26.

§. 3. De ſanctuario nominatim per Romanos viſitando eſt apud Ezechielem, ubi inter alia, quæ ſub Romanis futura ſint terræ mala, denunciat Spiritus, fore, ut id, quod in terrâ Judæi habebant ſplendidiſſimum, putà templum, *quod in erectionem ſibi poſuerant, ornamentum* Iſraëlis, *ipſis cedat in menſtruum.* Ezech. 7: 20. Deum enim illud *traditurum diripiendum alienis, & improbis terræ in ſpolium, &* hoſce *profanaturos illud.* Ibid. verſ. 21. Nominatim autem *profanaturos Dei reconditum.* id eſt ipſum Sanctum ſanctorum, *dum in illud ſint intraturi violenti.* prædones & latrones; qualis fuit Pompejus: qui etiam hujus profanationis pœnas tulit, quando in ipſo littore Palæſtinæ occiſus eſt. verſ. 22.

§. 4. De regno Haſmonæis auferendo ſic prophetat Ezechiel: *Hæc ea non eſt. .... Etiam hæc nihil exſtitit.* Ezech. 21: 31. 32. conf. ſup. Artic. CXXIII. Et huc pertinet illud Eſaiæ: *Nam ager Cheſbon languens, vitis Sibmæ*, (maximè dicitur vitis languere, quando non ampliùs profert palmites) *cujus generoſi palmites dominos gentium contuderunt.* Eſai. 16: 8. Item quòd ſic per ſublationem coronæ à populo *currus & equi*, id eſt poteſtas belligerandi ex terrâ cœperit exſcindi. Zach. 9: 10. Ut hic exemplum habeamus ejus, quod dicit Pſalmus 29. verſu 5. *Vox Jehovæ frangit cedros. Et fregit Jehovah cedros Libani. Libanus* enim Hieroglyphicè notat politiam Iſraëlis, & *cedri* principes in eâ politiâ unctione Dei inſignes.

§. 5. De Hieroſolymâ factâ Romanis tributariâ intelligendus eſt Eſaias, ubi poſt captivitatis & ſervitutis gentium ſolutionem, & poſtquam Aſſyrii & Babylonii *pro nihilo contra jus eum rapuerant*; *populum Dei gratis acceptum* à Romanis conqueritur, *principibus* propter imminuta bona terrena *ejulantibus.* Eſai. 52: 5. Intelligi etiam poteſt, quod denunciat Ezechiel: *Emptorem non gaviſurum* ob acquiſitam poſſeſſionem, neque *venditorem mæſtum futurum*, quòd hæreditate careat: Omnes enim prædiis ſuis carituros. Ezech. 7: 12. Ideo addit, *vendentem non reverſurum ad* avita prædia ſive *agros venditos*, interim *dum vita illorum eſt in vivis.* id eſt, dum vitam ſuam ut ſpolium auferunt. Sic itaque Judæi, poſtquam educti ex populis, & collecti ex terris, excandeſcentiâ effuſâ in gentes, in quas fuerant deducti, paulo momento iterùm *introducti ſunt in deſertum populorum.* Judæâ ſcil. factâ parte ditionis Romanorum, & Judæis partim in terrâ, partim extra eam inter medios gentiles paſſim habitantibus. Ezech. 20: 35. Quomodo & Eſaias facit mentionem populi *in deſerto* conſtituti; Eſai. 40: 3. Ubi tanquam circumſtantia temporis, quo *vox præconis*, Joh. Baptiſtæ, præcurſoris Chriſti, erat exſtitura, id notatur.

§. 6. Et Divino judicio *Equi* illi, poſt grandinatos exeuntes, *rubri*, id eſt ſanguinarii exiſtere populo; Zach. 6: 7. & Judæi ex captivitate Babylonicâ Hieroſolymam reducti, iterùm *igne comburi.* id eſt, Divinis plagis per Romanos affici, cœpere. Ez. 15: 7.

§. 7. Quanquam ſanè Judæis non invitis, imò ad ipſorum voluntatem ac petitionem, id factum fuerit, ut Romani ſe rebus ipſorum immiſcerent & correctis quidem, ſed ex voto Judæorum, politicis erroribus, quem ferè ipſi vellent, ſervatâ ſemper *αὐτονομίᾳ*, ſtatum reipublicæ darent.

§. 8. Et de Pompejo quidem à partibus advocando, emphatica exſtat prophetia apud Ezechielem, ubi poſtquam ſcortationes & judicia Oholæ & Oholibæ explicuiſſet ſeorſum, de ſcortatione ipſarum, in unum reipublicæ corpus poſt captivitatem Babylonicam conjunctarum (Suprà Art. XLV.) agit ſimul; & ſcortationem hanc ſic graphicè deſcribit: *Imò etiam mittebant ad viros venientes de longè*, (conf. ex ſup. Art. CXXIV. deſcriptio Romanorum, quæ eſt Eſai. 5: 26.) *ad quos legatus miſſus eſt; & ecce venerunt, quibus te laviſti; fucâſti oculos tuos, & ornâſti te.* Ezech. 23: 40. *Et conſediſti* (tanquam meretrix) *in lecto honorato, menſa parata coram te, ſuper quâ ſuffitum meum & oleum meum poſuiſti.* Significat, quòd ſeſe oſtentaverit cum omnibus ſuis ceremoniis in monte templi & atrio domus Dei, ante altare Dei, & voluerit videri habere Deum ſuum, quemadmodum ſingulæ gentes ſuum. verſ. 41. *Et vox multitudinis tranquillæ in eâ, & ad viros, præ multitudine hominum, adducuntur Sabæi ex deſerto: & dederunt* (hæ fœminæ) *armillas in manus ſuas, & coronam decoris in capita ſua.* Significatur, quòd venientibus illis viris è longinquo, & Sabæis ex deſerto, extiterit multitudinis felicis, nullumque metum habentis,

vox

vox & congratulatio; quòdque his ſe ornaverit tanquam armillis & coronis. Et ſic ſanè Romani Ægyptum & finitima, inter quæ Arabes & Sabæi, tenentes, rebus illic compoſitis, reverſi, obiter Judæam viſitarunt, ab ipſis Judæis advocati. verſ. 42. *Et dixi: Vetulæ mœchatio?* Miratur Deus, quòd Hieroſolyma, quæ tot jam ſæculis habuiſſet notitiam ſui, & ſemper à Deo fuiſſet defenſa, novos amicos, nova tutamina, quæreret. *Nunc fornicabuntur fornicationibus ejus, etiam illius?* Miratur item, quòd cum illâ fornicaturi eſſent etiam illi. verſ. 43. *Et ventum eſt ad eam, ut venitur ad mulierem meretricem. Sic venerunt ad Oholam & Oholibam mulieres ſceleratas.* verſ. 44. conſ. verſ. 37.

§ 9. Meminit hujuſdem ſcortationis Eſaias cap. 2: 6. *Nam pleni ſunt à* vel *præ Oriente, & augurantur ut Palæſtini, & in natis alienigenarum acquieſcunt.* Siquidem dicamus, Eſaiam rationem habentem non tantùm ejus temporis, quo vivebat, ſed etiam inſequentis, id ſignificare, quòd à Babyloniis didicerint ſuperſtitionem, à Græcis, filiis Palæſtinorum, auſpicia & divinationem, & poſtmodùm Romanis ſe dediderint. Item cap. 8: 10. qui locus *collocutiones*, & confœderationes Judæorum cum gentibus, Romanis, commemorat. Jeremias quoque, ubi deſcribens peccata, & ſtatum Judæorum ſub adventum Chriſti, inter alia ipſis tribuit, quòd *confiderint homini, & poſuerint carnem brachium ſuum.* cùm nempe in Romanis ſpem habuerunt pacis ſuæ. Jerem. 17: 5. Et Ezechiel rurſus, ubi poſt ſuperiorum temporum ſcortationes cum Ægyptiis, Aſſyriis, & Babyloniis, atque ablationem omnium populi ornamentorum & veſtium, id eſt, templi & urbis deſtructionem, & captivitatem Babylonicam; iterùm teſtatur, Deum viſitaturum eſſe populum judiciis *mœcharum*. Ezech. 16: 38. Hoſeas item; qui illam ſcortationem ſic deſcribit: *Fornicata eſt mater ipſorum*, (Seniores Iſraëlis hìc per *matrem* commodè intelliguntur.) *pudendum in modum egit genitrix ipſorum. Nam dixit, Ibo poſt amaſios meos, qui dant panem meum & aquam meam, lanam meam & linum meum, oleum meum & potus meos.* Hoſ. 2: 7. Fornicatio ſcil. illa conſiſtebat I. in propoſito ſequendi Romanos. II. in transſcriptione bonorum ſuorum in ipſos ut optimos & maximos auctores & conſervatores ipſorum. Attingitur hæc ſcortatio rurſus Hoſ. 9: 1. *Quia ſcortatus es à Deo tuo.* Et verſ. 10. f. *Et facti ſunt abominationes ſecundùm amorem ſuum.* Item Mal. 2: 11. Ubi *perfidè egiſſe cœtum Judæ* declarat. *Nam duxiſſe filiam Dei peregrini.* id eſt, ad Romanos, filios Deorum peregrinorum, relicto Deo, marito ſuo ac Domino, confugiſſe, iiſque defenſionem & conſervationem ſui ſtatus & bonorum ſuorum concredidiſſe. Et hæc quidem fornicatio nunc cœpta eſt, & poſtea, ut videbimus, aliquoties reiterata.

§. 10. Hoc umbraculum Dan. 9: 27. dicitur *Ala abominationum.*

ARTICULUS CXXVII.

GAbinius in Judæâ certis in locis tribunalia quinque conſtituit, ut omnia rectiùs adminiſtrarentur. Joſeph. lib. 14. cap. 10. Et M. Craſſus paulò poſt templum ſpoliat. Idem.

DEMONSTRATIO.

Itaque adhuc magis Romani *perambularunt terram.* Zach. 6: 7. 1: 10. *Et principibus* præbita eſt occaſio *ejulandi.* Eſ. 52: 5. Ex Art. præced.

ARTICULUS CXXVIII.

ANtipater Idumæus, Pontifice maximo exiſtente Hyrcano, cui regnum ademerat Pompejus, anno circiter 55. poſt mortem Hyrcani, qui Idumæam ſubegerat, ſup. Art. cxxi. conſtituitur à Cæſare Procurator Judææ; nec multò poſt Herodes, filius Antipatri, regnum Judææ & Palæſtinæ totius, beneficio Romanorum, invadit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque regnum Idumæum non tantùm reſtituit, verùm etiam ad Iſraëlitas extendit; & vaſtitates non tantùm proprias Edomi, ſed etiam Iſraëlis, intellige regnum Iſraëlis, ſibi ſuiſque & nomini ſuo reædificat. Quod prædixerat Malachias: *Dicet Edom, depauperati ſumus; ſed de integro ædificabimus vaſtitates.* Mal. 1: 4. Atque ita Ezechiel: *Propterea quòd dixiſti: Duas illas gentes, & duas illas terras, meæ fient, & hæreditabimus id.* Ezech. 35: 10. Huc pertinet illud Pſalmiſtæ: *Virent improbi inſtar herbæ, & florent omnes operantes vanitatem.* Pſalm. 92: 8. Itemque illud Eſaiæ: *Et dabo adoleſcentes principes ipſorum, & pueri dominabuntur eis.* Fieri enim non poteſt in tali dominatione, quin optimi quique ac prudentiſſimi opprimantur, & audaciſſimi juvenes, quales Herodes & filii ejus, rebus præficiantur. Eſ. 3: 4. Sed & Rabbini tradunt in Gemarâ Cod. de Sabbato, cap. 1. CLXXX. annis ante excidium urbis invaluiſſe regnum Edom ſuper Iſraëlem.

§. 2. Sic planè deſtructâ coronâ Haſmonæorum *ἰθαγενῶν*, *in regis* exteri *manus* Judæi *inciderunt*; Zach. 11: 6. Ab eoque tempore novâ priori de quâ ſup. Art. cxxi. ſuperadditâ ſpecie, populus Judaicus poteſt *Edom* vocari, utpote jam conſtitus ſub regibus Idumæis. Vid. Eſai. 63: verſ. 1. Jerem. 49: 7. & ſeqq. Ezech. 35: verſ. 2. &c.

§. 3. Nec tantùm regnum Aſſamonæorum in ſe tranſtulit Herodes; ſed etiam judicibus auctoritatem ademit. Et ſic *Draco* ille *rufus*, de quo ſup. Art. cxxiv. per Herodem *tertiam partem ſtellarum de cœlo detraxit.* Apoc. 12: 4. Unde data iterùm occaſio *Principibus* Judææ *ejulandi.* Eſai. 52: 5.

ARTICULUS CXXIX.

HErodes in *reædificandis vaſtatis*, præſertim Urbe, muris, turribus, & Templo, eſt magnificus.

DEMONSTRATIO.

Vid. Mal. 1: 4. Itaque adhuc fluentibus ab anno ſecundo Darii Nothi ſeptimanis annorum ſexaginta duabus, *Hieroſolymæ*, etiam *quoad forum & foſſam*, *ædificabantur.* Dan. 9: 25.

ARTICULUS CXXX.

REgnum Judæorum ſub imperio Herodis floret, & populus multitudine, tota terra affluit frumento, butyro, melle, oleo, vino, & omnibus bonis hujus vitæ.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hunc Articulum ita exprimit Moſes: *Et comedebant germina agri; & faciebat eum ſugere mel de petrâ, & oleum de duro rupis; Butyrum armenti, & lac ovium, cum adipe renum tritici: & ſanguinem uvæ bibis merum. Et impinguatus eſt Jeſchurun... texiſti te adipe.* Deut. 32: 13. 14. 15. Pſaltes: *Virent improbi inſtar herbæ, & florent omnes operantes vanitatem.* Pſ. 92: 8. *Adipe tritici ſatiat te.* Pſ. 147: 14. Eſaias: *Butyrum & lac comedet.* puer ille, cujus nomen Immanuël. Eſ. 7: 15. *Et omnes montes, qui ligone paſtinabantur, quos non accedebat præ timore ſentium & veprium, erunt inquam actus bovis & conculcatio ovis.* Ib. v. 25. Conf. ex ſupp. Articuli XLVI. & LV.

§. 2. Quoniam autem Judæi Romanis hæc beneficia accepta ferebant, ſup. Art. CXXVI. hinc Romanos *creditorem* Judæorum; Pſ. 109: 11. & *Amaſios*; Hoſ. 2: 7 appellat Scriptura.

ARTICULUS CXXXI.

ABundantiam omnium rerum ſequitur Luxuries, & ſagina corporis.

DEMONSTRATIO.

Indicat Eſaias: *Atque etiam hi* διηνεκῶς. quaſi in repræſenti. Intellige autem reſidui populi, quibus fui in coronam, &c. ex præcedd. *in vino errant, & in ſicerâ oberrant..... Nam omnes menſæ plenæ ſunt vomitu ſtercoris, ſine* vacuo *loco* Quo præter ſaginam etiam turpiloquium & inaniloquium ad menſam notatur. Eſ. 28: 7.

ARTICULUS CXXXII.

LUxum comitantur craſſa ac pecunia ignorantia ac ſtudia Judæorum, corruptio doctrinæ, ſublatio clavis cognitionis, traditiones inutiles, Phariſaiſmus ac Sadducæiſmus, dominantium libido; aliaque peccata.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De ſœculo hoc pecuino ita Joël: *Ne timeas, quævis pecudum agri, quia gramen ſerunt manſiones deſerti; quia arbor tulit fructum ſuum, ficus & vitis dederunt vim ſuam.* Solatur Deus has pecudes, quia erat in multitudine ipſarum cætus juſtorum exſpectantium ſalutem & conſolationem Iſraëlis. Sed horum conſolatio non fuit repræſentata, quia bonis hujus vitæ ſatiari non poterant. Jo. 2: 22. Corruptionem morum & doctrinæ indicat Pſaltes: *Fatiſcebat terra & habitantes in eâ.* id eſt, omnia erant corrupta & labefactata, hominumque animi in peccatis & malis ſuis contabeſcebant. Pſ. 75: 4. Eſaias: *Atque etiam hi in vino errant, & in ſicerâ oberrant* (ſive *titubant à ſicerâ:*) *Errant in viſione, offendunt in judicio.* i. e. Judæi in capt. Bab. reducti, & multis beneficiis aucti, immemores Dei ſunt, & non attendunt ad verbum ipſius, ſed tradunt ſe fruitioni rerum carnalium: ideoque excæcantur, ut propter vinum, in quo errant, etiam aberrent & oberrent, & in viſione cæſpitent, h. e. tanquam mente motâ non intelligant, quæ Deus dicit in verbo ſuo; & offendunt in judicio, ut bonum dicant malum, & malum bonum, & juſtos dicant injuſtos, & injuſtos juſtos. Eſ. 28: 7.

§. 2. Corruptionem doctrinæ multùm adjuvit defectus Prophetarum; quem minatur

natur Ezechiel cap. 7: 26. *Et quærent viſionem à prophetâ, & doctrinam quæ peribit à ſacerdote, & conſilium à Senioribus.* Ut huic etiam tempori conveniat querela: *Signa noſtra non videmus. Non eſt ampliùs propheta; neque eſt nobiſcum, qui ſciat, quouſque.* Pſ. 74: 9. Poſt Zachariam enim & Malachiam, nulli prophetæ exſtiterunt uſque ad Zachariam, Simonem, & Joh. Baptiſtam. Contrà, quod illis, qui Deum conſulentes ſtercora ſua non deponunt, denunciat Propheta, dati erant ipſis doctores, per quos *Deus conſulentibus contra Deum reſpondebat contra Deum.* Ez. 14: 6.

§. 3. Sublatæ clavis cognitionis reos agit Doctores hujus ſæculi, Jeremias: *Ecce ego adverſus prophetas, ait Jehovah, qui furantur ſermones meos quisque à populo ſuo.* Jerem. 23: 30. Et Sacerdotes, Malachias: *Sed vos diſceſſiſtis à viâ* juſtitiæ, Heb. 5: 13. *& multos feciſtis impingere in lege.* Sublatâ ſcil. clave cognitionis. Luc. 11: 52. Quum enim myſterium Chriſti & juſtificationis non rectè docerent, fecerunt ut multi ipſorum doctrinâ illaquearentur, & Chriſto nec obedirent, neque juſtitiæ Dei. *Corrupiſtis fœdus Levi, dixit Jehovah.* id eſt feciſtis vos ipſos exſortes & exhæredes Teſtamenti illius, quod de tribu Leviticâ erat pronunciatum; exempli gratiâ hujus verbi: *Sacerdotes ejus induam ſalute.* Pſ. 132: Mal. 2: 8.

§. 4. In ſpecie hîc taxatur ignorantia conſiliorum operumque Divinorum, & ſcandalum hominum in prædicantibus ea: *Quàm magna ſunt opera tua, ô Jehovah! Valde profundæ ſunt cogitationes tuæ. Vir brutus,* ſpiritu Dei carens, *non novit, & ſtultus,* amore rerum terrenarum infatuatus, *non animadvertit hoc.* Scil. opera Dei, & conſilia ipſius. Pſ. 92: 6. 7. Cauſa ignorantiæ Ibidem vers 8. adſcribitur florenti ſtatui reipublicæ. *Quum virent Improbi inſtar herbæ, & florent omnes operantes vanitatem.*

§. 5. De ſtatutis & traditionibus vanis & inutilibus ita Eſaias: *Væ illis, qui condunt ſtatuta vanitatis, & ſcribis laborem ſcribentibus.* Eſ. 10: 1. Erat autem in illis præjudicium contra juſtitiam inopum populi; & redundabant ad depauperationem viduarum & pupillorum. Ita enim Eſaias: *Ad depellendum à judicio tenues, & ad rapiendum judicium inopum populi mei, ut fiant viduæ ſpolium eorum, & pupillos deprædentur.* Eſ. 10: 2. De his vid. Matth. 23: 4. 5. 8. 13. 14. 16. 23. 24. Quibus adde præcepta lata contra teſtamentum Dei & legem ejus. Matth 15: 5. 6. Item contra doctrinam de juſtitiâ & Salvatore & ſalute. Matth. 5: 20. 15: 19. 20. 22: 24. &c.

§. 6. Sectarum, quæ erant inter doctores, & qui ab ipſis dependebant, varietas, nomine *viarum*, indicatur Pſ. 119: 26. p. pr. Phariſaiſmi verò & Sadducæiſmi ſpecimina hic producit Malachias, ubi dogmata illorum redarguit hunc in modum: *Duri contra me ſunt ſermones veſtri: dixit Jehova: Et dixiſtis: Quid collocuti ſumus contra te?* Clarum eſt notari ſermones, qui habentur ad alios, in quibus ratiocinationes adhibentur ad obtinendum aſſenſum aliorum; quales ſunt δογματίζοντων. Mal. 3: 15. Pergit illos ſermones enarrare: *Dixiſtis: Vanum eſt ſervire Deo: & quid emolumenti, quòd obſervavimus obſervantiam ejus? & quòd ambulavimus atrati propter Jehovam Deum exercituum?* Scil. Sadducæi dicebant, ſi non expreſſis verbis, ſaltem per manifeſtam conſequentiam: *Vanum eſt ſervire Deo.* Negabant enim reſurrectionem mortuorum, & ſic tollebant ſpem præmii & vitæ beatæ poſt mortem. Unde ſequebatur, fruſtrà Deum coli; & obſervantiam ejus obſervari. Contrà Phariſæi, non tantùm reſurrectionem mortuorum, aliaque recepta inde à patribus dogmata, à Moſe, Senioribus & Prophetis relicta, de Chriſto, & regno Dei, ac juſtitiâ ejus, retinebant, ſed etiam vana multa, & inutilia populo imponebant, quibus verorum dogmatum, & præceptorum bonorum, vim obſcurabant, & ſub

ſpecie

ſpecie juſtitiæ juſtitiam veram abſcondebant. Horum itaque erat oſtentare religionem, &, ut quidem volebant videri, *obſervare obſervantiam Dei*. Nec tantùm: Sed etiam cùm more hypocritarum religionem interpretarentur ταπεινοφροσύνην quandam, & ἀφειδίαν σώματος, Col. 2: 23. eorundem fuit *Ambulare in atrore.* id eſt, in humilitate, abſtinentiâ, & vexatione corporis, *coram Domino.* Matth. 6: 16. 17. His igitur Sadducæi contradicebant: Quorum oratio adverſus Phariſæos hîc à prophetâ deformatur; vers 16. Pergit: *Igitur nos beatos prædicamus feroces. Et ædificati ſunt*, id eſt habent domos, agros, familiam, poſteritatem, *facientes improbitatem & tentarunt Deum, & effugerunt.* pœnam. Tales ſcil. ſermones conſequebantur ex doctrinâ eorum, qui non putabant, homini ſenſum lætitiæ aut doloris poſt mortem ſupereſſe, quamvis expreſſè eos non proferrent. Neceſſe enim erat, ut beatos judicarent eos, qui in hâc vitâ ædificarentur, & non punirentur, quamvis protervos, & contra mandata Dei ex propoſito facientes. Poſſunt etiam verba accipi ex hypotheſi illorum, quibus contradicunt. Vos, inquiebant, dicitis, eos, qui nobiſcum faciunt, eſſe protervos, & exſortes timoris Dei, & Deum tentare, ſive potentiam ejus, veritatem, & miſericordiam in peccato experiri. Atqui tales & ædificantur, & evadunt Dei pœnam. Ib. vers 17. Argumentum, ac ſimul implementum, hujus prophetiæ eſto, quòd tradit Joſephus, ditiſſimos populi Sadducæis addictos fuiſſe; & quòd reges quoque hujus ſectæ fuere.

§. 7. Acceſſit tyrannorum dominatio, & perſecutio rectè ſentientium. De eâ Zacharias, ubi mandatum Dei ad Chriſtum *de paſcendis ovibus occidionis*, quales erant omnes ſub V. T. 2 Cor. 3: 6. 7. exponens, ſtatum illarum ovium ſic deſcribit: *Quas qui emunt, occidunt, & non fiunt rei, & qui vendunt, dicunt pro ſe quisque, Benedictus Jehovah, & dives ſum: & paſtores illarum non parcunt ipſis.* Zach. 11:5. Scil. emebantur & vendebantur oves. Non erant liberi, ſed ſub aliorum poteſtate. Qui autem emebant, occidebant eas. Emptores illi erant, qui quovìs beneficio eas oves redigebant in poteſtatem. Occidebant autem eas multis modis corporaliter; & quantum in ipſis erat, etiam ſpiritualiter. Et quod indigniſſimum erat, occidentes non fiebant rei, non puniebantur: Contrà fideles perſequi & occidere laus erat, ac ſi Deo gratum ſacrificium offerrent. Vendentes interim benedicebant Deo, & ſe divites gloriabantur, contenti eo, quod mundus dabat. Denique paſtores non indoleſcebant ipſis, nec parcebant. Matth. 23: 4. 14. Apparet, de tyrannis ſermonem eſſe, qui ante adventum Chriſti dominati ſunt in populum; & eorum ſimilibus.

§. 8. Alia hujus temporis flagitia & peccata hîc recenſet Malachias. Et primò quidem accuſat maximè primores populi, quòd dixerint: *Omnis faciens malum bonus eſt in oculis Jehovæ, & in eis delectatur; aut ubi eſt Deus judicii?* Non quòd fuerint tam impudentes, ut ſic loquerentur. Sed quòd illud dixerint, quod ſi ex veritate æſtimetur, æquipolleat iſtis blaſphemis verbis.. Notat ſcil. Judæorum ſecuritatem, quòd cùm facerent malum, putarent tamen, ſe Deo gratos eſſe, eo argumento, quia nondum videbant, Deum adveniſſe, qui contra ſe judicium eſſet exerciturus. Mal. 3: 2. Quod verò malum, & quales operarios mali, intelligat, in ſequentibus indicat, ubi primò ironicè ipſis tribuit, quòd *quærant Dominum, & delectentur Angelo fœderis.* Mal. 3: 3. Et oſtendit, hos maleficos tanquam igne quodam eſſe à vero auro & argento, ut ſcorias, ſeparandos. vers 4. 5, Unde intelligitur, ad operarios mali, de quibus vers 2. hypocritas magis, quàm apertè profanos, pertinere.

§. 9. Deinde crimina maleficorum enumerat, verſ. 7. Sunt autem iſta: I. *Magia.* Ita poteſt intelligi tum ſcortatio cum Diis aliis, & fœdus cum filiis Deorum aliorum, de quo ſup. ad Art. CXXVI. Tum φαρμακεία illa in Scripturis ſæpe notata, quâ ſignis, operi operato, & aliis omnibus, quæ ſunt virium humanarum, attribuuntur ea, quæ ſunt Dei. Hab. 1: 11. Sed & Talmud profitetur, Rabbinos magiam & calluiſſe, & exercuiſſe.

II. *Adulterium.* Ut in Polygamiâ, Divortio, & Connubiis repudiatarum, liquet.

III. *Perjurium.* Quia non verè jurabant in nomine Domini, & verbum ejus corrumpebant.

IV. *Fraudatio mercedis.* Vulgò id factum fuiſſe, nemo dubitaverit. Et quid Chriſto rependerint, liquet ex Zach. 11: 12. 13. Laborantibus in Evangelio quas mercedes dederint, imò quomodo eos fraudaverint, notum eſt.

V. *Fraudatio viduarum & pupillorum.* Confer. Matth. 23: 14.

VI. *Declinatio advenarum.* Perſequebantur gentiles, qui ad fidem Dei in Chriſto accedebant.

VII. Additur crimen defectus ejus, ſine quo nemo poteſt placere Deo: *Et non timent me.* Add. Deut. 32: 20. *Filii, in quibus non eſt fides.*

ARTICULUS CXXXIII.

NEc tamen adeò corruptus erat Eccleſiæ ſtatus, ut nulli in populo eſſent pii, vel etiam piorum cætus, exſpectantium ſalutem Iſraëlis, deque eâ colloquentium ad mutuam ædificationem.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Notat enim Malachias, quòd occaſione talium hæreſium, qualis erat Sadducæiſmus, & hypocriſeos, quæ erat in Phariſaiſmo: *Tunc*, inquam, *collocuti ſint timentes Jehovam quiſque cum proximo ſuo, & auſcultaverit Jehovah & audiverit; & ſcriptus ſit liber memorialis coram ipſo pro timentibus Jehovam, & reputantibus nomen ejus.* Ne ſcil. nomina & paſſiones & ſtudia eorum pro Deo unquam traderentur oblivioni. Mal. 3: 18. Quibus convenit, quòd ubi David in perſonâ fidelium hujus temporis confitetur & exponit Deo miſeriam ſuam, *enarret ipſi omnes vias ſuas.* quarum ſcil. nulla ipſum poſſet ad vitam deducere, ſive Phariſæos, ſive Sadducæos ſectaretur. Pſ. 119: 26. p. pr.

§. 2. Huc pertinet ſtudium multorum in Iſraële, quo ſcrutabantur in Scripturis, in quem & qualem articulum temporis Spiritus, qui in prophetis erat locutus, prætestificaretur paſſiones Chriſti & ſequentes glorias. De hoc ſtudio eſt Eſ. 21: 11. Ubi poſt adductionem Idumæorum ad politiam Iſraëlis, & ſub adventum Chriſti, introducuntur, qui *clament ad cuſtodem* Iſraëlis Deum, omnes temporum articulos in decreto ſuo fixos ac determinatos habentem, & quid faciat, ſuis indicantem, *Quantum de nocte* adhuc ſuperſit? Ita enim propheta: *Ad me eſt qui clamet ex Seire: Vigil, quid de nocte? Vigil, quid de nocte?* Atque ita Daniel, poſtquam explicuiſſet illa omnia, quæ viderat ad amnem Tigrim, introducit duos, hinc inde ad amnem ſtantes, *interrogantes de fine iſtorum admirabilium.* Ubi ſine temeritate poſſumus intelligere omnes, quotquot poſt Danielem ſuccedentibus temporibus futuri erant exſpectantes regnum Dei, & inquirentes, in quod tempus Deus illius regni manifeſtationem contuliſſet.

§. 3. Porrò

§. 3. Porrò hanc veterum exſpectationem indicat Moſes, verbis Jacobi: *Salutem tuam exſpecto, Jehovah*, Gen. 49: 18. Eſaias: *Et præſtolatus ſum Jehovam.... & exſpectavi illum*. Eſai. 8: 17. *Exſpectavimus te*. Eſai. 26: 8. Habaccuc: *In ſtatione meâ ſtabam, & perſiſtebam in propugnaculo* fœderis & promiſſionis Dei; *& ſpeculabar ad videndum, quid locuturus eſſet ad me; & quid reportaturus eſſem pro arguitione meâ. Et reſpondit mihi Jehovah & dixit: Scribe viſionem, & explica in tabulis ... Adhuc erit viſio ad ſtatum tempus, & Præco erit in fine, qui non mentietur. Si tardet, præſtolare eum*. Hab. 2: 1. 2. 3. Et hinc Veteres, qui exſpectabant Chriſtum, & ad ſigna-temporis adventus ejus attendebant, vocantur צופים & מצפים *ſpeculatores*, ἀποκαραδοκοῦντες. Ut Eſai. 52: 8. *Vox ſpeculatorum tuorum, qui ſuſtulerunt vocem ſuam, unà cantant; quia oculo in oculum vident, quum Jehovah reducit Sionem*. Mich. 7: 4. *Dies ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua, venit*. Unde & Apoſtolus Iſraëlitas vocat τοὺς προηλπικότας, *eos, qui ante ſperaverunt*. Eph. 1: 12. Et exſpectationi eorum atteſtatur Chriſtus, Matth. 13: 16. *Multi prophetæ & juſti concupiverunt videre, quæ videtis, & audire, quæ auditis*. Et Apoſtolus, Act. 26: 6. 7. *Et nunc propter ſpem promiſſionis, quæ patribus facta eſt à Deo, ſto judicium ſubiens; ad quam duodecim tribus noſtræ in contentione noctem & diem cultum exercentes ſperant pervenire*. Atque ità Petrus, 1 Pet. 1: 11.

§. 4. Hæc fidelium exſpectatio ac deſiderium videndi diem Chriſti accendebatur meditatione antiqui temporis, & collatione promiſſionum ac prædictionum Divinarum cum implementis. Ita enim in perſonâ illorum Pſaltes: *Recordatus ſum dierum ab antiquo, meditatus ſum de omni molitione tuâ, de operibus manus tuæ ſermocinatus ſum*. Pſalm. 77: 6. 12. 13. 143: 5. Et verò omnibus jam impletis, quæ promiſiſti & prædixiſti futura, antequam in carne appareres, *Expandi manus meas ad te. Anima mea eſt ut terra ſiticuloſa ad te*. Pſal. 143: 6. Eſt &, ubi ſub imagine Sponſæ, exſpectantis adventum Sponſi, Eccleſiæ vetuſtæ votum ac deſiderium, jam per inſignia Dei beneficia & multiplicata ſigna temporis adventus Chriſti appropinquantis, ut totidem Dei cum ipſâ familiariter converſantis, & Sponſum ad eam adducentis, amores, excitatum atque incenſum, exprimitur in prophetiâ. Ita enim eſt Cant. 1: 2. *Oſculetur me aliquo de oſculis oris ſui!* Id eſt, vel unum verbum illorum, quæ Ipſi reſervata ſunt dicenda, & ex quibus lætitia Eccleſiæ in ſolidum & unicè pendet, faciat me audire. *Nam meliores ſunt amores tui vino*. Id eſt, omni eo, quod ſuave ac jucundum eſt in mundo. Unde & hoc diſcimus, Eccleſiam fidelium ſub V. T. non tàm ſpectâſſe proventum vini, aut uſum ejus, quàm familiaritatem Dei, & ſuavitates ejus ad ſe loquentis de miſſione Filii ſui tanquam Sponſi. Contrarium habuimus Art. præced. ex Jo. 2: 22.

§. 5. Nec tantùm: Sed etiam idem deſiderium augebatur eo, quod *in arcto* Eccleſia eſſet, utpote conſtituta per omnem vitam in timore mortis & iræ Divinæ. Sic Pſalmiſta: *Ad Jehovam in arcto mihi clamavi*. Pſalm. 120: 1. Quòdque ſub adventum Chriſti *in nocte* verſaretur. id eſt, eo tempore ageret in mundo, quo Judæi & gentes Chriſtum ignorarent. Quod dicit Eſaias, cap. 26: 9. *Animâ meâ concupivi te in nocte*.

§. 6. Sic itaque Eccleſiæ hujus temporis ad amorem & deſiderium Chriſti & adventus ejus accenſæ, eumque præſtolanti, conveniunt orationes, quæ ſequuntur. *Deus gratioſus ſit nobis*, gratiam ſuam nobis manifeſtet in Chriſto, *& benedicat nobis*. dona gratiæ in nos effundat, nempe ſapientiam, prudentiam, Spiritum adoptionis filiorum, juſtitiam, libertatem, communionem cum iis, qui in cœlo ſunt,

 parrhe-

parrheſiam, ut cum libertate filiorum ad ipſum accedamus, faciat nos Sacerdotes & reges, denique hæredes mundi: *illuſtret faciem ſuam apud nos.* Exſplendeſcat & benevolentiam ſuam oſtendat in corde noſtro ad radicationem cognitionis gloriæ Dei, quæ eſt in facie J. Chriſti. Pſalm. 67: 2.

§. 7. *Deus judicia tua* (quale inprimis eſt illud judicium, quo damnetur peccatum accuſans peccatorem; Rom. 8: 3. quo damnetur falſa juſtitia, & impotentia creaturæ demonſtretur ad gloriandum de procuratâ juſtitiâ; Col. 2: 15. quo princeps mundi judicetur, & cogatur regno ſuo decedere; Joh. 16: 11. quo ſeparentur inobedientes ab omnibus tribubus Iſraëlis; Deut. 29: 21. &c. Qualia judicia à nullo non Deo poſſunt adminiſtrari.) *Regi* (Antonomaſticè. id eſt Chriſto vero Deo, adeoque & Regi.) *da, & juſtitiam tuam,* ſive donum juſtitiæ, quod teſtamento præparâſti filiis tuis, *filio* Dei veri *Regis.* Da ei poteſtatem juſtificandi populum tuum. Pſalm. 72: 1.

§. 8. *Deus exercituum, convertere, quæſo,* ab irâ tuâ; *proſpice ex cœlo, & vide.* nec tantùm; ſed etiam *viſita vineam hanc.* h. e. totum populum Iſraëliticum præſentiâ tuâ lætifica. Nominatim *ſtirpem, quam plantavit dextera tua.* id eſt tribum Judæ, vel eos de tribu Judæ, qui ex Babylone reducti, & in terrâ collocati ſunt. Pſalm. 80: 15. 16. p. pr. *Jehovah, Deus exercituum, converte nos,* & fratres noſtros, tùm à viâ malâ, tùm à manu hoſtium, ad cognitionem & amorem tui, tùm ad eum ſtatum, ut nullus alius, præter Deum in nobis ſit Rex; *illumina faciem tuam,* id eſt te placatum & non memorem peccatorum noſtrorum velis oſtendere, oblatione ſacrificii pro peccato peractâ: *& ſalvabimur.* Ea enim facies Dei lucens omnem ſalutem importat. Ibid. verſ. 20. Quæ petitio etiam legitur verſ. 4. & 8. ejuſd. Pſalmi. Niſi quod verſ. 20. non ſine emphaſi additur *Jehovah,* ut in hoc gradu temporis pleniſſima demonſtratio gratiæ & veritatis intelligi poſſit.

§. 9. *Quouſque, ô Jehovah, occultaberis* ab aſpectu noſtro *indeſinenter? ardebit tanquam ignis æſtus tuus?* Pſalm. 98: 47. Sic orare poterant pii, non tantùm in capt. Bab., ſed etiam reducti, quum regnum Davidis abolitum eſſet, idque viderent nôn reſtitui, ſed magis magiſque opprimi. Nam etiam regnum Sacerdotum erat magnus obex regni Davidici terreſtris. *Recordare, Ego, quid ævi?* Pro argumento finiendæ iræ adducit ærumnoſam & brevem vitam omnium hominum, adeò ut, hoc ſpectato, ſi cum tantis malis homo vivere debeat, imò ſi Chriſtus non veniat cum regno ſuo, fruſtrà homines condidiſſe videri poſſit. *Quare* autem *fruſtrà creâſſes omnes filios hominum?* verſ. 48. Nam *quis homo vivet, & non videbit mortem? eripiet animam ſuam è manu inferni? Selah.* verſ. 49. *Ubi ſunt benignitates tuæ priſcæ, quas jurâſti Davidi in veritate tua?* Nominatim donum gratiæ Chriſtus. verſ. 50. *Memento, Jehovah, opprobrium ſervorum tuorum; portare me in ſinu, quam multi ſunt, populos.* verſ. 51. *Quòd blaſphemant inimici tui, Jehovah, quòd blaſphemant veſtigia Chriſti tui.* memento ſcil. quòd adventum ejus, qui indies evidentioribus notis approximare intelligitur, irrideant. verſ. 52.

§. 10. *Non nobis, Jehovah, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam, propter gratiam tuam, propter veritatem tuam.* h. e. Minimè hoc nobis in votis eſt, ut nobis & noſtro nomini detur gloria, quaſi nos noſtris operibus juſti ſimus, noſtrâ voluntate elegerimus Deum, noſtris operibus eum faciamus glorioſiorem, noſtris divitiis auctiorem, aut aliquid omninò nobis tanquam noſtrum poſſit imputari, aut nos cupiamus cum ſapientiâ noſtrâ & bonitate & virtutibus noſtris in mundo celebrari ac nominari: Sed ut Deus ea faciat, quæ ipſius naturæ, virtuti, & nomini, ſunt conſen-

conſentanea. Inter quæ maximè eſt exhibitio filii Dei in carne ad expiandum peccata & juſtificationem æternam afferendam. Idque propter gratiam ipſius juratam & ſperatam patribus, & veritatem promiſſionis ejus, atque immutabilitatem illius gratiæ. *Quare dicent gentes; ubinam eſt Deus ipſorum?* q. d. Deus, quem illi colunt, non eſt Deus; verbum, cui credunt non eſt verbum ipſius; bonum, quod exſpectant, nullum eſt: nominatim adventus Meſſiæ, Dei in carne, fruſtrà ab illis exſpectatur. Pſal. 115: 1. 2.

§. 11. *Benefac plenè ſervo tuo,* vindicando ſcil. per gratiæ effuſionem in libertatem ſerviendi non egenis mundi elementis, Diis non-Diis, ſed Deo viventi; *vivam* vitâ æternâ, quâ amem te in lætitiâ, neque occuper ampliùs in elementis mundi, quæ miſeria quædam & *mors* erat; *& cuſtodiam verbum tuum.* non hominum, principum, vel poteſtatum hujus ſæculi, quibus ſubjectus ſum. Pſalm. 119: 17. *Revela oculos meos, ut cernam mirabilia ex lege tuâ.* Id eſt, oculos mentis revela & libera à præjudicio & opinione propriæ ſapientiæ & juſtitiæ, ad videndam legem juſtitiæ fidei, & ad cognoſcendum ea mirabilia Dei, ſine quibus ea juſtitia conſiſtere non poteſt: qualia ſunt deſcenſus Filii Dei de cœlo, ejuſque in carne apparitio & humiliatio, ut factus fuerit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, atque ita peccatum & exſecratio fuerit factus; item ipſius reſurrectio ex mortuis, & aſcenſio in cœlum, cum effuſione Spiritus S. &c. quæ olim in ænigmatibus fuerunt propoſita, & figuris adumbrata. In eum finem tolle velum, id eſt ſententiam, quæ declarat, quæ ſint ſtatuta Dei, quæ qui facit, in eis vivit: & maledictionem ob oculos ponit, & reatum cogit fateri, & ſacrificia pro peccato & reatu exigit, &c. per quæ homini carnali difficile eſt Legem juſtitiæ fidei reperire, ut non juſtitiam operibus aliquibus tribuat. Præterea Spiritu Sancto tuo omnia ſtercora remove ex corde, idque aperi, ut attendat ad ea, quæ Deus dicit, & cognoſcat in iis Dei ſolius ſufficientiam ad juſtitiam & ſalutem, & ut factus ſit peccatori in Deum. &c. verſ. 18.

§. 12. *Anima mea eſt agglutinata pulveri.* id eſt, in eo ſtatu verſor, qui ſimilis ſit hominis in pulverem proſtrati, qui ſe erigere non poteſt, & in pulvere vivens & animam trahens contabeſcit. Sedeo quaſi in umbris mortis. Nam &, quod propitiatio nondum ſit facta, id me habet anxium, & diutina me exſpectatio, & gravis ſervitus & prophetarum ſilentium, & ſectarum diverſitas, præter profanitatem vulgarem, & reip. ἀταξίαι & ſervitutem gentium, me valde premit: *Vivifica & ſalva me ſecundùm verbum tuum.* nim. à peccatis & maledictione, per Chriſtum. Pſalm. 119: 25. *Vias meas enarravi tibi.* quarum tamen nulla me poſſit ad vitam deducere, ſive Phariſæos, ſive Sadducæos ſectari ſit animus. Itaque expoſui & confeſſus ſum tibi miſeriam meam. verſ. 26. p. pr.

§. 13. *Doce me, Jehovah, viam ſtatutorum tuorum,* nempe fidei & charitatis, *& tenebo eam ſemper.* vel *in finem.* id eſt, in eâ impræpeditè & conſtanter ambulabo. Scil. quum doctrina juſtitiæ & legis Divinæ interpretatio in ore doctorum, ſcribarum, & Phariſæorum non reperiretur, non potuerunt non contrita corda Scripturas reverentium, & ex iis promiſſionem Divinæ viſitationis animadvertentium, hâc oratione anhelare ad Dei doctoris ſui apparitionem. Pſalm. cap. 119: verſ. 33.

§. 14. *Et veniant mihi* hoc tempore *gratiæ tuæ,* id eſt pleniſſima illa gratia promiſſa, ſperata, exſpectata, *Jehovah,* ut virtus nominis tui appareat, quæ in nomine tuo continetur; *Salvatio tua* à reatu, à ſervitute peccati, à timore mortis, à ſervi-

ſervitute legis, *ſecundùm dictum tuum*, quod dixiſti Adamo in paradiſo, Abrahamo, & patriarchis, & per prophetas propagâſti. Pſalm. 119: 41.

§. 15. *Recordare verbi tui ad ſervum tuum, de quo mihi ſpem feciſti.* Petit repræſentationem promiſſionum. Pſalm. 119: 49.

§. 16. *Deficit ad ſalvationem tuam*, quæ eſt redemtio per ſanguinem teſtamenti, & effuſio Spiritus S., ac datio Spiritus filiationis, conjuncta cum illuminatione gentium, & ſic regno ac hæreditate in mundo dandâ, *anima mea*; *ad verbum tuum*, Teſtamentum tuum, ac juramentum, *ſpero.* Pſal. 119: 81.

§. 17. *Vocavi te toto corde. Reſponde mihi, Jehovah.* q. d. Dic mihi, Adſum. ex Job. 38: 35. *Statuta tua cuſtodiam.* nempe fidem & charitatem. Id orare eſt piorum Veteris Teſtamenti, deſiderantium adventum Chriſti. Pſ. 119: 145.

§. 18. *Vide*, id eſt veni de cœlo, deſcende, & experire, *afflictionem meam, & libera me: Nam legis tuæ non ſum oblitus.* id eſt, doctrinam, quæ monſtrat viam juſtitiæ, ex ore ejus auditam ad montem Sinai, non abjeci ex animo & memoriâ meâ. Ita pii Veteris Teſtamenti petebant ſe liberos fieri à jugo dominantium, putà principum prioris ſæculi, & omnibus vinculis, reatu, ſervitute, metu, ſiti, quibus intricati atque implicati, vel potiùs incluſi erant. Pſ. 119: 153.

§. 19. *Appropinquet clamor meus ante te, Jehovah: ſecundùm verbum* promiſſionis *tuum fac me prudentem.* Hoc modo pii ſub V. T. exſpectabant & petebant, ut Jehovah *docens ad juſtitiam* tandem ipſos viſitaret, & viam veritatis & juſtitiæ ipſos doceret. Pſ. 119: 169.

§. 20. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ.* ut non in ſervitute & metu mortis, & in accuſatione reatus, miniſtrantes peccato & condemnationi, offerant, ſed cum omnibus fidelibus, ad Deum accedere poſſint in juſtitiâ & libertate, eique ſacrificium laudis & confeſſionis offerre. *& amantes te* (vel *ſtudioſi tui*) *jubilent. Propter Davidem ſervum tuum. Ne avertas faciem uncti tui.* ne fallas fidem ejus, qui tibi credidit. Nam patres fide ſuâ fecerunt promiſſionem irrevocabilem. Pſalm. 132: verſ. 9. 10.

§. 21. *Jehovah, audi orationem meam, auſculta ad ſupplicationem meam; in veritate tuâ reſponde mihi, in juſtitiâ tuâ.* Hoc petit, quod à veritate Dei ut promittentis, & à juſtitiâ Dei, ut abſolventis peccatores in Chriſto, exſpectari poteſt. Significat autem ſe cupere audire verba Dei convenientia juſtitiæ ipſius, & videre opera ei conſentanea. Pſal. 143: 1. *Et ne venias in judicium cum ſervo tuo*, ſed juſtifica impium converſum ad te per fidem: *nam non juſtificatur apud te ullus vivens.* Id eſt, nulla eſt noſtra juſtitia ſecundùm legem; tuam deſideramus. Quam ſi non des, ſed iræ tuæ frenos laxes, periimus omnes. verſ. 2. *Nam perſequitur Inimicus animam: contrivit in terram vitam meam: poſuit me in tenebricoſis locis, ut mortuos olim.* verſ. 3. *Et convolvitur apud me Spiritus meus; in medio mei ſtupet cor meum.* verſ. 4. In hâc querimoniâ noſcitur ſtatus Eccleſiæ ſub adventum Chriſti. Satan ſe armabat potentiâ totius mundi adverſus Eccleſiam Dei. Vid. Apoc. 12: 3. 4. Deinde ſervitus gentium erat inducta populo Judaico. Tertiò populus in Judæâ & extra eam cum gentibus (pridem mortuis) commiſcebantur; parvâ utrorumque diſſimilitudine in pleriſque. Quartò erat κατήφεια piorum & ſtupor, neſcientium, quid ſibi in dies exſpectandum eſſet. Quintò ipſi principes ejulabant, & quotidie nomen Dei blaſphemabatur. Eſai. 52: 5. conf. Eſai. 9: 1. *Recordatus ſum dierum ab antiquo, meditatus ſum de omni molitione tuâ, de operibus manus tuæ ſermocinatus ſum.* verſ. 5. *Expandi manus meas ad te. Anima mea eſt ut terra ſiticuloſa ad te. Selah.* verſ 6.

Feſti-

Feſtinanter reſponde mihi, Jehovah, quia confectus eſt Spiritus meus, ne occultes faciem tuam à me, & aſſimilor deſcendentibus in foveam. Deliquium patior, tantùm non emorior, tantùm non in gentiles degeneramus omnes, in quorum poteſtatem nos tradidiſti. vers 7. *Fac me audire matutinò gratiam tuam. Nam tibi confido.* Ego tanquam in nocte provectâ, ut imminente matutino, in ſpeculâ ſto, & exſpecto atque ἀποκαραδοκῶ, dum diluceſcat, & audiam gratiam tuam, Euangelium nempe boni, ſalutis, juſtitiæ, quod promiſiſti. Nam ego tibi & verbo tuo confido. non nitor meis viribus aut ſapientiâ, aut juſtitiâ meâ, ſed tuâ promiſſione & gratiâ. v. 8.

§. 22. *Jehovah, quid eſt homo, quod agnoſcis eum? & filius hominis mortalis, quòd rationem habes ejus? Homo vapori aſſimilatus eſt, dies ejus ſunt ut umbra tranſiens.* Pſ. 144: 3. 4. q. d. ſatis jam eſt demonſtrata hominis vanitas. Duobus autem modis conſideratur hic homo. 1. quatenus ſub lege eſt, tanquam idoneus, à quo exigatur juſtitia. 2. quatenùs homini ſubjicitur populus Dei. Scil. curatoribus & tutoribus. Conf. Heb. 7: 28. Quia igitur ſatis demonſtrata eſt hominis vanitas, *Jehova, inclina cœlos tuos, & deſcende.* manifeſta te & regnum tuum in terrâ. v. 5.

§. 32. Quia autem virtute hujus exſpectationis ac ſpei fidelium ſub V. T. nixæ promiſſione Dei, futurum erat, ut Chriſtus naſceretur; hinc ſub pulcherrimo emblemate *Mulieris amictæ Sole, & Lunam ſub pedibus ſuis habentis, & in capite ſuo coronam ſtellarum duodecim; uterum gerentis & clamantis in parturitione, & cruciatæ ut pareret*; Eccleſia Veteris Teſtamenti luce verbi divini radians, poteſtate regiminis Seniorum ſuffulta, coronata ſanctis, prophetis, patriarchis duodecim tribuum; quæ exſpectabat Chriſtum, & in illius exſpectatione angebatur & cruciabatur, donec naſceretur, Johanni in Apocalypſi repræſentatur. Apoc. 12: 1.

ARTICULUS CXXXIV.

POſuit itaque ſic tandem Eccleſia hujus temporis, poſt longam multorum ſæculorum exſpectationem & ſcrutationem; ex ſignis temporum hactenùs enarratis, cognoſcere, inſtare tempus adventus Meſſiæ, nec diu eſſe differendum.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Atque hinc *fama Jehovæ* jam appropinquantis: quâ *auditâ* dicuntur *timuiſſe* recti corde, ut attoniti ad magnitudinem gratiæ, inſtigati miſeriæ ſenſu, & verentes indignè habere & negligere tantam ſalutem; Hab. 3: 2. & *cum tardaret*, anxiè *præſtolari*. Hab. 2: 3.

§. 2. Aliàs dicuntur pii ex eo, quòd Deus ipſis indicaret conſilia ſua, & rebus ipſis oſtenderet exſecutionem eorum, quæ moliebatur, ſummam concepiſſe lætitiam. Ita enim propheta: *Nam lætificâſti me, ó Jehovah, molitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo.* Pſ. 92: 5. Eaque lætitia inter alia illuſtratur à Divinorum operum magnitudine & conſiliorum profunditate, tanquam cauſâ. v. 6.

§. 3. Quanquam quum Eccleſia in exſpectatione finis non haberet prophetas, & interim videret tumultus in mundo, & neſciret definitam à Deo periodum, & certum tempus adventus Chriſti, fuerit tanquam *ſoporata*: Siquidem cum eâ fuerit actum, ut cum ipſis prophetis, quorum inſtar Daniel, quum poſt exhibitam viſionem quæreret diſtinctam ejus intelligentiam, & veniſſet ad ſe tanquam vir, nomine Gabriel, qui eſſet juſſus ei interpretari viſionem; narrat, *ſe ſoporatum fuiſſe*, & à Ga-

& à Gabriele erectum. Dan. 8: 18. Conf. querimonia Eccleſiæ hujus temporis de ſtatu ſuo, quæ eſt Pſ. 119: 25. & 143: 3. 4.

ARTICULUS CXXXV.

INſultant gentes fidelibus, exſpectantibus ſalutem Iſraëlis, eorumque ſpem irrident.

DEMONSTRATIO.

Hinc Pſalmiſta: *Quare dicent gentes, Ubinam eſt Deus ipſorum?* Pſ. 115: 3. *Quòd blaſphemant inimici tui, Jehovah, quòd blaſphemant veſtigia Chriſti tui.* Pſal. 89: 52. Eſaias: *Et ſemper omni die nomen meum blaſphematur.* tùm ab hoſtibus externis, tùm à doctoribus populi juſtitiam Dei ignorantibus. Eſ. 52: 5.

ARTICULUS CXXXVI.

SUb Auguſto Cæſare totus tandem orbis quieſcit, magnâ populorum, ipſiusque adeò Iſraëlis, lætitia, quòd pacatè bonis ſuis frui poſſent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Itaque Auguſto imperitante, ſucceſſiſſe videbatur *gentium conſilium*; quod fuit coire in unum populum, ſub uno regimine communes cultus numinum, communia ſacra in pace & abundantiâ habere. Pſ. 33: 10. *Et in unum ſeſe collegerunt gentes*, Judæi nempe, gentili jam animo præditi, cum gentilibus Romanis, *& nationes* Judæi & Idumæi, etiam in unum collecti, *cogitarunt vanum*; *terrâ ſub regibus*; id eſt illis, qui loco Dei regimen exercebant in terrâ, quales erant Herodes, & Seniores; & *principibus*, id eſt Sacerdotibus, conſtitutâ. Pſ. 2: 1. 2.

§. 2. Hanc totius orbis pacem ſub domino Romanorum univerſalem indicat Eſaias, cap. 40: 4. *Omnis vallis extolletur & omnis mons & clivus humiliabuntur*; *& fiet ſalebroſum in planitiem, & protuberantia in planam vallem.* Significat enim, quòd nulla hoc tempore fit futura populorum regnorumve diſcrepantia, ſed quòd omnes pari jure propemodùm, certe æquâ pace, futuri ſint cives & membra unius magnæ civitatis. Daniel, cap. 9: 27. & Zacharias, cap. 11: 10. id vocant *fœdus*; *quod* nimirum, ut eſt Zach. l. c. Chriſtus *pepigerit cum omnibus populis.* Innuit & Habaccuc, ubi Deum dicit *ſolviſſe gentes.* Hab. 3: 6.

§. 3. Lætitiam populorum, ob fruitionem pacatam bonorum ſuorum ſub imperio Romano, exhibet Hoſeas in iſtis: *Ne læteris, Iſraël, ad gaudium uſque, ut populi; quia ſcortatus es à Deo tuo*, fœdus & amicitiam contrahendo cum Romanis, & auxilium ipſorum advocando; ſup. Art. CXVI. & CXXVI. cujus fœderis fructus cum maximè erat regnum Herodis, exteri, & Clientis Romanorum. *dilexiſti mercedem ſcortationis apud omnes areas frumenti.* h. e. gratularis tibi de fructu illius ſcortationis, qui eſt fruitio pacata bonorum terrenorum. Hoſ. 9: 1.

ARTI-

ARTICULUS CXXXVII.

ROmani imperium ſuum, & æquabilem omnium populorum in illud conſpirationem & pacem, oſtentant indictione ἀπογραφῆς Luc. 2: 2.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Indicat Zacharias, ubi poſt propagationem politiæ Judaicæ ad Palæſtinos, & ſub ipſum temporis articulum, quo rex Iſraëlis ipſi erat adventurus, & regnum ſuum in ipſo orſurus, facit mentionem *Exactoris ſuper illos tranſeuntis*. Zach. 9: 8. col. poſt. Eſt enim *Exactor*, qui ſubjicit ſibi populum, eique extorquet tributa, & ſic bona ejus hæreditaria deminuit ac intervertit. Eò autem cenſus à Romanis indictus ſpectabat.

§. 2. De hâc ἀπογραφῇ dicit Lucas: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Quod Interpretes ita accipiunt, ac ſi hæc deſcriptio facta fuiſſet præſidente Syriæ Quirinio. Sed non ita eſt. Non enim dicitur, ἡ ἀπογραφὴ ἡ πρώτη; ſed πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος, h. e. πρότερον ἐγένετο ἡγεμονεύοντος, *facta eſt priusquam præſideret*. Et hiſtoria docet, poſt Chriſtum natum Judæam Syriæ contributam fuiſſe; & tùm Quirinium cenſum egiſſe, poſtquam Archeläus Viennam eſſet relegatus. Itaque Chriſtus natus eſt ſub eâ ἀπογραφῇ, quæ Quirinii ἀπογραφὴν præceſſit; & fides facta eſt prophetiæ, quæ dicit, Damaſcum fore caput Syriæ, non etiam Judææ, cùm Immanuël naſceretur. Eſ. 7: 8. 14.

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ

PERIODUS SEXTA.

De rebus geſtis à Nativitate Chriſti uſque ad Aſcenſionem ejus in cœlum, & erectionem Regni Dei & Novi Teſtamenti.

PROOEMIUM.

HActenùs Deus, cui conſilium erat, Hominem à ſe conditum ſibi quàm perfectiſſimè unire, & in communione ſui æternâ beare gloriâ, exſtente adhuc peccato in mundo, illum toleravit, variisque & convenientiſſimis indoli indoli humanæ remediis expertus eſt, ecquid in naturâ

peccatrice eſſet virium, quo ad ſe converteretur, vitâque æternâ ſeſe dignum præſtaret. Editis, inquam, tùm ſeveritatis horrendæ, in Diluvio, Confuſione Linguarum, Everſione Sodomæ & Gomorrhæ, Gentium abjectione, & nonnullarum exſtirpatione, Regnorum denique potentiſſimorum deletione; Tùm beneficentiæ ſingularis in Populi Iſraëlitici electione, exornatione, inſtitutione, curâ, promotione, &, quanquam interpoſitis, ob peccata, bono ipſius caſtigationibus, etiam graviſſimis, velut ex inferis excitatione, & ad ſumma ac ſplendidiſſima quæque præter ſpem ac vota omnium, evectione, & benedictione omnigenâ, exemplis in omne ævum illuſtriſſimis, hominique peccatori, quantumvis obſtinato, emolliendo, & ad meliorem mentem reducendo aptiſſimis, ingenium humanum probavit, & circumſpectavit, an quis populus, vel gens, vel familia, vel homo ſingularis inveniretur, qui aliquid ad condemnationem peccati per legem potuiſſet conferre, quive per hæc tanta ſpecimina, tùm clementiæ, tùm iræ Divinæ, ad animadverſionem, quæſtionem Dei, vitæ correctionem, & veram ſeriamque pœnitentiam, poſſet excitari.

Omnibus autem fruſtrà tentatis; cùm, *quicquid erat, pariter receſſiſſet, pariter ſorduiſſent, non eſſet faciens bonum, non eſſet vel unus*; Pſ. 14:3. & nec, ab unâ parte, *cœli, opus digitorum Dei, Luna & Stellæ, quas diſpoſuit*, Pſ. 8:4. præter quæ nullam aliam partem gentibus dederat, Deut. 4:19. nec, ab alterâ, omnis illa Dei cultura, quâ gentem Iſraëliticam præ reliquis omnibus proſecutus eſt, quicquam poſſent ad hominem ſalvandum; Eſ. 5:1 --- 4. 7. contrà potiùs tàm hi, quàm illi, per Dei beneficia indurarentur, & populum Dei perſequerentur, omnique contumeliâ afficerent; Pſal. 14:4. Sicque tùm impotentiâ carnis, tùm neceſſitate Gratiæ, ſatis ſuperque demonſtratâ: Deus, finitis temporibus tolerantiæ erga populum carnalem, & averſationis gentium, tandem proſpexit de cœlo benignus, & animum curamque advertit ad omnes, ſine diſcrimine, filios hominis, & ad omnes habitantes terram; Pſ. 33:13.14. ſicque Novam condere gubernationem Mundi & Eccleſiæ, abolitâ Veteri, & ex hu-

ex humili ac terreſtri, quatenùs ad unum tantùm ac peculiarem populum reſtrictum erat, Regnum gratiæ univerſale ac cœleſte, aperire, & porrò uſque ad conſummationem ſæculorum gerere, omnibus promiſcuè, tam gentibus, quàm Judæis, ad illud evocatis, æternâ gloriâ ac ſalute, recipienti, opprobrio autem ac exitio, negligenti, propoſitis; eoque fine cauſam ſalutis conſummare, omniaque facere, quæ ad fundationem Regni tam illuſtris ac excelſi, neceſſaria videbantur, conſtituit.

ARTICULUS I.

IGitur quum in Homine peccatore cauſa ſalutis nulla eſſet, ipſe Deus, per ſeſe illam cauſam procuraturus, miſit Filium ſuum in mundum; qui idcircò, facturus omnia, quæ Pater ipſi mandaverat, quæque de ipſo prædicta erant, ex cœlo deſcendit, &, quoniam per perfectam obedientiam erat conſummandus princeps & dux ſalutis ſuorum, ante omnia aſſumtâ humanitate, ſub formâ ſervi apparuit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc Filii Dei apparitionem in carne operæ pretium eſt, ut, quomodo omnes Prophetæ prædeſcripſerint, hîc contemplemur.

Eam ſcil. recognovit Jacobus in ultimis, dicens: *Donec veniat Schiloh.* Gen. 49: verſ. 10. Moſes: *Ambulabo in medio veſtri.* Lev. 26: 12. *Prophetam excitabo ipſis ex fratribus ipſorum, parem tibi, & loquetur verba mea.* Deut. 18: 15. 18. *Illi medii perambulati ſunt pedi tuo.* Deut. 33: 3. Unde & Iſraëlem vocat *Jeſchurun.* i. e. *Videntes.* Deut. 33: 5. David: *Quid eſt homo, quòd memor es ipſius: & filius hominis, quòd viſitas ipſum? Viſitat* enim Deus *filium hominis*, dum humanam naturam dignatur inhabitatione, & hominis formam induit. Unde & Chriſtus paſſim *Filius hominis* in Euangelio appellatur. Pſalm. 8: 5. *Deus eſt*, ſ. apparet, *in generatione juſti.* h. e. in filiis Chriſti, juſti: Ut, quum Chriſtus naſceretur. Pſ. 14: 5. *De cœlo proſpectavit Jehovah, vidit omnes filios hominis. A loco parato, quo ſedet, intendit omnibus habitantibus terram.* Pſalm. 33: 13. 14. *Ecce veni, de quo in volumine libri ſcriptum eſt. Facere voluntatem tuam volupe mihi fuit, & lux tua erat in medio viſcerum meorum.* Pſalm. 40: 8. 9. *A Sione perfectione pulchritudinis*, ubi ſcil. Prophetæ Dei, ubi rex David, ubi verbum Dei, ubi pii ſperantes ſalutem Iſraëlis, ubi ſacramenta gratiæ, ubi Chriſtus denique datus eſt, & Spiritus S. erat effundendus, cum fide & ſpiritualibus donis, *Deus effulſit.* Pſalm. 50: 2. *Deus à cœlo proſpectavit ſuper filios hominis.* Pſalm. 53: 3. Non dubitamus enim de hâc ultimâ Dei manifeſtatione hæc accipere, poſtquam eadem verba Pſalm. 14. mo de priore Dei manifeſtatione, ad montem Sinai, explicata ſunt. *Et propinquum eſt nomen tuum.* Quod tùm potuit dici, quum Deus veniret propè ad ſuos, cum omni demonſtratione virtutis in verbo de ſe patefactæ. Pſalm. 75: 2. *Deus exercituum, convertere, quæſo, ab irâ tuâ; proſpice de cœlo, & vide.* Nec tantùm: Sed etiam *vi-*

ſita vitem hanc. h. e. totum populum Iſraëliticum præſentiâ tuâ lætifica. nominatim *ſtirpem, quam plantavit dextra tua.* i. e. Tribum Judæ, vel eos de tribu Judæ, qui ex Babylone reducti, & in terrâ collocati ſunt. Pſalm. 80: 15. 16. p. pr. *Deus* Filius *ſtat*, tanquam Mediator ipſorum ad Deum, Rex, & Propheta, *in cœtu Dei* patris ſui, *in medio* illorum aliorum *Deorum*, i. e. regum & judicum, ſacerdotum, doctorum, qui in ipſum inſurrexerant, verbo & potentiâ ſuâ, *judicium exercet.* Sunt verba fidelium agnoſcentium apparitionem Dei in populo, & diſceptationem ejus cum Diis. Pſalm. 82: verſ. 1. *Deus ultionum effulſit.* i. e. apparuit, ἐπιφάνη Jehovah in carne, qui eſt Deus ultionum. Pſalm. 94: 1. *Jehovah*, poſtquàm Sionem ex pulvere excitâſſet, *apparuit in gloriâ ſuâ.* Sicut factum, cùm Deus apparuit in carne, & in gloriam ſuſceptus eſt: Pſalm. 102: 17. *Vias meas anarravi*, quarum ſcil. nulla me poſſit ad vitam deducere, ſive Phariſæos, ſive Sadducæos ſectarer; *& reſpondiſti mihi.* ut auctorem vitæ & ſalutis mihi dares. Pſalm. 119: 26. Scil. ſecundùm petitionem: *Reſponde mihi, Jehovah. Vocanti* nempe, ac deſideranti adventum tuum. Ibid. verſ. 145. q. d. Dic mihi, Adſum; ex Job. 38: 35. Atque ita etiam intelligenda ſunt iſta: *Ad Jehovam in arcto mihi*, id eſt, quum mihi arctum eſſet, utpote per totam vitam conſtituto in timore mortis & iræ Divinæ, *clamavi*; *& reſpondit mihi.* oſtendit ſe mihi propitium in Chriſto. Pſalm. 120: 1. *Jehovah, audi orationem meam; in veritate tuâ reſponde mihi in juſtitiâ tuâ.* Quo ſignificat Eccleſia ſub jugo conſtituta, ſe cupere audire verba convenientia juſtitiæ Dei, ut abſolventis peccatores in Chriſto, & videre opera ei conſentanea. Pſalm. 143: 1. Et ſic rurſus: *Feſtinanter reſponde mihi, Jehovah.* Ibid. verſ. 7. *Vide*, id eſt, veni, de cœlo deſcende, & experire, *afflictionem meam, & libera me.* à jugo dominantium, putà principum prioris ſæculi, & omnibus vinculis, reatu, ſervitute, metu, ſiti, &c. Pſalm. 119: 153. *Quum Jehovah reſtitueret Sionem in integrum.* i. e. Eccleſiam Deo in Sione, ubi erat arca & templum, ſervientem viſitaret, excitando Regem verum & juſtum ex domo Davidicâ, qui haberet regnum in totum Iſraëlem Dei, & in totum mundum. Pſalm. 126: 1. *Benedicet tibi Jehovah ex Sione.* id eſt, dabit vobis Levitis miniſtrantibus Deo in templo, ſtante adhuc miniſterio veſtro, redemtorem omnis benedictionis auctorem. Pſalm. 143: 3. *Jehovah, inclina cœlos tuos, & deſcende.* manifeſta te in terrâ. Pſalm. 144: 5. *Etiam extulit cornu populo ſuo.* dando ipſi Chriſtum. *gloriationem omnibus piis ſuis.* in quo ſe omnia habere profiteantur. Pſalm. 148: 14. *Et, lucente matutino, exorietur Sol.* i. e. Chriſtus, Sol juſtitiæ, ut appellatur Mal. 4: 2. apparebit, eritque adventus ejus cum gloriæ unigeniti tanquam à Patre demonſtratione, quæ gloria tanquam lux matutina videatur ab iis, qui ipſum cognoſcant eſſe Filium Dei. 2 Sam. 23: 4. *Omnis ſalus mea*, ſubintellige & ſalutis cauſa atque auctor, *& omne beneplacitum*, id eſt, omnis voluptas Dei in Eccleſiâ, ſine irâ & ſervitute, *exiſtet.* Ibid. verſ. 5.

§. 2. Eſaias: *Et erit in ſanctuarium.* Eſai. 8: 14. *Ecce ego.* Eſt ὑποτύπωσις verborum Chriſti ſeſe ſiſtentis, in ipſius παρουσίᾳ. Eſai. 8: 18. Atque ita accepit & Apoſtolus. Heb. 2: 13. *In die viſitationis.* i. e. apparitionis Filii Dei in carne. Eſai. 10: verſ. 3. *Venit manè*, i. e. filius Dei annuncians lucem tùm populo, tùm gentibus. Eſai. 21: 12. *Ecce ego is, qui fundavit in Sione lapidem.* i. e. in medio Iſraële manifeſtavit rupem ſalutis. Eſai. 28: 16. *Dic civitatibus Judæ, ecce Deus veſter. Et revelabitur gloria Domini.* Apparebit ſcil. Jehovah, ut Mediator Teſtamenti, & omnia faciet, per quæ ut Salvator mundi cognoſcatur. Eſ. 40: 5. Eſ. 40: 9. *Stillate cœli supernè, & nubes manent juſtitiâ.* Per deſcenſum ſcil. ejus, quem Deus vocavit

cum

cum juſtitiâ, ex cœlo in terram. *Ecce ſervus meus.* Eſt teſtimonium Patris de Filio, quem ſic quaſi digito commonſtrat, ut præſentem & revelatum. Eſai. 42: 1. *Vocatus cum juſtitiâ.* Stitit ergo ſe. Ib. verſ. 6. Eſ. 45: 8. *Quare veni.* ad populum meum ex ſervitute liberandum. Eſai. 50: 2. coll. 1. *Quis hic veniens ex Edom?... Ego qui loquitur in juſtitiâ, amplus ad ſalvandum.* In tali ſcil. temporis Articulo revelatur, quo populus Judaicus unus eſt cum Edom, & ſub regibus Idumæis. Eſai. 63: 1. *Et exſtitit ipſis Jehovah in ſalvatorem.* Quando ſcil. ipſis apparuit ut ſervus circumciſionis, & venit ad ſalvandas oves perditas domus Iſraël, & ipſis ſe oſtendit, ut Salvatorem. Ibid. verſ. 8.

§. 3. Jeremias: *Et ſervient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi regi ſuo, quem excitabo ipſis.* Jerem. 30: 9. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & faciam exſtare verbum bonum illud, quod locutus ſum ad domum Iſraël & de domo Judæ.* Intelligit promiſſionem de Chriſto. *In diebus illis & in tempore illo faciam oriri Davidi germen juſtitiæ, & faciet judicium & juſtitiam in terrâ.* Jerem. 33: 14. 15. *Aſcende adverſus habitantem Viſitationem.* i.e. Urbem viſitatam. Jerem. 50: 21. Conf. Zeph. 3: 1. *Donec proſpectet, & videat Jehovah ex cœlo.* Liberando ſcil. filios Sionis ex Capt. Bab., & eo quidem fine, ut ipſe veniat in terram ſuam, *& finiat pravitatem filiæ Sionis.* Thren. 3: 50. & 4: 22.

§. 4. Ezechiel: *Ex medio ignis velut Chaſmal* prodibat. Ez. 1: 4. Ea vox ibid. verſ. 28. explicatur per *Iridem.* In Iride autem mixtura colorum, ignei, rubri, & viridis, ſignificat mixturam juſtitiæ & gratiæ vivificantis per ſanguinem Mediatoris. *Et ſupra expanſum, quod erat ſupra caput illorum* animalium, viſus eſt *tanquam aſpectus lapidis Sappir, ſpecie throni.* Sappir eſt gemma rubri coloris ex Jer. 4: 7. Thronus gratiæ in ſanguine Chriſti ædificatus eſt. *Et ſuper ſpecie throni ſpecies ut aſpectus hominis ſuper illo erat ſurſum. Et vidi* hunc hominem *tanquam Chaſmal.... Hic erat aſpectus ſpeciei gloriæ Jehovæ.* q. d. Ita adumbrata mihi fuit glorioſa apparitio Jehovæ in carne cum regno ſuo. Ezech. 1: 26. 27. 28. *Et gloria Dei Iſraëlis tollebatur deſuper Cherubo, ſuper quo fuerat ad limen domus.* i.e. Chriſtus apparebat in carne ſub formâ ſervi. Ezech. 9: 3. *In die Jehovæ.* i.e. Jehovah apparente in carne. Ezech. 13: 6. *In odore fragrantiæ acceptos habebo vos, cùm ſanctificabor in vobis ante oculos gentium.* i.e. cùm ſanctificabor in aliquo Iſraëlitâ, nempe Chriſto, Eſai. 6: 16. vel in filiis Iſraël, quum ambulabo in medio illorum tanquam frater. Ezech. 20: 41. *Donec veniat, cujus eſt judicium,* quo ſcil. damnetur peccatum, *& cui dabo illud* judicium, collocando eum in ſolio ad judicandum. Ezech. 21: 32. *Die illo faciam germinare cornu domui Iſraël.* Id maximè impletum eſt, cùm ex domo Davidis crevit cornu, quod fecit populum liberum ab omni ſervitute. Ez. 29: 21. *Sic dixit Jehovah: Ecce me, me, inquam, qui curabo oves meas & luſtrabo eas.* Ez. 34: 11. *At Jehovah ibi exſtitit.* Sive: *Illas duas terras adiit,* & viſitavit. Ezech. 35: 10. *Cùm ſanctificabor in vobis coram ipſis.* Ezech. 36: 23. *Videbas, dum deſectus eſt lapis, qui non erat in manibus.* Dan. 2: 35. *Quandoquidem vidiſti, quòd à monte exciſus eſt lapis.* Ibid. verſ. 45. Atqui hic lapis, *qui non eſt in manibus,* i.e. non auxilio humano, ſed ſuâ ſponte ac virtute propriâ fertur ac movetur, quique ſimul *è monte exciſus,* i.e. ex populo Iſraëlitico ortus ac natus eſt, Deus eſt in carne manifeſtatus. *Uſque ad Unctum Principem.* Dan. 9: 25.

§. 5. Hoſeas: *Venerunt dies viſitationis.* i.e. apparitionis Dei in carne. Hoſ. 9: verſ. 7. Joël: *At, filii Sion, gaudete & lætamini in Jehovah Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam.* Jo. 2: 23. Michæas: *Nam ecce Jehovah exit è loco*

ſuo, & deſcendet, & calcabit celſa terræ. Adventus Dei, ſive manifeſtatio in carne, his deſignatur, ad occupandum regnum in toto mundo. Mich. 1: 3. *Ex te*, Bethlehem Ephrata, *mihi prodibit* Judex, *ut ſit dominator in Iſraële. cujus egreſſiones ſunt ab initio, à diebus ſæculi.* Mich. 5: 1. *Vox Jehovæ, qui urbem vocat, exſtat.* Mich. 6: 9. *Dies ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua, venit.* Illa ſcil. viſitatio, quâ Deus venit ad te. Luc. 19: 44. Mich. 7: 4. Habaccuc: *Præco ille, qui non mentietur, veniendo veniet.* Hab. 2: 3. *Deus ex Theman venit, & Sanctus è monte Paran. Selah.* Hab. 3: 3. Zephanias: *Timendus Jehovah ſuper ipſis erit, quum emaciaverit omnes Deos terræ.* Zeph. 2: 11. *Cui datum eſt videre.* Scil. Deum in carne manifeſtatum. Zeph. 3: 1. *Nam Jehovah juſtus in medio ejus erat.* Zeph. 3: 5. Zacharias: *Ecce ego venio & habitabo in medio tui, ait Jehovah.* Zach. 2: 14. *Ecce ego adduco ſervum meum* GERMEN. Zach. 3: 8. *Manus Sorobabelis fundârunt domum hanc, & manus ejus abſolvent: & cognoſces*, hoc quaſi ſigno, *quod Jehovah Deus exercituum miſerit me ad vos.* adeoque mox adventurum. Zach. 4: 9. *Ecce vir,* GERMEN *nomen ejus eſt, & deſubter ſe germinabit: & ædificabit templum Jehovæ.* Zach. 6: 12. *Sic dixit Jehovah: Reverſus ſum ad Sionem, & habitabo in medio Hieroſolymæ, & vocabitur Hieroſolyma, urbs illa veritatis, & mons Jehovæ Dei exercituum, Mons ille ſanctitatis.* Zach. 8: 3. Scil. mons ſanctitatis ab inhabitatione Divinâ ſic dicitur. Nec tamen in templo ſecundo fuit שְׁכִינָה / *habitatio*, qualis 1 Reg. 8: 12. neque arca, aut Cherubim, inter quos Deus dicebatur habitare. Intelligitur ergo Deo ibi in carne revelato, ibi *σκήνωσιν* fuiſſe. Johan. 1: 14. *Ibimus vobiſcum. Nam audivimus, Deum eſſe vobiſcum.* Zach. 8: 23. *Et non tranſibit ampliùs ſuper illos Exactor: quia jam vidi oculis meis. Gaude admodum, filia Sion, clange, filia Hieroſolymæ. Ecce Rex tuus venit tibi; juſtus & ſalvatus ipſe eſt.* Zach. 9: 8. 9. *Illo die proteget Jehovah habitatorem Hieroſolymæ; & erit languidus inter ipſos illo die, ut David: & domus* i. e. filius *Davidis ut Deus, ut Angelus Dei ante ipſos:* Zach. 12: 8. Malachias: *Maledictus, in cujus grege eſt maſculus, & ſacrificat corruptum Domino.* Mal. 1: 14. *Ecce ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me; & derepente veniet ad templum ſuum dominus ille, quem vos quæritis, & angelus ille fœderis, quo vos delectamini: ecce venit: dixit Jehovah Deus exercituum.* Mal. 3: 3. *Et orietur vobis, timentes nomen meum, ſol juſtitiæ, in cujus alis eſt ſanitas.* Mal. 4: 2. *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus ille & terribilis .... Ne veniam & percutiam terram anathemate.* Mal. 4: 5. 6.

§. 6. Eadem Dei revelatio in carne facilè ſubintelligitur in ſequentibus: *Semen mulieris conteret tibi* Serpenti ſeductori, i. e. Diabolo, *caput.* Hinc enim cognoſcitur, Deum, cujus ſolius eſt deſtruere vim Diaboli, aliquando ut ſemen mulieris, atque ita in formâ hominis, appariturum fuiſſe. Gen. 3: 15. *Et fiam ipſis in Deum.* i. e. omnem gratiam & veritatem ipſis præſtabo; quod conſequens eſt manifeſtationis Dei in carne. Gen. 17: 8. *Et circumcidet Jehovah Deus tuus cor tuum ad diligendum ipſum ex toto corde.* Quod etiam conſequens eſt adventus Chriſti. Deut. 30: 6. *Ignominioſè tractavit rupem ſalutis ſuæ.* i. e. Deum in carne manifeſtatum. Deut. 32: 15. *In altum redi.* Pſalm. 7: 8. Ut Pſalm. 68: 19. *Aſcendiſti in altum.* Scil. Deus inter homines habitaverat, quamdiu habuit tabernaculum in terrâ. Quando verò non voluit ampliùs domum habere in terris, & templum corporis Chriſti ex terrâ ſublatum eſt in cœlum, tum Deus in cœlum reverſus eſt. *Jehovah Domine noſter, quàm ingens eſt nomen tuum in totâ terrâ?* Pſalm. 8: 2. *Ejus rei cauſâ*, ut ſcil.

nomi-

nominis Dei majeſtas clariùs innoteſcat, *eſt ponere majeſtatem ſuam ſupra cœlos.* Filio ſcil. in cœlum aſſumto, & rege ac capite Eccleſiæ declarato, ut non ampliùs thronus regis Eccleſiæ in terrâ, ſed in cœlo quærendus ſit. Subindicatur, Deum antea poſuiſſe ſolium gloriæ in terrâ. nim. 1. inter Cherubim, in propitiatorio, ſuper arcâ; deinde & totam Hieroſolymam feciſſe ſolium ſuum, atque ita tandem aſcendiſſe in altum. Pſ. 8: 2. *Jehovah in æternum ſedebit in throno ſuo.* Significatur, Jehovam thronum occupâſſe, poſtquam ex eo in terram deſcendiſſet. Pſal. 9: 9. *Deus mi, clamo de die.* Pſal. 22: 2. *Cedite Jehovæ gloriam nominis ipſius.* Quo ſignificatur repræſentatio promiſſionum in Chriſto. Pſ. 29: 2. *De cœlo, loco ſedis ſuæ.* oppoſitè nempe ad habitationem inter Iſraëlitas. Pſ. 33: 13. 14. *Jehovah, in cœlum gratia tua.* i. e. Amor ille tuus, quo electos proſequeris, tantus eſt, ut in cœlum aſſurgat. Propter illum enim Filius Dei deſcendit de cœlo, & aſcendit in cœlum, ut cœlum & terram conjungeret. Pſ. 36: 6. *Deus-omnipotens, Deus, Jehovah locutus eſt.* Pſ. 50: 1: *Aſcendiſti in altum.* Eſt autem aſcenſus ejus, cujus & deſcenſus, explicante Apoſtolo, qui ex hoc loco conficit, Chriſtum de cœlo deſcendiſſe. Eph. 4: 8. 9. & ipſo Chriſto. Joh. 3: 13. Pſ. 68: 19. *Deus, judicia tua Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.* Involvitur huic petitioni & petitio adventus Chriſti, filii Dei. Pſal. 72: 1. *Deus, reduc nos, & lucere fac faciem tuam, & ſalvabimur.* Pſ. 80: 4. 8. 20. *Clangite in novilunio*, i. e. tempore, quo exortus Chriſtus, nova lux, *buccinâ.* Pſ. 81: 4. *In gratiam recepiſti terram tuam.* i. e. in carne veniſti, & annum gratiæ prædicâſti. Pſ. 85: 2. *Dies, quo clamavi.* Pſ. 88: 2. *Veniamus ante faciem ejus cum confeſſione.* Ubi *ante faciem* dicitur de παρουσίᾳ Dei in carne aſſumtâ, non, ut olim in ſymbolo, veluti templo. Ut hæc inhortatio præſupponat, Chriſtum præſentem eſſe, ut adiri poſſit. Pſ. 95: 2. *Coram Domino terrere*, aliàs anathemate percutienda, *ó Terra; coram Deo Jacobi.* Qui ſic denunciatur adveniſſe, & quidem cum gloriâ majore, quàm fuerit in adventu Iſraëlis ad hæreditatem ſuam. Pſ. 114: 7. *Non nobis, Jehovah, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam.* i. e. fac illa, quæ nomini tuo, naturæ, ac virtuti, ſint conſentanea. Inter quæ, maximè hoc loco, intelligenda eſt exhibitio Filii Dei in carne. Pſ. 115: 1. *Bonum feciſti cum ſervo tuo, Jehovah*, omnes benedictiones in Chriſto perfeciſti, *ſecundùm verbum tuum.* Pſ. 119: 65. *Celebrate Deum-omnipotentem in ſancto ſuo.* in quo habitat & manifeſtatus eſt. in Filio nim. in carne manifeſtato, qui & *Sanctum Jehovæ* appellatur, Mal. 2: 11. & τὸ ἅγιον, Luc. 1: 35. & ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ Luc. 4: 34. cujus & σκήνωμα, *habitaculum*, in quo apparuit, ut frater noſter, rectè appellatur *Sanctum Dei*, quippe quod & ναός *templum* vocatur, Joh. 2: 21. Pſ. 150: 1. Ita 2 Sam. 7: 11 — 16. 1 Chron. 17: 16. & ſeqq. promittitur Davidi ſemen, quod ἀμεταμελήτως habeat regnum æternum, & ædificet Deo templum ſpirituale. & ſtet coram Deo in domo ipſius, qui eſt cœlum, & ſit rex in regno Dei. Abſque hoc enim ſi ſit, tota promiſſio carebit ἐμφάσει & ἀμεταμελήτῳ. Ipſe David id explicat: *Et parum fuit etiam hoc in oculis tuis, Domine Jehovah, & locutus es de domo meâ in longinquum.* 2 Sam. 7: 19. Hoc verò regnum, ut conſtat aliunde, eſt Filii Dei; & ſic in carne revelati. *Secundùm fragrantiam unguentorum tuorum bonorum ut oleum evacuaris nomine tuo.* i. e. in carne appares cum demonſtratione omnis gratiæ ac virtutis Divinæ. Cant. 1: 3. *Poſt illa appellaberis urbs juſtitiæ, civitas fidelis.* i. e. demonſtrabitur effuſione Spiritus Sancti in te, coram toto mundo, juſtitiam & fidem eſſe apud Hieroſolymam, & in communione ejus. *Sion cum judicio redimetur, & reſipiſcentes ejus cum juſtitiâ.* Hæc autem redemtio, &c. præſupponit revelationem redemtoris Dei. Eſ. 1: 26. 27. *Lingua*

gua ipſorum & ſtudia ipſorum, contra Jehovam ſunt ad exacerbandum oculos glorioſos ipſius. præſentis nempe, & oculis ſuis inſpicientis ipſorum conditionem & ſtatum. Eſ. 3: 8. coll. Zach. 9: 8. Ita Eſ. 5: 3. & ſeqq. Viſitatio poſt diuturnam exſpectationem indicatur & reipſâ; (Poſt exſpectationem enim contendit.) & vocibus. *Et nunc*; vers 3. & 5. item modo contendendi, *inter me & vineam meam*; vers 3. &, *Judicabo vobis*; vers 5 Adde, quòd dicatur *exſpectâſſe ad juſtitiam.* Quæ in emphaſi pertinet ad tempus redemptionis. vers 7. *Vidi Dominum ſedentem in throno celſo & elato.* Eſt apparitio Dei regis in formâ humanâ, ſedentis in throno celſo & elato, parantis ſcil. regnum ſuum manifeſtare altiùs & excelſiùs, quàm olim. Eſ. 6: 1. Unde ibidem propheta exclamat: *Væ mihi: quia perii. Nam vir pollutus labiis ſum, & in medio populi polluti labiis habito. Nam regem Jehovam Deum exercituum viderunt oculi mei.* vers 5. *In die illo reliquum Iſraëlis nitetur Jehovah ſancto Iſraëlis in veritate. Reliquum convertetur, reliquum Jacobi ad Deum victorem.* Ubi *Jehovah* cùm dicitur *ſanctum Iſraëlis*, innuitur, illum in carne apparuiſſe; ut & cùm *Deus victor*, ſcil. Diaboli & mortis denominatur. Eſ. 10: 20: 21. *Et conſtabilitus eſt in gratiâ thronus.* In hâc gratiâ continetur & amor filii ſpectatus in ἀνθρωπ. ſecundum humanitatem. Eſ. 16: 5. *Offeretur munus Jehovæ Deo exercituum populus deterſus*; *ad locum nominis Jehovæ Dei exercituum.* Eſ. 18: 7. *Quod audivi à Jehovah, indicavi.* Eſ. 21: 10. *Addidiſti ad gentem, Jehovah, addidiſti ad gentem*, Hoc antecedens. *glorificatus es.* per exhibitionem Chriſti, qui verba tua loqueretur, & opera tua faceret, & juſtitiam æternam adduceret. Hoc conſequens. Eſ. 26: 15. Sic & quum audimus aliquem dicentem, *Spiritus Dominus eſt ſuper me*; facilè eum apparuiſſe judicamus. Eſ. 61: 1. *In tempore illo vocabunt Hieroſolymam Solium Jehovæ.* Deo ſcil. ſe in vicis Hieroſolymæ, imò in totâ terrâ manifeſtante. Jerem. 3: 17. *Et ſi non audient.* nempe quum venerit propheta ille loquens verba Dei. Jer. 12: 17. *Cognoſcere faciam eas manum meam & præpollentiam meam.* in flectendis ſcil. animis eorum, qui Judæos habuerunt captivos, ad eos dimittendum, *& poſtea cognoſcent, quòd nomen meum*, manifeſtatum in Chriſto, *ſit Jehovah.* Jerem. 16: 21. *Solium gloriæ in celſo præ priori eſt locus ſanctuarii noſtri.* propter apparitionem ſcil. Chriſti regis diu *exſpectati ab Iſraële.* Jerem. 17: 12. coll. 13. *Et fient mihi populus, & ego fiam ipſis Deus.* Eſt repetitio promiſſionis factæ Abrahamo ſup. Gen. 17: 8. Jer. 32: 38. *Non omittam te impunitum.* Sed in ipſo Iſraële, i. e. in aliquo Iſraëlitarum edam exemplum ſeveritatis meæ ad ſanctificandum me, & ad ſanctificandum mihi populum ex ipſis. Facilè eſt & hîc ſubintelligere Deum in carne manifeſtatum. Jerem. 46: 28. Qui etiam teſtatur, ſe Iſraëlitis *ſeſe propoſuiſſe confringendum.* nempe in carne aſſumtâ. Ez. 6: 9. *Et ego Jehovah ero ipſis in Deum.* nempe *paſtorem unum ipſis excitando, ſervum meum David.* i. e. Meſſiam filium Davidis. ut Ibidem explicatur. Ezech. 34: 24. coll. 23. *Et dabo illis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum, & auferam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo ipſis cor carneum. Ut in ſtatutis meis ambulent, & judicia mea obſervent, & ea faciant, & erunt* (ſive *fient*) *mihi in populum, & ego ero* (ſive *fiam*) *ipſis in Deum.* Ez. 11: 19. 20. Conf. ſup. Deut. 30: 6. & Gen. 17: 8. *Et in diebus regum illorum eriget Deus cœli regnum, quod in ſæcula non corrumpetur, & regnum ejus populo alii non relinquetur: Comminuet & conſumet omnia hæc regna, & ipſum ſtabit in ſæcula.* Dan. 2: 44. *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populo tuo, & ſuper urbe ſanctâ tuâ, ad coërcendum defectionem, & ad conſummandum peccata, & ad expiandum pravitatem, & ad adducendum juſtitiam æternam, & ad obſignandum viſionem & prophetam, & ad ungendum ſanctum ſanctorum.* Dan. 9: 25. *Et poſt ſeptimanas illas ſexaginta*

& duas

& duas exſcindetur Unctus. Ibid. v. 26. *Et fiet, loco ejus, quòd dicebatur ipſis, Non-populus meus eſtis vos, dicetur illis, Filii Dei vivi.* Hoſ. 2: 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Hoſ. 11: 1. *Illo die erigam tugurium Davidis jacens; & ſepiam rupturas illorum* (regnorum) *& deſtructa ipſius* (Davidis) *ſuſcitabo, & ædificabo illud* (tugurium) *ut diebus ſæculi.* Am. 9: 11. *Sic dixit Dominus Deus ad Edomum: Auditum audivimus à Jehovah.* Obad. vers 1. *Et erit in fine dierum, erit mons domus Domini aptus & conſtabilitus in capite montium, & elevabitur ſupra colles.* Mich. 4: 1. *Virgâ percutient in maxillâ Judicem Iſraëlis.* Ibid. vers 14. *Bonus eſt Jehovah, in arcem in die preſſuræ, & novit eos, qui confugiunt ad ipſum.* Nah. 1: 7. *Jehovah, molitio tua eſt in medio annorum vitæ ejus.* Hab. 3: 2. *Dixi, certè timebis Me.* Zeph. 3: 7. *Ædificate domum, & gratam habebo illam, & glorificabor; ait Jehovah.* Hagg. 1: 8. *Et implebo domum hanc gloriâ.* Hagg. 2: 7. *Major fiet gloria domus hujus poſterioris, quàm prioris, dixit Jehovah Deus exercituum; & in loco hoc dabo pacem, ait Jehovah Deus exercituum.* Hagg. 2: 9. *Illo die, ait Jehovah Deus exercituum, accipiam te, Sorobabel, fili Salathielis, ſerve mî, ait Jehovah, & ponam te ut ſigillum.* Ubi Chriſtus, filius Sorobabelis, Sorobabel appellatur. Hagg 2: 23. *Sic dixit Jehovah Deus meus; Paſce oves occidionis. Et pavi oves occidionis.* Zach. 11: 4. 7. *Et ſalvabit Jehovah tentoria Judæ initio; eò ut non magnificetur decus domus Davidis, & decus habitatoris Hieroſolymæ ſuper Judam.* Zach. 12: 7. *At vos profanatis nomen meum, dum dicitis; Menſa Jehovæ eſt polluta: & quod attinet germen ejus, contemtus eſt cibus ejus. Et dixiſtis; Ecce, quid defatigatio? Et difflaviſtis ipſum.* vel potiùs, *exſpirare feciſtis ipſum.* Mal. 1: 12. 13. Quorum nihil ſine apparitione Dei, aſſumtâque humanitate, intelligi poteſt.

§. 7. Quod autem Chriſtus venerit, *miſſus* à Patre, id teſtatur ipſe apud Eſaiam, cap. 48: 16. *Nunc Dominus Jehovah miſit me & Spiritum ſuum.* Et Zach. 4: 9. *Cognoſces, quòd Jehovah miſerit me ad vos.* Idemque ſignificatur hiſce: *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis.* Eſ. 9: 5. *Dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam.* Jo. 2: 23. *Vocatus cum juſtitiâ.* Eſ. 42: 6. *Ecce ego adduco ſervum meum Germen.* Zach. 3: 8.

§. 8. Quoniam verò in hoc inprimis Articulo, velut centro, omnes Prophetiæ, tàm antecedentes, quàm conſequentes, committuntur, ab eoque Spiritum ac vitam trahunt, multæ quoque ſunt in eodem ſuis partibus, & circumſtantiis omnis generis, diffundendo. Quod idcircò quomodo faciant, hujus eſt loci, ut recognoſcamus.

§. 9. Primò itaque, ut, quis ſit, & qualis perſona, quæ Iſraëlem viſitavit, intelligamus, ita eum deſcribunt Prophetæ, ut 1. appareat fuiſſe Deum in ſæcula benedictum. Vocant enim *Jehovam*; Deut. 33: 2. coll. 5. Pſ. 9: 9. 50: 1. 95: 1. 2. 102: 17. Eſ. 8: 13. 17. 40: 5. & 3. 48: 17. 52: 6. coll. 5. 63: 7. 8. Jerem. 3: 17. 23: 6. 33: 16. Ezech. 2: 4. coll. 1: 26. 6: 9. coll. 3. & 10. 13: 6. 35: 11. Jo. 2: 26. 27. Am. 5: 18. 20. Mich. 2: 13. 4: 13. ſ. Zach. 8: 3. & quidem *Jehovam juſtum*, qui ſcil. dictitans, ſe eſſe Jehovam, & unum cum Patre, & poſtulans in ſe credi, non mentiretur. Zeph. 3: 5. *Deum*, אֱלֹהִים Pſ. 14: 4. 45: 7. 8. 50: 1. 2. 53: 3. 65: 2. 75: 2. 76: 2. 80: 15. 16. 82: 1. Eſ. 8: 13. 45: 15. 48: 17. אלוה Pſ. 114: 7. *Deum omnipotentem*, אֵל/ Pſal. 50: 1. 49: 1. Eſ. 7: 14. 45: 15. *Deum victorem*, אֵל גִּבּור/ Eſ. 9: 5. 10: 21. *Dominum*, אָדוֹן/ Pſ. 110: 1. 114: 7. Zach. 4: 14. Mal. 3: 1. אֲדֹנָי/ quo nomine Divinò dominium omnium ſignificatur; Pſ. 2: 4. Ezech. 2: 14. coll. 1: 26. 6: 9. coll. 3. Hinc & *Cœlum* appellatur, Eſ. 43: 5. Eo ſcil. ſignificatu, quo

Rr per

per cœlum in Scripturis metonymicè intelligitur ipſe Deus, qui ex cœlo ſe quotidie manifeſtat, & in eo Angelis & beatis ſpiritibus gloriam ſuam conſpiciendam præbet. Vid. Dan 4: 33. Et *pater æternitatis*; qui nimirùm ab æterno apud Patrem fuerit, & ſpiritu æterno ſeipſum pro nobis obtulerit, nobiſque vitam æternam pepererit; Eſ. 9: 5. Et *Rex à priſco*; *cujus thronus firmus fuerit pridem.* מקדם / *prætunc.* q. d. ante omne tempus; utpote quum *à ſæculo fuerit ipſe*, & in æternum maneat idem. Pſ. 74: 12. & 93: 2. Et *habens egreſſiones æternas*; Mich. 5: 1. Et *lapis*, ſive *rupes.* i. e. qui & eſt, & vitam habet in ſe, & manet ſemper idem, & potens eſt ad ſuſtinendum omnia, præſertim eos, qui confugiunt ad ipſum. Deut. 32: 15. Pſal. 81: 17. Eſ. 28: 16. Atque ita *rupes ſalutis*, Deut. 32: 15. Pſ. 95: 1. coll. 2. Et *lapis, qui non in manibus eſt.* id eſt, non auxilio humano, ſed ſuâ ſponte ac virtute propriâ fertur ac movetur. Dan. 2: 35. 45. Indidem & *Sol*; 2 Sam. 23: 4. Nimirum *Sol juſtitiæ*; Mal. 4: 2. & *Luces*, h. e. omnimoda Lux; id eſt, cui verè competat veritas, & ſanctitas, & majeſtas Divina; Deut. 33: 8. Et *radix Ieſſe*; Eſ. 11: 1. & *radix Davidis*; Apoc. 5: 5. qui nimirum Jeſſen, & Davidem, ac familiam ejus, ſuſtineat ac vivificet. Ac denique hinc *juſtitia*, quâ Deus juſtificat peccatorem in Filio, dicitur *eſſe, ut montes Dei*; Pſ. 36: 7. Propter dignitatem ſcil. ac divinitatem perſonæ. Et ei, qui *in ſancto ſuo* apparuerat; Pſ. 150: 1. tribuitur *magnitudo*; Ibid. vers 2. Eaque magnitudo dicitur habere *amplitudinem.* Ibid. Eſt enim ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν; & dignus idcircò, qui *ſecundùm amplitudinem magnitudinis ſuæ celebretur.* Ut eſt Ibid. vers 2. 2. Filium Dei, ſecundùm perſonam Sacro-ſanctæ Trinitatis. Ita enim diſtinctè appellatur *Filius*; Pſ. 2: 12. Eſ. 9: 5. Ubi & *Deus*; ſicque *Filius Deus.* id eſt, *Filius Dei*: Sicut expreſſè nominatur, Pſ. 2: 7. Hoſ. 11: 1. *Quem* nimirùm *ipſe hodie*, id eſt ab æterno, *genuerit*; Pſ. 2: 7. *Filius Regis*; Pſ. 72: 1. *Germen Jehovæ*; Eſ. 4: 2. Mal. 1: 12. Imò *Unigenitus* Dei Filius; Zach. 12: 10. Atque hinc *ut Deus.* id eſt, par Deo Patri, à quo genitus eſt, imò reverâ ipſe Deus; Zach. 12: 8. *Proximus Dei*; Zach. 13: 7. Qui nimirùm *ſit apud Deum*; Pſ. 7: 11. Hoſ. 9: 8. & Joh. 1: 1. Ita ſcil. ut ab ipſo divelli non poſſit: Imò unum cum Deo, cuius gloriam Deus quærat, cui omnia dederit ſanctificanda ſanguine & ſpiritu ſuo, ſibique tandem & Deo ſubjicienda; ſicque ἴσα Θεῷ comparens. Qui *ſit Jehovæ* id eſt, quem Jehovah habeat apud ſe; Pſal. 91: 2. *Dilectus Jehovæ*; Deut. 33: 12. Pſal. 127: 1. Eſ. 5: 1. Jerem. 11: 15. *Quo Deus delectatur*; Pſ. 22: 9. 41: 12. In quo complacentiam habet ſcilicet. Qui *Jehovam* haberet *gloriam ſuam.* utpote apud quem haberet gloriam illam, quòd eſſet Filius ipſius; Pſal. 3: 3. Et qui idcircò advenerit cum gloriæ tanquam unigeniti à Patre, demonſtratione, quæ gloria fuerit inſtar *lucis matutinæ*, agnitæ ab iis, qui ipſum cognoverunt eſſe Filium Dei; 2 Sam. 23: 4. *Gloria Jehovæ*; Ezech. 10: 4. *Sigillum.* nim. Dei, in quo Deus ipſe, & nomen ipſius erat manifeſtandum; Hagg. 2: 23. *Angelus faciei Jehovæ*; qui nim. eſt apud Deum, & faciem Dei videt, & in quo videtur Deus, quando mittitur ad homines; Eſ. 63: 9. *Angelus Dei*; Zach. 12: 8. *Rex Jehovæ*; Pſ. 2: 6. 18: 51. *Unctus*, ſive *Chriſtus Jehovæ*; Pſ. 2: 2. 18: 51. 89: 52. 132: 17. Per quem ſc., ut imaginem & effigiem Dei, in ipſum credant, eique ſe ſubjiciant; quique ſit æterno Dei conſilio deſignatus rex ſalvandorum, & acceperit ſpiritum non ad menſuram, atque ad regnum terreſtre, ſed ut in ipſo, tanquam capite, reperiatur habitans plenitudo Deitatis corporaliter. Unde & *Spiritum Jehovæ ſuper ſe eſſe.* id eſt, plenitudinem Dei Patris in ſe habitare, ipſe profitetur; Eſ. 61: 1.

§. 10. De

§. 10. De naturâ ejus duplici, Divinâ & humanâ, etiam expreſſè, tùm conjunctim, tùm ſeorſum, ſic Prophetæ. Conjunctim quidem, ubi & *ſemen mulieris* vocant, & *contriturum caput ſerpentis*; Gen. 3: 15. *Rupem ſalutis*, & *ignominioſè tractandam*; Deut. 32: 15. *Regem Jehovæ*, & *ſemen Davidis*. Pſalm. 18: 51. *Germen Jehovæ*, i. e. filium Dei, & *Fructum terræ* i. e. hominem; Eſ. 4: 2. Signum *ex imo* i.e. ex terrâ, & *ex ſummo* i.e. ex cœlo; atque ita reverâ *Immanuelem*, *Deum nobiſcum*, in carne noſtrâ verſantem ſcil. Eſai. 7: 11. & 14. *Filium Deum*, & *Puerum* tamen; Eſai. 9: 5. *Virgam exeuntem è trunco Jeſſe*, per aſſumtum habitaculum ex trunco Jeſſe, & *Radicem Jeſſe*, qui nimirùm ipſum ſuſtineat & vivificet; Eſ. 11: 1. *Jehovam*, qui teſtetur, *ſe fleviſſe*; Eſai. 16: 9. *Deum*, qui tamen *ſe occultet* in formâ humanâ, & quidem ſervi, quo minus inter homines cum irrefragabili majeſtate, nec *ἴσα Θεῷ*, h. e. ita ut par Deo eſſet, verſaretur; Eſai. 45: 13. *Tanquam hominem*; Ezech. 1: 26. & tamen *Dominum Jehovam*; Ibid. cap. 2: 4. *Dominum Jehovam*, qui *ſe confringendum præbuerit*; Ezech. 6: 9. coll. verſ. 3. & 10. *Lapidem qui non eſt in manibus*; ut ſuprà: & tamen *ex monte*, id eſt populo Iſraëlitico, *exciſum*; Dan. 2: 35. 45. *Habentem egreſſiones æternas*, & *naſciturum*; Mich. 5: 1. *Virum germen*; Zach. 6: 12. 3: 8. add. Jerem. 23: 5. & 33: 15. nempe *deſubter ſe germinantem*. Zach. 6: 12. nullo ſatu, nullâ plantatione, non à radice aliquâ, ex virgine per virtutem propriam divinitatis, & proprium jus, à nullo homine acceptum ad occupandum eos, qui ipſi dati ſunt. Zach. 6: 12. *Domum Davidis*, i. e. hominem ex poſteris Davidis; & *ut Deum*, parem Deo Patri, à quo miſſus eſt; imò reverâ ipſum Deum; Zach. 12: 8. *Virum* quidem, id eſt humanâ naturâ præditum, ſed *proximum Dei*, qui ſit apud Deum, & unum cum ipſo; Zach. 13: 7. *Germen Dei*, utpote egredientem ex patre, & *cibo communi victitantem*; item *maſculum*, Mal. 1: 12. 14.

§. 11. Seorſum autem, ubi & *Deum* illum, & *hominem*, ſolitariis elogiis inſigniunt. Et de priore quidem paulò ante viſum eſt. Poſteriori, præter jam dicta, fidem faciunt iſta: *Filius hominis* vocatur Davidi; Pſalm. 8: 5. & 45: 3. Ubi & *patres* ipſi tribuuntur, verſ. 17. Et *vir*; Pſalm. 112: 1. Item *maſculus* Eſaiæ, cap: 66: 7. & Jeremiæ, cap. 31: 22. Huc refer, quæ de genere, & modo apparitionis ipſius, infrà dicentur.

§. 12. Quoad officium, faciunt eum in genere tùm Salvatorem, tùm Mediatorem, & Sponſorem, Prophetæ. Salvatorem quidem Jacobus in ultimis, hâc oratione: *Ad ſalutem tuam ſpero, Jehovah.* Gen. 49: 18. David Pſalm. 68: 21. ubi vocat *Deum ad ſalvandum*. Item 2 Sam. 23: 5. *Quòd omnis ſalus mea*, tùm à reatu peccati, tùm à peccati accuſatione, tùm à ſervitute peccati, atque etiam elementorum mundi, tùm à morte & omni miſeriâ, ſit in cauſâ ejus conſummanda & repræſentanda. Eſaias: *Et extitit ipſis Jehovah in Salvatorem.* Apparuit ſcil. ipſis, ut ſervus circumciſionis, & venit ad ſalvandas oves perditas domus Iſraël, & ipſis ſe oſtendit ut Salvatorem, idque tùm auferendo morbos eorum, tùm patiendo in conſpectu eorum, tùm effundendo Spiritum ſuum, tùm prædicando Euangelium, ipſis demonſtravit. Eſai. 63: 8. Pertinet huc quod vocetur *Goël*, i. e. *aſſertor*; Eſai. 52: 3. qui ſcil. veniſſet ad redimendum ſuos à nexu legis, à reatu, ab accuſatione peccati, & conſequenter à ſervitute; idque pretio quidem, ſed *non* auri vel *argenti*. & *Sanctificatorem*, Eſai. 10: 21. & *juſtitiæ cauſam atque auctorem* Eſai. 53: verſ. 11. & *ſemen* illud, *in quo eſſent benedicendæ omnes gentes*. Gen. 22: 18. & Pſal. 45: 3. col. 3.

 §. 13. Me-

§. 13. Mediatorem verò indicat denominatio *clypei* ipſi tributa Pſalm. 7: 11. Clypeus enim fidelium eſt ac dicitur, quia Deus ipſum conſtituit & elegit tanquam medium ad pios ſalvandum. Item quando *ſtare* dicitur *in cœtu Dei* Patris ſui, tanquam Mediator ſcil. ſuorum ad Deum. Pſalm. 82: 1. Et vocatur *Angelus Dei.* i. e. Mediator. Zach. 12: 1.

§. 14. Sponſorem denique arguunt loca, in quibus Chriſtus peccata illorum, pro quibus ſpoponderat, vocat *peccata ſua.* Ut Pſalm. 40: 13. Ut enim ipſe juſtitiam ſuam nobis dat, ita ipſe peccata noſtra ſua facit. Atque ita dicit, *ſe teneri Deo.* i. e. illi obligatum eſſe ad pœnam, cui & peccaverit ſcil. Pſal. 41: 5. Quod autem non aliter, quam vi ſponſionis, peccata electorum ſibi attribuat, evidenter probat locus Pſalm. 69: 5. 6. ubi primò negat ſe ſatisfacere vel pati pro eo, quod ipſe rapuerit, verbis: *Quod non rapui, tunc reddam.* i. e. reddam & reſtituam Deo gloriam, quam non ego, ſed homines, ei eripuerunt, cùm patiar mortem. Et tamen ſecundò fatetur ſtultitias & reatus ſuos, verbis: *O Deus, tu nôſti uſque ad levitatem meam, & reatus mei à te non ſunt occulti. Suos* ergo per ſponſionem. Q. d. noviſti omnes reatus uſque ad leviſſimas culpas, pro quibus luam, & quod nullum in eis ſit meum delictum proprium, vel erratam, quo tuum jus violaverim, ut reſtituturus ſim, quod ego rapuerim. Similiter *in ipſum incubuiſſe* dicitur *æſtus Jehovæ;* quem nimirùm is conceperat erga peccatum, quod Chriſtus in ſe, ut ſponſor, ſuſcepit. Pſalm. 88: 8. Et pleno ore Eſaias: *Enimverò morbos noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe bajulavit.* non tantùm auferendo morbos & ſanando, ſed etiam morbis ac doloribus tentatus, ut nos ab illis liberaret. Vid. Matth. 8: 17. Eſai. 53: 4. Item: *Atqui ille dolore afficiebatur à defectionibus noſtris, enervabatur à pravitatibus noſtris.* Ibid. verſ. 5. Et rurſus: *Exemplaris pœna ſuper ipſo* fuit cauſa *pacis noſtræ* & incolumitatis, factus pro nobis peccatum & exemplum iræ Divinæ, ut nos eſſemus incolumes; & maledictionis expertes; *& vibice ipſius* (totam paſſionem per partem deſignat) *ſanatio nobis facta eſt.* Ibid. verſ. 5. Pergit adhuc: *Omnes nos* tàm gentes, quàm Judæi, *ut oves erraveramus* à paſtore animarum, & *quiſque ad viam ſuam reſpexeramus*, conſilium quiſque proprium de parandâ juſtitiâ ſecuti; *& Dominus fecit incurrere in ipſum pravitatem omnium noſtrum*, eum faciendo ſervum ſuum, & conſtituendo ſub legem dilectionis fratrum, & obligando ad voluntatem offerendi victimam pro illis. verſ. 6. Cùm *exigeretur* pravitas omnium noſtrûm, ac tempus veniſſet, quo Deus volebat condemnare peccatum, tùm *ipſe ſe ſubmiſit*, ac ſtitit, tanquam ſponſor & ſacerdos, paratus ad excipiendas plagas pro nobis. Et quidem cum ſilentio & tolerantiâ, tanquam *agnus* &c. verſ. 7. Adhuc verſ. 10. tanquam ſponſor deſcribitur, cùm dicitur *poſitura anima*, ſ. enixa voluntas & charitas *ejus ſatisfactionis pretium*, vel *ſacrificium pro reatu*, & tùm *viſurus ſemen*, ſ. peculium. Ac denique verſ. 12. ubi dicitur *peccata multorum tuliſſe.* Nec diſſimilis eſt locus Eſai. 63. ubi poſtquam Chriſtus introductus fuiſſet cum habitu *fermentati veſtes*, ſ. *cujus veſtes ſunt ut calcantis uvas in torculari*, uvidæ ſcil. & turgidæ; & humore quidem, qui *ruber* dicitur; quo ſignificatur abundantia dolorum, & totius carnis cruentatio: Inquiritur de cauſâ paſſionum Chriſti; unde ſcil. ſanguis adſit ejus veſtimento? verſ. 2. & reſpondet Chriſtus *ſe populos calcâſſe.* i. e. omnem carnem aboleviſſe, crucifixiſſe vetuſtum hominem ad ſalutem Eccleſiæ & abolitionem omnium refractariorum, tàm Judæorum, quàm gentium, per crucifixionem ſuam. Itaque ſe *ſanguine* omnium populorum, tùm redimendorum, tùm inobedientium, *aſperſum.* i. e. cum ipſis ſe ſanguine inquinatum eſſe. Ibid. verſ. 3. Atque ita ſe

Spon-

Sponſorem demonſtrat. Qualem etiam oſtendunt ſequentia; in quibus Eccleſia narrat, *Jehovam ipſis factum eſſe in Salvatorem.* verſ. 8. Idque beneficium, ceu nuperum & magnum, illuſtrat à gratiâ ſuperioris temporis, & inde exaggerat. Nempe quod *in omni anguſtiâ ipſorum non oppugnaverit eos* quiſquam, *quin ſtatim Angelus faciei Jehovæ ipſos ſalvârit, & in dilectione ſuâ ipſos aſſeruerit ſuos,* ſ. pro ipſis tanquam ſponſor interceſſerit, & ſibi liberos dimitti petierit, *quòdque illos ſibi quaſi impoſitos tulerit,* verbo potentiæ ſuæ, *omnibus diebus ſæculi.* verſ. 9. Et huc pertinet, quod jubeatur Iſrael *non timere* tùm, cùm *Deus Iſraëlem non erat dimiſſurus impunitum.* Jerem. 46: 28.

§. 15. In ſpecie, ut triplex, hoc officium Mediatorium notatur in propheticâ: Propheticum, Sacerdotale, & Regium. Propheticum: Ut Deut. 18: 15. 18. *Prophetam excitabo ipſis ex fratribus ipſorum parem tibi* (neutiquam minorem te) *& loquetur verba mea.* Et hinc *conſiliarius* appellatur; Eſai. 9: 5. qui quæ non modo audiverit, ſed & viderit apud Patrem, teſtatus ſit, & Deum nobis enarraverit, ipſa ſapientia & λόγος. Et *ſuper ipſo requieviſſe* dicitur *Spiritus conſilii*, quo homini de viâ ſalutis optimum conſilium daret. Eſai. 11: 1. Et deſcribitur, ut *doctor ad bonum*, & ductor ac adjutor ad eundum in viâ, quæ non perit. Eſai. 48: 17. Ut *teſtis nationum*, ſ. tribuum Iſraëlis. i. e. ut habens verbum ante non auditum, verba ſcil. Dei, quæ ſupererant dicenda, & habens auctoritatem & nomen, propter quod ipſi ſit credendum; & ut *præceptor rationum*, quia habet legem, quam ipſis proponat, & quidem ſuo jure, ut Dominus, legem nempe fidei & veritatis. Eſai. 55: 4. Chriſtus ipſe *ſe unctum* à Jehovâ dicit *ad Euangelizandum manſuetis.* i. e. ad annuntiandum bonum diu exſpectatum; *miſſum ad prædicandum abductis in captivitatem libertatem.* i. e. abolitionem imperii mortis, quod habebat Diabolus, & chirographi, quod erat contrarium etiam ſperantibus, & ſic omnis jugi & ſervitutis. Eſai. 61: 1. *Ad prædicandum annum acceptationis Jehovæ, & diem ultionis Deo noſtro.* Ibid. verſ. 2. Hinc deſcribitur, ut talis, quem omnes *audire* oportet; Jer. 12: 17. Et *Doctor juſtitiæ*; Jo. 2: 23. & *Teſtis*; Mich. 1: 2. & *Præco*; Hab. 2: verſ. 3. & *Angelus fœderis*; i. e. Interpres fœderis, ſ. Teſtamenti Dei de hæreditate ipſi tradendâ, & exigens ſ. ſtipulans à nobis fidem per verbum & Spiritum ſuum; Mal. 3: 3. Et *Index*, qui cum *Indice altero*, Spiritu S., teſtetur *id quod audivit* à Patre. Zach. 9: 12. coll. Ob. verſ. 1. Et huc refur, quod dicatur *Sol*; 2 Sam. 23: 4. Mal. 4: 2. & *lucerna*, nempe ad illuſtrandum tenebras, & oculos cæcorum illuminandum, ut in ipſo videant lucem; Pſalm. 132: 17. & *gentibus datus in lucem.* i. e. ut gentes in ipſo cognoſcerent, quis ſit verus Deus; Eſai. 42: 6. atque ita ab *idolis*, verſ. 17. converterentur ad verum Deum, & ſalvarentur.

§. 16. Sacerdotale: Ut quando dicitur *expiare pravitates & defectiones*, pretio dato; quarum *pravitatum verba*, eas commemorantia, hactenùs *exſuperârant* piòs ſub V. T. Pſalm. 65: 4. Et nominatur *Sacerdos*, Pſalm. 110: 4. Et tribuitur ei, quod ſit *poſitura anima ejus ſatisfactionis pretium*, vel *ſacrificium pro reatu.* Eſai. 53: verſ. 10. Et *pravitates eorum ipſe bajulaturus*; nempe intercedendo pro peccatis Eccleſiæ; Ibid. verſ. 11. & *pro peccatoribus interceſſiſſe*; Ibid. verſ. 12. Et *facturus* Deus, *ut ille appropinquaret*, tanquam ſacerdos, ad expiandum peccatum, & ad accipiendum bonum pro peccatore. Jerem. 30: 21. Et *deſcendiſſe ad limen domus*, tanquam ſervus paratus facere voluntatem Dei, & ſacerdos. Ezech. 9: 3. Et *futurus ſacerdos in throno Jehovæ*; Zach. 6: 13. Qui nempe *peccata mundi eſſet abſterſurus uno die.* i. e. uno ſacrificio; Zach. 3: 9.

§. 17. Re-

§. 17. Regium ipſius officium jam olim prævidit ac deſignavit Bileam in iſtis: *Procedit ſtella ex Jacobo, & ſurgit ſceptrum ex Iſraële.* Num. 24: 17. Ubi per *Stellam ex Jacobo*, intelligitur regnum Davidis; per *Sceptrum ex Iſraële*, Chriſti regnum. Illius ſiquidem eſt *angulos Moabi deſtigere*; hujus *diruere omnes filios Sethi*, h. e. omnem carnem abolere ad conſtituendum regnum æternum. De quo regno, & ejus inchoandi tempore, & progreſſu ejus ad victoriam & triumphum, agit verſ. 18. 19. *Et fiet Edom hæreditas, & fiet hæreditas Seïr, inimici ejus; & Iſraël ſtrenuè rem geret: &* tunc demum *dominabitur* aliquis *ex Jacobo; qui perdet ſuperſtitem de Urbe.* Sic & 2 Sam. 7: 11 — 16. Promittitur Davidi ſemen, quod habeat regnum æternum, & ædificet Deo templum ſpirituale, & ſemper ſtet coram Deo in domo ipſius, qui eſt cœlum, & ſit rex in regno Dei. Abſque hoc enim ſi ſit, tota promiſſio carebit ἐμφάσει & ἀμεταμελήτῳ. Et ipſe David de regno Chriſti id explicat. verſ. 19. Simili modo accipe promiſſionem, Pſalm. 89: 29. 30. item 34 — 38. Porrò hoc officium etiam denotant appellationes *Regis*; Pſ. 2: 6. 18: 51. 21: 2. 8. Jerem. 30: 9. Ezech. 37: 24. Mich. 2: 13. Zach. 9: 9. Principis; Pſal. 22: 29. Eſai. 9: 5. 55: 4. Ezech. 34: 24 *Ducis ac Poteſtatem habentis*; Jerem. 30: 21. *Cornu*; Pſal. 132: 17. Ezech. 29: 21. *Paſtoris*; Ezech. 34: 23. 37: 24. Et prædicata, *ſedere ſuper throno*; Eſai. 16: 5. Jerem. 33: 17. Zach. 6: 13. *judicium habere*; Ezech. 21: 32. *paſcere oves*; Ezech. 34: 14. 15. Et opera regia, qualia ſunt, *Educere victos ex clauſtro*; Eſai. 42: 7. *Reducere Jacobum ad Deum*; Eſai. 49: 6. Spoliare *fortem* illum, τὸν κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, & quidem per legem, unde & *juſtus* is appellatur, robore ſuo, ut *captiva ejus capiantur*; Eſ. 49: 24. 25. Et ſimilia innumera, Chriſto attributa.

§. 18. Unam vero eandemque perſonam futuram fuiſſe, quæ munere ſacerdotali & regio eſſet functura, docetur Jerem. 30: 21. *Et exiſtet dux ejus, ex ipſo .... & faciam eum appropinquare, & accedet ad me.* Et Zach. 6: 13. *Et conſidebit & dominabitur in throno ejus; & erit ſacerdos in throno ejus.*

§. 19. Ad hoc officium mediatorium rectè & efficaciter obeundum, erat *unctus à Jehovâ*; h. e. non tantùm æterno conſilio deſtinatus, ſed & in tempore præparatus, quatenùs Spiritus Jehovæ ſanctificavit ipſius naturam humanam, & idoneis eam virtutibus & qualitatibus inſtruxit, quibus illud feliciter exſequeretur. De *unctione* vide Pſalm. 2: 2. 18: 51. 89: 52. Eſai. 61: 1. Et qualitates quod attinet, dicitur ab iis in genere *pulcher præ filiis hominum*; Pſalm. 45: 3. & deſcribitur, ut ſufficiens, & ut potens ad ſalvandum, verbis: *Numquid abbreviata eſt manus mea, ne poſſit redimere? & annon eſt in me vis ad eripiendum?* Eſai. 50: 2. Item: *Quis hic veniens ex Edom?* &c. *Ego multus ad ſalvandum.* Eſai. 63: 1. In ſpecie verò ea pulchritudo, & ſufficientia, ad duo inprimis capita refertur. 1. Quòd non eſſet homo ψιλὸς, ſed & Deus. Hoc enim requirebatur, ut *fortem* illum, nempe τὸν κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου poſſet abolere; Eſai. 49: 24. 25. unde & *Heros* ſ. *præpotens* appellatur; eique *gladius* tribuitur, id eſt imperium Dei efficax, quo Diabolus ſuo dominio, quod habebat, eſſet exuendus. Pſalm. 45: 4. Hinc *Deus victor* Diaboli & mortis. Eſai. 9: 5. 10: 21. Et inter alia dicitur Deus *dediſſe ſpiritum ſuum ſuper ipſum.* i. e. feciſſe ut in ipſo habitaret voluntas & potentia ad omnia efficiendum, quæ ad hominis ſalutem pertinerent; Eſai. 42: 1. Et *ſuper ipſo* dicitur *fuiſſe ſpiritus Jehovæ* i. e. plenitudo Patris habitâſſe, atque ita & gratia & potentia patris in ipſo fuiſſe; Eſai. 61: 1. Quare & *Unctus Jehovæ* appellatur; Unctus ſcil. oleo non caduco, & ſpiritu ad menſuram, ſed ut in ipſo, tanquam in capite, reperiatur

habi-

habitans plenitudo Deitatis corporaliter, utque ipſum ſpiritum, ut ſuum, membris impertiri poſſet, non ad menſuram ſpiritus ſervitutis, ſed ad abundantiam ſpiritus libertatis & filiationis. Pſ. 2: 2. 18: 51. 89: 52. Et antonomaſticè ſ. ſubſtantivè *Meſſias*, hoc eſt, *Chriſtus*, ſ. *Unctus*. Dan. 9: 25. 26. Hinc & *brachium* ipſi adſignatur; id eſt potentia Divina, quâ *ſalutem ſibi attulerit*. Eſ. 63: 5. Ex *ſpeciei hominis*, qui ab Ezechiele videbatur *ſuper throno*; Ezech. 1: 26. tribuitur *aſpectus Chaſmal*; Ibid. vers 27. id eſt, *iridis* Ib. vers 29. quo miſtura iræ & gratiæ notatur. 2. Quòd eſſet homo juſtus & ſeparatus à peccatoribus: Qui *dixiſſet Jehovæ*, corde & opere *Dominus es tu*. Pſ. 16: 2. *Et tu es motus meus ab utero*. Pſ. 22: 10. *Quem etiam noctibus coërcerent renes ſui*. i. e. cujus etiam intimi affectus eſſent ſancti. Pſ. 16: 7. *Cui volupe eſſet facere voluntatem Dei, & in cujus medio viſcerum eſſet Lex Dei*. i. e. qui nihil, quod Lex Dei poſtulat, eſſet neglecturus, ſed omnem juſtitiam impleturus; idque cum voluptate & lubentiâ ex amore Dei. Quis homo hoc de ſe dicat pleno ſenſu, præter Chriſtum? Pſ. 40: 9. *Timens Jehovam, & in præceptis ejus ſe oblectans valde*. Pſal. 112: 1. *Ancipites odio habens, & legem Dei diligens*. Pſ. 119: 113. Et ſic *faciens judicium & juſtitiam*. Ibid. vers 121. Hinc *vocatus cum juſtitia*. i. e. perfectâ obedientiâ; Eſ. 42: 6. Et qui *loquitur cum juſtitiâ*. Eſ. 63: 1. & *juſtus ſervus Dei*; Eſ. 53: 11. *& germen juſtum*; Jerem. 23: 5. & 33: 15. quia omnem legem erat impleturus, omniaque munia Mediatoris & Sponſoris. *Nec vim feciſſe* dicitur, *nec fuiſſe fraus in ore ipſius*. ut innoxius ſcil. nulliusque mendacii compertus. Eſ. 53: 9. & tribuitur ipſi *ardor* i. e. voluntas enixa & fervens quâ dilexit juſtitiam, & odio habuit improbitatem. Eſ. 63: 5. Et *molle* quid vocatur, i. e. Deo obediens, cumque timens. Ezech. 17: 22.

§. 20. Hæc omnia requiſita in pugillum ita contrahit, Eſaias: *Et quieſcet ſuper ipſo ſpiritus Jehovæ; ſpiritus ſapientiæ*, ut qui optimè cognoſceret, quâ viâ homo ad ſalutem pervenire poſſet; *& prudentiæ*, qui quid ſit bonum & utile, quid item malum & noxium hominibus, & doctrinâ & exemplo ſuo oſtenderet; *ſpiritus conſilii*, inter quem & Patrem eſſet conſilium æternum pacis, quique homini de viâ ſalutis optimum conſilium daret; & *fortitudinis*, tùm ad potenter & efficaciter hominem ſalvandum, tùm ad ferendas paſſiones. Denique *Spiritus cognitionis*, ſ. dilectionis, ut fratribus συμπαθῆσαι, eorumque ſeſe infirmitatibus accommodare ſciret; *& timoris Jehovæ*, ut & horreret peccatum, & nomen Dei ſanctificaret, perfectiſſimè obediendo. Eſ. 11: 2.

§. 21. In ſpecie, ad officium propheticum rectè adminiſtrandum tribuitur ei *veritas*; ad ſacerdotale, *manſuetudo*; ad regium *juſtitia*. Pſ. 45: 5.

§. 22. Cauſæ exhibendi hunc Mediatorem, cùm principales, tùm impulſivæ, internæ, & externæ ita hîc proponuntur; ut ſimul falſæ ab eodem opere excludantur. Inprimis enim quamcumque Vates noſtri ponant cauſam, procul habent omnem dignitatem & meritum humanum. Ut Pſalmiſta: *Non nobis, Jehovah, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. q. d. Minimè hoc nobis in votis eſt, ut nobis detur gloria, quaſi nos noſtris operibus juſti ſimus, noſtra voluntate elegerimus Deum, noſtris operibus eum faciamus glorioſiorem, noſtris divitiis auctiorem, aut aliquid omnino nobis tanquam noſtrum poſſit imputari, aut nos cupiamus cum ſapientiâ noſtrâ & bonitate ac virtutibus noſtris in mundo celebrari ac nominari; ſed tu, Jehovah, mittendo Filium, fac eâ, quæ naturæ tuæ, virtuti & nomini, quod exſtat Ex. 34: 7. ſunt conſentanea. Pſ. 115: 1. Atque ita rurſus, in ultimis: *Nam non ſic*, (vel *non recta*) *eſt domus mea apud Deum*. q. d. Equidem accepi promiſſionem de domo,

domo, quam mihi facturus ſit Deus. Sed non eſt putandum, quod ſemen meum carnale iſtiusmodi ſit, vel etiam apud Deum ſit rectum. Id enim non ambulabit in ſtatutis Dei. 2 Sam. 23: 5. Et clariùs Ezech. 36: 22. 23. *Propterea dic domui Iſraël: Sic dixit Dominus Jehovah: Non propter vos ego facio, domus Iſraël, ſed propter nomen ſanctum meum*, &c. *Et ſanctificabo nomen meum magnum*, nempe per juſtitiam, ſ. perfectam obedientiam, quæ ſit cauſa vitæ dandæ peccatoribus, & per judicium, quo damnatur peccatum, ut juſtificetur Deus juſtificans improbum; *cùm ſanctificabor in vobis*. i. e. in aliquo veſtrum, in fratre veſtro, & ſemine Abrahami, *coram oculis veſtris*.

§. 23. Cauſam verò primariam, & quaſi fontem, exhibitionis Mediatoris, ponit Scriptura *gratiam Jehovæ*, id eſt voluntatem ejus & ſtudium enixum benefaciendi homini immerenti. Atque hinc David, poſtquam hominum merita, ut paulò ante viſum, excluſiſſet, petit, ut Deus *det nomini ſuo gloriam propter gratiam ſuam*. Pſ. 115: 1. Atque ita rurſus, 2 Sam. 23: 5. *Sed fœdus perpetuum poſuit mihi expoſitum inter omnes & ſervatum* i. e. tanquam fœdere & pacto mihi cum conſilio ſuo & decreto æterno deſtinavit, tum verbis addixit, melius bonum, quàm ſit regnum aut multitudo filiorum aut eorum temporalis fælicitas, nempe *gratiam illam Davidis fidelem* (Eſ. 55: 3.) expoſitum omnibus & Judæis & gentibus, ut habeant omnes quò confugere poſſint, in quem credere poſſint; quam & gratiam in æternum ſervabit Deus. Ita *conſtabilitus eſt in gratiâ thronus*. Eſ. 16: 5. Et Eccleſia apud Eſaiam *commemorat gratias Jehovæ*, in eo ſcil. demonſtratas, quòd *exſtitit ipſis Jehovah in ſalvatorem*. Eſ. 63: 7. 8. Faciunt autem eam gratiam communem Patri, & Filio, prophetæ. Ut quum hinc fœdus aliquod commemorant, ſ. *conſilium inter utrumque* Patrem & Filium, quòd *conſilium pacis* appellatur; utpote de reconciliando ac reducendo ad Deum peccatore, & tollendâ inimicitiâ, quæ erat inter gentes, per parietem intergerinum ſuſceptum; Zach. 6: 13. Quare & Chriſtus *conſiliarius* nominatur, Eſ. 9: 5. & *ſuper ipſo dicitur eſſe ſpiritus conſilii*; Eſ. 11: 2. In hoc conſilio Pater ſtipulatur à Filio, ut *ponat anima*, i. e. enixa voluntas & charitas ejus, *ſatisfactionis pretium*, vel *ſacrificium pro reatu*; & promittit Filio, tunc *fore*, *ut videat ſemen*, h. e. peculium, *quod prolongabit dies*. Eſ. 53: 10. Filius conſentit in conditionem à Patre propoſitam, & ſe poſiturum ſacrificium pro reatu recipit; Ab eoque omnia, quæ erant neceſſaria ad munus illud implendum, reſtipulatur. Ita Pater Filium volentem ſibi ſervum mancipat & conſtituit ſub legem dilectionis fratrum, & obligat ad voluntatem offerendi ſe victimam pro illis; & ſic *aures illi perforat*; Pſ. 40: 7. & *bonum ſuum*, i. e. gratiam & bona inde pendentia, *ipſi* impetrandum *pro ſanctis imponit*. Pſ. 16: 2. 3. & *eorum* idcirco *pravitatem in ipſum facit incumbere*. Eſ. 53: 6. Ita tandem factum eſt, ut Filius cùm *Deus holocauſtum & pro peccato ſacrificium non poſtularet*, ſed tempus adveniſſet illa abrogandi; Pſ. 40: 7. & *exigendi* pravitatem omnium noſtrûm, illamque condemnandi; Eſ. 53: 6. *Tunc*, inquam, Pſ. 40: 8. *Se ſubmiſerit*, ac ſtiterit, tanquam Sponſorem & Sacerdotem paratum ad excipiendum plagas pro nobis, Eſ. 53: 7. & *dixerit*, *Ecce veni*, *Facere voluntatem tuam volupe mihi eſt*, *& lex tua eſt in medio viſcerum meorum*. Pſ. 40: 8. 9. Hinc Filius *Servus Jehovæ* appellatur Eſ. 42: 1. Eſ. 49: 5. & dicitur *ad limen domus deſcendiſſe*, ut ſervus ſcil. paratus facere voluntatem Domini; Ezech. 9: 3. Pater verò *Dominus*; Pſalm. 16: 2. & *Deus ipſius*; Pſal. 4: 2. 40: 6. 18. & quidem *Deus juſtitiæ*, quod cum eo tanquam Sponſor & Mediator Teſtamenti æternum fœdus de juſtitiâ haberet. Pſal 4: 2. Hoc ſcilicet fœdus eſt, quod tanquam cauſam primariam exhibendi mundo Salvatoris hîc conſideramus.

§. 24. Sunt

§. 24. Sunt & aliæ cauſæ hujus exhibitionis minùs principales, quas hîc ſubnotare operæ eſt pretium. Scilicet *gratiam* ſuam, & enixam voluntatem hominem ſalvandi, non reliquerat Deus homini miſero inteſtatam. Mox à lapſu ipſi eam indicaverat, &, quid moliretur, lapſu temporum repetiverat ſubinde. Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, toti Iſraëli, & mox in ſpecie Davidi conſilium ſuum declaraverat. Fidelium patrum erat ad arcem ſalutis, ipſis monſtratam, confugere, & fide ei adhærescere, adventum illius ardenter ſperare, exſpectare, & in tempus illius adventus anxiè inquirere, ſpeculari. Id veracitas Dei teſtantis, & conſcientia adeo ipſaque fidei *ἀγχίνοια* officium dictabat ipſis. Interim Deus vi ſponſionis Filii hos in gloriam introducebat, reliquum v. mundum tolerabat, & variis beneficiis afficiebat. Nec tantùm, ſed & ad quærendum ipſum alliciebat; & ſi quid in homine eſſet virium ad ſe convertendum, variis modis explorabat. Illis cœlum, & ſydera, hiſce legem & ſtatuta ſua impertiendo, ecquid iſta poſſent ad peccatorem in amorem ſui impellendum, & debitam ipſis reverentiam ſui ingenerandam, experiebatur. Impotentia verò iſtorum omnium, & carnis debilitas, jam ſatis ſuperque erat demonſtrata. Totus ferè mundus abierat in abnegationem ſui, & quibus dederat legem ſuam, cum reliquis gentibus eadem ſtudia, eoſdem mores colebant; qui verbo Dei adhærebant, perpauci erant, & à gentibus, ac gentili animo præditis Judæis, irridebantur. Non decebat Deum vel conſilium ſuum declarâſſe, & nunquam illud exſequi; vel homines aliquos declarationi ſuæ ac teſtimonio credidiſſe, & fidem atque exſpectationem eorum fallere; vel in gloriam fideles introduxiſſe, & principem ſalutis eorum per paſſiones & perfectam obedientiam non conſummare; vel mundum peccaminoſum tolerare, & variis beneficiis proſequi, nec velle ſalvare nonnullos; vel ullo inſtitutionis inſtrumento dicere, Quærite me, atque ita oſtendere ſe velle fieri Deum peccatoris, & hoc ipſum fruſtra; vel omnium inſtitutionis inſtrumentorum vanitatem demonſtrare, & nolle medio ſalvandi efficaci uti; vel denique pati à gentibus ſpem atque exſpectationem ſuorum irrideri, atque id impunè. Hæ ergo, & ſi quæ aliæ ejus generis, cauſæ explicantur in prophetiâ, quibus Deus fuerit motus ad dandum mundo Salvatorem, eumque in tempore exhibendum. Ita enim Pſaltes: *Nomini tuo da gloriam propter gratiam tuam* promiſſam, juratam, & ſperatam patribus, *propter veritatem tuam* id eſt immutabilitatem iſtius gratiæ, & veritatem promiſſionis & omnis ſignificationis antecedaneæ; Pſ. 115: 1. Item: *Serva me ſecundùm verbum tuum*, Pſal. 119: 25. *Veniant mihi gratiæ tuæ, Jehovah, ſalvatio tua, ſecundum dictum tuum*, quod nim. dixiſti Adamo in paradiſo, Abrahamo & patriarchis, & per prophetas propagâſti. Ibid. vers 41. Et rurſus: *Recordare verbi ad ſervum tuum, de quo mihi ſpem feciſti.* Ib. vers 49. Et: *Bonum feciſti cum ſervo tuo, Jehovah, ſecundùm dictum tuum.* Ibid. vers 65. *Deficit ad ſalvationem tuam anima mea, ad verbum tuum ſpero.* Ibid. vers 81. Et huc refer ex ſupp. 2 Sam. 23: 5. Hinc Jeremias: *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & faciam exſtare verbum bonum illud, quod locutus ſum ad domum Iſraël & de domo Judæ.* Jerem. 33: 14. De fide autem atque exſpectatione patrum rem innuit David hoc modo: *Tibi manet celebratio, ô Deus, in Tſijon.* in adventum ſcil. tuum ſine interruptione perſeverant pii celebrantes te. Pſ. 65: 2. iterumque Pſal. 115: 1. *Vide* i. e. veni & experire *afflictionem meam, & libera me.* Ratio: *Nam legis tuæ non ſum oblitus.* i. e. doctrinam, quæ monſtrat viam juſtitiæ, ex ore tuo auditam ad montem Sinai, non abjeci ex animo & memoriâ meâ. Pſ. 119: 153. Item: *Et præſtolatus ſum Jehovam*, exſpectâvi lum in certum tempus, & quidem imminens, *& exſpectavi illum*, de futuritione

adventus illius perſuaſus; Eſ. 8: 17. Et: *Exſpectavimus te.* Eſ. 26: 8. Huc pertinent iſta Habbacuci: *In ſtatione meâ ſtabam, & perſiſtebam in propugnaculo; & ſpeculabar, ad videndum; quid locuturus eſſet ad me; & quid reportaturus eſſem pro argutione meâ.* Et *reſpondit mihi Jehovah & dixit: Scribe viſionem, & explica in tabulis, ut currat legens in eâ. Adhuc erit viſio ad ſtatutum tempus, & Præco erit in fine, qui non mentietur. Si tardet, præſtolare eum.* Hab. 2: 1. 2. 3. Innuitur enim per iſta, Chriſtum ſecundùm exſpectationem patrum adveniſſe. Quod etiam clarè docetur iſtis: *Ne pudefiant propter me, qui exſpectant te.* Nam ſi caput & fundamentum ſpei, Chriſtus, pudefiat, etiam pudefierent membra; Pſal. 69: 7. *Vide*, veni & experire, *afflictionem meam, & libera me.* Ratio: *Nam legis tuæ non ſum oblitus* i. e. doctrinam: quæ monſtrat viam juſtitiæ; ex ore tuo auditam ad montem Sinai, non abjeci ex animo & memoriâ meâ. Pſ. 119: 153. Item: *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ; propter Davidem ſervum tuum. Ne avertas faciem uncti tui.* i. e. ne fallas fidem ejus, qui tibi credidit. Nam patres fide ſuâ promiſſionem fecerunt irrevocabilem. Pſal. 132: 9. 10. Et: *Fac me audire matutinò gratiam tuam. Nam tibi confido.* Pſ. 143: 8. Atque hinc eſt, quod Chriſtus vocetur *Exſpectatio Iſraëlis* i. e. Cujus adventum Iſraël exſpectat, ut videat gloriam ejus, & audiat prædicationem juſtitiæ; Jerem. 17: 13. Et *prodiiſſe* dicatur *ex Edomo*, cum *rubro in veſtimento ſuo.* i. e. cum abundantiâ dolorum, & totius carnis cruentatione; *quia annus aſſertorum ſuorum advenerat.* Eſ. 63: 1. 2. 4. Et, Chriſto manifeſtato, fideles Synagogam excitent ad animadvertendum *vocem ſpeculatorum ejus*, qui exſpectaverant Chriſtum, & ad ſigna temporis adventus ejus attenderant, *tollentium vocem*, ut qui *viderent* id quod exſpectaverant. Eſ. 52: 8. Et ſic Michæas: *Dies ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua, venit.* Mich. 7: 4. Indidem porrò eſt, quod quia virtute hujus exſpectationis ac ſpei fidelium V. T. Chriſtus erat exhibendus, hæc exſpectatio *parturitioni & dolori parturientis*, & ipſa Eccleſia τῶν ὠδινηκότων *mulieri uterum gerenti, & puerperæ*, & Chriſti apparitio *partui* hujus mulieris, aſſimiletur in prophetiâ. Vid. Eſ. 21: 3. 66: 7. Jerem. 30: 6. Apoc. 12: 1. 2. 5.

§. 25. Debuiſſe autem Chriſtum, ut principem ſalutis eorum, qui in ipſum ſperaverant, per paſſiones conſummari, atque idcirco etiam ut perfectus demonſtraretur Salvator, ex iis liberari, clarè docet ipſe Chriſtus in eâ parte orationis, quam habuit patiens, ubi quæritur ſe deſertum, & opem differri, & hanc querimoniam confirmat à Dei habitatione in Eccleſiâ, & ope patribus latâ. *Et* (h. e. *Atqui*) *tu, ô Sancte*, qui alienus es à peccatoribus, *habitas* jamdudum, non obſtante præſtantiâ tuâ, & peccato illorum, *gloriationes Iſraëlis.* Solium illud inhabitas, in quo Iſraël gloriatur, ἱλαστήριον nempe, & templum, quod tamen non erat, niſi umbra & figura templi non manufacti, in quo Filius erat appariturus Iſraëli: Atqui non in vanum fuit ipſis hæc gloriatio: quomodo igitur me non ſalvas, per quem ipſis eſt adductio? *In te confiſi ſunt patres noſtri, & feciſti eos evadere. Ad te clamaverunt, & liberati ſunt. In te confiſi ſunt & non ſunt pudefacti.* Semper ſcil. exauditi ſunt, ſive ut à ſtrage & poteſtate hoſtium ſolverentur, ſive ut ſalutaria omnia bona adipiſcerentur. Sed hæc exauditio Tibi non foret glorioſa, ſi deſeratur Filius: In Filii enim paſſionibus apparet, quomodo olim juſtè condonaveris peccata. Pſalm. 22: v. 4. 5. 6.

§. 26. Sed nec decuiſſe Deum tolerare hominem peccatorem, & variis in hâc vitâ augere beneficiis, niſi benedicere ei in Chriſto, atque ita hunc exhibere, ſtatuiſſet, docemur iis locis, ubi de fine creationis & conſervationis omnium rerum,

& ſpe-

& ſpeciatim earum, quæ uſum homini præbent, ipſiuſque adeo hominis, non obſtante peccato, erudimur; quæ loca ſupra Per. I. Art. 1. & Art. 3. illuſtravimus. Huc refer, quòd tanquam cauſa, cur Deus, finitis temporibus averſationis gentium, proſpectaverit de cœlo benignus, allegetur, quòd *formet cor omnium filiorum hominis pariter.* Pſalm. 33: 14.

§. 27. Deum autem *non dixiſſe* ullo doctrinali inſtrumento *fruſtrà. Quærite me:* ſed per ea oſtendiſſe, ſe velle fieri Deum peccatoris, apertè teſtatur Eſaias, cap. 45: 19. Quin etiam propterea, quia demonſtrata erat impotentia ordinariorum illorum, & communium, vel toti generi humano, vel genti alicui, magiſtrorum, & debilitas carnis, voluiſſe dare Salvatorem, demonſtratur ex eo, quòd dicatur Deus *ex ore infantium & lactentium* Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum, *fundâſſe robur.* i. e. Euangelium, potentiam Dei ad ſalutem cuivis credenti; & quidem tum, *cùm cerneret* unusquiſque *cœlos ipſius, opus digitorum ipſius; lunam & ſtellas, quas diſpoſuit.* per quæ ſcil. tale robur non erat fundatum. Pſalm. 8: 3. 4. Idemque ex eo eſt evidens, quòd per rejectionem dignitatis humanæ ſtruat propheta viam ad petendum deſcenſum Dei de cœlo, hunc in modum: *Jehova, quid eſt homo, quòd agnoſcis eum? & filius hominis mortalis, quod rationem habes ejus? Homo vapori aſſimilatus eſt, dies ejus ſunt, ut umbra tranſiens.* Satis jam eſt demonſtrata hominis vanitas, Sive eum conſideres, quatenùs eſt ſub lege, tanquam idoneum, à quo exigatur juſtitia, ſive quatenùs eſt ſub curatoribus & tutoribus. conf. Heb. 7: verſ. 28. *Jehovah, inclina cœlos tuos, & deſcende.* manifeſta te in terrâ. Pſalm. cap. 144: verſ. 3. 4. 5.

§. 28. Atque hinc etiam eſt, quòd Chriſtus, poſtquam Iſraël per omnem culturam Dei non fructificâſſet, ipſe prodeat in medium, & litem faciat carni, & cum eâ contendat de ejus ἀδυναμίᾳ ad aſſequendum juſtitiam per ſe ipſam. Eſ. 5: 1—4. Nec denique apparuerit, niſi cum jam ſatis diu, nempe inde à condito mundo, per tot ſæcula, *circumſpectâſſet*, ecquis ipſi futurus eſſet ſocius, qui *adjuvaret ac ſuſtentaret ipſum*, id eſt, exſpectâſſet, an quis homo inveniretur, qui quicquam ad condemnationem peccati per legem, vel pro ſe, vel pro aliis, potuiſſet conferre; & tùm demum, cùm approbatum eſſet, *nullum eſſe* talem ſocium, ſeſe ſtiterit. Eſai. 63: 5. Atque ita Deus apud Jeremiam, *Exiſtet*, inquit, *dux ejus ex ipſo, & faciam eum appropinquare*, tanquam ſacerdotem, *& accedet ad me. Nam quis eſt, qui in fidem ſuam recepit cor ſuum, ut accedat ad me? ait Jehovah.* Jer. 30: verſ. 21. conf. Pſal. 49: 8. 9.

§. 29. Nec denique decuiſſe Deum, promiſſionem ſuam, & ſpem ſuorum à profanis irrideri, & hanc cum aliis fuiſſe cauſam, Chriſtum repræſentandi, inde diſcimus, quod hæc ipſa gentium inſultatio, tanquàm cauſa illum exhibendi, in oratione fidelium ad Deum, allegatur, his verbis: *Quare dicent gentes; ubinam eſt Deus ipſorum?* q. d. Deus, quem illi colunt, non eſt Deus; verbum, cui credunt, non eſt verbum ipſius; bonum, quod exſpectant, nullum eſt. Nominatim adventus Meſſiæ in carne fruſtrà ab illis exſpectatur. Pſalm. 115: 2. In hanc ſententiam apud Ezechielem denunciat Deus, *ſe nominis ſui miſeratione affectum, quod profanârant domus Iſraël in gentibus, ad quas venerant; non propter ipſos*, inquam, *ſed propter nomen ſuum ſanctum, quod profanaverant in gentibus, ad quas venerant; ſanctificaturum nomen ſuum magnum*, per juſtitiam, ſ. perfectam obedientiam, quæ ſit cauſa vitæ dandæ peccatoribus, & per judicium, quo condemnetur peccatum, quo juſtificetur Deus juſtificans improbum; *dum ſanctificabitur in ipſis.* i. e. in aliquo eorum,

rum, in fratre ipſorum, & ſemine Abrahami, *coram oculis ipſorum* Iſraëlitarum, qui id ſint viſuri. Ez. 36: 21. 22. 23.

§. 30. Eſt &, ubi veritas omnis ſignificationis antecedaneæ, templi nimirùm, totiuſque ſacerdotii antiqui, &c. quæ nil niſi umbræ erant & figuræ futurorum, pro cauſâ adducitur Chriſtum in carne exhibendi. Hinc David fidelibus Vet. Teſt. præformans orationem: *Nomini tuo da gloriam, propter gratiam tuam, veritatem tuam.* Pſalm. cap. 115: verſ. 1. Et in hunc ſenſum accipe iſtud, quod ex Pſalm. 22. ſuprà allegavimus, Chriſti argumentum, quo accelerationem Divinæ opis urget ab eo, quod *Deus ſit is, qui habitat gloriationes Iſraëlis*, ἰλαστήριον nempe, vel templum, in quo ut ſolio gloriæ Divinæ Deus dicebatur reſidere; & in quo Iſraël gloriabatur. Nec fruſtrà: cum eſſet figura templi non manufacti, in quo Chriſtus erat appariturus Iſraëli, per quem idcirco ipſis erat adductio ad Deum.

§. 31. Denique & conditio illorum, ad quos Chriſtus venit, tanquam cauſa manifeſtationis regni ipſius, allegatur; Zach. cap. 11: verſ. 4. 5. *Sic dixit Jehovah Deus meus: Paſce, oves occidionis. Quas qui emunt; occidunt & non fiunt rei.* &c.

§. 32. Statum quod attinet, in quo Chriſtùs apparuit, fuit is inſignis vilitate ac humilitate tantæ perſonæ. Notat enim prophetia, quod *filii* i.e. diſcipuli, *ejus* fuerint *labes populi*, viliſſimæ conditionis homines, ut Galilæi; Deut. 32: 5. ipſe opportunus omnibus injuriis, adeo ut *pro ſceleſto ipſum* haberent & *tractarent* Ib. verſ. 15. Quòd *factus inferior infra Deum*, qui erat: nec tantùm; ſed & infra πάντα λεγόμενον Θεὸν, ut Angelos, quia factus eſt ſub legem, latam, non modò circumſtantibus Angelis, ut teſtibus, ſed & Angelorum miniſterio; denique & infrà homines, qui dicti ſunt Dii, quia paruit illis, & ab iis judicari paſſus eſt; Pſalm. 8: 3. Indigens *clypeo circa ſe Jehovâ*, qui ipſum protogeret à vi Diaboli & Inferni; Pſal. 3: 3. & *ſalute*; Pſalm. 18: 51. *Vermis, & non vir.* i.e. res debilis, vilis & κατάπτυστος, nullam habens in populo Dei dignitatem, non rex, non ſacerdos, aut Levita, aut magiſtratus; *opprobrium hominum*, quos puderet tales eſſe, aut cum eo eſſe; *contemptum* vel *contemptus populi* Iſraëlitici; Pſalm. 22: 7. *Tenuis.* i.e. exhauſtus viribus, pauper, vilis, abjectus; Pſalm. 41: 2. Sine *majeſtate.* quod innuitur Pſalm. 45: 4. conf. Eſai. 53: 2. *Vir ſine viribus*, infirmus ſcil. ut homo ψιλὸς; Pſalm. 88: 5: *Imbecillis* i.e. nullâ humanâ potentiâ præditus, & *egenus*, omnibus bonis & copiis deſtitutus. Pſalm. 109: 22. *Videns* i.e. experimento cognoſcens, *afflictionem noſtram*; Pſalm. 119: 153. *Lapis, quem ſpreverunt architecti.* Pſ. 118: 22. *Humiliatus præ filiis*, qui ſe pro Diis gerebant in populo. Cant. 2: 3. *Occultans faciem ſuam à Jacobo*; Eſai. 8: 17. Exiſtens *in ſignum & prodigium.* Eſai. 8: 18. *Puer natus nobis*; Eſai. 9: 5. *Lapis offenſionis*, quem de viâ vellent remotum; Eſai. 8: 14. *Surculus*, humilis ſcil. debilis ac deſpicabilis; Eſai. 11: 1. *Lapis probationis*, per quem cogitationes multorum eſſent manifeſtandæ. Eſai. 28: 16. *Non efferens ſe*; Eſai. 42: 2. Quanquam *Deus*, tamen *ſe occultans* in formâ ſervi, nec inter homines agens cum irrefragabili majeſtate, nec ἴσα Θεῷ, h.e. ita ut par Deo eſſet; Eſai. 48: 16. *contemptus animæ*, in quo nihil reperias, quod concupiſcas; *abominatio gentis* Judaicæ, & *ſervus poteſtatem habentium*; Eſai. 49: 7. *cujus ſpecies erat corruptum præ viro, & forma præ filiis hominum*, ad *ſtuporem* uſque. Eſai. 52: 14. *Aſcendens ut ſtolo*, qui non ex arbore, ſed ex radice progerminat, atque ita adnaſcens populo, quaſi ad illum non pertineret; & *ut radix ex terrâ aridâ*, tardè creſcens. *Non ſpecies ipſi & majeſtas*

majeſtas aliqua terreſtris erat, aut ſigna manifeſta, qualia patres in deſerto viderant; & quamvis talia dicebat & faciebat, unde ignorari non poterat, tamen *aſpectus non erat ipſi*, h. e. id quod æſtimandum in ipſo erat, ad oculum non apparebat, unde percelli omnes poſſent; & *quem* idcirco *non deſiderârint*. Ampliùs, quòd *contemptilis & deficiens virorum*, non viros, ſed pueros, rudes, mulieres, meretrices, probra populi circa ſe habens; *vir dolorum*, & animi & corporis, & *cognitus infirmitate*; denique *abſconſio faciei*, abominabilis, quemque vellent de medio ſublatum, ut quem cogitarent extitiſſe ad tentationem & ſeductionem populi, *præ nobis*, ita ut nullum haberemus inter Judæos æquè abominabilem: ut patuit cùm Barrabam potiùs, quàm ipſum vivere voluerunt; & *quem* idcircò *non reputaverint*; Eſai. 53: verſ. 2. 3. *Fermentatus veſtes*, cum *rubro*, colore ſanguineo, *in illis*; quo ſignificatur abundantia dolorum, & totius carnis cruentatio; Eſai. 63: 1. 2. Quo *deſcendente de throno ad limen domus, nubes impleverit totam domum.* id eſt, qui habitaverit in populo in ſpecie humili. Ezech. 10: 4. *Molle* aliquid *deciſum de capite ſtolonum Jechoniæ*. i. e. non inſtructus potentiâ humanâ, ſed Deo obediens, eumque timens; Ezech. 17: 22. *Exſcindendus*. i. e. morte afficiendus; Dan. 2: 35. 45. & 9: 26. *Cui nihil eſt*. Dan. 9: 26. *Sine luce aut ſplendore* mundanæ potentiæ; Am. 5: 18. 20. *Tugurio Davidis collapſo*; Am. 9: 11. quod & innuitur Eſai. 9: 6. *Servus*, γενόμενος ὑπὸ τ̃ νόμον; Zach. 3: 8. *Videns* i. e. expertus ipſe, *exactiones* populi ſui; Zach. 9: 8. עני, *Inops*, ſeſeque exinaniens ad ſubeundum paſſiones ipſamque mortem; Zach. 9: 9.

§. 33. Modum adventus ac manifeſtationis Dei in populo deſcribunt Prophetæ, 1. in genere ac indiſtinctè, quòd ſit futura hæc manifeſtatio immediata, & clara ad ſenſus; Immediata, qualis eſt paſtoris, dum in medio ovium ſuarum eſt, eaſque luſtrat. Sic enim ipſe Chriſtus apud; Ezechielem: *Ecce me, me, inquam, qui curabo oves meas & luſtrabo eas. Ut luſtrat paſtor gregem ſuum, quo die eſt in medio ovium ſuarum ſegregatarum; ſic luſtrabo oves meas, & eripiam eas. &c. Ego paſcam oves meas, & ego faciam eas recubare, ait Dominus Jehovah.* Ezech. 34: 11. 12. 15. Clara ad ſenſus; Unde Eſaias cap. 40: 9. jubet *annuntiatricem Sionis aſcendere in montem altum, exaltare cum vi vocem ſuam, dicere civitatibus Judæ, Ecce Deus veſter.* Et dicitur *futurum, ut Deus ibi*, nempe in deſerto populorum, *diſceptet cum Iſraëlitis à facie ad faciem.* id eſt veniat ad ipſos, ut ipſum videant, & loquentem audiant, & cum ipſis litiget de juſtitiâ. Ezech. 20: 35. Quod à ſimili manifeſtatione quondam factâ declaratur hoc pacto: *Quemadmodum diſceptavi cum patribus veſtris in deſerto Ægypti.* i. e. non minùs clarè ad ſenſus & immediatè, æque locutus ſum cum Patribus ipſorum in deſerto, qui audiverunt vocem ipſius Dei, & ipſum in nube viderunt. Ibid. verſ. 36.

§. 34. In ſpecie verò & diſtinctè dicitur adfuturus in formâ humanâ; Ut ita *pede ſuo medios perambulare* Iſraëlitas; Deut. 33: 3. & *videre* poſſet *omnis caro, quod ore* proprio *loqueretur Jehovah*; Eſai. 40; 5. & appareret *tanquam homo*; Ezech. 1: verſ. 26. Et quidem per modum conceptionis & nativitatis, more reliquorum hominum. Hinc dicitur *exſtiturus, ex Iſraële, & exiturus è medio illius*; Jer. 30: 21. *proditurus ex Edomo & Botzrâ.* Eſai. 63: 1. *Exiturus è trunco Jeſſe*; Eſai. 11: 1. *Adſcenſurus tanquam ſtolo*; &c. Eſai. 53: 2. Futurus tanquam *lapis ex monte.* Dan. 2: 35. 45. Et ut *molle* aliquid *deciſum de capite ſtolonum Jechoniæ*; Ezech. 17: 22. *proditurus ex Bethlehem Ephrathâ*; Mich. 5: 1. Id eſt oriturus, naſciturus ex illo populo, ex illâ domo, &c. Hinc *Propheta* dicitur *excitandus Iſraëlitis ex fratribus*

 ipſorum;

ipſorum; Deut. 18: 15. *Germen excitandum Iſraëli*; Jerem. 30: 9. Ezech. 29:21. *Davidi*; Pſalm. 132: 17. Jerem. 23: 5. 33: 15. vel ſimpliciter *excitandus*; Ez. 34: 23. Et clariſſimè, *formatus ex utero*; Eſai. 49: 5. *Fœminâ concipiente*; Eſai. 7: 14. & *circumdante maſculum*; Jerem. 31: 22. atque ita *Natus*; Eſai. 7: 14. 9: 5. 66: 7. Apoc. 12: 4. 5.

§. 35. Nec tamen per omnia ſimilis ipſius ortus atque exiſtentia fuit reliquorum hominum omnium ortui; adeoque *exiviſſe* quidem, *extitiſſe*, *aſcendiſſe*, *ortus*, *natus eſſe*, dicitur in prophetiâ, ſed nunquam *genitus*, aut *procreatus*, communi generationis lege, per ſatum aut concurſum ſeminis virilis; unde & paſſim *Germen* appellatur. Ut Pſalm. 132: 17. Eſai. 4: 2. Jerem. 23: 5. 33: 15. Ezech. 29: 21. Zach. 3: 8. nempe, ut explicat Zacharias, cap. 6: 12. *deſubter ſe germinans*; ſine patre ſc. non domus alicujus γυμνήτων, non virtute carnalis fœcunditatis, ſed abs ſe, per virtutem propriam Divinitatis, & proprium jus, à nullo homine acceptum, ad occupandum eos, qui ipſi dati ſunt. Unde ſimul & *Germen Davidis*; Pſal. 132. Jerem. 23. & Jer. 33. *Fructus* ſcil. *terræ*; Eſai. 4: 2. & *Germen Jehovæ*; quod à ſe ipſo naſcitur ſcil. Ibid. Eſai. 4: 2. appellatur. Atque hinc & *Semen mulieris* emphaticè, Gen. 3: 15. & *Matrem* quidem habere, Eſai. 49: 1. ſed nunquam Patrem; & matrem quidem *virginem*, prædicatur in prophetiâ; Eſai. 7: 11. 14. & Jerem. 31: 22. Quin & diſtinctè conceptio ejus ex Spiritu S. innuitur. Pſal. 22: 10. Ubi Chriſtus ipſe ad Deum: *Tu es educens me*, (vel *eductio mea*) *ex utero*. Vid. Luc. 1: verſ. 35.

§. 36. Non mirum itaque, quod hanc Chriſti incarnationem ceu mirabilem, novam, & raram, extollant ac celebrent Prophetæ, cùm tam multa admiranda hîc concurrerint; tùm ob mirabilitatem perſonæ; eſt enim ipſe Deus magnus & incomprehenſibilis; tum ob mirabilia eventa, quæ huic tantæ perſonæ acciderunt, ut quod factus ſit homo, quòd ad extremam vilitatem demiſſus, quod factus peccatum, & exſecratio &c. tùm ob, ſupernaturalem ejus conceptionem & nativitatem, quòd nempe virgo conceperit & pepererit; &c. Jeremias *rem quandam novam*, atque inuſitatam, *factam eſſe in terrâ*. i. e. ſtante adhuc politiâ, notat, quæ à ſæculo inaudita ſit; quam patres exſpectaverant quidem, ſed nunquam viderant, & quâ factâ certum ſit, Jehovam eſſe factum in Deum; nempe iſtam, quòd *Fœmina circumdat maſculum*. i. e. virgo conceperit ac pepererit Filium: qui cùm ipſe non noverit peccatum, poſitus ſub lege tulerit peccata mundi. Atque huc reſpiciens Pſalmiſta, *Ampla*, inquit, *feciſti*, *ô tu Jehovah*, *Deus mi*, *mirabilia tua*, ea ſcil. quæ potentiam, rationem, & æſtimationem creaturæ ſuperant. Quale opus eſt Incarnatio Filii Dei &c. *Non eſt te æquiparare*. Pſalm. 40: 6. Et prædicat, in *ædificatione ſolii* Chriſti *mirabilitatem Dei*. Nam quid mirabilius, quàm Deum fieri hominem? Pſalm. 89: 6. Et rurſus, *Magna ſunt opera tua*, *quæſita ob amabilitatem eorum*. Quod nullo tempore fuit evidentius, quam in παρουσίᾳ & apparitione Servatoris noſtri; Pſalm. 111: 2. quæ idcirco Ibid. verſ. 4. inter *mirabilia Dei* refertur. Et petit Eccleſia *aperiri oculos ſuos*, *ut cernat mirabilia ex lege Dei*. i. e. ut videat juſtitiam fidei, & cognoſcat ea mirabilia, ſine quibus ea juſtitia conſiſtere non poteſt, qualia ſunt Deſcenſus filii Dei de cœlo, ejuſque in carne apparitio, & humiliatio; ut factus fuerit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, atque ita peccatum & exſecratio fuerit factus; &c. quæ vid. 1 Tim. 3: 16. Pſalm. 119: 18. Laudanturque *teſtificationes Dei*, quarum ſcil. veritas Deo teſte comprobata eſt, ab eo, quòd *ſint mirabiles*. Nam quid admirabilius, quàm Deum fieri homi-

hominem, peccatum, exſecrationem, ut homini peccatori fiat ſalus, juſtitia, Deus? Pſ. 119: 129. Add. Pſ. 92: 6. 96: 3. 105: 2. 145: 5. Hinc inter nomina, quæ ipſi omnibus argumentis, nativitatem ejus conſecutis, dedit Pater, refertur hoc ipſum, *Mirabilis*; Eſ. 9: 5. quomodo & Angelus ille, qui apparebat Manocho, dicit, nomen ſuum eſſe *Mirabilis*; Jud. 13: 18. quia & æternus Dei Filius, & magnus ille Deus, & planè ſupra poteſtatem naturæ factus ex virgine. Vid. & Jer. 33: 3. coll. 15: 16.

§. 37. Ad admirabilitatem ejus facit & hoc, quòd *venerit*, tanquam is, *de quo in toto volumine libri* Moſis & prophetarum *ſcriptum erat*, Pſ. 40: 8. Atque ita *ſecundùm fragrantiam unguentorum ſuorum bonorum* i. e. ſecundùm prophetarum prædictiones, in quibus Spiritus ipſius Chriſti locutus erat, 1 Pet. 1: 11. *effuſus ſit ut oleum nomine ſuo*. talis ſcil. comparuerit, qualis prædictus erat; Cant. 1: 3. Quemadmodum patebit, ſi, quæ circa ejus conceptionem & nativitatem contigerunt in hiſtoriâ, &, quæ eam conſecuta ſunt admiranda, in Prophetiâ porrò conſideremus, & ordine quæque ſuo hic exponamus.

§. 38. Inprimis non defuit ipſi, antequam naſceretur, imò ante vel cum ipſâ conceptione. miniſterium Angelorum, adventum ipſius prænunciantium, magnitudinem celebrantium, & nomen ejus, juxta prophetiam præcedentem de Ipſo, commemorantium. Ita enim futurum præviderat Spiritus in Davide, cùm caneret: *Hallelujah. Celebrate Jehovam ex cælis; celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes angeli ejus*. Pſ. 148: 1. 2. Et clariùs in Eſajâ, ubi ipſe Chriſtus ſic introducitur loquens: *Jehovah ab utero me vocavit, à viſceribus matris meæ (ex quo conceptus ſui, vel ante conceptionem mei) commemoravit*, (ſive *in memoriam revocavit*,) *nomen meum*. Eſ. 49: 1. Nota eſt hiſtoria: Gabriel locutus eſt ad Mariam, & priùs ad zachariam. Elizabeth, cùm ea uterum gereret, eam matrem Domini ſui vocavit. Cùm Johannes naſceretur, palàm factum eſt, quid Zachariæ prænunciatum eſſet. Sic *Jehovah dixit ad* Chriſtum *regem ſuum*, antequam naſceretur, *Filius meus es tu*, cùm ipſum, non tantùm in volumine libri, ſed etiam per Angelum compellavit proximè ante nativitatem. Pſ. 2: 7.

§. 39. Nec minus notabilia, quæ de genere Chriſti nati prævidit Prophetia, & veravit eventus. Prædeſcribitur enim, ut *Semen mulieris*; Gen. 3: 15. *Sethi*; Gen. 4: 25. *Semi*; Gen. 10:26. *Abrahami*; Gen. 12: 3. 22: 18. *Iſaaci*; Gen. 26: 4. *Jacobi*; Gen. 28: 14. *Iſraëlis*; Deut. 18: 15. 18. Jerem. 30: 21. Ezech. 29: 21. Unde & ipſe *Iſraël* appellatur, Eſ. 49: 13. Jerem. 46: 28. Ezech. 20: 41. *Judæ*; Gen. 49: 10. & Pſ. 76: 2. *Jeſſe*; Eſ. 11: 1. *Davidis*; Pſal. 18: 51. 89: 30. & 36. 132: 27. 2 Sam. 7: 11 —— 16. coll. vers 19. 2 Sam. 23: 5. Jerem. 23: 5. 33: 15. 21. Quòd & innuitur, cùm dicitur *principatus in ipſum devolvendus ſuper throno Davidis*; Eſ. 9: 5. 6. & *conſidere ſuper throno in tentorio Davidis*, i. e. in domo Davidicâ, aliquis filiorum Davidis ſcil. Eſ. 16: 5. & ex *Bethlehem Ephratâ*, tanquam *familiâ Judæ*. i. e. ex familiâ & ſemine Davidis, *proditurus*. Mich. 5: 1. Quin & hinc factum, ut *domus Davidis*. i. e. ex poſteris ejus Zach. 12: 8. Am. 9: 11. & *David*; Pſ. 78: 70. Eſ. 55: 3. coll. 4. Jerem. 30: 9. Ezech. 34: 23. 24. & 37: 24. Hoſ. 3: 5. Chriſtus ipſe appelletur. Eſt &, ubi deſcribitur, ut ſemen *Jechoniæ*. Dicitur enim *molle* aliquid *decidendum ex capite ſtolonum Jechoniæ*; Ezech. 17: 22. i. e. oriundus ex Jechoniâ: Quod & factum eſt per Sorobabelem; unde & Chriſtus *Sorobabel* dicitur, *Filius Salathiel*. Hagg. 2: 23.

§. 40. Locus, unde venit, innuitur cœlum, quando dicitur *e cœlo accipiendus*

& renun-

& renunciandum nobis verbum juſtitiæ fidei; Deut. 30: 12. Et *ſignum ex ſummo*; Eſ. 7: 11. Et ipſe *cœlum* appellatur; Eſ. 34: 5. utpote veniens ex eo, & ad illud pertinens.

§. 41. Locus verò manifeſtationis Filii Dei in carne deſignatur, tùm latiſſimè, tota *terra* Iſraëlis; Ez. 35: 11. *Civitates Judæ*; Eſ. 40: 9. *in terrâ* Canaan, non extra eam; Ez. 20: 40. Tùm ſtrictiùs, *Salem*. i. e. *Hieroſolyma*; Pſ. 76: 3. Zach. 2: 9. coll. 14. 8: 3. 9: 9. quæ hinc *ſolium Jehovæ* dicitur *appellanda*; Jerem. 3: 17. & *Urbs illa veritatis*; Zach. 8: 3. *urbs juſtitiæ, civitas fidelis*; Eſ. 1: 26. & vocatur *Urbs Dei*; Pſ. 87: 3. & *Urbs viſitata*; Zeph. 3: 1. & incolæ ejus *habitantes viſitationem*; Jer. 17: 12. Tùm ſtrictiſſimè, *mons Sion*, in eoque *templum*. Mons Sion quidem expreſſè hic nominatur, Pſal. 2: 2. 20: 3. 50: 2. 76: 3. 87: 2. 99: 2. 110: 2. 126: 1. Eſ. 2: 2. 10: 24. 28: 16. Zach. 2: 14. 8: 3. 9: 9. & præclarè, Eſ. 18: 7. Ubi *locus nominis Jehovæ Dei exercituum mons Sion*, totidem literis ac ſyllabis appellatur, quia nomen Jehovæ in illo manifeſtatum ſcilicet. Inde & denominatus *mons ſanctitatis Dei*; Ezech. 17: 23. 20: 40. Zach. 8: 3. & *mons celſitatis Iſraël*; Ez. 17: 23. 20: 40. factus nimirùm altus, illuſtris, & inſignis in toto mundo; *exaptatus* ſcil. *& conſtabilitus in capite montium*, ſuprà omnes montes, *& elevatus præ collibus*. Eſ. 2: 1. Mich. 4: 1. in quo idcirco & Iſraël ſit exaltandus. Templum verò poſitum in eo monte deſignatur, Jer. 17: 12. his verbis: *Solium gloriæ in celſo præ priori eſt locus ſanctuarii noſtri*. propter adventum ſcil. Meſſiæ regis diu *exſpectati ab Iſraële*; ut eſt Ibid. vers 13. Hinc *ad limen domus* dicitur *deſcendiſſe gloria Jehovæ*; Ezech. 9: 3. Et ſic Haggæus: *Aſcendite montem, & afferte ligna, & ædificate domum, & gratam illam habebo, & glorificabor, ait Jehovah*. Hagg. 1: 8. Et: *Major fiet gloria domus hujus poſterioris, quam prioris, dixit Jehovah Deus exercituum*; *& in loco hoc dabo pacem, ait Jehovah Deus exercituum*. Hagg. 2: 9. Malachias denique: *Ecce ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me*; *& derepente veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis, & Angelus ille fœderis, quo vos delectamini*. Mal. 3: 3.

§. 42. Nec tantùm ſic locus manifeſtationis Dei in genere, ſed & locus, ubi naſceretur, in ſpecie, exprimitur in prophetiâ. Eſt autem *Bethlehem*. Ita enim prædictum eſt Michææ cap. 5. vers 1. *At tu, Bethlehem Ephrata, parva es, ut ſis inter familias Judæ? Ex te mihi prodibit* Judex, *ut ſit dominator in Iſraële*.

§. 43. Notat & ſexum Meſſiæ recens nati prophetia. Vocat enim *Maſculum*. Vid. Eſ. 66: 7. Jerem. 31: 22. Mal. 1: 14. Apoc. 12: 4. 5.

§. 44. Temporis circumſtantias quod attinet, quo apparuit Salvator mundi, eas proponit Spiritus tùm generales, œconomicas, ſpectantes ad univerſalem aliquam Mundi aut Eccleſiæ gubernationem; tùm ſpeciales, & Chriſti inter homines converſationi proprias, eamque ſ. antecedentes, ſ. comitantes. Priores notantur iſtæ: *In fine dierum*; Eſ. 2: 2. Mich. 4: 1. Quod Daniel dicit, *In fine temporis conſtituti excandeſcentiæ*; Dan. 8: 17, 19. Habaccuc, *In fine temporis conſtituti viſioni*; Hab. 2: 3. *In medio dierum*; Jerem. 17: 11. *In medio annorum*; Hab. 2: 3. Cùm nempe vetus Oeconomia & facies Eccleſiæ aboleretur, & nova aperiretur. Imminente vel jam præſente, *Tempore gratiæ*; i. e. tempore illo, quod Deus deſtinavit, ut peccata hominum expiaret per victimam corporis ſui. Pſ. 69: 13. *Anno acceptationis*. i. e. tempore condemnationis peccati, ſecundùm promiſſionem N. Teſtamenti Eſ. 61: 2. *Anno aſſertorum*, prioribus diebus finitis, qui erant, dies jugi & ſervitutis. Eſ. 63: 4. Nec tantùm, ſed & imminente *Die ultionis*, abruptâ

tole-

tolerantiâ erga gentes & populum literalem. Eſ. 34:7.61:2.63:4. Pſ. 94:1. Cùm *finis eſſet*, tolerantiæ ſcil. & longanimitatis, per quam hactenùs *pepercerat*. Ezech. 7:3.4. Et tempus ἀνοχῆς ac diſſimulationis jam præteriiſſet, & tempus adveniſſet *non ſilendi*. i. e. non connivendi, diſſimulandi, & continendi ſe. Pſ. 50:3.109:1. *In tempore peccati finis*. i. e. tempore abrumpendi tolerantiam Dei circa Iſraëlitas; quum etiam hi ultimum peccatum eſſent commiſſuri; quod finem eſſet allaturum reip. ipſorum; Ezech. 21:34.35:11. Atque ita jam integrâ exiſtente ſaltem in præparatione, & initiis, *ſpecie hominis*, quam deſcribit Ezechiel; cui *aſpectus Chaſmal, ut ignis introrſum undiquaque pleni à lumbis ſurſum, & rurſus à lumbis deorſum ſpecies ignis cum ſplendore*. Ez. 1:27. Ita ut *ſplendor ille fuerit inſtar iridis in die pluvioſo*. Ib. vers 28. Quâ in ſpecie utrobique miſtura iræ & gratiæ notatur. Sed ita ut in ſuperiore parte i. e. primis partibus regni Chriſti, & veteri œconomiâ major fuerit iræ cohibitio in refractarios; in inferiori parte, ſ. poſterioribus regni Chriſti, & œconomiâ N. T. major ſit iræ effuſio, ſed cum magnâ luce, & cum magna gratiâ. Tempore abolendi holocauſta & ſacrificia pro peccato; Pſ. 40:7.8. Cùm *exigeretur* pravitas omnium noſtrûm, & tempus adveniſſet peccatum condemnandi; Eſ. 53:7.

§.45. Ad poſteriores pertinent omnes temporum articuli Periochis præcedentibus enumerati, qui omnes, ceu præ-ambulones & nuncii magni illius diei, *tubarum* inſtar, Zach. 9:14. adventum regis Meſſiæ, ejusque in carne revelationem, & quæ eam conſecuta, tùm beneficia ingentia, tùm judicia terribilia, præcinuerunt; iisque conſentiente omnium virorum Dei ſententiâ & voce hactenùs; ſine ullâ perturbatione, vel tranſilitione, præordinantur in prophetiâ. Vid. modò & repetantur hîc nominatim ex ſupp. Per. IV. Art. 69. Per. V. Art. 45.54.121. & ſi qui ſimiles, occurrerint; quos ipſe Spiritus, ut teſtimonia adventus Chriſti, notavit, & *tanquam ſignum montium omnibus habitantibus frugiferam, & incolentibus terram, videndum ſuſtulerit*. ut eſt de ipſis Eſ. 18:3.

§.47. Quibus hîc adjungamus, quæ Spiritus ad hunc Articulum ſubminiſtrat, & Adventui Chriſti coordinat, ſequentia: David, ubi orat, *Proſpiciat Deus ex cœlo, & videat*. Nec tantùm, ſed *& viſitet vitem hanc*, id eſt, populum Iſraëliticum totum præſentiâ ſuâ lætificet. nominatim *ſtirpem, quam plantavit dextera ipſius* id eſt tribum Judæ, vel ſaltem eos de tribu Judæ, qui ex Babylone reducti, & in terrâ collocati ſunt; Pſ. 80:15.16. Satis indicat, quo temporis Articulo Chriſtus naſci debuerit. Nimirùm ſtante adhuc & vigente republicâ Judaicâ, poſtquam ex capt. Bab. liberata, & reddita terræ eſſet. Quod etiam innuit promiſſio facta Davidi: *In ſœculum ſervabo ipſi gratiam, & fœdus meum firmum ipſi eſt. Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus ut dies cœli*. Pſ. 89:29.30. Item: *Sed gratiam meam non faciam irritam ab ipſo, & non fallam veritatem meam; Non violabo fœdus meum, & prolatum labiorum meorum non mutabo. Semel juravi in ſanctitate meâ: Si Davidi mentiar! Semen ejus in ſœculum erit, & thronus ejus ut Sol coram me; ut Luna confirmabitur in ſœculum, & teſtis in cœlo eſt verax. Selah*. Ibid. vers 34—38. Vi enim hujus promiſſionis neceſſe eſt, ut ſolium Davidis politicum. i. e. politia Iſraëlitica, non planè aboleatur, ut nunc ita ſublata eſt, ut ejus in veteri formâ legali reſtituendæ nulla ſit ſpes, antequam Chriſtus regnum ſuum ſpirituale inchoaverit, ideoque Chriſtus venerit, ſtante adhuc politiâ. Porrò debuit *Jehovah apparere cum gloriâ ſuâ*. i. e. in carne apparere, & in gloriam ſuſcipi, *quum ædificaverit Sionem*; Pſ. 102:17. ſtante adhuc ſacerdotio; cùm *ſacerdotes* fuerint *induendi juſtitiâ*; Pſal. 132:9.16. &

politiâ ac cultu in Sione; ſiquidem *Ibi*, in Sione *eſſet progerminaturum cornu Davidi*, rex nim. latiſſimi ac potentiſſimi dominatus; *diſponenda lucerna uncto Dei.* ne memoria Davidis interiret, ſed gloria Davidis in ſemine amplificaretur, ad lucem gentium; Ibid. verſ 17. ſtante adhuc miniſterio Levitico; ſiquidem *Deus, qui fecit cœlum & terram, eſſet benedicturus ſervis ſuis* Sacerdotibus & Levitis, *in domo Jehovæ ſtantibus* ac miniſtrantibus, *ex Sione.* dando ipſis redemtorem omnis benedictionis auctorem, & cum ipſo hæreditatem mundi; Pſal. 134: 3. *Quum non eſſet germinatura domus Davidis*, ſcil. ad regnum vel ſplendorem; ſiquidem tùm *erat exſtitura*, & conſummanda in cauſâ, *ſalus Davidis, & omne beneplacitum.* i. e. omnis voluptas Dei, in Eccleſiâ ſine irâ aut ſervitute; 2 Sam. 23: 5. Poſt reſtitutionem reip. ex capt. Bab. & quidem rep. ſtante; ſiquidem *reſtitutis Judicibus*, futurum erat, ut *Sion cum judicio redimeretur, & reſipiſcentes ejus in juſtitiâ.* Eſ. 1: 26. 27. Tempore illo, quo totus Iſraël futurus erat recollectus in nomen unius tribus; Siquidem Chriſtus poſt diuturnam exſpectationem contendens cum Senioribus populi, quæ utique contentio viſitationem populi, & apparitionem Chriſti in carne includit, defert judicium *ad ſedentes Hieroſolymis.* i. e. Senatum Hieroſolymis reſidentem; & *virum Judæ.* i. e. viros, præſides, ſeniores tribus Judæ. Eſ. 5: 3. populo exiſtente numeroſiſſimo, ex verſ 14. ejuſdem cap. & 32: 14. in ſummâ abundantiâ bonorum terrenorum; ſiquidem *Filius Immanuel* poſtquam *natus, butyrum & lac erat comeſurus*; Eſ. 7: 14. 15. Cùm *Damaſcus* adhuc tantùm *eſſet caput Syriæ*, & non etiam Judææ, atque ita antequam Judæa ad petitionem Judæorum in formulam provinciæ redacta & Syriæ contributa foret; ſiquidem ad confirmationem ejus, quod *Damaſcus* tantùm, *ſit futura caput Syriæ*, & non etiam Judææ, quod Achaz timebat, ponatur, *virginem concepturam & parituram Filium Immanuëlem* q. d. conceptio & nativitas Immanuëlis adhuc præcedere debet conſtitutionem Judææ ſub Damaſco; Eſ. 7: 8. 11. 14. Jam vide Luc. 2: 1. & conf. dicta ad Art. CXXXVII. Per. præced. Stante adhuc templo; ſiquidem de *populo Dei habitante Sione*, i. e. adhuc Sionem adeunte, dicatur, quòd ſit *convertendus ad Deum victorem* Diaboli, qui imperium mortis habebat; Eſ. 10: 24. & 21. Poſt primi templi excidium; ſiquidem conjungat prophetiæ hæc duo: *Cadet Libanus, & exibit virga*; &c. Eſ. 10: 33. & 11: 1. Ablato ſceptro à Judâ; ſiquidem *Virga* erat *exitura ex trunco Jeſſe*, ramis ſpectabilibus ac frugiferis carente; Eſ. 11: 1. Et conf. cap. 10: 32. Exantlatis calamitatibus preſſuræ, perſecutionis, & conculcationis, gente quietâ. Erat enim *conſtabiliendus in gratiâ thronus, & ſeſſurus ſuper ipſo in tentorio Davidis judex*; cùm *deſiiſſet preſſura, conſummata eſſet vaſtitas, finiti eſſent conculcantes terram*; Eſ. 16: 4. 5. Pauló poſtquam Idumæi & finitimæ regiones conjunctæ Iſraëli; ſiquidem *clamantibus ex Seïre ad* Chriſtum *cuſtodem* Iſraëlis, *quid de nocte* ſupereſſet, *reſponderit Cuſtos: Venit manè*; Eſ. 21: 11. 12. Eo tempore, quo *Deus addiderat ad gentem*; ſiquidem tùm erat *glorificandus*, per exhibitionem Chriſti, qui verba ejus loqueretur, & opera ejus faceret, & juſtitiam æternam adduceret; Eſ. 26: 15. Populo *in deſerto* conſtituto. id eſt. Primò plurimis paſſim extra terram inter gentes habitantibus: quo pertinebant etiam Iſraëlitæ decem tribuum, quibus via Hieroſolymam eſt patefacta per ruinam regnorum Orientis. Secundò. Terrâ ſub cliente Romanorum Herode, quo tempore nati Johannes & Chriſtus, conſtitutâ; atque ita *introductâ in deſertum gentium*; Ezech. 20: 35. Siquidem *in* hoc *deſerto* erat *via paranda Domino* jamjam advenienti, ut Teſtamentum gratiæ exſequeretur. Eſ. 40: 3. Nullâ exiſtente populorum regnorumve diſcrepantiâ, ſed omnibus pari jure prope-

modùm

modùm, certè æquâ pace exiſtentibus civibus & membris unius magnæ civitatis; ſiquidem hæc æquabilitas ſignificetur per iſta: *Omnis vallis extolletur, & omnis mons ac clivus humiliabuntur, & fiet lamoſum in planitiem, & protuberantia in planam vallem.* Nec potuerit hæc mundi facies præterire niſi Chriſtus apparuiſſet. Cùm Propheta hæc jungat, addens: *Et revelabitur gloria Domini.* Apparebit ſcil. Jehovah, ut Mediator Teſtamenti, & omnia faciet, per quæ ut Salvator mundi cognoſcatur; Eſai. 40: 4. 5. Eo temporis articulo, quo populus Judaicus unus erat cum Edomo & ſub regibus Idumæis; ſiquidem *Is qui loquitur in juſtitiâ, amplus ad ſalvandum, proditurus* erat *ex Edom, & Botzrâ*; Eſai. 63: 1. Poſt *demonſtratam manum ac potentiam Dei*, in flectendis animis eorum, qui Judæos habuerunt captivos, ad eos dimittendum; ſiquidem tùm dicatur *nomen Dei manifeſtandum*; Jer. 16: 21. cùm populus Judaicus haberet inſtar *montis in agro* i. e. populi eminentis ſuprà omnes populos; ſiquidem tùm erat futurum *ſolium gloriæ in celſo præ priori locus ſanctuarii*; idque propter apparitionem Chriſti regis diu *exſpectati ab Iſraële*; Jer. 17: 3. coll. 12. 13. Populo *in terram deducto*, & *multiplicato*; ſiquidem huic populo *dandi erant paſtores, qui eos paſcerent*, quique *excitato Davidi germini juſto, juſtitiam* prædicarent; Jer. 23: 3. 4. 5. 6. Iſraëlitis *habitantibus in terrâ ſuâ*; Jer. 23: 8. f. Stante adhuc politiâ Judaicâ; ſiquidem *in terrâ* erat futurum, ut *Fœmina circumdaret maſculum.* i. e. virgo conciperet, & pareret Filium; Jerem. 31: verſ. 22. Cùm Hieroſolyma eſſet à gentibus obſeſſa; ſiquidem & *adventus ſex virorum à plagâ* mundi *ſeptentrionali, cum inſtrumentis diſſipatoriis in manu ipſorum.* i. e. omnis exercitus Angelorum noxiorum venientium cum turmis populorum, per quos Hieroſolyma erat exſcindenda, atque ita Hieroſolymam obſidentium; & *deſcenſus gloriæ Dei Iſraëlis ad limen domus*, immediatè conjungantur; Ezech. cap. 9: verſ. 2. 3. Stante adhuc templo; ſiquidem ex eo, ut domo ſuâ, proceſſiſſe intelligatur, cùm *venit ad limen domus.* Ibid. Poſtquam *reducti in terram abſtulerint ex eâ abominationes*; ſiquidem *illis* tùm *daturus erat Deus cor unum & ſpiritum novum* &c. quæ *ἐνσάρκωσιν* Filii Dei præſupponunt; Ezech. 11: 17. 18. 19. Populo *in deſertum populorum introducto*; ſiquidem *ibi Deus erat cum ipſis diſceptaturus à facie ad faciem.* i. e. venturus ad ipſos, ut ipſum viderent & audirent loquentem, & cum ipſis litigantem de juſtitiâ; Ezech. 20: 35. *Cùm educti* eſſent *ex populis*, & *collecti*, h. e. unus populus factus, *ex terris, in quibus diſperſi erant*; ſiquidem tùm futurum erat, ut *Deus in odore fragrantiæ ipſos acceptos haberet, & Deus ſanctificaretur in ipſis ante oculos gentium*; Ezech. 20: 41. Abolitâ coronâ Aſmonæorum; ſiquidem *hæc* corona *nihil erat exſtitura, donec veniret, cujus eſt judicium*, quo ſcil. damnet peccatum, & ſeparet incredulos ab omnibus tribubus Iſraëlis; Ezech. 21: 32. ubi & particula *donec* ſignificat, ita debuiſſe aboleri iſtam coronam, ut Chriſtus ſtatim veniret. Natus eſt enim Chriſtus ſub Herode Idumæo, qui ab Aſſamonæis coronam ad ſe tranſtulerat. Populo cum Ammonitis in unum populum conflato; quià circa hunc adventum, de quo paulo ante ex Ezechiele viſum eſt, Judæi appellantur *filii Ammon*, per *διανοῦν*, quia Ammonitarum urbes hoc tempore habitabant, eoſque ſecum in unam gentem redegerant; Ez. l. c. verſ. 33. *Dicente Edomo, Duas illas gentes & duas illas terras ſuas futuras jure hæreditario*; Ut cùm Herodes Idumæus in totum populum regnaret; ſiquidem eodem tempore *Jehovah ibi fuerit*, ſ. *illas terras adierit*, & viſitaverit; Ezech. 35: 10. Stante adhuc rep. Judæorum, ceu *monte* quodam in mundo; ſiquidem à monte illo excidendus erat lapis, qui comminuturus erat imaginem ex auro, argento, ære, & ferro, & futurus in montem

præmagnum; Dan. 2: 34. 35. 45. Cùm jam quatuor regna per imaginem iſtam Nebucadnezari exhibita, eſſe cæpiſſent, atque ita ſub regno quarto, nempe Romano; ſiquidem *in diebus regum illorum regnum*, per lapidem à monte exciſum adumbratum, erat *erigendum*; Ibid. verſ. 44. *Fœdere* exiſtente inter Judæos, & *populum Principis advenæ*, i. e. Populum Romanum; ſiquidem tum erat *exſcindendus Meſſias*; Dan. 9: 25. 26. Exſpirantibus jam, & ad finem vergentibus, *ſeptimanis illis ſexaginta & duabus*, i. e. annis 434, de quibus ſuprà Per. V. Art. XXIII. & XLIV. Dan. 9: 26. *Familiis Judæ* adhuc φυλαλογυφόρας, & obtinentibus terram ſuam; ſiquidem tum erat *proditurus ex Bethlehem dominator in Iſraële*; Mich. 5: 1. Eodem temporis articulo, quo *tranſibat* per indictionem ἀπογραφῆς *ſuper Iſraëlem exactor*; ſiquidem *jam tum viſurus erat oculis ſuis*, & experturus ipſe eandem exactionem; Zach. 9: 8. Pſalm. 119: 153. *Dracone* illo *ruſo*, de quo ſuprà Per. V. Art. CXXIV. jam *habente ſeptem capita* i. e. ſeptem magnas regiones; Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Syriam, Aſiam, Græciam, cum appendicibus. Nec tantùm; ſed & per ſervum Romanorum Herodem ademtâ judicibus auctoritate, atque ita *detractâ de cælo per caudam Draconis tertiâ parte ſiderum*, h. e. tertio ordine rectorum populi Judaici; ſiquidem tùm Eccleſia fidelium V. T. *pepererit filium marem, qui paſturus erat omnes gentes virgâ ferreâ*; Apocal. cap. 12: verſ. 3. 5.

§. 47. Ad circumſtantias, Adventui Chriſti connexas, etiam pertinet Status & conditio hominum, ad quos venit. Eſt autem iſte: Sedebat Eccleſia quaſi in umbrâ mortis. Præterquam enim, quod *in arcto* eſſet conſtituta. i. e. perpetuo teneretur per omnem vitam timore mortis & iræ divinæ, quam lex transgreſſoribus ſuis, atque etiam juſtis, communicantibus cum ipſis, intentabat; Pſalm. 120: 1. & quod propitiatio nondum eſſet facta, id eos valde haberet anxios; & diutina ipſos *exſpectatio* Chriſti; Eſ. 8: 17. inſtar famis ac ſitis, premeret, eamque exſpectationem augeret jugum, non tantùm præceptorum Moſaicorum, ſed etiam traditionum; ſervitus ipſis gentium erat ſuperinducta; Satanâ interim ſe armante potentiâ totius mundi adverſus Eccleſiam Dei; Apoc. 12: 4. 5. & principibus Judææ ejulantibus: Incubuit & populo nox atra ignorantiæ & errorum; pleriſque ad fabulas & quæſtiones converſis, intentiſque obſervationi rituum ac traditionum, nec ſcrutantibus Scripturam, ut Chriſtum & regnum ejus ac juſtitiam ejus cognoſcerent. Et hinc ſectarum diverſitas in populo, ut fieri ſolet, cùm nemine rectam viam tenente, omnes in diverſa abeunt; quæ etiam idcirco opinionum & ſectarum diſcrepantia non parùm homines à veri cognitione avertit. Hinc porrò factum eſt, ut cum jam æque Judæi, ac gentiles, veram viam vitæ, & juſtitiam Dei ignorarent, facilè populus, tùm in Judæâ, tùm extra eam, cum gentibus, quibus ſerviebant, commiſcerentur, parvâ utrorumque diſſimilitudine in pleriſque. Accedebat & prophetarum ſilentium, & περίψημα piorum, inde proculdubio aucta, quod ſpes eorum atque exſpectatio ab illis, qui gentili animo erant affecti, irrideretur; & nomen Dei blaſphemaretur toto die; Eſai. 52: 5. & hinc multis etiam piis inductus ſopor, & ſtupor, neſcientibus, quid ſecum ageretur, & quid ſibi exſpectandum eſſet. Hic fuit ergo rerum ſtatus, hic habitus animorum, cùm Chriſtus veniret. Hunc clarè indicat Pſaltes, cùm de tempore, quo Deus regnum ſuum ſtabilivit, canit hunc in modum: *Fatiſcebat terra & habitantes in eâ: Ego aptavi columnas ejus.* q. d. omnia corrupta erant & labefactata, hominumque animi in erroribus & peccatis ſuis contabeſcebant, cùm regnum meum, quaſi columnis ſubditis

tis domum confirmare & ſuffulcire incepi; Pſ. 75: 4. Et rurſus, cùm conqueritur Eccleſia hujus temporis apud eundem, *Animam ſuam eſſe valde agglutinatam pulveri.* i. e. in eo ſtatu verſari ſe, qui ſimilis ſit hominis in pulverem proſtrati, qui ſe erigere non poteſt, & in pulvere vivus & animam trahens contabeſcit: Et orat idcirco, Deus ipſam *vivificet & ſalvet ſecundùm verbum ſuum.* nim. à peccatis & maledictione, per Chriſtum; Pſalm. 119: 25. Confitetur quoque Ibidem, & exponit Deo miſeriam ſuam, & *enarrat ipſi omnes vias ſuas*, Phariſæiſmum, Sadducæiſmum, &c. quarum nulla ipſam poſſet ſalvare; verſ. 26. p. p. Idem Eccleſiæ ſtatus etiam noſcitur ex hâc querimoniâ: *Nam perſequitur Inimicus.* i. e. Diabolus, *animam meam: contrivit in terram vitam meam: poſuit me in tenebricoſis locis, ut gentiles mortuos olim. Et convolvitur apud me ſpiritus meus; in medio mei ſtupet cor meum.* Pſalm. 143: 3. 4. Et convenit ei hæc oratio: *Feſtinanter reſponde mihi, Jehovah*, Fac me ut audiam verba tua convenientia juſtitiæ tuæ, & videam opera ei conſentanea, *quia confectus eſt ſpiritus meus. Ne occultes faciem tuam à me, & aſſimilor deſcendentibus in foveam.* Deliquium patior, tantùm non emorior, tantùm non in gentiles degeneravimus, in quorum etiam poteſtatem nos tradidiſti. Ibid. verſ. 7. *Fac me audire matutinò gratiam tuam. Nam tibi confido.* Ego tanquam in nocte provectâ, ut imminente matutino, in ſpeculâ ſto, & exſpecto, atque ἀποκαραδοκῶ, dum diluceſcat, & audiam gratiam tuam &c. Nec quid evidentius hâc confeſſione Eccleſiæ: *Quum Jehovah reſtitueret Sionem in integrum*, i. e. Eccleſiam Deo in Sione, ubi erat arca & templum, ſervientem viſitaret, excitando ei regem verum & juſtum ex domo Davidicâ, *eramus ut ſomniantes*, ac ſpectra videntes. Non credebamus tantam ſalutem datam eſſe. Ea enim videbamus & audiebamus, quæ nobis incredibilia videbantur, atque ita hæſitabamus, & ſtupebamus, quaſi ea non videremus & audiremus, ſed ſomniaremus, nos ea videre & audire. Rem ipſam videntes partim alia αἰνιγματωδῶς, partim per ſpeciem tenuem & exilem ſpei noſtræ diffidebamus; Pſalm. 126: 1. Luculenta hujuſdem ſtatus populi calamitoſi deſcriptio exſtat apud Eſaiam in iſtis: *Et dixi: Væ mihi: quia perii. Nam vir pollutus labiis ſum, & in medio populi polluti labiis habito. Nam regem Jehovam Deum exercituum viderunt oculi mei.* Eſai. 6: 5. Indicatur enim, populum indignum fuiſſe, qui nomen Dei & fœdus ejus in os aſſumeret, cùm Chriſtus appareret. *Populus ille, ille ambulantes in tenebris, viderunt lucem magnam: Sedentes in terrâ umbræ mortis; Lux exſplenduit ſuper illis.* Eſai. 9: 1. Et rurſus, ubi Eccleſiam Iſraëliticam puerperam introducens, teſtatur, eam, *Antequam parturiret, peperiſſe; antequam veniret dolor ipſi, enixam eſſe maſculum.* i. e. vidiſſe Chriſtum, antequam de nativitate ejus, ut jam inſtante, cogitâſſet, vel propter regnum ejus in ullum dolorem fuiſſet conjecta. Eſai. 66: verſ. 7. Et apud Zachariam denique Zach. 11: 4. 5. & cap. 9: verſ. 11: 12.

§. 48. Speciatim hæc nox incubuit Galilææ, quæ à literis, inſtitutione Sacerdotum, & cognitione legis erat elongatiſſima, & ubi, propter advenarum multitudinem, diſciplina legis non ita vigebat. Hinc enim *Galilæa gentium*; Eſai. 8: 23. & *terra umbræ mortis*, reſpectu Hieroſolymæ, Eſ. 9: 1. appellatur. Jam vid. Matth. 4: 15.

§. 49. Comparatur hæc Dei in carne manifeſtatio cum ſimilibus, & minoribus, Dei manifeſtationibus, olim factis, ab iiſque illuſtratur, in prophetiâ. David in ſpiritu prævidens futurum ut Chriſtus inſtar lucis novæ & inſolitæ Iſraëlitis ſedentibus in caligine & umbrâ mortis, inter σκιὰς, umbras & tenebras meras, eſſet appari-

 paritu-

pariturus, tempus adventus ipſius, ut per *novilunii* feſtum quondam adumbratum, vocat *novilunium*; Pſalm. 81:4. Ezechiel eam comparat cum manifeſtatione Dei immediatâ, factâ patribus in deſerto, hoc modo: *Ibi* (in deſerto populorum) *diſceptabo vobiſcum à facie ad faciem. Quemadmodum diſceptavi cum patribus veſtris in deſerto, Ægypti, ſic diſceptabo vobiſcum, ait Jehovah.* Ezech. 20: 35. 36. Audiverant enim patres vocem ipſius Dei; ita Judæi audituri erant vocem ipſius Dei. Viderant Deum in nube; ita viſuri erant eum in carne. Nec abit Jeremias; qui eandem contendit cum habitatione Dei ſuper arcâ; ſed ita, ut huic illam, ceu meliorem, multùm præferat, adeo quidem, ut σκήνωσις, quæ fuit ſuper arcâ, non ſit recordanda, vel quærenda ampliùs. *Et fiet*, inquit, *cùm multiplicabimini & fructificabitis in terrâ; in diebus illis, ait Jehovah, non dicent ampliùs, Arca fœderis Jehovæ, & non veniet in mentem, neque recordabuntur ejus, & non adibunt, & non fiet ex illo.* Sed *in tempore illo vocabunt Hieroſolymam Solium gloriæ Jehovæ.* Jer. 3: 16. 17. Quibus conveniunt iſta: *Solium gloriæ in celſo præ priori eſt locus ſanctuarii noſtri.* Jerem. 17: 12. *Major fiet gloria domus hujus poſterioris, quàm prioris, dixit Jehovah Deus exercituum; & in loco hoc dabo pacem, ait Jehovah Deus exercituum.* Hagg. 2: 9. Pſalmiſta denique Adventum Chriſti ad occupandum regnum componit cum adventu Iſraëlis ad hæreditatem ſuam; & hanc præ illo extenuat, hoc pacto: *Quum exiret Iſraël ex Ægypto; domus Jacobi ex populo barbaro; Ubi facta Juda ſanctum ejus, Iſraël dominium ipſius. Mare videbat & fugiebat, Jordanes retroagebatur. Montes ſubſiliebant ut arietes, colles ut agni.* Hæc narratio adventus Iſraëlis. Sequitur extenuatio illius: *Quid tibi, Mare, quod fugiebas? & Jordanes, quòd retroagebaris? Montes, quòd ſaliebatis inſtar arietum? Colles, ut agni?* q. d. nulla fuit cauſa, cur ita fugeretis, retrocederetis, ſubſiliretis. Majus enim quid, cum potentioribus etiam ſignis, erat venturum. Quodnam illud, jam explicat: *Coram Domino terrere, ô terra; coram Deo Jacobi.* q. d. Majus quid hîc eſt, quam ibi fuit. Ibi enim agebatur de aſſerendo Jehudâ in populum peculiarem, & Iſraële in dominium; hîc agitur de aſſerendâ gloriâ Filii Dei, qui eſt אָדוֹן *Dominus*, habens imperium in omnia, poteſtatem in cœlo & in terrâ, & cujus peculium eſt Iſraël & omnis Eccleſia fidelis; & *Deus Jacobi*, qui nimirùm allocutus eſt Jacobum, eumque adjuravit, ut crederet ſibi, & in ſe gloriaretur.

§. 50. Per hanc Chriſti nativitatem, ut patebit ex ſequentibus, *irritum fecit Jehovah conſilium gentium.* de quo ſup. Period. V. art. cxxxv. Pſalm. 33: 10.

ARTICULUS II.

HÆc Dei apparitio in carne varios excitavit, pro vario habitu & affectu illorum, quibus apparuit, eorumque, quorum ipſius Adventus quocunque modo intererat, motus animorum, variaſque molitiones & effectus iis reſpondentes; ab unâ parte Angelis beatis, & piis exultantibus & celebrantibus Adventum ejus, qui ſalvaturus eſſet Iſraëlem.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De Angelis nota res ex hiſtoriâ Evangelicâ, ſic prædicta à Moſe: *Cœli, date magnitudinem Deo noſtro*; Deut. 32: 1.3. A Davide: *Confitebuntur cœli* (h.e. Angeli cœli, *filii potentium*, ut explicatur verſ. 7.) *Mirabile tuum, ô Jehovah.*

h. e.

h. e. agnoſcent Deum revelatum in carne, eique ſe ſubmittent, tanquam Domino ſuo; & *veritatem tuam*, eam nempe, quæ per Chriſtum exſtitit, Joh. 1: 17. *in panegyri ſanctorum*, h. e. in collectione totius Eccleſiæ, quæ in cœlis, & quæ in terris. Pſalm. 89: 6. Et rurſus: *Hallelujah. Celebrate Jehovam ex cœlis; celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes Angeli ejus.* Ubi inſtigat generatim ſuperiora omnia, ut ex cœlis homini innoteſcant, cum prædicatione virtutum & magnitudinis Jehovæ: Et ſpeciatim Angelos ut creaturas νοερὰς, mente præditas. Pſ. 148: verſ. 1. 2.

§. 2. Futuros etiam fuiſſe pios nonnullos, quibus Chriſtus, quantumvis humilis aſpectu, alluceret cum gloriâ unigeniti à Patre, quique propterea exultarent, & nomen ejus celebrarent, conſtat ex his locis. David in extremis dicit, *Solem exoriturum tanquam lucente matutino.* i. e. adventum ejus futurum cum demonſtratione gloriæ Filii Dei, quæ gloria, tanquam lux matutina, agnoſcatur ab iis, qui apparitionem ejus deſideraverint. 2 Sam. 23: 4. Horum erat dicere: *Lætificâſti me, ô Jehovah, molitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo.* Hæc eſt profeſſio lætitiæ. Ea illuſtratur à cauſâ, nempe operum Divinorum magnitudine, & profunditate conſiliorum: *Quam magna ſunt opera tua, ô Jehovah! Valdè profundæ ſunt cogitationes tuæ.* Non poſſunt hîc alia opera intelligi, quam ea, quæ perfectam lætitiam ea contemplantibus afferunt, quæ narrantur per Euangelium. Pſ. 92: 5. 6. Item: *Quum Jehovah reſtitueret Sionem in integrum, eramus ut ſomniantes. Tunc implebatur os noſtrum riſu & lingua noſtra jubilo.* i. e. non ſemper fuimus, ut ſomniantes, ſed & vidimus ſalutem Dei, & virtute ex alto induti ſumus, & lætitiam noſtram Euangelii prædicatione palam fecimus. Pſalm. 126: 1. 2. De his ita Eſaias: *Amplificâſti gentem, non magnificâſti lætitiam: lætantur coram te, velut lætitiâ in meſſe, quemadmodum gaudebant, quum dividerent ſpolia.* Eſ. 9: 2. Vid. Luc. 2: 10. Hos alloquitur Pſaltes, ubi canit: *Hallelujah. Celebrate Deum-omnipotentem in ſanctuario ſuo.* Pſal. 150: 1. Atque hi ſunt *atrium* illud, quod, *deſcendente gloriâ Dei de throno ad limen domus, & nube implente totam domum, ſplendor gloriæ Jehovæ implevit.* i. e. qui, cùm Filius Dei inhabitaret in populo in ſpecie humili, gloriam ejus, ut Filii unigeniti à patre, agnoſcebant. Ezech. 11: 4.

§. 3. Quin & fuere homines, qui per ſidera excitarentur ad quærendum & adorandum ipſum, ut de Magis notum eſt ex hiſtoriâ Evangelicâ: Quorum idcirco reſpectu, & *cœli dederunt magnitudinem Deo noſtro;* Deut. 32: 1. 3. & *celebrarunt eum ex cœlis, & in celſis*, Pſ. 148: 1. nominatim *ſidera lucida.* Ib. v. 3.

ARTICULUS III.

AB alterâ parte Diabolo impios excæcante, ne ipſum agnoſcerent, omniaque agente, ut in ipſo ortu exſtingueretur.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De Diabolo, operante in filiis tenebrarum, & omnia huc comparante, ut, ſi fieri poſſet, Rex ille gloriæ recens natus, mox ab ortu ſuo conficeretur, hæ exſtant prophetiæ: Facit ejus mentionem Eſaias, ſub nomine *Fortis*, utpote τοῦ τὸ κράτος ἔχοντος τοῦ θανάτου & quidem per legem, unde & *juſtum* illum denominat. Eſ. 49: 24. 25. Et conatus ejus indigitat; ubi deſcribit illum, tanquam *volentem enervare ipſum*; Eſ. 53: 10. Et clarè Johannes in Apocalypſi; ubi facit

Draconem

Draconem, conſiſtentem coram muliere, quæ parturiebat, ut eùm peperiſſet, filium deglutiret. i. e. Diabolum ita circumſidentem populum Judaicum ut, quum Chriſtus natus eſſet, ſub poteſtate ipſius eſſet, & mox, ſi pote, vel per principes populi, vel per extraneos, in quorum poteſtatem redacta erat Judæa, Romanos putà, eorumve ſervum Herodem, occideretur. Apoc. 12: 4.

§. 2. Primus Diaboli, hoc molientis, effectus erat excæcatio ſacerdotum ac principum populi, ne infantem recens natum pro Filio Dei & rege ſuo agnoſcerent. Unde iterùm Pſaltes, poſtquam lætitiam piorum decantâſſet: *Vir brutus*, ſpiritu Dei carens, *non novit, & ſtultus*, amore rerum terrenarum infatuatus, *non animadvertit hoc.* Scil. opera Dei, & conſilia ipſius. Ratio: *Quum virent improbi inſtar herbæ, & florent omnes operantes vanitatem.* Chriſtus verò, & qui ipſi adhæreſcebant, viſi ſunt nullius eſſe pretii. Pſ. 92: 7. 8.

§. 3. Ab hâc excæcatione natus eſt *pavor* Herodis & Sacerdotum ob rumorem allatum de nativitate Chriſti. Eſt de eo apud Pſalmiſtam his verbis: *Ibi pavent pavorem tractatores vanitatis quod*, (vel *quum*) *Deus eſſet* ſ. appareret, *in generatione juſti.* Pſal. 14: 5.

ARTICULUS IV.

HInc porrò exſtitit nefarium conſilium Herodis de tollendo Chriſto; & fuga Joſephi & Mariæ cum infantulo in Ægyptum; & infanticidium Bethlehemiticum; & luctus fidelium, quòd Chriſtum non viderent, & illum occiſum putarent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hoc conſilio jam tum ab initio ætatis Chriſti contra ipſum inito agit Scriptura, ubi oſtendit, fore, ut *reges terræ & principes ſiſtant ſeſe & concilium cogant contra Jehovam & Chriſtum ejus.* Pſ. 2: 2.

§. 2. Paſſio verò & luctus fidelium apud Jeremiam ſub emblemate Rachelis plorantis ſuper filiis ſuis proponitur; quia qui habitabant in locis vicinis Bethlehem, erant ex tribu Benjamin & Ephrajim, quarum mater Rachel, quæ etiam in viciniâ Bethlehem ſepulta fuit. *Vox in Ramah audita eſt, ejulatus, ploratus amariſſimi: Rachel* i. e. matres Bethlehemiticæ fideles, ſuccedentes quaſi in locum Racheli, *plorat ſuper filiis ſuis*, occiſis ab Herode; *renuit conſolationem admittere ſuper filiis ſuis, quia Ille* (Dux Iſraëlis ex cap. 30: 22.) *non eſt.* Quærebatur enim Chriſtus ad necem, & non reperiebatur. Dolebant autem piæ matres magis, quòd Chriſtum non viderent, ampliùs, quam quòd liberi ſui occiderentur. Jer. 31: 15.

§. 3. Subductionem verò Chriſti per fugam in Ægyptum innuit Ipſe apud Pſalten dicens: *Tu me tutum feciſti apud ubera matris meæ.* Pſal. 22: 10. Et rurſus Jeremias, cùm ait, *reverſuros* Joſephum & Mariam cum Jeſu, *ex terrâ Inimici.* i. e. ex Ægypto. vers 16. Et expreſſiùs Hoſeas, ubi Deus ait: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Hoſ. 11: 1.

ARTI-

ARTICULUS V.

MOrtuis iis, qui animam Infantis quærebant, Is revocatur ex Ægypto, & revertitur in terram ſuam: & profecit ſapientiâ & ſtaturâ & gratiâ apud Deum & homines.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De reditu ejus ex Ægypto res eſt clara ex dictis locis Jeremiæ & Hoſeæ. De profectu ejus id intelligitur ex eo, quod dicatur quidem *aſcendiſſe ut ſtolo*, qui non ex arbore, ſed ex radice progerminat *& ut radix ex terrâ aridâ*, tardè ſcil. ſed *coram Domino*, & quaſi ipſo inſpectante, & curante, adeoque & pueritiæ & adoleſcentiæ ipſius multifariam, tàm quoad corpus & ſtaturam, quàm quoad animam, benedicente. Eſ. 53: 2.

§. 2. Not. B. Anno Chriſti decimo tertio ſeptimanæ Danielis ſexaginta duæ, poſt quas exſcindendus erat Meſſias, expirârunt.

ARTICULUS VI.

SUperbia interim, ambitione, avaritiâ, perfidiâ, ſeditionibus, hypocriſi, ſuperſtitione, blaſphemiis & perſecutionibus Dei regnantibus in populo; factum eſt, ut ſtatus omnis & bonus ordo apud illos nutaret. Principes ipſi toto die ſub dominatione Herodiadarum ob ademptam ipſis Judicandi auctoritatem, & inſignes injurias, ejulabant; tandemque adeò, faſtidientes regnum illorum, ſub rege Archelao, filio Herodis & ſucceſſore, ſemel, iterumque iverunt Romam, ut de Archelao apud Auguſtum conquererentur, ſeſeque portionem ditionis Romanorum contributam Syriæ fieri peterent. Quod & factum eſt, Archelao Viennam relegato, & Judæâ in formulam provinciæ redactâ. Joſ. Ἀρχ. lib. 17. cap. 12. 15. & b. Jud. 2: 4. 7.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De nutatione ſtatus apud Judæos intelligenda iſta: *Nutabant fundamenta terræ.* Pſ. 82: 5. *Etiam confirmatur* frugifera; *non*, ut quondam, *nutabit.* Pſ. 93: 1. Principum ejulationi, inprimis in aulâ Cæſaris, atteſtatur Eſaias cap. 52: 5. *Et nunc quid mihi hîc? ait Jehovah: Nam acceptus eſt populus meus gratis*, à Romanis, qui eum nullo affecerunt beneficio, & tamen eos redegerunt in poteſtatem; *qui habent poteſtatem in eum, ejulant, ait Jehovah; & ſemper omni die nomen meum*, tùm ab hoſtibus externis, tùm à doctoribus populi juſtitiam Dei ignorantibus, *blaſphematur.* Rem ita narrat Joſephus. Deprecati ſunt, Ἀπηλλάχθαι βασιλείας, καὶ τοιῶνδε ἀρχῶν. προσθήκην δὲ Συρίας γεγονότας ὑποτάσσεσθαι τοῖς ἐκεῖσε πεμπομένοις στρατηγοῖς. *ne ampliùs eſſent ſub ſuis regibus, ſed ut eſſent ſub Romanis præſidibus, & Syriæ contribuerentur.*

§. 2. Hæc regiminis alieni turpis adeò ac projecta ambitio, *perſecutio amaſiorum* eſt, accuſata Hoſ. 2: 7. & 9. & *confœderatio*, cujus meminere Dan. cap. 9: 27. & Zacharias, cap. 11: 10. Sed *fornicationis* nomine ab Hoſea aliiſque notata. De eâ

ſic

ſic Hoſeas cap. 2. vers 7. *Fornicata eſt mater ipſorum*, (Seniores populi ſic indigitat.) *pudendum in modum egit genitrix ipſorum.* Explicat hanc fornicationem, & cur fuerit pudenda, cauſam reddit: Primo quòd propoſuerint Amaſios ſequi. & Secundò quòd iis, ut auctoribus & conſervatoribus optimis & maximis ſuorum bonorum, ea tranſſcripſerint. *Nam dixit, Ibo poſt amaſios meos, qui dant panem meum & aquam meam, lanam meam & linum meum, oleum meum & potus meos.* Enumerant ſc. bona illa, quæ Amaſiis accepta referebant; quæ ſunt omnia ea, quibus indiget uſus hujus vitæ. In quo & nova ſcortatio eſt, quòd affixi bonis terrenis, neglecto bono cœleſti & regno Dei, voluerint ſervire iis, in quorum manum Deus bona terreſtria illorum concluſerat, propter ipſorum ingratitudinem. Et rurſus cap. 9: 1. hoc pacto: *Ne læteris Iſraël, ad gaudium uſque, ut populi*; (more gentium) *quia ſcortatus es à Deo tuo; dilexiſti mercedem* ſcortationis *juxta omnem aream.* q. d. gratularis tibi de fructu illius ſcortationis, pacatâ fruitione bonorum terrenorum. Qualis gratulatio eſt Zach. 11: 5. *Qui vendunt illas* Romanis, *dicunt, Benedictus Dominus, & ditatus ſum.* Ubi nota, *venditionem ovium*, hanc confœderationem, appellari. A quâ venditione & *fures* denominantur, Pſal. 50: 18. Meminit ejusdem ſcortationis Hoſeas, ſub nomine *Amoris*; ſed qui *faciat abominabiles.* Ibid. cap. 9. vers 10. f. Pſaltes quoque Pſ. 10: 18. & Jerem. 23: 10. & Ezechiel, cap. 15: 8. 16: 38. 41. Item cap. 23: 37. 43. 45. eandem ſcortationem indigitant. Nec immeritò tam turpi nomine hoc factum Judæorum notatur in prophetiâ. Si enim tùm, quando regem petiverunt, & libertatem ſuam abdicârunt, accuſantur rejecti Dei, ne rex ipſorum eſſet, Per. III. Art. XVIII. Si fornicati ſunt, quando cum exteris *συμμαχίας* & *ἐπιμαχίας* contraxerunt. Period. IV. Art. XIX. XX. XXII. XXIX. XXX. XLV. LXIII. Quid fuit accerſere Romanum magiſtratum? Ezechiel ſanè Judæis ſic ſcortantibus tribuit, quòd *dixerint, Jehovam terram deſeruiſſe, & non videre.* vel curare eam. Ezech. 9: 10. David, quòd *Alium dotarint.* Deo ſc. neglecto, & rege ſuo, Cæſarem, & Populum Romanum, eique amorem ſuum impenderint. Pſ. 16: 4 Jeremias, quòd *Homini fuerint confiſi*, nempe Cæſari; & poſuerint carnem brachium ſuum. Jerem. 17: 6. Malachias, ubi & *perfidè egiſſe cœtum Judæ* declarat, & quòd *duxerint filiam Dei peregrini.* id eſt ad Romanos, filios Deorum peregrinorum relicto Deo confugerint, iisque ſui & bonorum ſuorum conſervationem concrediderint. Mal. 2: 11. Et Eſaias denique, ſimul abominabilitatem hujus facti proponens, quòd *fecerint fœdus cum Morte, & tractationem pacis cum Inferno.* cum Romanis ſcil. atque ita cum Dracone, & Diis Romanorum, ſ. angelis Draconis. Eſ. 28: 15. Et hinc natæ iſtæ Judæorum voces: *Si ipſum omittamus ſic, omnes credent in ipſum, & venient Romani, & tollent noſtrum & locum & gentem.* Joh. 11: 48. Item: *Si hunc abſolvas, non es amicus Cæſaris. Quicunque ſe regem facit, contradicit Cæſari. Non habemus regem niſi Cæſarem.* Joh. 19: 12. 15. Et: *Omnes hi contra dogmata Cæſaris faciunt, regem alium dicentes eſſe, Jeſum.* Act. 17: 7. Ab hoc inprimis tempore Cæſar *Ala* vocatur; ſed *Ala Abominationum.* Dan. 9: 7. Et, *Princeps advena.* Dan. 9: 26.

§. 3. Petitioni Judæorum cum Cæſar annueret, conſecuta eſt regni Herodiadarum in Judæâ deſtructio. De eâ agit Malachias, cùm apud eum, *ſic ait Jehovah Deus exercituum; Illi* (Idumæi, Antipater, Herodes &c.) *ædificabunt*, (denuò ſolitudines de quibus in præced. Et vid. ſupp. Period. V. Art. CXXVIII. *& ego deſtruam.* ædificata; inprimis regnum ipſorum in Judæâ. Mal. 1: 4.

§. 4. Factum quoque eſt, ut Judæa Syriæ contribueretur. Hoc innuit oraculum, quod

quod eſt apud Eſaiam, cap. 7: 8. *Damaſcum* non *fore caput* niſi *Syriæ*, donec naſcatur è Virgine Immanuel. Nam ante hoc tempus Damaſcus non fuit caput Judææ. Nam vel ſui reges tenuerunt Judæam, vel Babylonii, vel Perſæ, vel Seleucidæ, qui Antiochiæ habitabant, vel denique liberi fuerunt Judæi. Ab hoc verò tempore, quo Syriæ contributi, cæperunt eſſe ſub Præſidibus Romanis, qui Damaſci habitabant, atque ita ſub *Damaſco*, ceu *capite*, ac metropoli. Hinc &, quia Damaſco venturus erat is, qui Hieroſolymæ *erat* finem impoſiturus, *Damaſcus* i. e. populus veniens Damaſco, ibique ſedem habens, *Edomo*, i. e. populo Iſraëlitico conjuncto cum Edomo in unum populum, quem ille erit deſtructurus, ſubjungitur in ordine Prophetiæ; Jer. 49: 23. coll. 7.

§. 5. Factum porrò eſt, ut judiciis capitalibus populo ademptis, poteſtas Synedrii notabiliter imminueretur. Rabbini in Gemarâ Codicis de Sabbato cap. 1. fol. 15. id tradunt factum quadraginta annis ante excidium urbis, & tùm migrâſſe Synedrium ex loco ſuo in חנויות q. d. tabernas. Et liquet ex hiſtoriâ Euangelicâ, non licuiſſe Judæis ſupplicium ſumere de quoquam, procuratore Pilato; Joh. 18: 31. Quæ & cauſa eſt, quare D. Jeſum tradiderint gentibus interficiendum. Innuit hanc poteſtatis judicialis, ſublatis capitalibus judiciis, enervationem prophetia his locis: *Amplificabuntur dolores illorum, qui alium dotarunt.* Pſalm. 16: 4. *Et fatiſcebat ac contremiſcebat terra; & fundamenta montium commovebantur; & convellebantur; quia ægrè erat ipſi.* Terræ motus & commotio fundamentorum montium figuratè hîc ſignificat labefactationem, & politiæ, ſive terræ Iſraëlis, & τῶν ἀρχῶν, ſive principum prioris ſæculi, qui, ceu fundamenta, montes, i. e. duodecim tribus Iſraëlis, ſuſtinebant. Facta ea per Romanos poteſtatem magiſtratibus & libertatem populo adimentes. *Aſcendit fumus, in irâ ejus*, ſignum inchoatæ conſumtionis, *& ignis ex ore ejus* exibat & *vorabat.* In quo eſt evidentior conſumtio; *prunæ* relictæ *ardebant ab ipſo.* ſive ab ipſius contactu. Non neceſſe eſt hîc intelligi totius ligni exuſtionem in prunas, neque prunarum totalem redactionem ad cinerem. Sufficit hactenùs terror exempli in aliquâ parte ligni, ſive populi. Pſal. 18: 8. 9. *Invenit manus tua*, ô Rex, *omnes inimicos tuos; dextera tua omnes oſores tuos. Ponis illos ut furnum ignis in die vultus tui; Jehovah in irâ ſuâ deſtruit illos*, ut magis magiſque conſumantur; *& edit illos ignis.* Pſalm. 21: 9. 10. *Vox Jehovæ frangit cedros. Et fregit Jehovah cedros Libani.* Priori colo ſufficientia notatur, poſteriori factum. Significatur imminutio auctoritatis principum politiæ Iſraëliticæ unctione Dei inſignium. Pſal. 29: 5. *Ignis coram ipſo vorat, & circa ipſum horret valde.* Omnes plagæ excidium Judæorum antegreſſæ hîc intelliguntur. Pſalm. 50: 3. *Nutant omnia fundamenta terræ.* Pſalm. 82: 5. *Ignis* deſtruens & conſumens *coram* ipſo ambulat, *& inflammat circumquaque hoſtes ipſius*, Judæos refractarios. Pſalm. 97: 3. *Præpone ipſis Improbum.* Qualis erat Tiberius Cæſar, Cajus, Claudius, Nero, eorumque miniſtri, Pilatus, Felix, Geſſius Florus. Pſalm. 109: 6. *Nam ecce ille Dominus Jehovah Deus exercituum aufert ab Hieroſolymâ & à Jehudah ... judicem.* Vim judicii, ſublatis capitalibus judiciis, enervat.... *Et dabo adoleſcentes principes ipſorum, & pueri dominabuntur eis.* Ita factum ſub Præſidibus Romanorum. Eſai. 3: 1. 2. 4. *Et nunc, indicem, age, vobis, quid faciam vineæ meæ? Auferendo auferam ſepem ejus, & erit populationi.* Adducam externos in terram ad diſturbationem reip. & ſublationem omnis ordinis. Eſai. 5: 5. *Propterea ululabit Moab ad Moabum, univerſus ululabit.* Omnes Judæi ſummâ mœſtitiâ cooperientur. Cauſa ploratus: *De pedamentis, Kir chareſeth.* ſtatuminibus, quæ uvas ſc. ex Hoſ. 3: 1. vitis illius, i. e. populi Iſraë-

Iſraëlitici, ſuſtinebant, & reip. illius fulcra & tibicines erant, *gemetis: utique imminuta ſunt!* Vis & auctoritas illorum, ex parte ſaltem, eſt collapſa. *Nam ager Cheſbon languens, vitis Sebmæ,* totus populus, *cujus generoſi palmites dominos gentium contuderunt, uſque ad Jaazer pertigerunt, vagatæ per deſertum, propagines diffuſæ ſunt, tranſierunt mare.* mortuum, & terram Canaan occuparunt. Eſai. 16: 7. 8. *Nunc igitur ne exerceatis irriſionem, ne roborentur vincula veſtra.* Debebant Iſraëlitæ animadvertere, ſuam amicitiam cum gentibus & Draconis ſervis, nihil aliud eſſe, quàm catenas circumdatas, quibus includendi ſint, ſi pervicaciam & propriam ſapientiam verbo Dei opponant. Eſai. 28: 22. *Ecce omnes vos ardetis igne, accingitis vos ſcintillis: Ite in luce ignis veſtri, & in ſcintillis, quas accendiſtis. A manu meâ exſtitit hoc vobis: In cruciatum decumbetis.* Eſai. 50: 11. *Etiam ego eligam vexationem illorum, & formidines illorum adducam ipſis.* Eſai. 66: 4. *Et de iis,* quos incluſeris oræ tuæ, reducendis in terram, *adhuc capies, & conjicies ea in medium ignis, & combures ea igne.* Ezech. 5: 4. *Et qui, ut potus ipſorum,* quo ſe ingurgitant, indulgentes cupiditatibus ſuis, *abſorpti ſunt.* à Satanâ, & Romanis, quos tanquam amaſios pleno impetu ſunt proſecuti. Nah. 1: 10. *Et primus Angelus buccinavit, & exſtiterunt grando & ignis, permiſta ſanguini, & conjecta ſunt in terram.* Intelligit procellas, quibus agitata eſt reſp. Judæorum, antequam ſoluta. *Et tertia pars arborum,* i. e. poteſtatum in populo eminentium, *exuſta eſt.* Apoc. 8: 7. *Et cauda ejus,* Draconis, de quo vid. Per. V. Art. CXXVIII. *trahebat* de cœlo *tertiam partem ſtellarum cœli.* Rectorum populi Judaici tertium ordinem, nempe judicum, poteſtatem ſuſtulit. Apoc. 12: 4.

§. 6. Factum denique eſt, ut ordo militaris, & poteſtas bella gerendi tolleretur è republicâ, Præſidibus & Procuratoribus Romanis per Romanas legiones rempublicam tenentibus. Ita enim prædictum erat, Pſalm. 76: 4. *Ibi,* nempe apud Salem, in Sione, *fregit ſcintillas arcus, clypeum, & gladium, & bellum.* Eſ. 3: 2. *Ducem & militem.* aufert Deus ab Hieroſolyma. Et Zach. 9: 10. *Et exſcindam currum ab Ephrajim, & equum ab Hieroſolymâ.* Adimam utrique populo, conſtituto ſub uno Senatu, poteſtatem belligerandi. *& exſcindetur arcus belli.* Eccleſiam foris oppugnans.

ARTICULUS VII.

QUamvis autem ſic mutata Reip. forma, & populus relapſus in ſervitutem exterorum eſſet, ſine aliquo tamen in præſens commodo id factum eſt. Populo enim, correctis quidem, ad ipſius voluntatem, politicis erroribus, de cætero permiſſum eſt ſuis legibus vivere, & remp. adminiſtrare, & ſic ſervatâ ipſis, & αὐτονομίᾳ, & κυβερνήσει, quam etiam exercebant anathemate & flagellatione, & ut ex Eſr. 10: 8. apparet, bonorum devotione, Senatus Hieroſolymitanus priſtinam auctoritatem & majeſtatem, quæ per Herodem, ademptâ judicibus auctoritate, non parùm erat imminuta, recepit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Ut in hunc etiam Articulum quadret prophetia, quæ eſt apud Eſaiam, *Fore, ut* Deus *reſtituat* populo *judices ſuos, ut primitùs, & conſiliarios ſuos, ut olim.*

Et

Et *Poſtea*, nimirùm quam judices fuerint reſtituti, atque ita rep. ſub Judicibus, & non ſub regibus agente, *Sionem redimendam.* Quamvis enim Chriſtus natus fuerit, Rep. ſub regibus agente, tamen Redemtionem non præſtitit niſi ſub Judicibus. Eſai. 1: 26. 27. 28. Hinc Deo & Chriſto ut auctori, hoc *fœdus* Judæorum cum Romanis aſſignatur, Dan. 9: 27. Zach. 11: 10.

§. 2. Quin etiam notandum eſt, non exiguam fuiſſe ab hoc tempore Senatus Hieroſolymitani majeſtatem, & quodammodo majorem quàm olim. Idque quia ejus auctoritas ſe extendebat in majorem populi, quàm fuerat, multitudinem, tùm in terrâ, tùm extra eam. Conf. ſup. Per. V. Art. XXI. Nec parum ipſi gloriæ ab amicitiâ, protectione, & veneratione Romanorum acceſſit; qui planè, quam vellent, reip. formam ipſis dederunt, & *αὐτονομίαν* conſervârunt. Ut ad rem præſentem etiam applicari poſſit, quod prædixerat Moſes, fore, ut *Amplificarentur*, in terram reducti, *præ patribus ipſorum.* Deut. 30: 5. Et illud Pſalmiſtæ: *Vivent improbri inſtar herbæ, & florent omnes operantes vanitatem.* Pſalm. 92: 7.

ARTICULUS VIII.

OMnibus corruptis & labefactatis, hominumque animis contabeſcentibus in peccatis ſuis & malis, miſſo Johanne Baptiſtâ, Deus excitat illos, ut in fide & pœnitentiâ ſe advenientem exciperent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Id Pſal. 75: 4. ita dicitur: *Fatiſcebat terra, & habitantes in eâ: Ego aptavi columnas ejus.* Sic enim Deus regnum ſuum, quaſi columnis ſuffultis domum, confirmare & ſuffulcire incepit.

§. 2. De Johanne Baptiſtâ, ejuſque præconio, ſic Eſaias: *Vox præconis exſtat: In deſerto parate viam Domino*, jamjam advenienti, ut Teſtamentum gratiæ exſequatur. Auferte ſcil. obſtacula, errores, præjudicia, ſententias falſas radicatas in animo, quæ poterant ipſi opus ſuum facienti obſtare; *& aggerem rectificate in ſolitudine Deo noſtro.* i. e. Diſcite ex Moſe & prophetis, quis ſit Chriſtus, quæ dicta, quæ facta ejus, quæ paſſiones, quod officium ipſius, quæ juſtitia vera, quis ſtatus regni Dei, atque ita amore veritatis eum exſpectate. Eſ. 40: 3. Et breviùs, Eſai. 21: 12. *Convertimini.*

§. 3. Ita ſcil. impletum ivit Deus, quod prædixerat apud eundem Eſaiam, *oblatum iri munus Jehovæ Deo exercituum populum extractum, & deterſum; ad locum nominis Jehovæ Dei exercituum, montem Sionis.* Eſ. 18: 7. Item: *fore, ut populus*, miſſo prodromo Joh. Baptiſtâ, *cognoſceret nomen Dei*: Ut ita *in die illo*, poſtquam ſcil. ſic cognoviſſet nomen Dei, poſſet cognoſcere, *quòd Deus is ſit, qui loquitur, Ecce me.* & ſic præſentiam ſuam teſtatur. Eſai. 52: 6. Et apud Jeremiam in iſtis: *Et dabo vobis* (reductis Sionem, ex præcedd.) *paſtores ſecundùm cor meum*, alios ſcil. quàm nunc habetis, Chriſtum nempe & Apoſtolos; ita tamen ut prophetæ Haggæus, Zacharias & Malachias, & Johannes Baptiſta, qui duces fuerunt ad Chriſtum, non excludantur; *& paſcent vos ſcienter & conſideratè.* non dominationem exercebunt in vos, ſed ducent, geſtabunt, regent admonitionibus ſuis, tanquam oves meas, idque facient, tempeſtivè cum quovis loquendo. Jer. 3: 15. Et rurſus: *Ecce ego mitto etiam piſcatores multos, ait Jehovah, & piſcabuntur ipſos, & poſtea mittam etiam venatores multos, & venabuntur eos.* Prophetas nempe, Joh. Baptiſtam,

ſtam, deinde Chriſtum, Apoſtolos & Euangeliſtas, qui eos partim volentes, & eſcam appetentes, partim confundendo, obtundendo, & claritate demonſtrationis cogendo manum dare veritati, reducant & colligant. Jer. 16: 16. Item: *Et conſtituam ſuper eos paſtores, qui paſcent eos.* Jerem. 23: 4. ut 3: 15. Et apud Ezechielem: *Et dabo illis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum, & auferam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo ipſis cor carneum.* Hoc κατ' ἐξοχὴν per dationem Spiritus filiationis, vel certè per dationem fidei in Chriſtum. *Ut in ſtatutis meis ambulent, & judicia mea obſervent, & ea faciant, & erunt mihi populus, & ego ero* (ſ. *fiam*) *ipſis in Deum.* Hæc promiſſio incepit impleri, cùm miſſus eſt angelus ad præparandam viam Domini. Ez. 11: 19. 20.

§. 4. Sed clariſſima de Joh. Baptiſtâ exſtat prophetia apud Malachiam, ut ultimum ita proximum ei, Prophetarum. Ubi miſſionem ejus ſic denunciat Deus: *Ecce ego mitto* (Significatur aliquid proximum & imminens.) *Angelum meum*, i. e. Præconem, cujus vox audienda erat in deſerto; ut ſuprâ ex Eſaiæ cap. 40. cognovimus. Finis miſſionis: *Ut vacuam faciat viam ante me.* removendo obſtacula, præjudicia, & errores, quo ſic Chriſtus adveniens cum regno ſuo agnoſceretur faciliùs, & admitteretur. Mal. 3: 3. Et rurſus: *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam.* i. e. hominem in ſpiritu & virtute Eliæ, *antequam veniat dies Jehovæ magnus ille & terribilis.* Finis miſſionis Eliæ: *Ut convertat cor patrum ad filios*, ne ſcil. Abrahamum, & cæteros patres puderet ſuorum filiorum; *& cor filiorum ad patres ipſorum.* i. e. filios ad ſenſum juſtorum, ſive ad fidem ipſorum. Ut ſcil. doctrinâ ſuâ vocet Iſraëlitas ad pœnitentiam & fidem Euangelii, quippe Chriſto jam dato, & mox revelando. Quæ fuit ipſiſſima prædicatio Joh. Baptiſtæ: Μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ, &c. Mal. 4: 5. 6.

§. 5. Ad miniſterium & præconium Johannis Baptiſtæ pertinet & hoc, Indicare Chriſtum, ejus præſentiam teſtari, & adventum, ut jamjam imminentem, prænunciare. Ita enim Malachias: *Mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me, & derepentè veniet Dominus* &c. Et vide Matth. 3: 11. Marc. 1: 7. Luc. 3: 16. Joh. 1: 26. 27. 29. 30. Act. 19: 4.

§. 6. Ita & per prodromum *Deus* pater *dixit ad Chriſtum: Filius meus es tu, hodie genui te.* Pſ. 2: 7.

ARTICULUS IX.

VEnit Chriſtus, & manifeſtatur Iſraëli, cum omni demonſtratione virtutis in verbo de ſe patefactæ.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hoc adventu Chriſti ita Malachias, poſtquam de prodromo fuiſſet locutus: *Et derepentè veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis.* Mal. 3: verſ. 3. Eſt enim *venire* hîc non *naſci*, ſed φανερωθῆναι τῷ Ἰσραήλ. conf. Joh. 1: 31. Act. 19: 4.

§. 2. Modum adventus poſt prodromum denotat Ibidem vocula, *Derepentè.* Significatur enim per eam, velociter adventurum, & opinione citiùs excepturum prodromum.

§. 3. Nota, cùm Chriſtus à Johanne baptizaretur, Patrem miſſo Spiritu in formâ columbæ, intercedente voce de cœlo auditâ, ipſum deſignâſſe, & dixiſſe ad ipſum:

ipſum: *Filius meus es tu &c.* Pſalm. 2: 7. & ſic *fuiſſe vocem Jehovæ auditam.* Pſal. 29: 3. Ubi additur, hanc vocem fuiſſe *ſuper aquas multas.* i. e. clariſſimam, & penetrantiſſimam, quaſi ſuper Oceanum, vel quæ ad gentes, in inſulas uſque maris, eſſet penetratura.

§. 4. De hoc etiam Chriſti adventu intelligenda ſunt ex Art. 1. ſup. Loca ſequentia. Lev. 26: 12. Deut. 33: 3. 5. Pſalm. 14: 5. 40: 8. 50: 2. 75: 2. 80: 15. 82: 1. 94: 1. 102: 17. 115: 1. 119: 26. 145. 120: 1. 143: 1. 126: 1. 134: 3. 2 Sam. 23: 4. 5. Eſ. 8: 14. 8: 18. 10: 3. 21: 12. 28: 16. 40: 5. 9. 50: 2. 63: 8. Jerem. 33: 14. Ezech. 9: 3. 13: 6. 34: 11. 35: 10. Hoſ. 9: 7. Mich. 7: 4. Hab. 2: 3. 3: 3. Zeph. 3: 5. Hagg. 2: 7. Zach. 2: 14. 8: 3. Mal. 4: 2. 4: 5: 6. Idemque, ut ſuprà, ſubindicatur in iſtis: Gen. 3: 15. 17: 8. Pſalm. 8: 2. 29: 2. 50: 1. 68: 19. 72: 1. 80: 4. 8. 20. 81: 4. 85: 2. 95: 2. 114: 7. 150: 1. 2 Sam. 7: 11 — 16. Cant. 1: 3. Eſai. 1: 26. 27. 5: 3. & ſeqq. 6: 1. coll. 5. 10: 20. 21. 16: 5. 18: 7. 21: 10. 26: 15. 42: 1. 6. 61: 1. Jer. 3: 17. 12: 17. 16: 21. 17: 12. 32: 38. Ezech. 34: 24. 11: 19. 20. Dan. 9: 24. Jo. 2: 23. Am. 9: 11. Ob. verſ. 1. Mich. 4: 1. 6: 9. Nah. 1: 7. Zeph. 2: 11. 3: 7. Hagg. 1: 8. 2: 9. 2: 23. Zach. 6: 12. 13. 8: 23. 9: 8. 9. 11: 4. 7. 12: 7. 8. Mal. 1: 12. 13. 14.

§. 5. Quin etiam hîc repete omnia, quæ de perſonâ ſeſe manifeſtante, ejuſque duplici naturâ, officio, cauſis, ſtatu in quo apparuit, modo apparitionis, loci, & temporis circumſtantiis, & ſtatu denique illorum, quibus revelatus eſt, &c. Ibidem convecta ex prophetiis ac demonſtrata ſunt.

§. 6. Quòd autem manifeſtari debuerit cum omni demonſtratione virtutis, potentiæ, ac bonitatis Divinæ, intelligitur in ſpecie ex iis locis, in quibus per manifeſtationem Chriſti dicitur *Futurus Deus ſemini Abrahami in Deum.* Gen. 17: 8. Jerem. 32: 38. Ezech. 11: 20. 34. 24. Sive, ut explicat Eſaias, *in Salvatorem.* Eſ. 63: 8. Item, ubi per Ipſum dicitur revelandum *nomen Dei.* i. e. quicquid de Deo dici aut nominari poteſt, & per quod Deus ipſe cognoſcitur & nominatur. Adeo ut, cùm ipſe *ut oleum evacuatur nomine ſuo.* Cant. 1: 3. *ingens eſſe* dicatur *nomen Dei in totâ terrâ.* Pſ. 8: 2. & *cedere* jubeatur unusquiſque *Jehovæ gloriam nominis ipſius.* Pſ. 29: 2. & celebretur *nomen Dei* ut *propinquum.* Pſ. 75: 2. & Deus ipſe, ut *dans gloriam nomini ſuo.* Pſ. 115: 1. & Chriſtus, ut *veniens in Domini nomine.* Pſ. 118: 26. & locus, in quo Chriſtus virtutes ſuas exercet ut *locus nominis Jehovæ Dei exercituum* Eſ. 18: 7. ut ita bonum ſit *canere nomini.* ipſius qui eſt *Altiſſimus.* Pſal. 92:2. Et *benedicere nomini ſancto Jehovæ.* Pſ. 103: 1. & impleatur, quod prædictum eſt, fore ut *cognoſcat* Iſraël, *quòd nomen Dei ſit Jehovah.* Jer. 16: 21. & *reverâ videat* unusquiſque *nomen Jehovæ* Hoſ. 6: 9. Nec tantùm *nomen* ſed & *gloria* & *veritas*, & *decentia Dei* in adventu Chriſti dicitur *revelanda.* Ita enim de *gloria Dei* expreſſè Eſaias: *Et revelabitur gloria Jehovæ, & videbunt omnis caro, quòd os Jehovæ locutum ſit.* Eſ. 40: 5. Ita & alii: ut Pſaltes: *Jehovah apparuit in gloriâ ſuâ.* Pſ. 102: 17. Et rurſus Eſaias, ubi in apparitione Chriſti *Jehovam* dicit *glorificatum eſſe.* Eſ. 26: 15. De *veritate Dei*, quæ conſiſtit in implemento promiſſionis, ita David Pſ. 89: 3. *cœli! in eis*, pro, *in cœlis*, *conſtabilies veritatem tuam* impletam in terrâ, in cœlis conſummabis Et vers 6. *Et confitebuntur cœli.* i. e. angeli, *veritatem tuam in panegyri ſanctorum.* Et Pſal. 138: 2. *Propter gratiam & veritatem tuam.* Et conjunctim de *veritate* & *decentiâ*, ſ. *pulchritudine*, decoro, glorioſo, amabili, Dei, eſt Ib. Pſ. 89: 9. *Jehovah, Deus exercituum, quis ut tu, præditus decentiâ? Et veritas tua eſt circa te.* Hinc *Sorobabel.* i. e. filius ejus, Chriſtus, dicitur *ponendus ut ſigillum.* ſculpendus

nimirum cum imagine; & explicat Zacharias; cujus hæc ſunt de *lapide* illo, *quem poſuerat Deus coram Joſua. Et ſculpam ſculpturam ejus.* Significatur autem per iſta manifeſtatio Dei, (ejus enim Chriſtus ſigillum eſt) & nominis ipſius in ipſo, ut perfectâ *imagine.* Col. 1: 15. & *charactere* ὑποστάσεως *ipſius.* Heb. 1: 3. ita ut omnibus ſignis eum demonſtret eſſe Filium ſuum, & omnes promiſſiones in ipſo fiant Næ & Amen.

§. 7. In ſpecie autem Gratia & Bonitas Dei per ipſum & in ipſo manifeſtanda in populo innuitur, ita ut per ipſum confugiant ad Deum, tanquam ad arcem ſalutis, Nah. 1: 7. Ubi hinc *Bonus* dicitur *Jehovah, in arcem in die preſſuræ, & noviſſe eos, qui confugiunt ad ipſum.* Pſal. 103: 8. 9. ubi pluribus hæc Bonitas explicatur, diciturque hoc eſſe nomen Dei, Iſraëlitis notificatum per Moſen, jam verò comprobatum ipſo facto. Scilicet quòd *miſericors* ab eo, quòd homines miſeros & exitii reos, velit per fidem ſalvari; & *gratioſus* ab eo, quòd velit liberali dono juſtitiæ gloriam ſuam demonſtrare, *ſit Jehovah*; *longanimis* ex eo, quod homines impios toleret diù, & vocet ad pœnitentiam, antequam puniat; & *multus gratiâ*, quòd æterno amore & mirabili potentiâ electos perducat ad ſalutem, & eorum fidem non tantùm ipſorum æternâ beatitudine, ſed & miſeratione filiorum uſque in milleſimam progeniem, maximè eorum, qui ſunt ſecundùm promiſſionem, rêmuneretur. Quòd *contendat* quidem, & judicium exerceat in peccatum, ſed *non in perpetuum*, eo quòd Primò peccatum noſtrum conjecerit in Chriſtum, & Secundò in iis, qui ſunt Chriſti, peccatum magis magiſque aboleat. Denique *non in ſæculum ſervet iram*, quemadmodum in milleſimam progeniem ſervat gratiam, ſed ipſi ſatis ſit nunc in filiis, nunc in nepotibus, nunc in pronepotibus demonſtrare juſtitiam & iram ſuam. Speciatim verò deinceps vers 10. 11. in impletione hujus nominis inculcatur *Longanimitas* cum inſigni beneficentiâ conjuncta, hoc modo: *Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, & non ſecundùm pravitates noſtras retribuit nobis. Sed quemadmodum alti ſunt cœli ſupra terram, ſupervaluit gratia*, ſive beneficentiâ, *ejus ſuper timentes ipſum.* Ubi ſimilitudo altitudinis cœli adhibetur ad oſtendendam beneficiorum exaggeratam molem. In metaphorâ hæc omnia ſignificavit Pſaltes in iſtis: *Et tanquam lucente matutino orietur Sol.* 2 Sam. 23: 4. Et clariùs Malachias, quaſi explicans Metaphoram: *Et orietur vobis, timentes nomen meum, Sol juſtitiæ, in cujus alis.* i. e. radiis, *eſt ſanitas. Sol* enim *juſtitiæ* eſt Chriſtus lucens teſtimonio majeſtatis ſuæ, & in apertum proferens juſtitiam veram, & radiis ſuis ſanans ægritudines noſtras, h. e. verbo & ſpiritu ſuo nos regenerans & ſanctificans & conſolans. *Ortus* verò eſt hic *Sol*, & ſic *nomen Dei manifeſtatum, & gloria ipſius revelata*, non tantùm per nativitatem, ſed & per doctrinam, opera, obedientiam, paſſiones, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum, effuſionem Spiritus S. & cætera hinc conſecuta beneficia maxima, quæ in ſequentibus memorabuntur.

§. 8. Quòd autem debuerit Chriſtus venire cum demonſtratione virtutis Divinæ in verbo de ſe patefactæ, ut ita ab iis demùm, qui credebant Moſi & prophetis, & verbum Dei habebant manens in ſeſe, Joh. 5: 46. 47. hoc eſt, qui intelligebant mentem dictorum Dei per Moſen & prophetas, & eam fide recipiebant, poſſet agnoſci; patet ex locis Pſ. 40: 8. & Cant. 1: 3. jam ante in hanc ſententiam adductis atque explicatis. Et huc etiam pertinent, quæ de *obſignatione Prophetæ* Daniel, cap. 9. vers 24. & de *cœlatione cœlaturarum lapidis*, qui omnibus propoſitus eſt, ut *eum intueantur*, Zacharias cap. 3. v. 9. prædixerunt. Sed jam tempus eſt, ut, in quibus rebus virtus illa Divina ſe exeruerit, explicemus.

ARTI-

ARTICULUS X.

INprimis virtus Divina ſe manifeſtavit in ſermonibus Chriſti, quos habuit ut miſſus à Deo doctor & propheta, quatenus locutus eſt *verba Dei*, h. e. talia, quæ nemini niſi Deo conveniebat loqui, quæque is ſibi reſervaverat loquenda ad populum, & quæ Chriſtum locuturum eſſe prædictum erat.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Primò enim, prædicaturum fuiſſe Chriſtum, h. e. ſermonem publicè habiturum, & Deum, in ipſo, conſtat non modò ex iis locis, quæ doctorem ſeu prophetam illum futurum demonſtrant, de quibus ſuprà ad Art. 1. ſed etiam ex multis aliis. Moſes id ſignificat, *ubi præceptum*, Scil., ut explicat Paulus, Rom. 10: 8. *juſtitiæ fidei, non futurum mirabile ab Iſraële* promittit. Quatenus *non ſit futurum in cœlis, ad dicendum: Quis aſcendet nobis in cœlum, & accipiet illud nobis, & faciet nos illud audire, ut faciamus illud?* Deut. 30: 12. Significat enim, illum qui eſt in cœlo, & ex cœlo, Filium Dei ipſum, illud nobis ex cœlo allaturum. Idemque innuit Pſalmiſta, ubi poſtquàm de Patre dixiſſet, *vocem Jehovæ eſſe ſuper aquas multas*, de quo ſup. ad Art. IX. ſubjungit, quaſi de Filio: *Deus gloriæ tonuit* i. e. edidit vocem ſuam, eamque claram & penetrantem. Pſal. 29: 2. Ne quis enim dubitet hoc de Filio accipere, repetit & tertiâ vice: *Jehovah eſt ſuper aquas multas*, quaſi de Spiritu S. loquens. Tres enim ſunt teſtes. Et clariùs idem ſignificat, Pſal. 50: 1. his verbis: *Deus omnipotens*, Is qui manifeſtatus eſt condendis cœlis & terrâ, & omnibus ferendis verbo potenti ſuo; *Deus*, is qui habet in ſe ſufficientiam, ut glorioſè fiat Deus peccatoris, eumque adjurare poteſt, ut in ſe credat ad juſtitiam & vitam; *Jehovah*, is qui fit quod eſt, *locutus eſt*, ea ſcil. verba, quæ adhuc reſtabant loquenda ad populum, *& convocavit terram ab ortu Solis uſque ad occaſum ejus.* Verbum ſcil. quod locutus eſt Deus, eſt id, quo convocare jam cœpit gentes in regnum ſuum ab omnibus oris terræ. Eſt enim hoc præconium de Deo in carne manifeſtato intelligendum, patet ex iis, quæ immediatè in eodem textu ſequuntur: *A Sione, perfectione pulchritudinis, Deus effulſit.* ἐπιφάνη, agens præconem juſtitiæ ſcil. Ib. vers 2. Hinc & *ſtare* dicitur *in cœtu Dei* patris ſui, tanquam Sacerdos, Rex, & Propheta. Pſ. 82: 1. Et *glorioſa eloquio exponi*, per os Chriſti & Apoſtolorum, *in Sione, urbe Dei.* Pſal. 87: 3. Et, *vocem dilecti Sponſæ exſtare.* Cant. 2: 8. Et, *omnem carnem viſuram, quod os Jehovæ locutum ſit.* Eſ. 40: 5. Et, *veniſſe Jehovam, & clamâſſe*, præconium exercentem apud populum, eumque vocantem ad ſe. Eſ. 50: 2. Et, *cogniturum populum, quòd Jehovah is ſit, qui loquitur, Ecce me!* Eſ. 52: 6. Et, *Teſtem nationum datum eſſe*, qui verba ſc. ante non audita, dicenda haberet, & auctoritatem, propter quam ipſis ſit credendum, *principem* & *præceptorem nationum*, qui haberet legem, quam ipſis proponeret, & quidem ſuo jure, ut Dominus; legem nempe fidei & charitatis. Eſ. 55: 4. Et proditurum aliquando in medium, qui dicat hæc verba Iſraëli: *Spiritus Jehovæ eſt ſuper me, quia unxit me Jehovah ad evangelizandum manſuetis*, &c. Et, *vocaturum Iſraëlem eum, cujus nomen, Jehovah juſtitia noſtra.* Jerem. 23: 6. & 33: 16. Et, *Deum diſceptaturum cum populo facie ad faciem.* Ezech. 20: 35. Et, *vocâſſe illos.* Chriſtum & Apoſtolos. Hoſ. 11: 2. Et *Jehovam è Sione rugiturum, & ex Hieroſolymâ editurum vocem ſuam.* Am. 1: 2. Et, *Do-*

minum Deum fore in populis teſtem, è templo ſancto ſuo. i. e. ex cœlo locuturum. Mich. 1:2. Et, *vocem Jehovæ, qui urbem vocat, exſtare.* Mich. 6:9. Et, *Præconem* exſtiturum *in fine* dierum, *qui non mentietur.* Hab. 2:3. Et *Seſſurum*, tanquam doctorem, *conflantem & purificantem.* i. e. explicando legem & prophetas excitantem in ſuis ignem h. e. amorem & timorem Dei, eoſque ab opinionibus ſuis & ignorantiis magis magiſque purificantem. Mal. 3:5.

§. 2. Nec tantùm præconiaturum fuiſſe Chriſtum Prophetæ docent, ſed & locum ſ. regionem terræ oſtendunt, ubi primum præconium ſuum eſſet auſpicaturus; Nempe in genere indicat Zacharias, id fieri debuiſſe extra Hieroſolymam. Ita enim ille: *Et ſalvabit Jehovah tentoria Judæ initiò; adò ut non magnificetur decus domus Davidis & decus habitatoris Hieroſolymæ ſuper Judam.* Zach. 12:7. In ſpecie hunc locum deſignat Eſaias, cap. 8:23. & 9:1. *Nam non facta eſt vertigo, cui facta eſt anguſtia tempore primo, quod levavit verſus terram Zebulun, & verſus terram Naphtali: ſed poſterius aggravat, viâ maris, ultra Jordanem, Galilæâ gentium Populus, ambulantes in tenebris, viderunt lucem magnam; ſedentes in terrâ umbræ mortis, lux fulſit ſuper ipſis. Primum tempus*, ut anguſtiam affert captivitatis Babylonicæ, ita & allevat ab omni jugo, nempe peccati ſervitutis & legis; idque primitùs verſus terram Zabulun & Naphtali; dum ibi lux orta eſt ſedentibus in tenebris, per prædicationem Evangelii, & virtutes Chriſti, quibus reverâ Salvatorem populi, & Latorem atque ablatorem morborum ſe demonſtravit. Sed *ſecundum tempus*, tempus regni Chriſti, quod priori tempori prioris fœderis, opponitur, aggravat iiſdem in partibus primò, ubi lux primò orta erat. Jam vid. implementum. Matth. 4:5.

§. 3. Eſt & , ubi mons Oliveti, ut locus converſationis Chriſti deſignatur in prophetiâ. Ut Ezech. 11:23. *Et aſcendit gloria Jehovæ de medio urbis, & ſtetit ſuper monte, qui erat ante civitatem.*

§. 4. Locuturum autem fuiſſe *verba Dei*, atque ita gloriam & virtutem Divinam in ſermonibus ejus ſe manifeſtaturam, quatenus ea verba talia erant futura, quæ nemine, niſi Deo, dignum erat loqui, apertè prædixerat Moſes, Deut. 18:15. 18. *Prophetam parem tibi*, (non minorem te) *excitabo, & ponam in ore ipſius VERBA MEA. & requiram ab eo, qui non audiverit.* Et ex Moſe David, ut in re præſenti: *Indicat verba ſua Jacobo.* q. d. Jacobo reducto in terram apparuit in carne, & audivit verba Dei, quæ locutus eſt in nomine Patris: Illi dictum eſt, Ecce Deus veſter, &c. Pſal. 147:19. Conf. Joh. 3:34. Hinc non tanquam miniſter, ſine auctoritate, *ex terrâ*, & ut quivis homo, ſed cum ſupremâ auctoritate, ut Deus, *ex cœlo*, & tanquam is, qui *erat ſupra omnia, locutus eſt.* Mich. 1:2. Joh. 3:31. Deum quoque verba quædam ſibi reſervâſſe olim dicenda ad populum, locupletem teſtem habemus Pſalmiſtam, ubi verbis Eccleſiæ, videntis exhibitionem gratiæ & veritatis in Chriſto, ſic celebrat Deum: *Magnificâſti ſuper omne nomen tuum dictum tuum.* q. d. Patres quidem audiverunt *nomen tuum*, & ſperaverunt in te; ſed quæ tu nobis dicis, Fili Dei, qui verba Dei loqueris, exſuperant omne nomen tuum, quòd hactenùs nobis innotuit, auditum & pronunciatum ab hominibus. Pſ. 138:2. Et S. Paulum, ubi *Moſen fuiſſe ſervum Dei fidelem, ad teſtimonium illorum, quæ ſuper erant dicenda*, auctor eſt. Vid. Heb. 3:5. Unde & hoc diſcimus, Chriſtum nihil debuiſſe loqui, quod non à Moſe, & interpretibus ejus Prophetis, teſtimonium haberet, quodque adeo ipſum locuturum eſſe, à Moſe & Prophetis, eſſet prædictum. Hinc & Chriſtus in ſpiritu, *Se narraturum* viſa & audita *juxta præſcriptum* in Moſe & Prophetis. Pſ. 2:7. Et, *eructaturum*, quidem i. e. ſcaturiginis more effuſurum,

ſurum,

ſurum, aperturum, ſoluturum, *ænigmata*; ſed *ænigmata ab antiquo.* nihil novi, ſcil. ſed ænigmata antiqua. Pſalm 78: 2. coll. Matth. 13: 35. Et, cùm hæc dicta impleret, *Se nihil facere à ſeipſo, ſed, quemadmodum docuiſſet ſe Pater, hæc loqui*; Joh. 8: 28. declarat.

§. 5. Ut verò hoc etiam fiat manifeſtum, juvat hîc ad πληροφορίαν fidei noſtræ, & ad demonſtrandum veritatem doctrinæ Chriſti, conferre ea, quæ Prophetæ ipſum dicturum eſſe prædixerunt, cum iis, quæ hiſtoria Euangelica ipſum dixiſſe teſtatur.

§. 6. Inprimis nihil dixit, quod non audiverat & viderat apud Patrem. Unde ipſe apud Eſaiam ait: *Quod audivi à Jehovah Deo exercituum Deo Iſraëlis, indicavi.* Eſai. 21: 9. Quæ verba Chriſtus diſcipulis ſuis reponit, Joh. 15: 15. *Non amplius vos dico ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat ipſius Dominus. Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæ audivi à Patre meo, indicavi vobis.* Tale etiam eſt, quod ait Filius: *Auditionem* κήρυγμα, rem prædicandam, *audivi à Jehovah.* Jerem. 49: 14. & quod Filius & Spiritus S. duo teſtes: *Auditionem audivimus à Jehovah.* Obad. verſ. 1. Prorſus ut Chriſtus, Joh. 3: 11. *Quod vidimus & audivimus*, nempe Ego & Spiritus S. teſtis, ſ. Index ille alter, id *loquimur, & teſtamur.* Hinc & Chriſtus *Conſiliarius* dicitur Eſai. 9: 5. qui quæ audiverit & viderit apud Patrem, teſtatus ſit, & Deum nobis enarraverit, ipſa Sapientia & Λόγος. Et de ſe teſtatur ipſe, quod *Dominus ipſi excitet aurem ad audiendum inſtar eruditorum.* Eſai. cap. 50: verſ. 4.

§. 7. Tùm nihil dixit, quod non verum, ſanctum, Deoque & nomine ipſius, & verâ ſapientiâ, dignum eſſet. Hinc *veritas* ipſi, ut teſti & prophetæ, verba Dei loquenti, & veram viam ad ſalutem clarè monſtranti, tribuitur, Pſalm. 45: 4. & deſcribitur, ut mendacii incompertus, *in cujus ſc. ore fraus non inveniebatur.* Eſai. 53: 9. ut *loquens in juſtitiâ*; qui ſcil. non tantùm juſtitiam haberet & jus filiorum adduceret, verùm etiam nullâ in parte mentiretur, nec ſpem fidelium fruſtraretur. Eſai. 63: 1. ut *præco, qui non mentietur.* Hab. 2: 3. diciturque *ad veritatem feciſſe exire judicium*; ut nempe in ipſo, & per doctrinam ipſius, unuſquiſque cognoſceret, quis ſit verus Deus, quæ vera ſanctitas & juſtitia, falſitas autem omnis condemnaretur. Eſai. 42: 3. Hinc & *gratia*, i. e. venuſtas gratiam concilians, dicitur *effuſa in labia ejus*; Quatenùs per ſermonem ejus patuit. Sapientia ejus, quòd omnia recta, juſta, & honeſta loqueretur, & omne arcanum Divinæ explicaret. Pſal. 45: verſ. 3.

§. 8. Ac præterea, quæ prædicavit, talia ſunt, ut omnem mentem & cogitationem cordis humani excedant. Hinc tribuuntur Chriſto *verba mirabilium*; Pſ. 145: verſ. 5. *Et verba mirabilium tua meditor.* Idemque patet ex hâc fidelium confeſſione: *Mirabiles ſunt teſtificationes tuæ.* i. e. quæ tu nobis teſtavis, mirabilia ſunt, & omnem captum excedunt. Pſ. 119: 129.

§. 9. Ipſum κήρυγμα, ſ. rem prædicatam quod attinet, explicuit *legem Jehovæ*, in quâ *ambulantes* rectam *viam* ſequantur ad *beatitudinem.* Pſal. 119: 1. 78: 2. Eſai. 42: 4. *Statuta Dei* promulgavit; quæ nimirùm certiſſimam viam vitæ deſcriberent. Pſalm. 119: 29. *Docuit* homines *viam ſtatutorum* illorum. Ibid. verſ. 33. Atque ita *ſecundùm verbum* promiſſionis Divinæ ipſos *prudentes fecit.* Ibid. verſ. 169. Docuit *Iter judiciorum Jehovæ.* i. e. regulam, ſecundùm quam Is judicat; Eſ. 26: verſ. 8. & *Vias populi Dei, ut jurent in nomine Dei, vivit Jehovah.* Jerem. 12: 16. coll. 17. *Indicavit recta*, ſ. *æqua.* i. e. bonum, quod Deo gratum eſt, certiſſimam

viam vitæ, Eſai. 45: 21. & *condocefecit* populum *ad utilitatem, & fecit illum incedere in viâ, in quâ ire debebat.* Eſ. 48: 17.

§. 10. Ita verò legem Jehovæ explicuit, ut primò rejiceret omne ſtudium carnis, tanquam inutile, fluxum, & non valens conſiſtere coram judicio *Spiritus Dei*, vel Deo placere, tanquam ſi juſta ſit. Hoc enim debuit prædicare Is, qui à prodromo erat deſignatus, & quidem per expreſſam Θεῦ ἐπιταγὴν. Ita enim Eſaias: *Auditur vox dicentis: Prædica: & eſt qui dicat, quid prædicabo? Omnis caro gramen, & omnis pietas ipſius, ut flos agri. Exareſcit gramen, defluit flos, quum Spiritus Jehovæ flaverit in illum. Utique gramen eſt populus. Exareſcit gramen, defluit flos.* Eſ. 40: verſ. 6. 7. 8.

Nec tantùm ſic omnium hominum in univerſum, ſed & *populi* in ſpecie ἀδυναμίαν ad faciendum quicquam bonum, prædicare juſſus eſt. Quæ & indicatur vocabulo *graminis*; quod exareſcit, & florem durabilem proferre non poteſt.. Ibid. verſ. 7. Hinc enim eſt, quòd Chriſtus, litem faciens carni, & cum eâ contendens de ejus ἀδυναμίᾳ ad aſſequendum juſtitiam per ſeſe; ſpeciminis gratiâ introducit Iſraëlem, quem arguit per omnem culturam Dei non fructificâſſe, ſed malos fructus tuliſſe. Ut in illo *carmine*, quod exſtat Eſai. 5: 1 — 8. *Vinea fuit Dilecto meo in cornu oleoſo. Et paſtinavit illam, & elapidavit illam, & plantavit illam optimâ vite, & ædificavit turrim in medio ejus atque etiam lacum excidit in eâ: & exſpectavit ut faceret uvas, & fecit labruſcas. Et nunc, qui habitas Hieroſolymæ, & vir Judæ, judicate, agite, inter me & vineam meam. Quid faciendum ampliùs vineæ meæ, quod non fecerim in eâ? Quare exſpectavi quidem ut faceret uvas, & fecit labruſcas? ... Nam vinea Jehovæ Dei exercituum eſt domus Iſraël, & vir Judæ plantatio delicioſa ejus, & exſpectavit ad judicium, & ecce ſcabies; ad juſtitiam, & ecce vociferatio.*

§. 11. Sic igitur rejectâ omni juſtitiâ carnis, prædicavit *juſtitiam* veram, quæ eſt juſtitia *Dei*: ut ita unuſquiſque poſſet *appellare Iſraëlem, Jehovah juſtitia noſtra.* Jerem. 23: 6. 33: 16. Id teſtatur Pſalmiſta, poſtquam *Jehovam* dixiſſet *juſtum*. i. e. rectè ac decenter juſtificantem peccatorem, propter meritum & obedientiam Chriſti, Pſalm. 119: 137. ita canens: *Præcepiſti juſtitiam teſtificationum tuarum.* i. e. edixiſti omnibus hominibus, ut injuſtitiâ miſſâ factâ, operam dent, ut habeant *juſtitiam*, quæ apud te valet, & verè juſtos conſtituit eos, qui injuſti ſunt; & oſtendiſti, eam juſtitiam in teſtificationibus tuis contineri, alibi verò non reperiri. Ibid. verſ. 138. Et rurſus, ubi Eccleſiæ V. Teſt. præformans orationem: *Jehovah*, inquit, *audi orationem meam; in veritate tuâ reſponde mihi, in juſtitiâ tuâ. Et ne venias in judicium cum ſervo tuo.* Quâ oratione ſignificat, ſe cupere audire verba Dei convenientia juſtitiæ ipſius; quæ juſtitia in eo conſiſtat, quod non veniat in judicium cum ſervo ſuo, ſed juſtificet impium, converſum ad ipſum per fidem, Pſal. 143: verſ. 1. 2. Petendi ratio: *Nam non juſtificatur apud te ullus vivens.* Nullitas humanæ juſtitiæ. Ibid. verſ. 2. conf. Actor. 13: 39. Atque hinc eſt, quod *Jehovah* ſe denominet, ut eum, *qui loquitur juſtitiam.* i. e. præceptum fiat ad juſtitiam, & promiſſionem juſtitiæ donandæ. Eſai. 45: 21.

Demonſtravit & modum, quo Deus decenter & glorioſè poſſet fieri Deus peccatoris, ſuamque ei juſtitiam impertiri; primò Deum Patrem ſuum appellando, atque ita oſtendendo, *Jehovam dixiſſe ad ſe, Filius meus es tu, hodie.* i. e. ab æterno, *genui te.* Pſ. 2: 7. Tùm & ſe unum eſſe cum Patre, & verum Deum declarando; idque demonſtrando argumentis, quæ Spiritus Chriſto de perſonâ ſuâ contendenti præminiſtravit in viſione; Ut Eſ. 45: 9. 12. 13. Ubi ſe eſſe *formatorem Iſraëlis* primò declarat verſ. 9.

Deinde

Deinde demonſtrat, primò ex eo, quòd Ipſe ſit, qui omnia creaverit. verſ. 12. Secundò ex eo, quòd Ipſe ſit, qui Cyrum excitaverit ad populum dimittendum, & urbem ædificandam. verſ. 13. Item Eſ. 48: 9. 10. 11. Ubi tanquam in contentione cum Judæis de perſonâ ſuâ, declarat, ſe eſſe illum, qui olim & tulerit Iſraëlem, & caſtigaverit: *Propter nomen meum prolongabam iram meam, & propter laudem meam* (ſive *gloriationem meam*) *continebam me tibi, ne exſcinderem te.* verſ. 9. *Ecce conflavi te & non cum argento* non habentem argentum, meras ſcorias. *elegi te in catino inopiæ.* i. e. in capt. Bab. Aſſumſi te ex medio igne, & ex ſcoriâ argentum feci. verſ. 10. Cauſa electionis: *Propter me, propter me faciebam: nam quomodo profanabitur? & gloriam meam alteri non dabo,* gloriam nempe ſanctificationis & juſtificationis. verſ. 11. Et huc propriè pertinent ea, quæ exſtant Eſai. 48: 12 — 16. In quibus 1. eſt Declaratio: *Auſcultate ad me, Jacob, & Iſraël vocate mi, ego idem ſum,* nec mutor; h. e. conſtans ſum in propoſito gratiæ, & tantùm uno modo fio Deus peccatoris, nempe per ſanguinem Teſtamenti, & Spiritum fidei; *Ego primus, etiam Ego poſtremus.* Solus creator, & juſtitia & vita hominis. verſ. 12. *Etiam manus mea fundavit terram, & dextera mea quaſi palmis,* aut *ad palmas extendit cœlum. Clamabam ego ad illos, ſtabant pariter.* Solo ſcil. imperio creavi omnia. verſ. 13. Quòd ſi nulla hîc eſſet diſputatio de perſonâ ſalvantis Iſraëlem, vana utique illa contentio cum Iſraële eſſet. 2. Demonſtratio: *Congregamini omnes vos & audite:* Jubet oves ſuas, ſ. vocatos ſuos, congregari in proprio ac ſeparato cœtu, & verbum ſuum ad confirmationem fidei etiam atque etiam audire. *Quis ex illis,* Judæis immorigeris, quos in præcedd. hujus Cap. increpuerat, *indicavit hæc?* Nempe quòd *quem Jehovah diligit, faciat voluntatem ejus in Babylone, & brachium ejus ſint Chaldæi.* verſ. 14. Debuiſſent ſcil. turgidi iſti agnoſcere, quòd deſtructio Hieroſolymæ & Imperii Babylonici fuerit opus ejus, quem Deus diligit, Filii Dei: quippe cùm Moſes antea dixiſſet, Angelum in monte Sinai locutum eſſe, & vindicem Jacobi miſſum eſſe coram Iſraële; eum metuendum; in medio ejus eſſe nomen Dei. &c. Exod. 23. *Ego, Ego locutus ſum,* fui doctor Iſraëlis ab antiquo; *etiam vocavi illum,* (Cyrum) *adduxi illum, & proſperavit viam ſuam.* verſ. 15. *Appropinquate ad me, audite hoc.* Adhuc oves ſuas vocat ad ſe, & quidem ut proximè accedant, quaſi in ſecreto ipſis, tanquam amicis ſuis, rem maximè mirabilem dicturus: Nempe quòd *non à capite in occulto,* ſed palàm, *locutus ſum, à tempore, quo id exſtitit,* ſive Hieroſolymæ deſtructionem, ſ. terræ & cæli geneſin intelligas, *ibi eram; & nunc Dominus Jehovah miſit me.* nempe conſpiciendum me præbeo, qui olim conſpectus non eram, ſed tamen palàm locutus ſum. verſ. 16. Quibus præmiſſis. verſ. 17. ſe vocat *Jehovam,* & *Deum Iſraëlis.*

§. 12. Hæc ſcil. eò pertinebant, ut oſtenderet, ſe illum eſſe, quem Eſaias loquentem audiverat: *Spiritus Jehovæ eſt ſuper me.* i. e. Plenitudo Patris in me habitat, atque ita & gratia & potentia Patris ad ſalvandum in me eſt, & Spiritus S. à me procedit. Eſai. 61: 1. 42: 1. Se idcirco illum eſſe, *cujus manus non ſit abbreviata, ne poſſit redimere; & in quo ſit vis ad eripiendum.* i. e. qui & ſufficiens, & potens ſit ad ſalvandum, ad pretium nempe idoneum ſolvendum, & ad eripiendum ſuos è manu injuſtorum Dominorum. Eſai. 50: 2. Quorum utrumque etiam Ibidem in viſione ſic demonſtrat: Poſterius quidem, quod ſit potens, primò ex eo, quòd Is ipſe ſit, *qui increpatione ſuâ ſiccat mare, ponat fluvios deſertum;* ut *fœteant piſces ipſorum ob defectum aquæ, & moriantur præ ſiti.* Qui ſcil. mare rubrum ſiccaverit, & non pauca regna in gratiam Iſraëlis everterit. verſ. 2. Secundò ex eo,

quòd *Cœlo induat atrorem*, ad pluviam faciendam, tonitrua, fulgura & fulmina jaculandum, vel etiam, quòd hominibus adimat aſpectum lucis, triſtitiâ & anguſtiâ eos puniens. verſ. 3. Prius, quòd ſit ſufficiens Salvator, probat primò ex eo, quòd *dederit ipſi Dominus Jehovah linguam eruditorum, ad opportunè loquendum feſſo.* i. e. longâ exſpectatione & gravi ſervitute laſſato. Sufficit ergo ad doctrinam. *Dominum* enim *ipſi excitare aurem ad audiendum inſtar eruditorum.* Se ſcil. quæ in lege ſcripta ſunt, penitùs intelligere, ut qui Deo doctore ea perdidicerit. verſ. 4. Secundò ex ὑπακοῆς, nempe ex obedientiâ, & quidem uſque ad omnia probra ferenda; quòdque hæc obedientia Deo ſit grata: quod dicit verbis: *Dominus Jehovah aperuit mihi aurem, & ego non exſtiti inobediens; non retroceſſi. Tergum meum dedi percuſſoribus, & maxillas meas colaphizantibus,* (vel *vellentibus*) *faciem meam non abſcondidi à contumeliâ & à ſputo.* verſ. 5. 6. Hanc verò obedientiam Deo gratam eſſe probat *(a.)* ex eo, quod *Deus auxilietur ipſi.* nempe per totum tempus prædicationis ſuæ. Quoties enim voluit, præſens ipſi fuit Divina vis ad faciendum miracula. Hanc & cauſam dicit ſuæ conſtantiæ ac patientiæ, & libertatis: *Propterea*, inquit, *non ſubterfugi. Propterea poſui faciem meam inſtar ſilicis: & cognovi, quòd non pudefiam.* verſ. 7. *(b.)* ex eo, quòd *propinquus*, ſive *præſens*, *ſit judex, qui juſtificet illum.* tùm à criminationibus adverſariorum ſuorum, tùm à peccatis populi ſui; per reſurrectionem ex mortuis. verſ. 8. *(c.)* Quòd *opituletur ipſi* per miſſionem Spiritus S. & efficaciam in converſione hominum, in erigendo Chriſti regno. verſ. 9. Concludit igitur, Se non poſſe condemnari, vel ut non ſufficientem, vel ut non ſatis potentem Salvatorem. *Quis*, inquit, *condemnabit me?* verſ. 9.

§. 13. Nec tantùm ſic ſufficientiam & potentiam, ſed & voluntatem ſalvandi, quam haberet cum Patre communem, hominibus declaravit. Unde, qui ipſum audiverunt, confitentur in Spiritu, quòd *Gratia.* i. e. enixiſſima voluntas ſalvandi, ac benefaciendi immeritis, *eſt effuſa ſuper labia tua.* Pſalm. 45: 22. Et, re præſenti, Luc. 4: 22. Quod & prævidit David, orans in Spiritu: *Fac me audire matutino*, exortâ luce, *gratiam tuam. Nam tibi confido.* Pſalm. 143: 8. Hujus inſtar gratioſi ſermonis nos facit audire, Pſalm. 40: 7—10. eſtque iſte: *Sacrificio & munere non oblectabaris. Aures perfodâſti mihi. Holocauſtum & peccatum non poſtulâſti. Tunc dixi; Ecce veni, de quo in volumine libri ſcriptum eſt. Facere voluntatem tuam volupe mihi fuit, & lex tua erat in medio viſcerum meorum. Annunciavi juſtitiam.* i. e. perfectam obedientiam, à quâ eſt jus credentium in Chriſtum ad exſpectandam vitam, quæ eſt Juſtitia ipſorum à Deo & hæreditas, *in congregatione amplâ.* &c.

§. 14. Hujus virtute gratiæ ſe olim tuliſſe Iſraëlem, ne illum exſcinderet. Quod ſic dicitur Eſai. 48: 9. *Propter nomen meum prolongabam iram meam, & propter laudem meam continebam me, tibi, ne exſcinderem te.* Et illum ſibi quaſi impoſitum portaſſe verbo potentiæ ſuæ. Ita enim eſt Eſai. 46: 3. *Auſcultate mihi, domus Jacobi, & omne reſiduum domus Iſraëlis, qui ſucepti eſtis portandi ab utero, geſtamini à vulvâ.* Quod & tribuitur Angelo faciei. Eſ. 63: 9.

§. 15. Tandem verò ſe ex conſilio gratiæ & Patris & ſuæ, ſecundùm prægreſſam promiſſionem de ipſo, *miſſum à Patre*; Eſai. 48: 16. *veniſſe* in mundum; Pſ. 40. & *formatum ab utero ſervum Jehovæ*, Patri ſuo, implentem omnem juſtitiam, *ad reducendum Jacobum ad Deum.* Eſai. 49: 5. *factum eſſe ipſis in Salvatorem.* Apparuiſſe ſcil. ut ſervum circumciſionis, & veniſſe ad ſalvandas oves perditas domus Iſraël, & idcirco ipſis oſtendere ſeſe ut Salvatorem, idque tùm auferendo morbos eorum, tùm patiendo in conſpectu ipſorum, & omnia agendo denique, quibus ut perfectus

Sal-

Salvator agnoſcatur. Eſ. 63: 8. Atque iu *ſe eſſe illum*, nullum alium, non miniſtrum aliquem, *qui loquitur*, *Ecce me!* & ſic præſentiam Dei teſtatur. Eſ. 52: 6. ut de ſe poſſit dici, *Ecce Deus veſter*; Eſ. 40: 9. & *omnis caro videat, quod os Jehovæ loquatur*. Eſ. 40: 5.

§. 16. Porrò ſe miſſum eſſe ad Evangelium annuntiandum; in quantum ſcil. id ante exaltationem & glorificationem ejus annunciari poterat. Quod verbis ipſius ita prænunciaverat Eſaias: *Unxit me Jehovah*. i. e. æterno conſilio definivit ac deſignavit, *ad Evangelizandum* i. e. ad annunciandum bonum diu exſpectatum & ablationem moleſtiæ diù latæ, *manſuetis*, ſ. iis, qui parati ſunt relinquere bona terreſtria propter ipſum; *miſit me ad obligandum confractos corde*, i. e. ad lætificandum eos, qui lugent, atque ita cor quaſi vulneratum gerunt, propter peccata, & quia nomen Dei blaſphematur; *ad prædicandum abductis in captivitatem libertatem*, ad exeundum ex captivitate & carcere. i. e. abolitionem imperii mortis, quod habebat Diabolus, & chirographi, quod erat contrarium etiam ſperantibus, & ſic omnis jugi & ſervitutis. Eſ. 61: 1. *Ad prædicandum annum acceptationis Jehovæ*. i. e. Tempus condemnationis peccati ſecundùm promiſſionem Novi Teſtamenti; *& diem ultionis Deo noſtro*, quâ ſcil., abruptâ tolerantiâ prioris temporis perſequetur omnes non obedientes Chriſto, tam gentiles, quam Judæos; *ad conſolandum omnes lugentes*, ſuper jacturas Iſraëlis, & ſuper imminutâ gloriâ Dei. v. 2.

§. 17. Summam Evangelii à Chriſto prædicati paucis ſic complectitur Eſaias: *Dixit vigil*, h. e. is, qui ſuâ providentiâ regit Iſraëlem, & ei noctis abeuntis articulos indicaverat, luciſque adventantis ſigna oſtenderat, nempe Chriſtus Filius Dei, jam præſens in carne: *Venit manè, atque etiam eſt nox. Si quæritis, quærite: convertimini; venite*. h. e. Chriſtum, lucem mundi veniſſe ad ipſos. Sed inſtare aliam noctem. Idcirco, dùm dies ſit, ſi verè velint quærentes Deum judicari, quærerent, & converterentur à viâ ſuâ malâ, & venirent, & accederent ad lucem, non autem procul ſe elongarent. Quæ omnia verbotenùs conveniunt cum iis, quæ Chriſtum prædicâſſe invenimus, & quibus totum officium eorum, quibus illuxit, amplexus eſt. Primò enim legitur *lucem annunciâſſe tùm populo, tùm gentibus*. Act. 26: 23. Luc. 2: 32. & exſtat Chriſti prædicatio de hâc luce. Talis eſt Joh. 9: 4. *Me oportet operari, dum dies eſt*. Et vers 5. *Quamdiu ſum in mundo, lux mundi exiſto*. Item cap. 12: 46. *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*. Et vers 35. Ibid. *Adhuc parvum tempus lux vobiſcum eſt: ambulate in luce, dum lucem habetis, ne tenebræ vos occupent*. & 36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiatis*. Item cap. 3: 19. *Hoc verò eſt judicium, quòd lux venit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras, quàm lucem; erant enim mala ipſorum opira*. Add. Joh. 11: 9. In quibus locis per lucem intelligitur ipſe Chriſtus, quia ejus apparitio affert 1 plenitudinem cognitionis. Vid. Eſ. 5: 19. & 6: 9. 2 Juſtificationis πλείωσιν, abſque accuſatione peccati, & commemoratione ejus; & conſequenter gaudium in afflictionibus. 3. Libertatem. 4. Miſericordiam gentibus impertitam.

§. 18. Deinde & noctem, partim manentem in quibuſdam, partim imminentem, quamvis lux veniſſet, prædicabat; & quidem rurſus verbis prophetiæ: *Atque etiam Nox*. Subintell. *eſt*, vel *venit*. Ita enim eſt Joh. 9: 4. *Venit nox, quum nemo poteſt operari*. Et de eâdem loquitur Joh. 3: 19. 11: 10. 12: 35. 46. Intelligitur verò nox incredulitatis, quæ in pleriſque Judæis manebat; quam ſecutura erat rejectio Judæorum, & abſconſio faciei Divinæ ab illis; & huc facit, quod Judæis in lectione V. T. velum oculis incumberet. 2 Cor. 3: 14.

Tertio,

Tertiò, ad agnitionem & communionem hujus lucis commendabat & laudabat 1. *Quæſtionem*, ſ. *ſcrutationem*. nimirùm Scripturarum. Idque iterùm verbis prophetiæ: *Si ſcrutamini, ſcrutamini.* Quæ verba repetit, & ſua facit Chriſtus Joh. 5: 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos judicatis vos in eis vitam æternam habere.* Siquidem illud; *quia judicatis*, &c. reverâ idem ſit cum iſtis; *Si ſcrutamini.* Q. d. vultis videri inquiſitores veritatis. Conf. Rom. 2: 17. 18. 19. 20. Talia ſunt Matth. 7: 7. *Quærite, & invenietis.* Luc. 12: 56. τὸν καιρὸν τοῦτον πῶς οὐ δοκιμάζετε; *Tempus hoc quomodo non probatis?* 1 Joh. 4. *Probate ſpiritus, an ex Deo ſunt.* & ſimilia: quæ vid. Phil. 1: 9. 10. 1 Theſſ. 5: 21.

§. 19. Secundum, quod ad communionem lucis requirebat Chriſtus, erat שׁוּבָה μετάνοια, *reſipiſcentia*, ſeu *converſio*, tùm à ſervitute peccati, tùm à falſæ juſtitiæ perſuaſione. Indicat Eſaias l. c. per, *Convertimini.* Ita Chriſtus, ita Joh. Baptiſta, ita omnes Prophetæ & Apoſtoli prædicârunt μετάνοιαν.

Tertium erat *venire*. nempe ad Chriſtum, & ad Deum cum parrheſiâ filiali. Atque ita iſtud Prophetæ, *Venite*. implementum habuit in hiſce: *Venite ad me, qui laboratis*, ſive *fatigati eſtis*, *& onerati, ego faciam vos requieſcere.* Matth. 11: 28. *Scriptum eſt in prophetis; & erunt omnes docti à Deo. Quicunque igitur audiverit à patre & didicerit, venit ad me.* Joh. 6: 45. Add. Heb. 4: 16. & 10: 19 — 23. Eſt autem iſtud *venire* nihil aliud quam credere in Chriſtum; & invitatio ad veniendum, præceptum fidei; quod & dediſſe Illum auctor eſt David ubi verbis Eccleſiæ, quæ Chriſtum vidit & audivit: *Næ præcepiſti* inquit, *juſtitiam teſtimoniorum tuorum, & fidem valde.* Poſt prædicatam juſtitiam primum opus juſtum, bonum & rectum peccatoris edixiſti, eam juſtitiam credere, & ſeriò velle habere ſ. ſitire & exquirere. Pſal. 119: 138. In hâc vero ſententiâ & præcepto ſpecimen habemus eorum verborum, quæ nemo poterat loqui, niſi Filius Dei, quæque ipſi reſervata erant dicenda; & olim quidem *occultata*; Deut. 29: 29. ac *retenta*; Eſ. 48: 6. nunc verò *revelata*; Deut. 29: 29. & audita primùm fuerunt. Unde & hic ſermo שְׁמוּעָה *auditio* appellatur, Eſ. 28: 9. inter *nova de nunc*; Eſ. 48: 6. & *nunc* demum *creata*, quæ *ante diem* ſuum Iſraël *non audiverit*; Eſ. 48: 7. meritò referenda. Nec malè, cum ad depoſitum Dei Iſraëli concreditum hoc verbum inter alia pertineat, ab hoc etiam verbo Hieroſolymam dictam *urbem depoſiti*, Jer. 50: 21. dicemus.

§. 20. Hanc Chriſti invitationem ad accedendum ad ſe, præſupponit hæc fidelium oratio: *Ad te, Jehovah, recipio me: ne pudefiam unquam.* Pſal. 71: 1. Et hæc eorundem cohortatio mutua, quæ legitur Pſal. 95: 1. 2. *Venite, jubilemus Jehovæ*, regnum occupanti; *clangamus petræ ſalutis noſtræ*, ob victoriam & partam ſalutem triumphanti; *veniamus ante faciem ejus cum confeſſione.* i. e. fideli gratiarum actione de donis omnibus ſpiritualibus, maximè de dono juſtitiæ. Ubi τὸ *ante faciem* ſupponit, Chriſtum præſentem eſſe, ut adiri poſſit, & τὸ *veniamus*, Chriſti invitationem.

§. 21. Quod autem *fatigatos* atque *oneratos* ad ſe vocaverit Chriſtus, cum promiſſione *quietis*, atque ita oſtenderit, veram quietem in terrâ Canaan, in templo, in cerimoniis, in typis & umbris, in debilibus elementis, &c. non inveniri, ſed per illa exſpectationem piorum delaſſari; & aliam quietem, alium Sabbatiſmum ſupereſſe populo Dei; ſicut pertinet ad fundamentum ejus doctrinæ, quam Chriſtus populo propoſuit, ita non caret luculentis Propheticarum teſtimoniis, quæ hoc ipſum Eum prædicaturum affirmant. Ita enim regius Propheta: *Pluviam liberalem agitas, ô Deus. Hæreditatem tuam, etiam defeſſam, tu reficis illam.* Pſal. 68: 10. Sic

& Eſaias:

& Eſaias: *Quia dixerat ad ipſos: Hæc eſt requies*; hic eſt Sabbatiſmus N. Teſtamenti, per quem tollitur accuſatio legis & conciliatur libertas; cujus tempus jam venit; *date quietem laſſo* h. e. nolite diſcipulis meis imponere jugum legis: *Et hæc eſt tranquillitas.* h. e. Si id, quod ego commendo vobis, feceritis, tempus veſtrum erit perpetuum, & participes eritis quietis meæ; *& non voluerunt audire.* Eſ. 28: 12. Et rurſus, ubi ſic facit Chriſtum loquentem: *Dominus Jehovah dedit mihi linguam eruditorum, ut ſciam opportunè loqui cum feſſo.* Eſ. 50: 4. Idemque innuit Deus apud Jeremiam, ubi quoniam prophetæ ſolebant verbum Dei vocare lationem Dei, ſive lationem verbi Dei, eo ſcil. ſenſu, quo dicimur ferre verbum, parabolam &c. i. e. proferre, & illud vocabulum lationis etiam ſignificat Onus, & hoc ſenſu id vulgo, ut nunc etiam fit, accipiebant, ac ſi verbum Dei eſſet oneroſa prophetia; Deus vituperat uſum hujus vocabuli, & vult, ut in poſterùm diſtinctè dicatur, verbum Jehovæ. Quo ſignificat, poſt latam legem, quæ ſanè erat verbum oneroſum, verbum Dei oneroſum eſſe non poſſe; & exſpectandum eſſe Prophetam, qui verbum Dei loqueretur, quod non poterat eſſe niſi verbum bonum & ſuave de juſtitiâ, libertate, & pace, & ſic de ablatione oneris. Vid. Jer. 23: 33 — 38. Sic & Malachias denique, ubi introducit Sacerdotes Chriſtum, laborantes ac defeſſos ad ſe vocantem, irridentes, imò blaſphemantes, verbis, quæ præit ipſis in viſione. *Quid eſt defatigatio?* Quaſi ſcil. nollent videri illam ſervitutem *defatigationem*, & pro illâ *requiem* offerri.

§. 22. Parallelæ huic clementiſſimæ invitationi Chriſti, exſtant in prophetiis aliæ nonnullæ; qualis iſta Pſ. 81: 11. *Pande os tuum, & implebo illud.* i. e. omnia beneficia à me propinante, & porrigente, in fide accipe, quaſi patulo ore. Et hujus obedientiæ ac honoris præmium erit ſatietas. Quamvis enim hæc ſententia in loco citato allegetur tanquam ratio ſuadens primam legem Decalogi; *Ne ſit in te Deus alius.* &c. Quam legem in hoc Pſalmo dicitur Iſraël accepiſſe, cùm exiret ex terrâ Ægypti, & ſtaret ad montem Sinai: Quia tamen in eodem Pſalmo, hanc legem dicitur tuliſſe is *cujus labium non norat.* i. e. Angelus Jehovæ, Angelus Teſtamenti, quem Moſes viderat in rubo; diciturque Iſraël eodem tempore, quo acciperet hanc legem, accepiſſe ſtatutum, & mandatum, cum cantu & lætitiâ excipiendi rupem ſalutis ſuo tempore revelandam; & ea rupes in principio Pſalmi veniſſe ſignificatur; ac denique huic præcepto de *pandendo ore*, & *non habendo alio Deo*, i. e. vindice, ſalvatore, ſanctificatore, juſtificatore &c præter illum, qui id Abrahamo, Iſaaco & Jacobo promiſit, conveniunt actus honoris, quos Eccleſia tanquam obediens huic præcepto à principio Pſalmi Chriſto ut præſenti exhibet; Meritò hanc ſententiam inde ab illo tempore, quo illam primùm Iſraël audivit, ad apparitionem uſque Chriſti extendimus, & tanquam ab eodem prolatam aut repetitam hîc conſideramus.

§. 23. Nec minùs clara aut ſuavia ſunt iſta: *Reſpicite ad me, & ſalvamini, omnes fines terræ.* Eſ 45: 22. *Auſcultate mihi, domus Jacobi, & omne reſiduum domus Iſraël, qui ſuſcepti eſtis portandi ab utero, qui geſtamini à vulvâ. Etiam uſque ad ſenectutem ego idem, & uſque in canitiem ego bajulabo; ego feci & ego portabo, ego bajulabo & eripiam.* Eſ. 46: 3. 4. *Heus, omnis ſitiens, venite ad aquam.* Eſ. 55: 1. Et quæ inhortatio apud Jeremiam legitur cum ampliſſimâ promiſſione. Jer. 3: 19. *Et ego dixeram.* nimirùm cùm paſtores ſecundùm cor meum vobis Evangelium prædicarent: *Quomodo ponam te in filiis!* Quàm illuſtri & magnifico loco inter filios, utpote ſpiritu adoptionis præditos! *Et dabo tibi terram deſiderii*, locum præparatum eccleſiæ inter

 gentes,

gentes, præſertim in inſulis maris, h. e. Europâ; *hæreditatem decoris*, *exercitus gentium. Et dicebam: Pater mi, nomines me.* abjectis ſcil. illis, quæ ſunt ſervituris, aſſume perfectionem & libertatem filiorum Dei; Vid. Rom. 8: 15. Gal. 4: 5. 6. *& à me ſequendo ne averteris*. Quibus ſimilia in Evangelio occurrunt iſta: *Quicquid oraveritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis*. Joh. 16: 23. Item: *Quicquid venerit ad me, non extrudetur foras*. Huc referendum verbum eſt quo remiſit peccata.

§. 24. Hiſce, & ſimilibus ſententiis ac ſermonibus, quibus Chriſtus homines invitavit ad fidem in ſe, cum promiſſione ſalutis, & omnis benedictionis ſpiritualis, oſtendit, quantâ abundantiâ *gratia eſſet effuſa ſuper labia ſua*; Pſ. 45: 3. & ſic proponendo *benedictionem*, ſ. verbum, quo *benedictio*, h. e. ſanctificatio, juſtificatio, & glorificatio explicaretur; & fides benedictionis effectus, commendaretur, Pſal. 109: 17. demonſtravit, ſe eſſe illum, *cui Deus benedixit in ſæculum*; Pſ. 45: 3. Se nimirum eſſe illud *ſemen* benedictum, cui Deus hæreditatem terræ promiſit, & *in quo benedicendæ erant omnes gentes*. Gen. 22: 18. Sponſum illum, cujus vel uno *oſculo excipi* deſideraverat Eccleſia vetuſta; Cant. 1: 2. *cujus palatum dulcedo mera*. Ibid. cap. 5: 10. Se, qui hactenus ſe habuerat, *ut calor ſereni juxta lucem*, ſ. Solem, i. e. qui hactenùs promiſſus, ac tanto tempore, ſub jugo, & variis afflictionibus, exſpectatus, ſimilis fuerat æſtui gravi urenti & conſumenti, vel ſaltem omnes ſuccos, & vires corporis exhaurienti, atque ita delaſſanti, famemque & ſitim accendenti; jamnunc habere *inſtar nubis roriferæ in calore meſſis*. i. e. per dationem ſui ad juſtitiam & libertatem, ſimilem eſſe nubi refrigeranti, & rore leni irriganti ac recreanti. Eſ. 18: 4. Se eſſe illum, de quo dictum eſt; *Cannam quaſſatam non confringet*, ſed potiùs eriget & confirmabit, *& linum hebeſcens*, in quo parum ſupereſt lucis, *non extinguet*. Eſ. 42: 3. qui *miſſus eſſet ad obligandum fractos corde*, *ad prædicandum abductis in captivitatem libertatem; ad prædicandum annum acceptationis Jehovæ*, & *ad conſolandum omnes lugentes*. Eſ. 61: 1. 2. Se eſſe *paſtorem* illum, promiſſum. Ezech. 34: 23. & 37: 24. & nominatum Davidi, Pſ. 23: 1. & Zachariæ, cap. 13: 7. qui *pabulo bono* & *pingui*, Ez. 34: 14. Pſal. 23: 2. eoque abundanti, ita ut *non deſtituantur*, Pſal. 23: 1. ſuas oves erat ſaginaturus: quique *perditam* erat *requiſiturus*, *depulſam reducturus*, *fractam obligaturus*, *ægram firmaturus*. Ezech. 34: 16.

§. 25. Ipſi Judæi talia Ipſum locuturum agnoverunt, ex quibus, quæ ſuavis illa Dei loquela ſit, operæ prætium eſt audire. Bamidbar Rabba Par. 10. *Palatum ejus dulcedines*. (dictum de Sponſo Cant. 5: 16.) *Is eſt S. Ben. Vide quid is dicat! Quærite me & vivite. Eſtne illo palato dulcius? Vivo ego, ſi delector morte improbi, &c. Item: Si reſipuerit improbus. &c.*

§. 26. Nec tamen ſine fundamento hanc conſolationem erat imperiturus peccatori, vel ita, ut non decenter Deus juſtificare improbum videretur. *Judicavit* enim, h. e. defendit, vindicavit ab hoſtibus, ſuos aſſeruit, vivificavit, juſtificavit, glorificavit, *in juſtitiâ*, h. e. vigore juſtitiæ, quam ipſe conſecuturus erat, *tenues*, *& redargutionem fecit manſuetis*, h. e. conſolatus eſt ipſos, egit illorum advocatum, *in æquitate* fundatâ in conſtantiâ & fidelitate Dei, & merito Salvatoris. Eſ. 11: 4. Et his quaſi *columnis terram*, dudum *fatiſcentem*, *ſuffulſit*. Pſ. 75: 4.

§. 27. Sub illo ſermone, quo Chriſtus invitavit peccatores pœnitentes ad ſe, etiam ſubintelligimus *diſceptationem* ejus, quâ conteſtatus eſt, & convenit ipſos, an non ipſe eſſet dignus amari à peccatore, ut cauſa ſalutis; an non verbum illud Dei de ſalute, juſtitiâ, & pace, quod hactenùs exſpectaverant, jam eſſet auditum? Quibus cum gratiarum actione reſpondentibus, quòd ita; Juſſit illos confidere

fidere ſibi, ut Domino & Deo ſuo, verbis: *Quis in vobis timens Dominum, auſcultans voci ſervi ejus?* i. e. ei obediens per fidem. *Qui ambulaverit in tenebris, & cui nullus ſplendor, confidat in nomine Jehovæ* h. e. in Domino, ut per Euangelium nominatus eſt, & auctor credendi in ſervum ſuum factus eſt; *& nitatur Deo ſuo.* Servo ſcil. Dei, habenti poteſtatem ad eripiendum, ſicque Deo Iſraëlis. Eſai. 50: 10. Juſſit & audire & attendere ad legem ſuam verbis: *Auſculta, popule mi, legem meam.* Audite ſc. & cognoſcite, quomodo lex eadem, quæ indicat homini debitum ſuum, quod faciens vitam conſequatur, quæque, poſtquàm peccatum introiit in mundum, facta eſt lex peccati & mortis, quæque antequam redemtio ſit præſtita, iram operatur, vobiſque incutit timorem mortis & afflictionum, & ſervitutem cum omni pavore, facta ſit *lex mea*, lex redemtoris, vobis, juſtitiâ jam extante, injungens fidem in me, cum libertate filiorum; & gratiarum actione: *Arrigite aurem veſtram ad dicta oris mei.* quæ me, ceu magnum illum prophetam, Deus olim locuturum eſſe prænunciavit. Deut. 18: 15. 18. In iis, inquam, ſtudete cognoſcere virtutes & laudes Dei: Pſalm. 78: 1. Viciſſim verè ab illis interrogatus eſt, annon poſſint ab ipſo petere remiſſionem peccatorum, & omnia bona, quæ promiſit, exſpectare, cùm ea petant in veritate? Atque ita *cum ipſis diſceptavit.* Ezech. 20: 35. Et *datus populo in fœdus*, h. e. propoſitus Iſraëli tanquam Ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας αὐτῶν, ut ipſi reſpondentes per confeſſionem eorum, quæ ipſis annunciaret, fierent populus Dei; Eſai. 42: 6. 49: 8. *adduxit ipſos in vinculum fœderis.* i. e. per fidem univit ſibi ita ut haberent fœdus & amicitiam cum Deo. Ezech. cap. 20: verſ. 37.

§. 28. Nec tantùm ſic *datus erat populo* Iſraëlitico *in fœdus*: Datus etiam erat *in lucem gentium.* i. e. miſſus erat in mundum, ut gentes in ipſo cognoſcerent, quis ſit verus Deus, atque ita ab Idolis ſuis converterentur ad verum Deum, & ſalvarentur. Eſai. 42: 6. Sic quoque doctrinâ ſuâ factus *ſignum montium, ſpectandum incolentibus terram.* Eſai. 18: 3. Id juvat ex ore ipſius audire verbis prophetiæ, quæ eſt Eſai. 49. *Auſcultate, Inſulæ, mihi, & attendite, nationes è longinquo. . . . Et nunc, ait Jehovah, qui formavit me ab utero ſervum ſibi ad reducendum Jacobum ad ſe . . . Dixit, inquam, leve eſt, præut ſis mihi ſervus, erigere tribus Jacobi, & retentos Iſraëlis reducere, & dabo te in lucem gentium, ut fiat* (h. e. *perveniat*) *ſalus mea ad finem terræ.* verſ. 1. 5. 6.

§. 29. Præter hæc ſunt & alia, quæ Chriſtus locutus eſt, quæque, ad doctrinam ejus pertinentia, claram ex prophetiis demonſtrationem habent. Et in genere quidem clarè explicuit illa, quæ vel in lege obſcuriùs videbantur dicta, vel vitio Scribarum & Phariſæorum obſcurata erant. Quod dicit Pſalm. 78: 2. *Eructabo* i. e. aperiam, ſolvam, *ænigmata*; Apoſtolus dicit, σεσιγημένον μυστήριον, Rom. 16: 25. utpote nunquam narratum, ut factum, adeoque nec tam clarè prædictum, ut narrari poteſt, cùm videtur & auditur, cujus ordo, & partes, & καιροὶ tempora, in Dei poteſtate repoſita manſerunt. Voluit enim quidem Deus pleraſque partes per Catecheſin patrum & Seniorum juxta inſtitutionem Moſis populo proponi, & cum demonſtratione Scripturarum explicari; ſed cùm id negligeretur, atque etiam Prophetæ, ad hoc miſſi, ut homines adducerent ad cognitionem veritatis, pleroſque haberent adverſarios, paucos verò diſcipulos, paulò etiam poſt captivitatem Babylonicam eſſe deſinerent, & Phariſæorum ſchola obtineret, quæ magis traditioni, quam demonſtrationi operam dabat; hinc factum, ut multa ſilerentur, non pauca in falſos detorquerentur, ſicque etiam clarè dicta fuerint ipſis ænigmata. Præter

ter hæc omnia fuit velum, nempe quod ſermo Dei vocatus fuerit *Lex*, quæ ex eo, quòd haberet adjunctas haſce duas ſententias legales, *Qui ſecerit ea, vivet in eis*, &, *Maledictus, qui non permanet in omnibus*, &c. habebat ſpeciem legis operum, quamvis reverâ illæ ſententiæ non dicerent, quòd videbantur dicere, nempe hominem ex iſtis factis debere juſtitiam ſperare, imò potiùs ſignificarent, juſtitiam ex factis abnegandam eſſe, quique reſipuerit & crediderit, ut faciat præcepta illa ſecundùm fœdus operum juſtificantia, à maledictione liberum eſſe. Quæ ſanè ænigmata fuerunt. Quæ cùm per Chriſtum, & Evangelium ipſius, lucem acceperint, rectè dicitur *eructâſſe*, ſ. in lucem prodixiſſe, *ænigmata*. Quare & hoc dictum Pſalmi à Matthæo cap. 13: 35. Chriſto applicatur.

§. 30. In ſpecie verò locutus eſt de verbo Dei; de vero cultu Dei, & verâ in eo fiduciâ; de abolitione templi, & ſacrificiorum, omniumque cultus externi inſtrumentorum; de vero verbo Dei, quod debebant loqui Prophetæ; de bono, quod Iſraël per obedientiam præceptorum Dei aſſecuturus fuiſſet; de judicio ſibi dato; de converſione gentium ad παραζήλωσιν Judæorum: Et quæ plura ejus generis occurrunt.

§. 31. De verbo Dei hoc exſtat ipſius λογύδριον: *Verbum Dei noſtri ſtat in ſeculum.* nunquam intercidit. Eſai. 40: 8. Intelligitur autem verbum Teſtamenti, verbum Sponſionis, verbum promiſſionis: In quo verbo eſt vita, & renovatio ſ. ſanctificatio, & juſtificatio, atque ita glorificatio. Potens illud verbum, quo Filius tulit maximè Eccleſiam, Hebr. 1: 3. Eſai. 63: 9. unde ſe appellat λαλοῦντα. Eſai. 52: 6. Hoc eſt, inquit Petrus, 1 Ep. cap. 1. v. ult. verbum, quod inter vos prædicatur.

§. 32. Cultum Dei exegit & urſit internum, externum omnem, abſque illo ſi ſit, improbavit. Unde ipſe loquitur apud Jeremiam: *Ego Jehovah ſcrutor cor, exploro renes, idque ad dandum unicuique ſecundùm vias ſuas, ſecundum fructum ſtudiorum ſuorum.* h. e. non contentus ſum externo cultu, non patior mihi verba dari, ſed exigo cultum cordis, qui conſiſtit in amore mei, & mortificatione carnis, ut & renes ſancti ſint. Jer. 17: 10. Eſſe enim hæc Chriſti revelati verba, patet ex verſ. 12. 13. Ibid. Hinc & tribuitur Chriſto τὸ *odorari timorem Jehovæ*; quo non tantùm ſcientia ipſius notatur, quâ omnia novit, etiam occulta cordis; verùm etiam judicium, quo timorem Dei in cordibus approbat, & tanquam verum cultum acceptat. Eſ. 11: 3.

§. 33. Atque hinc porrò eſt, quòd ſpeciatim in Judæis, populo illo carnali, cultûm externum reprobet: *Audite hoc*, inquit, *domus Jacobi, qui denominamini de nomine Iſraëlis, & ex aquis Jehudæ exiviſtis, qui juratis in nomine Jehovæ, & in Deo Iſraëlis commemorationem inſtituiſtis*; & hoc quidem facitis *non in veritate & non in juſtitiâ.* h. e. non in cognitione & fide eorum, quæ Deus de ſe dixit, neque adeo in bonâ conſcientiâ, & ſine hypocriſi. Ratio id probens: *Nam de civitate ſanctâ vocamini, & ſuper Deo Iſraëlis recumbitis, cujus nomen eſt Jehovah Deus exercituum.* Non congruunt autem iſta, Deum Iſraëlis nominare, & velle nominari ab urbe ſanctâ, cum jam tempus ſit, ut vocetur Deus exercituum. Et hinc patet, non in cognitione verbi Dei, & vero cultu mentis, ipſos jurare. &c. Eſai. 48: 1. 2. Quibus conveniunt iſta Eſ. 66: 1. *Sic dixit Jehovah, cœlum eſt thronus meus, & terra ſcabellum pedum meorum, quæ eſt domus, quam ædificabitis mihi? & quis locus requies mea?* Exprobrat ſcil. Judæis ſtudium inutile faciendi Deo domum, cùm jam tempus advenerit, quo Deus thronum ſuum ſit collocaturus ſuprà cœlos, ita ut

nec

nec templum, nec Hieroſolyma ſit ampliùs thronus gloriæ; & terram ſit facturus ſcabellum pedum ſuorum: Ita ut omnes homines in toto mundo ſine diſtinctione ſtent ad pedes ipſius, neque habeant locum proprium, ad quem Deus velit venire. Id verſ. 2. ampliùs adſtruit eo, quòd *manus ipſius iſta omnia fecerit*; & quòd in omni loco *videat* & aſpiciat *inopes*, viribus ſuis & juſtitiæ ſuæ diffidentes, *& percuſſos ſpiritu*, lugentes ob peccatum & imminutam gloriam Dei, *& trepidantes ſuper verbo ipſius*, quod locutus eſt de gratiâ, id cum timore recipientes. Talia ſunt: *Numquid Deus ex propinquo ego ſum, ait Jehovah: & non Deus à longinquo?* Quaſi quis poſſit à me abire, aut propiùs ad me accedere, & habitarem in templo manu facto; aut ibi coli poſſem, aut tali cultu delectari, & non requirerem aliquid in corde, quod mihi voluptati eſſet. *An occultabitur quiſquam in latebris, & ego non videbo eum? ait Jehovah. Annon cœlum & terram ego impleo? ait Jehovah.* Jerem. 23: 23. 24. Quibus apertè cultus carnalis rejicitur, & internus commendatur.

§. 34. De verâ & falſâ fiduciâ ſic loquitur in viſione. *Maledictus vir, qui confidit homini, & ponit carnem brachium ſuum, & cujus cor recedit à Jehovah. Et erit ſicut myrica in ſolitudine, & non videbit, cùm veniet bonum, & habitabit adusta in deſerto, terram ſalſam, quæ non habitatur. Benedictus vir, qui confidit Jehovæ, cujus fiducia Jehovah factus eſt. Et erit ut arbor plantata apud aquas, & quæ apud amnem porrigit radices ſuas, & non videt, cùm venit æſtus, ſed eſt folium ejus viride, & in anno æſtuoſo non timet, neque decedit à faciendo fructu.* Jerem. 17: 5. 6. 7. 8. Add. ex ſupp. Eſai. 50: 10.

§. 35. De ſublatione ſacrificiorum, omniumque adeo cultus externi inſtrumentorum, apud Eſaiam cap. 66: 3. ita pergit: *Qui jugulat taurum, percutit virum*, habetur pro homicidâ ſcil.; *qui ſacrificat parvam pecudem, decervicat canem, qui adolet munus, ſanguinem porci, qui facit fragrare thus, benedicit vanitati.* Et templi ſubmotio facilè intelligitur ex locis citatis Eſai. 48: 2. 66: 1. & Jerem. 23: 23. 24. De verbo Dei vero, quod debeant loqui Prophetæ, talis exſtat Chriſti admonitio in Jeremiâ: *Propheta, penes quem eſt ſomnium recitet ſomnium, &, penes quem eſt verbum meum, loquatur verbum meum verum. Quid paleæ cum frumento? ait Jehovah.* Non debet ſcil. cum verbo Dei conjungi ulla cogitatio humana. Hoc qui facit, fraudem loquitur. *Annon ſic eſt verbum meum, ut ignis (ait Jehovah) & ut malleus, qui facit diſſilire petras?* Conf. Heb. 4: 12. Significat autem, verbum Dei per ſe cognoſci poſſe, an à Deo ſit. Nam in eo eſt manifeſtatio ad conſcientiam. Jerem. 23: 28. 29. Poſſe enim hæc verba conſiderari ut verba Chriſti in carne manifeſtati, patet ex verſ. 5. 6 & 9. hujus capitis.

§. 36. De bono, quod Iſraël per obedientiam præceptorum Dei aſſecuturus fuiſſet, hæc inveniuntur Chriſti λαλούμενα: *Si populus meus audiret me, Iſraël in viis meis ambularet. Brevi inimicos ipſorum flecterem.* i. e. ſubigerem, ut nullam vim ipſis facerent; quemadmodum diu per tolerantiam Divinam coërciti ſunt Romani, ne ipſis malefacerent; vel potiùs vi verbi & ſpiritus flexi ex inimicis fierent amici. *Et contra hoſtes ipſorum referrem manum meam.* ut eos punirem; quemadmodum hoſtes Eccleſiæ punivit. *Oſores Jehovæ mentirentur ipſi.* Quemadmodùm gentiles Eccleſiæ Chriſtianæ mentiti ſunt, dum confluxerunt, idolis abjectis, ad illam per hypocriſin. *Et fuiſſet tempus ipſorum in ſæculum.* i. e. nunquam intercidiſſet illa dignitas populi Dei in ipſis, ſemper in illorum ſtirpe, ut in gentibus, Eccleſia fuiſſet; etiam manſiſſent ſemper in terrâ. *Et cibâſſet eum* Chriſtus, Filius Dei, *de adipe tritici.* Pſalm. 81: 14—17. *Utinam attendiſſes ad præcepta mea! extitiſſet*

utique tanquam fluvius, pax tua. perennis ſcil.; *& juſtitia tua, ut fluctus maris.* h. e. abſorbens & deglutiens omne peccatum, & afferens vitam æternam. *Et extitiſſet tanquam ſabulum ſemen tuum, & proles viſcerum tuorum, ut lapilli ejus: non exſcinderetur, neque profligaretur nomen ejus à conſpectu tuo.* Semen ſcil. innumerabile, & nomen æternum habens. Eſ. 48: 18. 19. Quibus conveniunt iſta Jeremiæ: *Sic dixit Jehovah: Deſcende ad domum regis Judæ, & loquere ibi ſermonem hunc. Et dic: Verbum Jehovæ, rex Judæ, qui ſedes in throno Davidis, tu & ſervi tui & populus tuus, qui intrant per portas has. Sic dixit Jehovah, facite judicium & juſtitiam, & eripite ſpoliatum ex manu ſaudatoris, & peregrinum, pupillum & viduam ne opprimatis, ne injuriâ afficiatis, & ſanguinem innoxium ne fundatis in loco hoc. Nam, ſi feceritis rem hanc, intrabunt per portas domus hujus reges ſedentes Davidi in throno ipſius, vecti curribus & equis, ipſe & ſervi ejus & populi ejus.* Jer. 22: 1 — 4.

§. 37. De judicio, quod datum eſt Filio, ſæpè agit Scriptura Euangelica. ut Joh. c. 5. c. 9. c. 12. Actor. 17: 31. & verbis interdum eiſdem prophetia. Tale eſt illud Pſalmi 75: verſ. 3. *Quum accipiam tempus conſtitutum, Ego recte judicabo.* Q. d. Ego conſtitutus ſum à Patre meo judex vivorum & mortuorum. Joh. 5: 22. 27. 28. 29. idque facturus ſum eo die, quem ipſe præſtituit. Actor. 17: 31. Veſtrum igitur eſt, non tantùm vobis gratulari in primo adventu meo, ſed & ſecundum, qui erit cum gloriâ, cum reverentiâ exſpectare. Eſt autem non unum tempus conſtitutum ad judicandum, neque unius generis judicium. Sic & Servator excitat ſuos diſcipulos ad ἀποκαραδοκίαν contentionis Dei cum Senioribus populi ad ἀπολύτρωσιν Eccleſiæ, & vindictæ hoſtium; Matth. 24: 33. Luc. 21: 28. 31. Cui excitationi accommodatum eſt iſtud Propheticum: *Stat ad contendendum Jehovah, & conſiſtit ad judicandum populos.* q. d. Deus jam paratus eſt, & in procinctu ſtat ad contendendum & judicandum populos. Eſai. 3: 13. Eſt &, ubi Chriſtus revelat diſcipulis ſuis, & per eos reliquis fidelibus, quid de Judæis conſtituerit, qui ipſo clamante non audiverint, neque reſponderint. Ut Eſai. 66: 4. *Etiam ego eligam vexationem illorum, & formidines illorum adducam ipſis. Quoniam vocavi & non fuit reſpondens, loquutus ſum, & non audiverunt, & fecerunt malum in oculis meis, & quo non delector, elegerunt.*

§. 38. De judicio, quod facturus ſit inter oves & oves; ſicuti eſt Ezech. 34: 17. & 22. *Et judicabo inter ovem & ovem.* Ita agitur Ezech. 20: 37. 38. *Et traducam vos ſub virgâ.* i. e. numerabo vos & diſcernam, quemadmodum paſtor oves ſolet diſcernere; *atque* ita numeratos & diſcretos *introducam vos in vinculum fœderis.* per fidem conjungam mihi, ut fiatis populus Dei. *Et ſeligam ex vobis rebelles & deficientes à me.* Illos ſeparabo ab omnibus tribubus Iſraelis; Deut. 29: 31. Jam vid. Matth. 25: 32. 33. Et rurſus Ezech. 34: 16. *Perditam quæram.* h. e. non curatos à paſtoribus, quique deſiderant paſtorem verum, ſed illum non inveniunt, adibo, illis innoteſcam, & eos ducam poſt me; *depulſam reducam.* h. e. averſos à viâ bonâ, & ſeductos, reducam in viam, ſ. ut loquitur Euangelium, peccatores ſalvabo; nempe qui ſunt de ovibus Chriſti, ipſique dati ſunt; *fractam obligabo.* h. e. contritos corde, & lugentes conſolabor; *ægram firmabo.* h. e. languentes & faſtidientes omnem cibum, refocillabo per verbum illud, quod ipſis non ſit nauſea, ſed per quod verè poſſint vivificari. Contra *opimam & validam*, divites & potentes populi acquieſcentes in illo ſtatu, & nec juſtitiam Dei, nec Chriſtum ut datorem juſtitiæ, nec regnum ejus, deſiderantes, *profligabo.* ſeparabo ab omnibus tribubus Iſraelis. *paſcam eam cum judicio.* Sic Luc. 1: 52. 53.

§. 39. De

§. 39. De converſione gentium ad παραζήλωσιν Judæorum hæc exſtant verba futura Domini: *An non paulo poſt fiet Libanus arvum.* Significatur populi Iſraëlitici, tanquam magni montis, humiliatio. *Et arvum ſylva reputabitur?* mundus gentilis fiet ager Domini. *Et audient in illo die ſurdi verba libri, & ex caligine, atque ex tenebris, oculi cæcorum videbunt.* Eſ. 29: 17. 18. Huc quoque pertinet iſtud Ezechielis: *Non mitteris ad populos multos profundos labio, & difficilis linguæ, quorum non intelligis verba, ſi non ad illos* nempe Iſraëlitas, *miſiſſem te, illi* nempe populi multi diverſarum linguarum, *auſcultarent tibi.* Ezech. 3: 6. Quomodo & Chriſtus Matth. 11:21. exaggerat duritiem cordis Galilæorum, dicens, Tyrios citiùs, quam ipſos, credituros fuiſſe. Per hæc enim ſignificatur. Primò, Major induratio & majora obſtacula fidei in populo, quàm in gentibus. Secundò, Major convenientia decentiæ dandi gentibus reſipiſcentiam, quàm populo. 3. Vocatio gentium in poſterum futura, cum ablatione verbi ab Iſraëlitis. Quòd autem verba Ezechielis verbis Chriſti ſint parallela, & incidant in idem tempus, inde patet, quòd Ezechiel d. l. mittatur *ad filios Iſraël, & ad gentes,* i. e. duodecim tribus, *rebelles contra Deum,* & quidem illum, qui in throno viſus erat ut homo, quemque adeo regem ſuum ac Dominum recognoſcere noluerunt. Vid. Ez. 2: 3. coll. 1: 26. & 28.

§. 40. Eſt &, ubi Chriſtus admonet ſuos de cavendis hominibus, etiam proximis, & vel conjuge; idque ob diſſenſionem, quam prædicit futuram inter homines, in causâ Chriſti, & odium veritatis, incitans etiam ad prodendum proximos quosque. Verba admonitionis ſunt iſta: *Ne credatis in amico, ne confidatis familiari: à cubante in ſinu tuo cuſtodi oſtia oris tui. Nam filius flagitium facit in patre; filia ſurgit in matrem ſuam; nurus in ſocrum ſuam; inimici cujusque domeſtici ejus ſunt.* Mich. 7: 5. 6. Quæ admonitio totidem ferè verbis à Chriſto repetitur, Matth. 10: 34. 35. 36. Luc. 12: 51. 52. 53. Matth. 24: 9. 10.

§. 41. Notabilis quoque in dictis Chriſti Matth. 21: 37. ad prophetica Zeph. 3: 7. eſt alluſio. Chriſti enim ſunt iſta: ὕστερον δὲ ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, λέγων, ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου. *Poſtremò miſit ad ipſos filium ſuum, dicens: Reverebuntur filium meum.* Prophetica: *Dixi, certè timebis Me.* Utrobique autem ſignificatur, Deum ad oſtendendam impotentiam carnis gloriantis in vi ſuâ & juſtitiâ, decreviſſe etiam viſitare populum, ſeque ei videndum, audiendum, manibuſque palpandum præbere, & verba Dei atque opera illius exhibere.

§. 42. Iſta quoque, quæ leguntur Joh. 3: 35. 6: 37. 39. Johan. 17: 6. ſumta ſunt ex Eſaiæ cap. 8. vers 18. Ubi Chriſtus ita loquitur in Spiritu: *Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Jehovah.* in hæreditaten nempe & poſſeſſionem, ſi anima mea poneret ſatisfactionem. Eſ. 53: 10.

§. 43. Ita denique Zeph. 3:8. repræſentatur Chriſti filii Dei alloquium ad ſuos, quo jubet eos patienter exſpectare reſurrectionem ſuam à mortuis, in quâ reſurrectione accepturus ſit vitam incorruptibilem atque immortalem. *Quapropter præſtolamini me, ait Jehovah, ad diem, quo ſurgam in perpetuitatem.*

§. 44. Hactenùs recenſuimus eos ſermones Chriſti, quibus, ut doctor ad bonum, hominibus monſtravit viam ad ſalutem, & alias quoque partes doctrinæ ipſius ex prophetiis illuſtravimus. Jam verò, cum ſuprà viſum ſit, futurum fuiſſe ſub adventum Chriſti, ut per Phariſæorum hypocriſin, & Sadducæorum inprimis impura dogmata, vera & ſana doctrina corrumperetur; & clavis cognitionis abſconderetur; Per. V. Art. CXXXVII. futurum item, ut omnis ſtatus, tam Domeſticus, & Politicus, quam Eccleſiaſticus, omniſque adeo bonus ordo, pax fides, ſanctitas,

tas, charitas, juſtitia, ædificatio, communio, mutarent; contra autem luxuria, tyrannis, ſuperbia, avaritia, ambitio, perfidia, ſuperſtitio, blaſphemia, & ſimilia flagitia regnarent in populo: Sup. Art. VI. Oportuit non tantùm, ut Chriſtus viam ſalutis diſcendi cupidis docendo demonſtraret, verùm etiam errores & peccata publicè graſſantia redarguendo confutaret partim etiam cauſam Dei & ſuam contra improborum calumnias & criminationes defenderet ac propugnaret. Hinc dicitur *lapis* ille, id eſt rupes ſalutis, qui *in Sione fundatus*, id eſt in medio Iſraële manifeſtatus erat, poſitus in *lapidem probationis*, qui eo ſcil. fine adveniſſet, ut per ipſum *cogitationes multorum manifeſtarentur*, Luc. 2: 34. 35. & quinam crederent Moſi & Prophetis, qui non crederent, & Scripturas ſecundùm opiniones & cupiditates ſuas detorquerent, patefieret. Eſ. 28: 16. Cui concinit Ezechiel, dicens, cum adventu ejus factam *eſſe probationem*. Ez. 21: 18. Et *diſceptaturum cum Judæis facie ad faciem*. i. e. errores ipſorum redarguturum. Ezech. 20: 35. Et comparatur idcirco ejus œconomia cum ventilabro paleas à frumento ſeparante. Matth. 3: 12. Et eâdem notione in prophetiâ *futurus* dicitur, *ut ignis aurificis, & ut ſmegma fullonum*. Mal. 3: 4. & *verbum* ejus, *ut ignis* Jer. 23: 29. Scorias nempe & ſordes manifeſtans: Inde, quod ſermo ejus *judicium* appelletur, Pſ. 82: 1. Eſ. 42: 3. Zeph. 3: 5. utpote comparatus ad redarguendum vitia & errores aliorum, ſuam vero doctrinam adverſus ipſos defendendum. Quare & *veniſſe* dicit *ſe ad judicium, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*. Joh. 9: 39. Id *judicium ſecit exire ad veritatem*; Eſ. 42. Et *ſingulis matutinis edidit in lucem*; Zeph. 3. Id eſt, fidem ei fecit evidenter per teſtimonia Moſis & Prophetarum; quatenùs etiam in eo nihil locutus eſt, quod non Moſes & Prophetæ ipſum locuturum eſſe prædixerant, & dictis ipſorum confirmaretur. Id quomodo ſit verum, nunc operæ pretium eſt, ut demonſtremus.

§. 45. Pſalmo 81. vers 12. Deus Jacobi quaſi in medium procedens de populi incredulitate & inobedientiâ ita conqueritur: *Sed non auſcultavit populus meus, & Iſraël non eſt aſſenſus mihi*. Ex quo loco probè animadvertanda eſt culpa, quam Pſalmus improperat populo educto ex Ægypto & feſta celebranti. Cùm enim præceſſerit immediatè hoc præceptum: *Ne ſit in te Deus alius* &c. Et, *Pande os tuum, & implebo illud*. vers 10. & 11. nulla alia culpa intelligitur, niſi inobedientia adverſus hoc præceptum. Atqui hæc eadem eſt veritas, quam defendens Chriſtus fuit ἀναλογύμενος à Judæis, imò propter quam à Judæis crucifixus eſt. Namque id omni ſermone docuit. Primò. Se eſſe Filium Dei, unum cum Patre; neque eſſe Chriſtum exſpectandum, qui ſit alius ab eo, qui eduxit Iſraëlem ex Ægypto. Secundò. A ſe dono accipiendam eſſe juſtitiam & vitam, & omnia, per fidem, quæ eſt quaſi cordis famelici ad juſtitiam inhiatio. At Judæi Chriſtum ita loquentem judicârunt blaſphemum, eique credere noluerunt, ſeque potiùs dederunt quæſtionibus & ſcrupulis legalibus, & oneri legis aggravando, quærentes ſuam juſtitiam ſtabilire; ut verò templum conſervarent, ſupparaſitati ſunt Cæſari & Romanis, eorumque Diis, & illius nomen in medium protulerunt, ut Chriſtum ab oculis amoverent per judicium Pilati.

§. 46. Pſ. 82. poſt ſermonem fidelium agnoſcentium apparitionem Dei in populo, & diſceptationem ejus cum Diis, vers 1. verba Dei diſceptantis in συνουσίᾳ ſic proponuntur: *Quouſque judicabitis iniquum, & faciem improborum accipietis?* i. e. abſolvetis & juſtificabitis eos, qui opera legis externè faciunt, nihil autem curant de fide, de miſericordiâ, de judicio, de paupertate ſpiritus, &c. & in docendo uſurpant nomen hominum. Conf. Eſ. 3: 9. contrà peccatores reſipiſcentes, &

credentes

credentes in Chriſtum, damnabitis. vers 2. Conf. Ezech. 18: 19. 25. 29. & Mich. 6: 10. Eſt increpatio de judicio iniquo & προσωποληψίᾳ. Hoc verò eſt illud ipſum, quod in Judaicis antiſtitibus Chriſtus ſæpè arguit; ut Matth. 12: 7. Joh. 5: 44. 7: 24. Sequitur mandatum: *Judicate*, i. e. facite compotem juris ſui, *tenuem & pupillum*: *inopem & pauperem juſtificate.* à reatu & accuſatione legis abſolvite. vers 3. *Liberate* ex manu Diaboli *tenuem*, *& egenum ex manu Improborum eripite.* v. 4. Conf. Matth. 5: 3 — 11. 11: 2. 3. Contrarium autem feciſſe Judæorum principes intelliguntur, clavim ſcientiæ tollentes, non admittentes ad cognitionem Chriſti cupidos ſalutis, Chriſtum & fideles blaſphemantes & perſequentes. Mandatum porrò excipit Accuſatio inobedientiæ ipſorum: *Non recognoverunt*, *neque attenderunt. In tenebris ambulant* ſunt cæci. Joh. 9: 39. *Nutant* igitur *omnia fundamenta terræ.* Omnis ſtatus, omnis ordo apud ipſos vacillat. Ipſi principes toto die ejulant, etiam Romam profecti, ut lamententur ſortem ſuam, & de regibus ſuis conquerantur apud Cæſarem, ſeque à Romanis regi petant. v. 5.

§. 47. Pſal. 109. Chriſtus accuſat ſuos Adverſarios Judæos.

1. De improbitate & dolo in accuſatione ſui: *Nam os improbi*, (ſive *improbitatis*) i. e. ſceleſti, Judæ proditoris, apud Sacerdotes, & cùm me ad mortem damnarunt; & os doli, apud me, ut quum tanquam obſervatores legis cum ipſo diſputarunt, *contra me aperuerunt.* v. 2.

2. De falſitate doctrinæ; *Locuti ſunt meram linguam falſitatis.* Ib. v. 2.

3. De calumniis ex odio: *Et verbis odii circumdederunt me.* v. 3.

4. De immeritâ excommunicatione: *Et bellum gerunt in me ſine cauſâ.* v. 3.

5. De vi impediente curſum Evangelii: *Pro amore meo*, quo ipſos conor convertere ad Deum, *infeſtant me.* At *me* quod attinet, *oratio eſt.* Tantùm invoco Deum pro ipſis. v. 4.

6. De veritatis & juſtitiæ condemnatione in ſe & diſcipulis ſuis: *Et poſuerunt ſuper me malum pro bono.* Quod bonum eſt, imputarunt mihi pro malo; *& odium pro amore meo.* quo amo Deum, & homines fideles ex omni gente. v. 5.

7. Scelus admiſſum in pietatis & charitatis, maximorum legis poſtulatorum, omiſſione, & inopum atque egenorum perſecutione, ut in Chriſto & Eccleſiâ apparuit: *Propterea quòd non recordatus eſt facere gratiam*, pietatem & charitatem, *& perſecutus eſt virum expertem & egenum & cruciatum corde ad occidendum.* v. 16.

§. 8. Legis, rejecto Evangelio prælationem: *Et adamavit maledictionem*, ſive legem maledicentem, & maledictionem ipſam, ſpretâ fide benedictionis in Chriſto, *& obvenit ei*; *& non delectatus eſt benedictione*, *& elongata eſt ab ipſo.* vers 17. vers 18. indicatur & pertinacia in retinendâ lege maledicente, ſ. quærendâ juſtitiâ tanquam ex operibus. *Et induit maledictionem inſtar togæ ſuæ*, ad ornatum & decus; *& inſtravit inſtar aquæ in medium ejus*, ad voluptatem; *& inſtar olei in oſſa ipſius*, ad ſanitatem & alacritatem.

§. 48. Pſ. 119: 113. notat Chriſtus hypocriſin Judæorum, eos vocando *ancipites*, διψύχους ὑποκριτὰς, & teſtando ſe eos *odiſſe.* Judæorum enim tota religio eſt hypocriſis. Nam eligunt partem divinæ legis, cupientes εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ, Gal. 6: 12. partem verò meliorem omittunt. Unde & Chriſtus cum diſceptationem inſtituit cum Judæis, plerumque eos nominat ὑποκριτὰς, ſimulatores.

§. 49. Eſaiæ capite 3. in eâ parte ſermonis, quâ prænunciatur ruina Judæ & Hieroſolymæ, à vers 1. ad 8. agitur inter alia de angariatione mutuâ etiam proximorum quorumvis, quâ unus alteri fiebat πράκτωρ, vers 5. his verbis: *Et angaria-*

bit populus vir virum, & vir ſocium ſuum. q. d. Injuſtis ſe oneribus mutuò oneran Neque abſurdum eſt hæc intelligere de traditionibus & faſcibus officiorum, quæ v à viro, & vir à proximo ſuo exigebant. Sic notatur à Chriſto crudelitas magiſtr rum, quòd populum oneraverint faſcibus importabilibus. Matth. 23: 1. 2. Unde populum nominat πεφορτισμένοι Matth. 11: 28. Nec tantùm Magiſtri à populo, ſ & unus Magiſter ab alio exigebat obſervationem ſuorum dictorum. Sic erat ap Judæos domus Hillelis & Samæi: inter quos fuerunt multa diſſidia, & unus ab tero officia exigebat; unus alterum judicabat. Præterea erant Sadducæi, ut notu eſt, diſſentientes à Phariſæis.

§. 50. In eâ vero parte ejuſdem Capitis, in quâ Chriſtus ſuis Diſcipulis dat ma datum prædicandi juſtum omnem ſine diſcrimine & fælicitatem ejus, quæ incipi vers 10. hoc mandatum confirmat Chriſtus alia à populi & Principum ejus cæcita quam idcircò incuſat hoc modo: *Populus meus, exactores ejus pueri ſunt*, non tam tate, quàm peritiâ ſcil. Heb. 5: 12. 13. 14. *& mulieres poteſtatem habent in illt* Quales tempore ultimi excidii magnâ auctoritate fuiſſe narrat Joſephus Herodiad Bernicen, Druſillam, Helenam Adiabenorum reginam, Flori conjugem Cleo tram; quas veriſimile eſt addictiſſimas Judaicis ritibus maritos ſuos in Chriſtum Chriſtianos incitâſſe. *Popule mi, qui ducunt te* ratione officii, *ſeducunt, & viam nerum tuorum corruperunt.* Deſtruxerunt typum doctrinæ per ſublationem clavis gnitionis, Luc. 11: 52. h. e. per occultationem doctrinæ de Chriſti perſonâ, ſa dotio, regno, & dono juſtitiæ. v. 12.

§. 51. Ibid. vers 14. in ſenioribus populi, & principibus ejus, occultè n Chriſtus neglectum officii in ſincerâ veritatis demonſtratione & propoſitione; u ſecuta ſunt omnia mala, ſeditionum, ſchiſmatum, ἀπειξίας, πεἐρχεῖς, &c. qui vinea Domini deſtruebatur. *At vos*, inquit, *depaſti eſtis vineam.* Q. d. fruſtrà p ratis & ejulatis de vineæ Domini deſolatione & depaſtione. Vobis enim offic veſtrum non facientibus ea imputanda eſt. Deinde & accuſat ipſos Rapinæ, q ſub ſpecie juſtitiæ exercerent. *Rapina inopis eſt in domibus veſtris.* Vid. Matth. 23 Et exemplum hujus rapinæ habemus in Decimis, quas Judæi rigidiùs exeger quàm Lex poſtulaverat: & legem interpretando aggravabant. Vid. ad Amoſ. collato Deut. 15. & ibi gloſſâ R. Salomonis. In genere autem hîc accuſatur φι γεία, in quâ ipſâ eſt rapina. quando ſcil. opes non communicantur iis, pro quos datæ & commiſſæ ſunt.

§. 52. Tertia Ib. verſ. 15. occurrit Accuſatio, quæ eſt de injuriis inflictis p lo Dei, h. e. piis in populo; & in opibus, h. e. pauperibus Spiritu, & pati bus, nec reſiſtentibus malo. *Quid veſtrâ refert*, q. d. quid hoc ad officium veſtr An hoc vobis à Deo mandatum eſt? Omninò, ut Paulus Sacerdotem incre Act. 23: 3. *Ut enervetis populum meum*, h. e. omnibus terroribus expavefaciatis abſterreatis, quo minùs audeat nomen regis ſui profiteri, & ſub alis ipſius co Vid. Matth. 23: 37. Johan. 9: 22. *Et* in ſpecie, ut *faciem inopum commolatis* laphizando. Uti factum. Actor. 23: 2. in Paulo; Et Mich. 4: 14. Eſai. 50: Chriſto.

§. 53. Eſaiæ cap. quinto ubi Propheta introducit Chriſtum, poſt multa be cia, & longam exſpectationem, populum viſitantem, & gratitudinem ejus ex rantem, facit illum Primò in genere conquerentem de ingratitudine populi verbis: *Exſpectavit ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* v. 3. *Quare exſpectavi qu ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* v. 4. Pro bonis fructibus malos ſcil.

§. 54

§. 54. Deinceps verò in ſpecie Judæos variorum criminum reos agit: quæ crimina ſunt mali illi fructus, per *labruſcas notati.*

1. Accuſat ipſos *Scabiei*, oppoſitæ *judicio*. verſ. 7. Quâ ſignificatur omnis pruritus concupiſcentiarum contra Deum & proximum, & exulceratio ac lepra & immundicies vitiorum.

2. *Clamoris*, oppoſiti *juſtitiæ*. Ibid. Significatur primò, Dolor malæ conſcientiæ, Eſai. 65: 14. quæ eſt contraria conſcientiæ conſummatæ in juſtificatione. Heb. 10: 22. Secundò, murmuratio contrà Deum & proximum, populi cóntra præſides, & præſidum contra externos, in quorum poteſtatem traditi erant. Eſ. 8: 2. & 52: 5.

3. Avaritiæ, in hiſce: *Væ vobis continuantibus domum cum domo, & qui agrum ad agrum approximant, eò uſque ut non ſit locus.* verſ. 8. Scil. Avaritiæ & terreſtribus lucris ita inhiare, ut, quantùm poſſit, unus plurimas domos & plurimos fructus poſſideat. Ex quo tandem ſequitur, ut omnibus factis divitum, pauperum ſit afflictiſſima conditio, vel ii divitibus mancipentur. Quare & divina lex prohibuit, ne cujus fundus Hæreditarius poſſet alienari. Latet & hîc aliud vitium; Nimirùm quæſtio rerum terrenarum præ regno Dei, & ſervitus Mammonæ injuſti: quæ Mich. 6: 10. prima criminatio eſt in concionibus Chriſti.

4. Ambitionis, vel ambitioſæ amplificationis Synagogæ: *Et efficitis, ut ſoli habitetis in medio terræ.* q. d. ut hæreditas Dei & Iſraëlis ſit in veſtrâ poteſtate, ut vos ſoli dominemini, & tenuiores non poſſint niſi veſtro arbitrio vobiſcum in terrâ habitare; voſque ſoli *ſedeatis* judices & rectores reip., & omnia ſint ſub veſtrâ manu. Nec tantùm: Sed & conciliando vobis & in unum congregando familias urbanas & ruſticas, efficitis, ut non poſſint Chriſtiani ullibi ſubſiſtere, & ſedere coram Domino. Ib. verſ. 8.

5. Ebrioſitatis & luxus in conviviis; verſ. 11. & 12. *Væ prævertentibus manè, ut ſiceram perſequantur: qui deſident in ſero crepuſculo, ut vinum eos accendat. Et quorum epulæ ſunt cithara, nablium, tympanum, & tibia cum vino.* Conf. Amoſ. 6: verſ. 3. 4. 5. 6.

6. Neglectus conſiderationis eorum, quæ Deus molitur; Ibid. verſ. 12. *Et machinationem Jehovæ non intuentur, & opus manuum ejus non vident.* conf. Hab. 1: 5. Reſolvitur hæc culpa in neglectum Scripturarum, & animadvertendi ſigna temporum ex Scripturis. Vid. Joh. 5: 38. 39. 46. Matth. 16: 3. Luc. 12: 56.

7. Ἀγνωσίας populi hinc conſecutæ; verſ. 13. *Iccirco exulat populus meus abſque ſapientiâ, & gloria ejus ſunt homines famelici, & turba ejus aridum ſiti.*

8. Affectationis altitudinis nón competentis: Quam culpam innuit Chriſtus verſ. 15. his verbis: *Et oculi in celſis dejicientur.* Scil. Sacerdotes præſumebant, per ſe deleri peccata Iſraëlis, ſine ſacrificio Chriſti: Seniores, ſe errare non poſſe; qui & ſuſtinuerunt Chriſtum judicare, cum affectatione perpetuæ dominationis in populo: Vulgus præſumſit de juſtitiâ ſuâ ex lege; & omnium dicterium erat: *In nomine meo glorioſus erit Jehovah.* Eſ. 66: 5.

9. Διαλογισμῶν contra veritatem Dei, quibus ſe ipſos indurabant, & opiniones ſuas ſpiſſabant & compaginabant, in hiſce verſ. 18. *Væ trahentibus pravitatem funibus vanitatis, & tanquam rudente carrucario peccatum.* Scil. concatenatio errorum & diſtorſiones perpetuæ Scripturarum, & ratiocinationum ſeries inſtar habet *funis*, quo colligetur manipulus mendaciorum. Huc accedit

10. Conſpiratio & conjuratio in auctoritatem & nomen humanum; quæ etiam

 eſt ve-

eſt velut *funis*, quo *plauſtro* junguntur equi, quo ſe invicem junctis ſtudiis trahunt ad peccatum efficiendum. Intelligitur autem

11. *Peccatum* illud ingens, quod eſt abnegatio & occiſio regis ſui Filii Dei.

12. Fructus διαλογισμῶν, Præſumtio & jactatio propriæ aptitudinis ad videndum & cognoſcendum opus Dei, quo is conſilium ſuum exſequuturus erat, conſilium nempe manifeſtandi regni ſui; verſ. 19. *Qui dicunt, Acceleret, feſtinet opus ſuum, ut videamus; & appropinquet, accedat conſilium ſancti Iſraëlis, & cognoſcemus.* Quæ accuſatio convenit cum eo, quod docet Chriſtus Joh. 6: 43. 44. & Joh. 9: 39. & verſ. 41. Sed & doctrinam hujus loci proponit Chriſtus Joh. 3: verſ. 3. 5. Subeſt hîc & alia doctrina, quam etiam Servator inculcat Luc. 17: 20. Ac denique Judæi ſignum poſtulabant de cœlo; Joh. 6: 30. verbis planè & ſono & ſenſu eiſdem cum eis, quæ Eſaias hîc poſuit, adumbrans futuram à Judæis tentationem Chriſti & circumſcriptionem.

13. Perverſum judicium de Bono & Malo, Luce & Tenebris, Dulci & Amaro, notatum hiſce: *Væ iis, qui appellant malum.* i. e. propriam juſtitiam, *bonum* ac Deo placens; *& bonum* ſacrificium boni odoris, *malum*; *qui ponunt tenebras*, quæ fuerunt in V. T. quo tempore multa ignorata vel tenuiter cognita fuerunt, *in lucem, & lucem*, h. e. veritatem in exhibitione operis Dei, quo expletur conſilium ejus, *in tenebras.* De hâc luce Apoſtolus 2 Cor. 3: 18. & cap. 4: 6. *qui ponunt amarum.* i. e. accuſationem legis, ſervitutem & ſeparationem gentium ab hæreditate Domini, *in dulce, & dulce.* i. e. juſtitiam, libertatem, & pacem in coalitione Judæorum & gentium in unum corpus, quæ in Euangelio prædicatur, *in amarum.*

14. Præſumtio ſapientiæ, verſ. 21. *Væ ſapientibus in oculis ipſorum, & coram facie ſuâ prudentibus.* Hæc præſumtio explicatur. Jerem. 18: 19. *Non perit lex à Sacerdote, & conſilium à Sapiente, & verbum à prophetâ.* Ortum verò habet ex falſo intellectu promiſſionis. Τὸ *in oculis ſuis, ante facies ſuas* ſignificat derelictionem verbi Divini, tanquam certi canonis, unde Sapientia omnis & prudentia haurienda erat. Apoſtolus cum prophetâ concinit Rom. 11: 20. 12: 16.

15. Luxuria in potu, ut ſuprà num. quinto. Sed cum effectu non tantùm neglectus conſiderationis Operis Dei, ut ſuprà num. ſexto eſt notatum, ſed etiam avaritiæ, & propter avaritiam injuſtitiæ in judicando; maximè in cauſâ Dei. Quæ crimina, conjunctim ſic notantur: *Væ fortibus ad bibendum vinum, & ſtrenuis ad temperandam ſiceram. Juſtificantibus improbum* i. e. indigentem juſtitiâ Dei; qualis ille Phariſæus, cujus confeſſio exſtat Luc. 11: 11. 12. *propter munus, quique juſtitiam* ejus, qui eſt in Chriſto, Rom. 5: 1. 8: 1. *auferunt ab ipſo.* verſ. 22. 23.

§. 55. Eſaiæ cap. 8: verſ. 19. loquitur Is, qui verſ. 18. ſe ſiſterat præſentem toti Iſraëli, & culpat Stuporem & Inſaniam eorum, qui, cùm Ipſe eſſet præſens, cum demonſtratione evidenti Divinæ potentiæ in ſeſe, & in Diſcipulis ſuis, adeò ut facti fuerint in ſigna & in prodigia in Iſraële; tamen jubebant populum conſulere atque audire magiſtros ſuos, eumque vetabant adire Chriſtum, & ab illo diſcere: *Et quomodo*, inquit, *dicunt ad vos, conſulite pythones* (Sic Scriptura appellat eos, qui non loquuntur verbum Dei, & interim Spiritum jactant in iis, quæ loquuutur; qui non permittat ipſos errare aut mendacium dicere; qui non poteſt eſſe alius Spiritus, niſi dæmon.) *& divinos, qui pipiunt & anhelant?* Contra illos juſtificat eos, qui ſibi adhæreſcebant, & illos non adibant: *Nonne populus Deum ſuum conſulet?* & ab eo diſcet? An populus *vivorum cauſâ* quales ſunt, qui Spiritu Dei ſunt vivificati,

cati, ut Deum ſuum audiant, adibit *mortuos?* quales illi Pythones, ſpiritualiter, utpote Spiritu Dei deſtituti. conf. Matth. 8: 22.

Ibidem verſ. 20. oſtendit Servator abſurditatem conſulendi de vivis mortuos, Legem & teſtimonio jam exſtante, verbis: *Ad* (vel *ultra*) *Legem & teſtimonium?* Sc. ex fine ỳſ. præced. conſulet populus mortuos de vivis? Atque ita manifeſtè ſtultitiam populi exagitat in ſectandis Traditionibus Seniorum, ut & Doctorum in iis proponendis, & commendandis; eaſque, ut inutiles & ſupervacaneas rejicit.

§. 56. Quin jurat, illis, qui ſic loquuntur, & mortuis credendum volunt ferentibus judicium de vivis, lucem non eſſe exortam, ſed in nativis tenebris cæcitatis, malitiæ & condemnationis hærere: *Si non dicunt ſecundùm verbum hoc, cui non eſt aurora.* q. d. *Juro vobis*, vel, *Amen, Amen, dico vobis, omnino ſic loquuntur, quibus nulla lux ſeminata vel parata eſt.* Ibid. verſ. 20. f.

§. 57. Cap. 16. Eſaiæ, verſu 6. culpatur in Moabitis jam junctis populo Iſraëlitico in unitate politiæ, primò *erectio* ſ. fiducia, & *Superbia. Audivimus*, inquiunt tres illi teſtes, ſ. notores, & cognitores, quorum erat poſt explorationem & judicare, Pater, Filius, & Spiritus S., *erectionem Moabi celſi admodum. Superbia ejus & erectio ejus &c.* Judæi partim in templo & cultu ſuo fiduciam poſuere, & in nomine ſuo, Eſai. 66: 5. & in ſuâ juſtitiâ; Luc. 18: 11. Rom. 10: 13. partim in amicis ſuis Romanis & Cæſare; Joh. 11: 48. 19: 15. Hæc verò *erectio* & *ſuperbia* ipſorum fuit.

Secundò. Hæc erectio & ſuperbia exaggeratur ab *Excandeſcentiâ*. Quæ ira eſt, quâ perſecuti ſunt Judæi Chriſtum & diſcipulos ejus, ut eos partim profligarent, partim non receptarent, partim ubique perſecutionem contrà ipſos excitarent.

Tertiò. His conjungitur Prophetarum, ſ. Legisperitorum, Scribarum & Doctorum populi לא כן *non-integrum*, ſ. *non-rectum*; Id eſt σκολιότης, diſtorſio, perverſitas, & futilitas in docendo. Quam & facit cauſam Superbiæ, & Erectionis & Excandeſcentiæ populi. Dicit enim: *Superbia ejus & erectio ejus, & excandeſcentia ejus eſt futilitas vaniloquorum ejus.* De hâc perverſitate culpantur & à Chriſto. (1.) Quòd Catecheſin pœnitentiæ non integrè tradiderint; Matth. 5. & graviora legis omiſerint; Matth. 23: verſ. 23. (2.) Quòd veram juſtitiam ſecundùm legem non rectè definiverint; Matth. cap. 5: verſ. 20. (3.) Quòd clavim cognitionis abſconderint, h. e. doctrinam de Chriſti perſonâ, officiis & beneficiis; Luc. 11: verſ. 52. & ſic clauſerint regnum cœlorum coram hominibus; Matth. 23: verſ. 13. Conf. Matth. 22: 45. 46. (4.) Quòd præceptis gravibus & intolerabilibus oneraverint populum; Matth. 23: 4. Luc. 11: 46. & quidem lucri cauſâ; Matth. 23: verſ. 14. (5.) Quòd traditiones tradiderint contrarias legi Dei; Matth. 15: 6. (6.) Quòd legem ceremonialem malè & hypocriticè acceperint; Matth. 15: 11. 12. 13. 20. (7.) Quòd pluris fecerint plerique ſacrificia dilectione; Marc. 12: 34. Ita in Phariſæo perfectiſſimo nihil niſi diſſimilitudo ab hominibus reliquis, jejunia frequentia, decimatio omnium; Luc. 18: 11. 12. Adde his, quòd inter illos ſecta Sadducæorum & exorta eſt, & tenuit locum inter Sacerdotes, in Senatu, & à Phariſæis non eſt ex verbo Dei, ut oportuit, confutata; Matth. 22: 29. 33. 34. Propter hæc omnia Chriſtus doctrinam Phariſæorum & Sadducæorum vocavit ζύμην; Matth. 16: 6. 11. 12. & ὑπόκρισιν; Luc. 12: 1. Quod ultimum planè convenit vocabulo. Eſaiæ לא כן/ ut enim כנים ſunt homines integri, ſinceri, ſine dolo ambulantes; ita לא כן id eſt, quod non eſt ἀκέραιοι, ἄδολοι, καὶ εἰλικρινεῖς, ſed ὕπουλοι καὶ σκολιοὶ καὶ ἀπλὲς.

 §. 58. Eſaiæ

§. 58. Eſaiæ cap. 28: 9. taxatur populi ineptitudo ad audiendum ſermonem Chriſti, ad cognitionem, ad auditum nuncii de promiſſione effectâ, hoc modo: *Quem docebit ſcientiam ; & quem faciet intelligere auditionem? depulſos à lacte? remotos ab uberibus?* Nempe omnes, ut pueros ad illum ſermonem ſe habere.

§. 59. Eſaiæ cap. 29. inde à verſ. 9. eſt Accuſatio vel Increpatio infidelitatis Judæorum. Increpat autem in illis Dominus. 1. *Tergiverſationem* ipſorum. id eſt, quòd verbis Dei ſuas ratiocinationes & percontationes opponerent; inprimis, quòd *Quietem* oblatam Eſai. cap. 28: 12. aſpernarentur. *Tergiverſamini*; inquit. Per ironicam conceſſionem.

2. Studium voluptatis, ſ. τὸ φιλήδονον. *Oblectate vos*, inquit, ſimili conceſſione. Notatur autem inprimis, quòd voluptatem caperent ex Chriſti interfectione, & fidelium perſecutione. verſ. 9. Hiſce ſuccenturiat tanquam pœnam, (quæ tamen reſpectu Judæorum eſt vitium.)

3. Cæcitatem: *Inebriati ſunt, & non vino, commoventur, & non ſicerâ.* Dicit, eos vertigine laborare, & nulla habere conſilia; fluctuare in omnibus. verſ. 9. *Nam fudit ſuper vos Dominus ſpiritum ſoporis*; h. e. excæcavit, induravit vos, *& concluſit oculos veſtros.* Velum impoſuit cordi veſtro in lectione V. T. 2 Cor. 3: 14. *Prophetas & capita veſtra, videntes* h. e. qui ex officio videre debebant, *obtexit.* Doctores populi & Seniores arguuntur cæcitatis, ut qui tempus viſitationis & ſalutem oblatam minimè cognoverint. Vid. 1 Cor. 2: 8. verſ. 10. Objectum & modus cæcitatis: *Et exſtitit vobis inſtar omnium.* q. d. hoc modo vos habetis ad omnia, quæ cognoſcenda ſunt, *ut verba libri obſignati, qui tradatur ſcienti literas, dicendo, lege hoc, & dicat, non poſſum, quia ſignatus eſt.* h. e. ut qui, quamvis tantùm didicerit, ut ſi oblato inſtrumento uti velit, & parum devorare moleſtiæ, certâ viâ ac ratione provehi poſſit, tamen obtendat difficultatem cognoſcendi. verſ. 11. *Et detur is liber ei, qui literas non novit, dicendo lege hoc, & dicat neſcio literas.* h. e. ut, ſi Deus ipſos velit per literas docere, prætendant ruditatem, quaſi ipſorum non ſit literas diſcere. verſ. 12. In utriſque eſt faſtidium S. literarum, inprimis ſermonis prophetici, & ſubinnuitur πραΐζειν ſequendi duces ſuos, verſ. 10. denotatos.

4. Accuſat obedientiam oralem, conſiſtentem in obedientiâ hominum. verſ. 13. *Et dixit Dominus: Quandoquidem accedit populus hic ore ſuo, & labiis ſuis honorat me, & cor ſuum longè removit; atque exſtitit, quòd timent me, præceptum hominum condocefactum.* Ubi τὸ *accedere* notat cultum, Heb. 10: 1. qui hîc partim affirmatur, nempe quòd *honorent Deum ore & labiis*, quatenùs dicebant aliquid, quod & Moſes & prophetæ dixerant; partim negatur, nempe quòd *cor ſuum removerint à Deo.* h. e. non delectentur conſiliis Dei & viis ipſius. Et quod habeant quidem *timorem Dei*, h. e. eligant aliquid facere tanquam in honorem Dei cum metu pœnæ, ni faciant; ſed ſecundùm præcepta hominum & conſuetudinem, atque ita non habeant timorem Dei ut Dei, ſed magis hominum, & aſpectum perſonarum. Hunc locum repetit Chriſtus Matth. 15: 7. 8. 9. Eſaias præfatur hæc Dominum dixiſſe; Dominus, Eſaiam hæc prophetâſſe.

5. Accuſat Hypocriſin; conſilium ſcil. retinendi terram per diligentem obſervationem externæ diſciplinæ, ac ſi eâ re juſti eſſent, quod conſilium putabant ipſum Deum non videre. *Væ illis, qui profundè abſcondunt à Domino conſilium, ut ſint in tenebris opera ipſorum; & dicunt; quis videt nos, & quis cognoſcit nos?* v. 15. Et porrò v. 16. hujus culpæ indignitatem oſtendit comparatione operis abnegantis ſapientiam vel artem ſui fictoris: *Dicit opus de factore ſuo, non fecit me, & figmentum dicit de fictore ſuo, non intelligit.*

6. Cri-

6. Criminatur Judæos, quòd *homines faciant verbo peccare.* verſ. 21. Id eſt *vigilantium circa vanitatem*, verſ. 20. i. e. eorum, qui operam dant falſæ religioni, vel ſcopum, aut viam mutanti.

7. Quòd *excutiant*, ſuis vitiligationibus, *redarguentem in portâ.* v. 21. Id eſt *irriſorum* ex verſ. 20. h. e. eorum, qui ſe nominantes populum Dei, ratiocinabantur contra verbum Dei.

8. Quòd *detrudant in inane juſtum.* i. e. cogant, tanquam ſi ipſi aquâ & igne interdictum eſſet, ire ad beſtias in deſertum. v. 21. Id autem eſt *violentorum*, de quibus eſt verſ. 20.

§. 60. Eſaiæ cap. 32. verſ. 9. & 10. *Mulieribus* quibuſdam, h. e. gentibus, ſ. populis, & *filiabus*, h. e. congregationibus eorum, qui ſe vocant filios & hæredes regni; atque ita & Judæis, improperatur *Tranquillitas*, & *Securitas*, in quibus & laſcivia in fælicitate ſubintelligitur.

§. 61. Ejuſdem Cap. 45. poſtquam *juſtitia*, h. e. is quem Deus vocavit cum juſtitiâ *de cœlo pluiſſet*, verſ. 8. oritur inter Ipſum & Judæos contentio & quidem. 1. de opere formatoris, & de viribus operis, quaſi ſcil. ipſum opus debeat habere manus, quibus ſe fingat: verſ. 9. *Væ contendenti cum formatore ſuo, teſte cum teſtis terræ.* Indignitas hujus contentionis oſtenditur eo, quòd omnes ſint, ut teſtæ terræ, ex æquo. *An dicet lutum formatori ſuo, quid facis? & quod attinet opus ſuum, non ſunt ei manus?* Nota eſt arrogantia populi Judaici non tribuentis integram laudem formationis ſuæ Deo, ſed ſibi attribuentis vires ad hoc faciendum, quod ad juſtitiam & ſalutem neceſſarium eſt. Conf. Eſ. 66: 5. & ex ſupp. Eſ. 5. num. 8.

Secundò, De eo, an ſit formator ejus; cùm Judæi eum criminarentur, quòd filios faceret ex miſeris peccatoribus, & cum iis converſaretur. Hujus criminationis oſtendit Chriſtus 1. Abſurditatem, per comparationem cum criminatione patris gignentis, & mulieris parturientis. verſ. 9, *Væ dicenti ad patrem, quid gignis? & mulieri, quid parturis?* 2. Injuſtitiam, ex eo, quod idem populus, olim ipſum interrogaverit de futuris, & jam ei præcepta det de filiis ſuis, & opere manuum ſuarum. verſ. 11. *Sic ait Jehovah ſanctus Iſraëlis & formator ejus; qui ventura interrogaverunt me*, ut Prophetæ, ut ſancti, patres veſtri, qui ſcrutati ſunt verbum meum, ut ex eo diſcerent, quæ ventura erant, & qui ſic inter alia cognoverunt, quales filios habiturus eſſem, nempe ex infimis & viliſſimis populi; *de filiis meis, & de opere manuum mearum præcepta dabitis mihi*; & ad ea, quæ Patribus veſtris reſpondi, non attenditis.

§. 62. Quod autem ſit formator populi, & ſimul ſe non ſit indignum aſſumere indignos in filios, demonſtat. 1. Ex opere creationis: *Ego feci terram & hominem ſuper illâ creavi Ego, manus meæ extenderunt cœlum, & omnem exercitum illorum imperavi.* v. 12. Secundò quòd non indignè excitaverit Cyrum, & per eum, ſ. ejus ſucceſſores, juxta decretum ipſius, exules ſuos liberos fecerit, & urbem ſuam ædificaverit; cùm id fecerit בְּצֶדֶק / *propter juſtitiam.* i. e. quia juſtitiam oportuit procurari ſtante templo, urbe, politiâ. vers 13. *Ego excitavi illum propter juſtitiam, & omnes vias ejus rectificabam; ille ædificabat urbem meam, & exules meos dimittebat, non pro pretio, & non pro munere; dixit Jehovah Deus exercituum.*

§. 63. Eſaiæ cap. 48. à principio eſt compellatio Judæorum, & illorum Accuſatio. Accuſantur verò à Chriſto, quòd profiteantur quidem, quòd Dominum verum Deum cognoſcant, & nullum alium Deum agnoſcant, aut nominent, quàm Deum Iſraëlis, ſed quòd id non faciant in fide eorum, quæ Deus de ſe dixit, ne-

que

que adeo in bonâ conſcientia, & ſine hypocriſi. *Audite hoc*, inquit verſ 1. *Domus Jacobi, qui denominamini de nomine Iſraëlis, & ex aquis Jehudæ exiviſtis, qui juratis in nomine Jehovæ, & in Deo Iſraëlis commemorationem inſtituiſtis, non in veritate & non in juſtitiâ.* Hoc probat: *Nam de civitate ſanctâ vocamini, & ſuper Deo Iſraëlis recumbitis, cujus tamen nomen eſt Jehovah Deus exercituum.* v. 2.

§. 64. Ibid. v. 4. Accuſantur Judæi veteres, quòd *populus durus* (ſive *intractabilis*) *eſſet, & nervus ferreus cervix eorum, & frons eorum ex ære.* Ideo enim *Se* (Chriſtum, qui hic loquitur) *priora* quædam ipſis *indicâſſe, antequam venirent; ne dicerent, Idolum meum fecit illa, & ſculptile meum ac fuſile meum juſſit ea.* verſ. 3. 5. Et cum veteribus Judæis comparantur ii, quos Chriſtus in carne revelatus *nova de nunc fecit audire, & recentia, quæ non cognoverant.* verſ. 6: 7. Hos verò accuſat Incredulitatis, quòd nuntiata nova, quæ poſteriori tempori, fini dierum, debentur, nec audiverint, nec cognoverint: quòd olim etiam auris ipſorum fuerit obturata, ut non attenderet etiam ad ænigmata, ad figuras, ad prædictionem propheticam, quâ Deus declaraverat, talia olim auditum iri; quorum oraculum hoc ſpecimen eſt. *Simul*, inquit, *non audiviſti, ſimul non cognoviſti, ſimul non aperuit ſe auris tua.* v. 8. Addit & rationem, quare non revelaverit illa Iſraëlitis in eâdem claritate, in quâ novæ illæ res prædicatæ ſunt: *nam noveram*, inquit, *quòd perfidè acturus eſſes, & defector* (ſive *Apoſtata*) *ab utero nominatus es.* Nam qui prophetas lapidârunt & interfecerunt, loquentes nimis apertè, quid non feciſſent, ſi hoc locuti eſſent, quod Apoſtoli prædicârunt, eâdem claritate. Ib. v. 8.

§. 65. Tandem Eſaiæ cap. 66. à principio accuſatur in Judæis ſtudium inutile ædificandi Deo domum. *Sic dixit Jehovah, cœlum eſt thronus meus, & terra ſcabellum pedum meorum, quæ eſt domus, quam ædificabitis mihi? & quis locus requies mea?* verſ. 1. *Et omnia hæc manus mea fecit, atque extiterunt omnia hæc, ait Jehovah; & in omni loco hunc intueor inopem percuſſum ſpiritu, & trepidantem propter verbum meum.* verſ. 2.

§. 66. Et verſ. 4. ipſos accuſat inobedientiæ: *Vocavi & non fuit reſpondens, locutus ſum, & non audiverunt, & fecerunt malum in oculis meis, & quo non delector, elegerunt.* verſ. 5. Illorum ſymbolum hoc ponitur: *Propter nomen meum glorificabitur Jehovah.*

§. 67. Apud Jeremiam Chriſtus accuſat defectionem Judæorum ab ipſo. cap. 3. verſ. 20. his verbis: *Enimverò perfidè abiit mulier à ſocio ſuo; ſic perfidè egiſtis mecum, domus Iſraël; ait Jehovah.*

§. 68. Tùm & malam conſcientiam in eo, quòd, cùm ſcirent, ſe peccatores eſſe, & à reatu non eſſe purificatos, tamen non cogitarent, ſe purificatione egere. Hæc accuſatio continetur iſtis: *Peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtilo ferreo, & ungue adamantino exaratum eſt in tabulâ cordis eorum.* Coguntur enim peccatum & reatum ſuum fateri. *& in cornibus altarium eorum.* quæ dum ex mandato Dei, Lev. 4: 7. & 18: 18. 25: 30. &c. aſperguntur ſanguine ſacrificiorum pro peccatis, & tamen indigent, ut & totum tabernaculum, quotannis certo die expiatione, idque fieri non deſinit, contra ipſos teſtantur, quòd injuſti ſint, & Deum meliori ſanguine ſanctificatum nondum eſſe. Jerem. 17: 1. Idque eo magis, *Quando recordantur filii ipſorum altaria ſua, & idola ſua apud arborem viridem, in collibus altis.* Eo magis ſcil. ſe fatentur reos & impuros, quia pro peccato offerunt in conſcientiâ idololatriæ à patribus exercitæ. Eadem enim eſt cogitatio & ejus, qui ſine fide in templo adolet, & ejus, qui in collibus. v. 2.

§. 69. Ibid.

§. 69. Ibid. verſ. 9. dum ſuſpirat fidelis unuſquiſque accuſans propriam infirmitatem, & cor proprium examinans, an non in eo ſit dolus, verbis: *Lamoſum eſt cor præ omni re*, multos receſſus habens, ut terra madida calcata, *& incurabiliter ægrum: quis cognoſcet illud?* Et verſu 10. dum Chriſtus *Jehovah* teſtatur, *ſe ſcrutari cor & explorare renes*; in antitheſi culpatur Superbia Judæorum tenebras cordis ſui non videntium propter vel ignorationem vel fugam lucis, & conſilia cordis ſui ſequentium, & honorem à ſe accipientium, ita ut quiſque alteri placere ſtuderet.

§. 70. Ibid. verſ. 11. redarguit Chriſtus ſtultitiam Judæorum nihil quærentium niſi terram & bona ejus, & non diſtinguentium inter vera ac ſua bona, quæ auferri non poſſunt, & aliena. *Perdix*, inquit, *quæ colligit, quæ non peperit, eſt qui parat divitias, & non cum judicio. In dimidio dierum ipſius relinquent illum, & tandem fiet*, ſ. apparebit, manifeſtabitur, quòd ſit *ſtultus*. Spiritu Dei deſtitutus, ſapientiam non habens. Jam vid. Luc. 16: 11. 12. 13. 14. & add. Mich. 6: 10. Jeremiæ cap. 23. poſtquam locutus fuiſſet Propheta de excitatione germinis juſti, cujus nomen Jehovah juſtitia noſtra, & annexis ei beneficiis. verſ. 5: 6. 7. 8. In ſequentibus toto capite ſubtexit orationem Jehovæ jam revelati, ſive, ut ipſe appellat, verſ. 9. *verba ſancta ipſius*. In eâ oratione accuſantur Judæi variorum criminum. Ut 1. Scortationis. *Mœchis plena eſt terra*. verſ. 10. Item: *Et in Prophetis Hieroſolymæ vidi horrendum: mœchari*, &c. verſ. 14. Sunt autem mœchi, qui ſe vocant populum Dei, & Spiritu Dei carent, & ſapiunt ea, quæ ſunt mundi, & hominibus placere volunt.

2. Hypocriſeos; cujus nominatim rei aguntur Prophetæ & Sacerdotes, verſ. 11. *Et Propheta & Sacerdos hypocriſin exercent*. Et verſ. 15. *A Prophetis Hieroſolymæ exiit hypocriſis in totam terram*. Intelligitur autem per *hypocriſin* nominatio Dei non in veritate. Quod maximè fit per abnegationem veræ juſtitiæ & gloriationem in falſâ.

3. Malitiæ, & viæ malæ. Ut vers 10. *Et exſtitit curſus eorum malum, & prævollentia ipſorum non rectum*. Et v. 11. *Etiam in domo meâ inveni malitiam eorum: ait Jehovah*. Et vers 14. *Et ambulare in falſitate, & firmarunt manus maleficorum, ita ut non converſi ſint quiſque à malo ſuo*. Quod etiam exaggerat à ſimili. *Facti ſunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus ut Gomorrha*. Et 22. *Convertiſſent eos à viâ ſuâ malâ, & à malitiâ operum ſuorum*.

4. *Horrendi* alicujus: *Et in prophetis Hieroſolymæ vidi horrendum*. vers 14. Nempe horribilius eſt, homines cognoſcere unum Deum, & nomen ejus audire atque nominare, & legem ejus in ore ferre, ac de fœdere ejus gloriari non in verâ juſtitiâ, & ſic verba Dei tractare, ut apud audientes ſint inutilia, & per ea homines non abducantur à peccatis & conſiliis ſuis; quàm apertam Idololatriam exercere, & verbum Dei rejicere.

5. Viſionis ſ. prophetiæ falſæ, ut verſ. 16. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: Ne auſcultetis ad verba prophetarum, qui vaticinantur vobis: Illi vos faciunt evaneſcere: viſionem cordis ſui loquuntur, non ex ore Jehovæ*. Item vers 15: 16. *Audivi, quod dicunt prophetæ, qui vaticinantur in nomine meo falſum: nimirum: Somniavi, ſomniavi. Quouſque? An eſt aliquid in corde prophetarum, vaticinantium falſum, & prophetarum fraudis cordis ſui*. Et vers 21. *Non miſi prophetas, & illi concurrerunt: non locutus ſum ad ipſos, & illi vaticinati ſunt*. Et verſ. 31: 32. *Ecce ego adverſus prophetas, ait Jehovah, qui accipiunt linguam ſuam, & ajunt: Ait. Ecce ego adverſus vaticinantes ſomnia falſa, ait Jehovah, & qui recitant ea, & errare faciunt populum meum mendaciis ſuis & futilitate ſuâ; quos ego non miſi, & quibus præcepta non dedi, & qui non*

proderunt populo huic : ait Jehovah. Significatur autem hiſce hallucinatio circa prophetias.

6. Perverſi judicii ; verſ. 17. *Dicunt omnino iis, qui me contemnunt : Locutus eſt Jehovah : pax erit vobis : & quisquis ambulat in firmitudine cordis ſui, dicunt : Non veniet ſuper vos malum.* Peccatum ſcil. prophetarum eſt, juſtos vocare, qui non ſunt. Nempe qui non ſecundùm verbum Dei loquuntur & agunt, ſed ſecundùm cogitationes proprias ; quæ ſunt carnales.

7. Redarguit Chriſtus vanitatem prophetarum, jactantium ſe, ac ſi in ſecreto Dei ſtetiſſent, familiariter eſſe ab eo edoctos, & idcircò putantium, ſe jam omnia verba Dei, quæ dicenda erant, audiviſſe ; verſ. 18. hoc modo : *Nam quis* illorum, vel prophetarum, vel auditorum, quos illi juſtificant, ex verſ. 17. *ſtetit in ſecreto Jehovæ, & videt & audit verbum ejus ? quis attendit ad ſermonem ejus, & audivit ?* probat autem verſ. 22. hanc ipſorum jactationem vanam eſſe : *Et, ſi ſtetiſſent in ſecreto meo facerent, ut audiret verba mea populus meus, & convertiſſent eos à viâ ſuâ malâ, & à malitia operum ſuorum.* Contrà de Chriſto dicitur Joh. 3: 32. quòd cùm de cœlo venerit, quæ viderit & audiverit, ea teſtetur. Et promiſſus erat propheta, qui verba Dei locuturus eſſet. Deut. 18. Ex quibus eſt liquidum, hanc Prophetiam maximè pertinere ad id tempus, quo Deus Davidi daturus erat germen juſtum ; ut ſuprà etiam notatum eſt.

8. Coarguit falſam de Deo, & cultu ejus, opinionem ; verſ. 23. *Numquid Deus ex propinquo ego ſum, ait Jehovah : & non Deus à longinquo ?* Quaſi habitarem ſcil. in uno loco magis, quàm in alio, ut in templo manufacto, & ibi vellem quæri, & non requirerem aliquid in corde, quo delecter.

9. Accuſat Prophetas, quòd *cogitent facere, ut populus Dei obliviſcatur nominis Dei, per ſomnia ipſorum, quæ recitant unus alteri, quemadmodum obliti erant patres illorum nominis Dei per Baalem.* verſ. 27. quodque *errare faciant populum Dei mendaciis ſuis & futilitate ſuâ.* v. 32.

10. Improperat ipſis, quod abſcondiderint clavim cognitionis ; verſ. 30. *Ecce ego contra prophetas, ait Jehovah, qui furantur ſermones meos quisque à proximo ſuo.* Vid. Luc. 11: 52.

11. Quòd *mutaverint verba Dei vivi* ; v. 36. Quòd in exemplo verborum נְאֻם יְיָ *Latio Jehovæ*, Ib. v. 33 —— 38. demonſtratur.

§. 71. Jeremiæ cap. 48: 29. 30. *Audivimus*, inquit Deus,

1. *Elationem Moabi elati admodum, altitudinem ejus, & elationem ejus, & faſtum ejus, & ſuper exaltationem cordis ejus.* v. 29.

2. *Excandeſcentiam ejus.* v. 30.

3. *Perverſitatem* ; quam *perverſitatem vaniloqui ejus fecerunt.* Sive, cujus illi cauſa exſtiterunt. verſ. 30. Vid. ſuprà ex Eſ. 16: 6. hæc eadem repetita, & explicata.

Additur hîc, vers 42. quòd *Moab contrà Jehovam ſe magnificaverit.*

§. 72. Ezechielis cap. 7. in eâ parte ſermonis Jehovæ, i. e. Chriſti, in quâ finis tolerantiæ, quâ hactenus pepercerat populo carnali, denunciatur, quæ eſt verſ. 2 —— 11. aliquoties exprobrantur Judæis *viæ ipſorum, & abominationes ipſorum.* ut v. 3: 4. 8: 9.

Ibidem verſ. 10. accuſat populum *Contumaciæ*, quæ eſt inobedientiæ, infidelitatis, ratiocinationis contra verbum revelatum : Eamque dicit *gemmas protruſiſſe.*.

Verſu 11. & *Violentiæ*, quæ oppoſita eſt charitati erga proximum : Hanc dicit *excreviſſe in virgam improbitatis.* i. e. ſceptrum, ſ. dominationem Improbi. Habet enim

enim violentia, de quâ diximus, inſtar ſeminis, quod radicatur, fruticat, ſurgit, confirmatur in virgam, quæ ſit ſceptrum dominationis.

§. 73. Ezechielis cap. 13. iterùm, ut ſup. Jerem. 23. *in die Jehovæ.* i. e. Deo in carne revelato, verſ. 5. Chriſtus culpat in *prophetis*, h. e. doctoribus populi, qui in falſis ſuis opinionibus populum conſolabantur, & ipſis talia facientibus, qualia faciebant, tanquam reſipiſcentibus, bonum promiſerunt, ſ. tantùm niterentur literâ legis, ſ. inſuper jactarent extraordinarias revelationes, Culpat, inquam,

1. quòd falſum prophetent. Quod ita dicitur. verſ. 2. *Dices prophetis de corde ſuo.* & verſ. 3. *Sic dixit Dominus Jehovah: Væ ſuper prophetis illis ſtultis*, Spiritu & vitâ Dei deſtitutis, *qui ambulant poſt ſpiritum ſuum.* h. e. propriam ſapientiam & concupiſcentiam, *& ſecundùm id, quod non viderunt.* i. e. quod ἀπόδειξιν πράγματος non habet, & Deus ipſis non revelavit. Et verſ. 6. *Viderunt temerarium & divinationem mendacii, qui dicunt, Ait Dominus; & Jehovah illos non miſit, & tamen ſperant conſtabilitum iri verbum.* His addantur verſus 7. 8. & 9.

2. Quòd *fecerint errare populum* Dei; verſ. 10. Idque 3. Perverſo ſuo de verâ & falſâ juſtitiâ judicio, *Dicendo* nimirùm *Pax, & non eſt Pax.* Ibid. Unde ſcil. conſecutum ſit, ut *Populus ſtruxerit parietem, quem illi* levi calce *ineptè obleverint*, quaſi iſta calx parieti poſſet conciliare ſoliditatem & ſtabilitatem. Id eſt, ut populus per verba ipſorum ſeductus poſuerit falſum fundamentum, & in eo collocaverit, fiduciam ſuam, & ſecundùm id inſtituerit judicium ſuum, & omnes actiones ſuas: Prophetas autem tale opus collaudâſſe, & juſtitiam atque impletionem legis vocâſſe. Ib. verſ. 10.

§. 74. Ezech. cap. 16. verſ. 43. in juſtificatione Judicii in proximè præcedentibus lati in Hieroſolymam, reddit Deus cauſam hanc; *Propterea quod non recordata es dierum adoleſcentiæ tuæ, & omnibus hiſce* modis *irritata es contra me.*

Item exprobrat ei, Ibid. quòd *ſupra omnes abominationes ſuas fecerit illud ſcelus.* Quale verò ſcelus intelligat, ex aliis prophetiis, nominatim Deut. 32: 15. & hiſtoriâ Euangelicâ, promtum cognoſcere eſt.

Et porrò verſ. 45. attribuit ei aſpernationem mariti & filiorum ſuorum. id eſt, Contemtum Dei creatoris, & ſaltem per tolerantiam ſuam & longanimitatem vocantis ad pœnitentiam, & dilectionem ſui tanquam mariti; & quòd filios ſuos immolet non Diis, & ſalutem illorum negligat. In quibus ſimilis ſit facta Chittææ matri & Patri Amorræo, ut & Sororibus Samariæ & Sodomæ. Degenerâſſe ſcil. Hieroſolymam à fide & corde ſanctorum patrum, ut non aliis quam talibus parentibus & ſororibus poſſint connumerari: *Filia matris tuæ tu es faſtidientis virum ſuum & filios ſuos, & ſoror ſororis tuæ tu es, quæ faſtidiverunt viros ſuos, & filios ſuos. Mater tua Chittæa, pater Amorræus.*

Quin teſtatur verſ. 47. Hieroſolymam & Judæam ampliùs deliquiſſe, quam Samariam & Sodomam, & pro parvo. faſtidiviſſe in viis illarum incedere. Idque etiam verſ. 48. juramento confirmat, inprimis de Sodomâ, non feciſſe ſimilia: *Et non ſecundùm vias illarum ambulâſti & ſecundùm abominationes illarum feciſti, ut parum faſtidienti is id fuit,* (nempe ſimiliter facere) *& corrupiſti te præ illis in omnibus viis tuis. Vivo ego ait Dominus Jehovah, ſi fecit Sodoma ſoror tua, ipſa & filiæ ejus, quemadmodum feciſti tu & filiæ tuæ.* Jam vid. Matth. 11: 23. 24. De Samariâ vid. verſ. 51.

Ibid. verſ. 59. tribuitur Hieroſolymæ, quod *ſpreverit adjurationem* factam in nomine Dei, *& irritum fecerit fœdus.*

§. 75. Ezechielis cap. 20. verſ. 38. accuſatur obiter *rebellio & defectio* Judæorum à Chriſto & Deo. *Et ſeligam*, inquit Deus, *ex vobis rebelles & deficientes à me.*

§. 76. Cap. 21. verſ. 33. Ammonitis cum Judæis fœderatis tribuitur ab eo, *cujus eſt judicium*, de cujus *adventu* egerat verſ. 32. *convicium*, ſ. blaſphemia: Quæ culpa Judæorum eſt, qui blaſphemârunt Chriſtum & juſtitiam ac regnum Dei.

Et verſ. 34. quòd *videant ſibi temerarium, & divinent mendacium.* Significatur Judæorum hallucinatio circa prophetias, quòd ſibi falſas ſpes fecerint, & regnum Dei, quod ad ipſos venerit, non agnoverint.

§. 77. Ezech. cap. 34. In paſtoribus culpat, Dominus, quod *ſeſe paverint*. v. 2. *Adipem comedant, lanâ veſtiantur, pinguem mactent.* i. e. ſeſe ſaginent & veſtiant ex bonis populi, & vel opulentos, vel etiam ſapientes in populo tanquam oves opimas mactent; *oves* interim *non paſcant.* verſ. 3. *Infirmatas non roborârint, ægram non ſanârint, fractam non obligarint, depulſam non reduxerint, perditam non quæſiverint.* Hæc omnia neglexerint. Nec tantùm: Sed etiam *cum vi dominati ſint in oves, & cum ſævitiâ.* paſtionem in ſævum dominatum converterint. verſ. 4.

In ovibus, h. e. iis, qui habebantur populus ipſius, quid culpet, patet ex hiſce: *Numquid parum præ vobis: paſtu bono paſcimini; & reliquum paſtus veſtri conculcatis pedibus veſtris, & limpidum aquarum bibitis, reliquas autem pedibus veſtris conturbatis. Et oves meæ calcato pedum veſtrorum paſcentur, & conturbatum pedum veſtrorum bibent?* h. e. non patimini oves Dei veras ſincerum Dei verbum & purum putum ad vitam & lætitiam percipere, & ſic quaſi edere & bibere; ſed veſtris nugis, figmentis & temerâriis dictis illud corrumpitis & falſatis. verſ. 18. 19.

Et ex verſ. 21. *Quia latere & humero truditis, & cornibus veſtris feritis omnes infirmatas adeo, ut diſſipaveritis illas foras.* Quibus indicatur nova culpa, nempe hæc; quòd violentiam exerceant in infirmos. Pertinere enim hæc quoque ad tempus Chriſti, patet ex eo, quia dicuntur cauſæ dandi, paſtorem unum, nempe Davidem ſervum Dei, verſ. 23. & cur Deus ipſe immediatè ſit paſturus oves, verſ. 11. 12. 15. & quòd ex Euangeliis conſtet, hæc & ſimilia Chriſtum paſtoribus & populo exprobrâſſe; ut non ſit dubium, hîc quoque prædeſcriptum Chriſto ſermonem eſſe.

§. 78. Inſignis præ reliquis eſt Sermo Chriſti, qui exſtat in prophetiâ Micheæ à cap. 6. verſ. 9. ad cap. 7. verſ. 6. ſiquidem in ejus Præfatione cap. 6: 9. Propheta ipſe, quaſi fungens officio præconis indicet Dominum manifeſtatum in carne, concionantem. *Vox*, inquit, *Jehovæ, qui urbem vocat, auditur.* & per Apoſtrophem aſtipuletur manifeſtationi Domini concionantis, & veritati Dei in ejus manifeſtatione comprobatæ, hoc pacto: *Et reverâ videt quiſque nomen tuum.* & excitet Tribum ad audiendum, verbis: *Audite, ô tu Tribus.* cum querelâ de ejus tarditate ad audiendum & conveniendum audiendi cauſâ: *Et quis fecit illam convenire?* Nemo eam convenire fecit. Nemo impetravit, ut accederet ad Dominum concionantem, & ipſi auſcultaret.

§. 79. In ipſo ſermone Chriſti, quod ad hunc locum pertinet, eſt 1. Exprobratio variarum culparum cap. 9: 10 — 16. Eæ ſunt

1. Carentia veræ juſtitiæ. illius ſcil. quâ homo peccator ὑπόδικος τῷ Θεῷ, ejus iram poſſit evadere, & hæres vitæ æternæ fieri. Ea culpa denotatur vocabulo רָשָׁע *Improbus.* verſ. 10.

2. Dilectio theſaurorum injuſtitiæ, in verbis: *Adhucne ſunt in domo Improbi theſauri*

ſauri improbitatis? verſ. 10. Chriſtus in Euangelio appellat τ̃ Μαμμωνᾶ τ̃ ἀδικίας. Hæc eſt retentatio terrenæ hæreditatis, ut præmii juſtitiæ carnalis, quæ tamen juſtitia non erat, ſed injuſtitia & improbitas. nec erat data terra, ut præmium obedientiæ, ſed ut ſignum & pignus quoddam hæreditatis cæleſtis. Adhæc colligebant bona terrena in theſauros. Hæc avaritia. Nec impertiebantur egenis. Hæc crudelitas. Et putabant, in perpetuum ea bona ſibi relictum iri. Hæc abnegatio dominii ſpiritualis Chriſti & hæreditatis mundi. Jam vid. Luc. 16: 9. Ubi Servator τ̃ Μαμμωνᾶ τ̃ ἀδικίας domi retinere diſſuadet.

3. Menſura iniqua. *Epha macilenta abominabilis.* Ibid. verſ. 10. Cui convenit illud Servatoris noſtri de Menſurâ. *Quâ menſurâ menſi fueritis, remetientur vobis.* Matth. 7: 2. Marc. 4: 22. Luc. 6: 38. Hic intelligimus hypocriſin, cujus ſæpè arceſſit Chriſtus Judæos & Phariſæos; qui leviora legis obſervabant, graviora omittebant. Matth. 23: 23.

4. Judicium injuſtum, ejuſque poſtulatio. *Nunquid inſons eſſem cum lancibus improbitatis?* i. e. ſi vos abſolverem, & quos vos condemnatis, damnarem, annon prævicator fierem? verſ. 11.

5. Doctrina falſa de hominis juſtitiâ coram Deo; ex quâ oritur perverſum judicium. *Et cum ſacculo ponderis doloſi?* Ibid. verſ. 11. Habet ſcil. doctrina iſta inſtar ponderum iniquorum in trutinâ. Habet enim illa pro momentis, quæ non ſunt; & vice verſâ. Conf. Matth. 9: 11, 12: 7.

6. Injuria divitum. *O tu, cujus divites pleni ſunt injuriâ.* verſ. 12. Chriſtus eos indigitat *Geſtantes mollia veſtimenta*, Matth. 11: 8. Intelliguntur autem, qui cæteris ſunt potiores officio & proventibus, ut Sacerdotes. *Injuria* illa eſt, quòd tollerent clavem cognitionis; ipſi non intrarent, & alios intrare non permitterent. i. e. ſibi ſolis arrogarent docendi jus, & Chriſtum ſcopum legis non oſtenderent. Matth. 23: 13. Adi & Zach. 11: 5. Ubi aliud Injuriæ genus, vendere populum Romanis, & eum mactandum præbere.

7. Habitantium dolus. *Cujuſque habitatores loquuntur falſum, & lingua ipſorum eſt doloſa in ore ipſorum.* Ibid. verſ. 12. Falſum loquebantur ſe appellantes Iſraëlitas, Judæos, diſcipulos Moſis & Prophetarum. Dolus in eo erat, quod mendacium tegerent ſub cortice verborum Moſis.

8. Induratio contra plagas. Eſt hic catalogus plagarum, verſ. 13. 14. 15. & exaggeratio peccatorum, verſ. 16. p. pr. In cumulo autem & plagæ horrendæ, & peccata ſtupenda eſſe oſtenduntur. verſ. 13. *Atque etiam ego fatigatus ſum percutiendo te, ſtupeo ob peccata tua.* Plagæ ſunt iſtæ. 1. Inſatiabilitas. quam probant Avaritia, Odia, Simultates, Injuriæ ad defraudandos proximos: *Tu comedis, & non ſatiaris ſed macies tua in medio tui manet.* verſ. 14. 2. Sterilitas uteri. *Et concipis, & non eniteris.* Ibid. 3. Strages juventutis in bello: *Et quos eniteris, gladio trado.* Ibid. verſ. 14. 4. Ἀφορία terræ: *Tu ſeminas, & non metis.* verſ. 15. 5 Peſtilentia prævertens fruitionem bonorum ex agris collectorum, vel etiam potentiorum præreptio: *Tu calcas oleam, & non delibueris oleo; & muſtum, & non bibis vinum.* verſ. 15.

Exaggeratio peccatorum in eo eſt, quòd inter graviſſimas plagas nihilominus pergant in atrociſſimis criminibus: qualia ſunt, *obſervare ſtatuta Omri, & opus domus Achabi.* verſ. 16. *Omri* in viâ domus Jeroboami inceſſit integrè, & ſupra anteceſſores ſuos. 1 Reg. 18: 25. 26. *Achab* Baalem coluit. Ibid. verſ. 31. Duo igitur genera Idololatriæ impingit Judæis. 1. contra ſecundum præceptum, quæ eſt

via Jeroboami. Id in traditionibus fuit ſpectatum, & in Sanctuarii cultu non ſincero, nec legitimo fine. Vid. Actor. 7: 42. 43. Secundò contra præceptum primum, ut Achab. Quòd colerent Deos alios. ut (1.) Quando Dei filium, & ſic Deum patrum abnegârunt. (2.) quando cum Romanis & eorum ſacris ſpiritualiter fornicati ſunt. Confidere enim Idololatris ad conſervationem ſuæ proſperitatis & pacis, eſt abnegatio Dei indirecta, & fornicatio cum illis. Sed & Herodes Cæſari templa ſtruxit.

§. 10. II. Comploratio Chriſti de impœnitentiâ populi. cap. 7: 1 — 4. p. p. Hæc comploratio notat

1. Defectum verè piorum. verſ. 1. 2. p. p. *Væ mihi! quia exſtiti, ut in collectionibus autumnitatis ut in racemationibus vindemiæ. Non eſt racemus ad comedendum; præcoqua, quam concupivit anima mea. Periit pius ex terra, & Rectus inter homines non eſt.* Debebat eſſe populus, ut hortus fructibus abundans, & jam præcoquos aliquos in ſpem, maturitatis reliquorum exhibens, ſed inventus eſt inſtar horti ablecti. Figuram hanc, quam Michæas in ſermone metaphorico exhibet, Chriſtus etiam expreſſit facto. Acceſſit enim ad ficum frondoſam, & præcoquos fructus ante tempus maturorum fructuum promittentem, & nihil invenit in eâ. Marc. 11: verſ. 13.

2. Pravitatem multiplicem omnium. verſ. 2. p. alt. & verſ. 3. Vitia ſunt (*a.*) Crudelitas & ſævitia tùm in mutuis cladibus & ſeditionibus, tùm in perſecutionibus diſcipulorum Chriſti: *Omnes ſanguini inſidiantur: quiſque proximum ſuum venantur* (vel *captant*) *ſagenâ.* verſ. 2.

(*b.*) quòd *malum ſuum.* i. e. juſtitiam propriam, pallient, excuſent, incruſtent, ut videatur res bona: *Super malo, manus ſunt ad id efficiendum bonum.* Sive ornandum, pingendum. verſ. 3.

(*c.*) quòd juſtitiam non ad ſubditorum bonum, ſed ad utilitatem propriam exerceant: *Princeps petit, & judex pro compenſatione judicat.* Ib. verſ. 3.

(*d.*) quòd doctrinam ſalutis non ſincerè, ſed ſecundùm nequitiam animæ ſuæ, & affectationem mali, quæ הַוַּת *nequitia* eſt, proponant, & *denſent*, & poſito uno mendacio, integrum ſyſtema mendaciorum componant: *Et magnus loquitur nequitiam animæ ſuæ, & illam denſat.* verſ. 3.

3. Corruptionem optimorum inter ipſos; verſ. 4. *Optimus ipſorum eſt ut ſentis; Rectus, minus quam vepres.* Conf. Heb. 6: 8.

§. 81. Atque hi quidem ſunt ſermones Chriſti, quibus partim veritatem docuit, partim vitia & errores redarguit & confutavit. Præter hos fuere & alii, quibus Judæis impœnitentibus exitum ac ruinam ſui ſtatus, politiæ, urbis, ac templi, denuntiavit ac prædixit: Qui etiam Sermones expreſſum typum in Prophetiis habent; ut, ſi vel cætera defuiſſent, quibus tàm hiſce, quàm ſuperioribus omnibus ſermonibus, fidem atque auctoritatem conciliavit, hinc tamen pro veris prophetiis fuiſſent habendi, quòd nihil continerent, quòd non antiqua oracula ipſum prædicturum eſſe ceciniſſent, & in qua non Spiritus ipſius, qui in ſanctis Dei viris locutus erat, præformâſſet ipſi orationem.

§. 82. Futurum enim fuiſſe, ut Chriſtus excidium populi prædiceret, ita præmonuit Eſaias: *Et nunc, indicem, age, vobis, quid faciam vineæ meæ.* Eſai. 5: 5. Item: *Et percutiet terram ſceptro oris ſui.* Eſai. 11: 4. Nimirùm Judæa percuſſa eſt ſceptro oris Chriſti, quum ſic cum eâ actum eſt, ut ipſe dixerat, Matth. 23: 34. 35. 38. 24: 15. 16. 17. 18. 19. Luc. 19: 43. 44.

§. 83. Ver-

§. 83. Verbum autem, quo id prædixit, ita ὑποτυπῶται Pſal. 82: 6. 7. *Ego Filius Dei*, ex verſ. 1. *dixeram: Vos eſtis Dei, & filii Altiſſimi omnes vos.* q. d. vobis credent & parebunt homines, ut Deo, & vobis datum eſt ſedere in throno Dei, & populum Dei habere in poteſtate: *Sed ut homo*, quemadmodum omnia human a occidunt, *moriemini*, occidetis, & inprimis ad vitam æternam non pervenietis; Joh. 8: 21. *Ut aliquis principum*, quemadmodum alii reges, *cadetis.*

§. 84. Eſaiæ cap. 5. verſ. 5. & 6. idem verbum ſic deſcribitur: *Et nunc, indicem, quid faciam vineæ meæ? Auferendo auferam ſepem ejus, & erit populationi: diruendo diruam maceriem ejus, & erit in conculcationem.* Adducam nempe externos in terram ad diſturbationem reip. & ſublationem omnis ordinis, & deſtructionem templi & urbis. *Et ponam eam ſolitudinem: non putabitur, neque paſtinabitur.* Notatur induratio cordis, quam juvat defectus inſtitutionis Propheticæ & Apoſtolicæ. *& increſcet ſentibus & vepribus.* tùm doctrinæ inutilis ad pietatem vel fiduciam in Deo collocandam, pungentis & ſtrangulantis omne bonum ſemen, quod in verbo Dei illis offertur, ut ſcil. veritatem in illo non animadvertant; tùm malorum morum, quod inprimis in odio hominum conſpicitur. *Et nubibus præcipiam ne pluant ſuper illam pluviam.* i. e. Subtraham verbum illud bonum, per ſeceſſionem Eccleſiæ, & Spiritus S. ab illis.

Et verſ. 9. & 10. Ibidem: *In auribus meis dixit Jehovah Deus exercituum.* q. d. verbum Dei in auribus meis adhuc recens eſt, adhuc reſonat; & quidem ejus, qui paulò ante de vineâ ſuâ locutus erat. *Si non domus multæ in vaſtitatem erunt, magnæ & bonæ, ſine habitatore. Nam decem jugera vineæ facient batum unum, & ſemen Homer faciet Epham.* Solitudo domorum, & ἀφορία agrorum ac vinearum his denunciatur.

Et rurſus verſ. 13 —— 17.

§. 85. Eſaiæ cap. 8. Is, qui verſ. 18. ſe præſentem ſtiterat cum diſcipulis ſuis, hâc oratione: *Ecce me & pueri, quos donavit mihi Jehovah* &c. verſ. 21. introducitur loquens apud Hieroſolymitanos, & Sionem in conſpectu habens, & exitium ejus prædicens, hoc modo: *Et* ſi non (ex verſ. præced.) *tranſibit* q. d. juro, aliquando tranſiturum *per eam* Sionem, *gravatus & eſuriens.* cupiens ſcil. videre unum diem meum; quem non videbit. Atque hoc quidem ipſum Luc. 17: 22. dixit ad diſcipulos. Poteſt & ad Judæos alio modo accommodari, nempe ut Joh. 7: 34. *Quæretis me & non invenietis.* h. e. quæretis Chriſtum, qui ego ſum, & non invenietis me.

Effectus hujus famis: *Et erit quum eſuriet, tùm efferveſcet & maledicet* Chriſto, Deo ſuo, *per Regem ſuum* Cæſarem, ne ſcil. illum offendat, *&* rurſus *per Deum Iſraëlis* maledicet Regi ſuo Cæſari. *& ſurſum reſpiciet*, ad cœlum. Sed fruſtrà. Hæc verſ. 21.

Et ad terram porrò *reſpiciet; & ecce anguſtia & tenebræ, vertigo arctationis, & caligo, & impulſio*, ut non poſſit ſubſiſtere in loco. Ita nec in cœlo nec in terrâ inveniet ſolatium, v. 22.

Verſu 23. porrò explicatur hæc anguſtia per comparationem anguſtiæ, quæ fuit tempore captivitatis Babylonicæ: Quo tempore Sion quidem fuerit coarctata, ſed non vertigine affecta, utpote ſuſtentata per promiſſionem reſtitutionis poſt LXX annos: neque calamitas proceſſerit uſque ad terram Zabulun & Naphtali ultra Jordanem, in quibus partibus relicti erant habitatores. Hoc verò tempus ſecundum aggravaturum ſit ſecundùm mare Tiberiadis per totam terram Zabulun & Naphtali, imò ultra Jordanem, & in Galilæam gentium. *Nam non vertigo facta fuit, cui ar-*

ctum

ctum oblatum fuit tempore primo, quod levavit verſus terram Zabulun, & verſus terram Naphtali; at poſterius aggravabit, viâ maris, ultra Jordanem, Galilæam gentium. Cum his duobus verſiculis Conf. Matth. 24: 16. 17. 18. 19. 21.

§. 86. Eſaiæ cap. 16. Is, qui teſtatur verſ. 6. *Se audiviſſe erectionem Moabi*, &c. verſ. 7. &, ſequentibus, pronunciat ſententiam in immorigeros: Cujus ſententiæ hæc ſunt capita. Denunciat Moabo. 1. Fletum & ejulatum. verſ. 7 —— 11. *Ululabit Moab ad Moabum, univerſus ululabit.* verſ. 7. Hunc fletum mandavit Chriſtus ſub cruce ambulans matronis Hieroſolymitanis. Luc. 23: 28. Porrò & cauſam ploratus parabolicè explicat, quod *pedamenta Kir Hareſeth imminuta eſſent.* i. e. quòd nec Sacerdotibus, nec Senioribus, nec Doctoribus auctoritas & majeſtas, nec poteſtas, aut ſapientia, juſtitia, fides, integritas, aut reverentia ulla adeſſet. v. 7. Unde factum ſit, ut totus populus *vitis Sibmæ langueret*, & nudus, deſipiens, cæcus, injuſtus, impurus, inveniretur, *agro*, benedictione & Spiritu Dei, *languente*, & ipſis non ſuppeditante ſuum nutrimentum, vigorem, robur. v. 8.

Progreditur verſ. 9. in exergaſiâ Deus, & magnitudinem calamitatis explicat à fletu ſuo: Sive potiùs, ut in re præſenti, fletum ſuum non fuiſſe ſine magnâ cauſâ, oſtendit: *Idcirco flebam ob fletum Jaazer, deflebam vitem Sibmæ: irrigabam te lachrymâ meâ, Chesbon, & Eleale.* Legimus, & Chriſtum fleviſſe, quum appropinquaret Hieroſolymis; Luc. 19: 41. Ut ita in eo ſit verificatum, quod hîc dicit Jehovah, ſe fleviſſe; & hîc ſit evidens argumentum ἐνανθρωπήσεως ſ. incarnationis.

In medio verſ. 9. & altera cauſa fletus Moabitarum, h. e. Judæorum alienorum à Deo & rege ſuo, indicatur. nempe *quia ſupra*, i. e. præter *fructuum collectionem tuam, & ſuprà meſſem tuam Kedad*, i. e. jubilatio in vindemiâ, *cecidit.* quod exaggeratur v. 10. Notatur autem fames, quæ fuit ſub Claudio Cæſare.

§. 87. Hiſce caſtigationibus cùm non fuiſſent converſi à ſuâ perverſitate Moabitæ, h. e. Judæi Moabizantes, & nec per bona nec per mala Deum agnoſcerent, accommodat huic injuſtitiæ verſ. 11. commemorationem ſuæ iræ & ſui zeli, quo commotus fuerit in diebus carnis ſuæ contra Hieroſolymam: *Iccirco viſcera mea propter Moabum tanquam citharâ fremebant, & quæ intra me ſunt, ob Kirchares.* Nam ſtrepitus viſcerum & omnium inteſtinorum ſignificat illud, quod hiſtoria Euangelica narrat de Chriſto τὸ ἐμβριμᾶσθαι, τὸ ὀργίζεσθαι, τὸ ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Marc. 14: 33. Τὸν ταραχὸν τῆς ψυχῆς. Joh. 11: 33. 12: 27. Item τὸν ζῆλον, quem oſtendit, cùm paulo ante fleviſſet ſuper Hieroſolymâ, ingreſſus in urbem & templum. Luc. 19: 45. Matth. 21: 12. Simile Joh. 2: 15. 17. Utrumque in Chriſto ſanctum fuit, & fletus ac condolentiæ, & indignatio ac irâ.

§. 88. 2. Denunciat Moabo impotentiam orandi apud ſanctuarium ſuum; v. 12. *Et fiet, quando apparuerit, quòd defatigatus ſit Moab in excelſo.* i. e. quòd fruſtrà & inaniter amicitiam Romanorum, ſacrificantium *in excelſo*, Capitolio ſc., proſecuti eſſent, *accedet ad ſanctuarium ſuum, ad orandum.* i. e. ad Deum ſe convertet habitantem in templo Hieroſolymitano; quod tamen non erat amplius templum Dei, ſed ipſorum, qui illud adibant.

Fruſtrà! Nam aditus templi ab hominibus violentis, qui illud obſidebunt, erit intercluſus; & poſtea templum exuretur. Sic *non poterit* accedere ad templum ſuum ad orandum.

§. 89. 3. Gradus ſupplicii hic denunciati eſt *redactio gloriæ Moabi ad vilitatem.* i. e. & templi deſtructio, & populi Dei qui fuit, reprobatio, & diſſipatio inter gentes, & redactio ad inſignem paucitatem. v. 13: 14.

§. 90. Eſaiæ

§. 90. Eſaiæ cap. 29. Culpis, ſuprà recenſitis, Dominus ſuccenturiat ſequentia judicia:

1. Tergiverſationi & ſtudio voluptatis, Excæcationem, v. 9. 10. 11. 12. De quâ & ſuprà culpæ nomine eſt actum.

2. Religioni orali conſiſtenti in obedientiâ hominum, Sapientiæ ademtionem à proceribus ipſorum. vers 14. *Quapropter ecce ego ſum is, qui addet mirabiliter agere cum populo hoc vehementer admodum, & peribit ſapientia ſapientum ejus, & prudentia prudentum ejus occultabit ſe.* Sapientiſſimi ipſorum in doctiſſimis ſuis meditationibus & ſermonibus reperientur ſtultiſſimi. Teſtis eſt ipſorum Talmud.

3. Occultis cogitationibus cordis, Illuminationem gentium & Rejectionem ipſorum verſ. 16. 17. 18. *Mutatio veſtri ficut mutatio argillæ figuli reputabitur.* vers 16. *Annon paulò poſt fiet Libanus arvum, & arvum ſylva reputabitur.* verſ. 17. *Et audient in illo die ſurdi verba libri, & ex caligine, atque ex tenebris oculi cæcorum videbunt.* verſ. 18. Cui ſimile, quod ſeq. num.

4. Seductioni per verbum, & contradictioni veritatis, & perſecutioni juſti, ſuccenturiat judicium, ut in illorum pudorem Abraham & Jacob habeant filios, qui ſpiritu aberraverant, & per illos Deus ſanctificetur. verſ. 22 — 24. Niſi quod promiſſio huic judicio incluſa, non tantùm ad gentes, ſed & ad filios Jacobi naturales pertinet. *Propterea, ſic dixit Dominus ad domum Jacobi, quæ redemit Abrahamum.* i. e. ad Chriſtum, filium Jacobi, redemtorem Abrahami; *Nec nunc pudefiet Jacob, & non nunc facies ejus exalbeſcet. Nam cùm videbit natos ſuos opus manuum mearum in medio ſui, ſanctificabunt nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Jacobi, & Deum Iſraëlis metuerit. Et cognoſcent titubantes animo prudentiam, & murmurantes diſcent ſermonem acceptum.* Eſaiæ cap. 32. Is qui verſ. 9. in *Mulieribus* & *filiabus*, h. e. populis, & congregationibus, ſe vocantibus filios & hæredes regni, Judæis ſcil., culpat *ſecuritatem*, eaſdem excitat Ib. ad *audiendum vocem ſuam*, & *auſcultandum dictum ſuum*. Et porrò verſ. 10. & ſeqq. iiſdem denuntiat trepidationem, eamque ſatis diuturnam, cum ſigno eum præcedente, nimirùm fame ex ἀφορίας, & ut ſubitam, cum planctu ſecurorum propter agros & vineas; Denique terræ denunciat vaſtitatem, domibus uſtionem, & ad cumulum addit deſolationem templi & urbis. *Dies ultra annum commovebimini ſecuræ: nam conſummata eſt vindemia, collectio non venit. Trepidate, tranquillæ, commovemini, ſecuræ, detrahite vobis & excitamini, & cingite lumbos. Ubera tundant propter agros deſiderii, propter vitem frugiferam. Super terrâ populi mei ſpina & ſentis adſcendit, uſtio ſuper omnibus domibus hilaritatis, civitate exultabandâ. Quia palatium.* i. e. templum, *omiſſum eſt* à Deo, & traditum gentibus conculcandum, *turba nobis derelicta eſt*, Deus è medio iſtius multitudinis abiit; *Clivus & ſpecula factum eſt* templum *ſuper cavernis* latronum, nil niſi parietinæ quædam relictæ ſunt, in loco templi, in quibus latitare poſſint latrones, *uſque in ſæculum*; urbs verò facta eſt *hilaritas onagrorum, paſtus gregum*. verſ. 10. — 14.

§. 91. Eſaiæ cap. 50. Is, qui, ut ſuprà viſum, à verſ. 2. ad 9. probavit, ſe eſſe ſufficientem ac potentem ad ſalvandum, & cauſam ſuam contra adverſarios, id negantes, defendit, tandem, quid illis ſit futurum, prænunciat: *Ecce omnes illi*, inquit, *tanquam veſtis, antiquabuntur: Tinea comedet illos.* verſ. 9. Notatur abolitio totius politiæ Judaicæ cum omnibus principibus.

Irridet & Judæos *ardentes igne, & ſe flammis accingentes*, & per σαρκασμὸν: *Ite*, inquit, *in luce ignis veſtri, & in flammis, quas accendiſtis.* i. e. Perite in bello, quod excitaviſtis. *A manu meâ exſtitit hoc vobis: In cruciatum decumbetis.* neque

die neque nocte habebitis requiem, ut in bonâ conſcientiâ Jehovam appelletis Deum veſtrum. verſ. 11.

§. 92. Cap. 52. Is, qui conqueritur, *populum ſuum gratis*, pro nullo beneficio, *eſſe captum.* i. e. in poteſtatem redactum, à Romanis; & *qui poteſtatem habent in eum, ejulare; & ſemper omni die nomen ſuum blaſphemari:* Ex his concludit, *Nunc igitur, quid mihi hic?* Quid mihi rei ampliùs eſt in hâc urbe, & in hoc templo, & in hâc terrâ? verſ. 5. Quamvis enim hic ſermo tribuatur *Jehovæ*, quia tamen is dederat templum ſuum Filio ſuo inhabitandum, ut ita in medio Iſraëlitarum eſſet; juxta promiſſionem Exod. 23: 20. 21. 22. & conſtat, Filium Dei eſſe ac dici Jehovam, non ſine cauſâ hæc dicta ad Filium referimus. Sicut & Jer. c. 11. v. 15. id fit expreſſè, his verbis: *Quid dilecto meo in domo meâ?*

§. 93. Cap. 61: 2. teſtatur Is, qui prædicat, *Spiritum Jehovæ eſſe ſuper ſe, ſe miſſum eſſe ad prædicandum annum acceptionis Jehovæ.* nec tantùm; ſed *& diem ultionis Deo noſtro.* Diem nim. iræ & ultionis omnibus non obedientibus Chriſto, juſtitiam Dei rejicientibus tùm Judæis, tùm gentibus. Deut. 18: 18. Rom. 1: 18. 2: 4 — 9. Act. 3: 23.

§. 94. Cap. 66. Chriſtus revelat fidelibus, quid de Judæis conſtituerit hoc modo: *Etiam ego eligam vexationem illorum, & formidines illorum adducam ipſis: Quoniam vocavi, & non fuit reſpondens, locutus ſum, & non audiverunt, & fecerunt malum in oculis meis, & quo non delector elegerunt.* verſ. 4. Et rurſus verſ. 5. 6. *Audite verbum Jehovæ, qui trepidatis ad verbum ejus: Dixerunt fratres oſores veſtri, qui anathematizant vos: propter nomen meum glorificabitur Jehovah, & aſpiciemus lætitiam veſtram, & illi pudefient. Vox tumultus ab urbe eſt.* quando obſidetur, & oppugnatur; *vox à templo*, cùm expugnatâ urbis parte, vis in templum fit; *vox Jehovæ retribuentis meritum inimicis ſuis.* cùm templum accenditur, & Deus recedit à populo.

§. 95. Jeremiæ cap. 17. *Jehovah*, ab *Iſraële exſpectatus*, ut eſt verſ. 13. *monti in agro.* i. e. Populo Judaico, prædenunciat, *Se opes ejus, omnes theſauros ejus daturum direptioni; celſa ejus* daturum *in peccatum, in omnibus terminis ejus.* verſ. 3. *Et omiſſurum illum* celſa ſua, *& ſe in illum* daturum *ex hæreditate illius, quam dederat ipſi.* h. e. ex terrâ, quam ipſi dederat hæreditatem, ſe excitaturum homines, qui deleant templum, & perdant populum, & diſſipent, ut Romanos, quibus ſe ſubjecerant, ut Idumæos, & Judæos denique ipſos. *& facturum, ut ſerviat inimicis ſuis in terrâ, quam non noverat. Nam* populum *ignem accendiſſe in naſo ſuo, qui in ſæculum ardebit.* verſ. 4.

Et verſ. 11. prædicit, fore, ut *divitiæ illum* qui parat eas ſine judicio, *in dimidio dierum ipſum relinquant, & tandem fiat* h. e. demonſtretur eſſe *ſtultus.*

§. 96. Jerem. cap. 23. inter *verba ſancta Jehovæ*, vers 9. reſervata illi tempori, quo *Deus Davidi erat excitaturus germen juſtum*, verſ. 5. ponuntur & iſta: *Propter adjurationem*, quâ Deus non auſcultantes verbis ſuis exſecrationi ſubjecit, *luget terrâ*, arent manſiones deſerti. verſ. 10. *Propterea fit via eorum ipſis lubrica in caligine, in quâ impelluntur & cadunt, cùm adducam ſuper ipſos malum, annum viſitationis ipſorum.* verſ. 12. *Ecce ego facio prophetas ut comedant abſinthium, & potabo eos aquâ fellis.* vers 15. *Ecce procella Jehovæ, æſtus exiit & procella permanens in capite improborum manebit.* vers 19. *Non avertetur ira Jehovæ, dum fecerit; & dum exſtare fecerit decreta cordis ſui. In extremo dierum conſiderabitis hoc intelligendo.* vers 20. *Ecce ego contra Prophetas.* verſ. 30: 31. *adverſus vaticinantes ſomnia falſa.* vers 32. *Et omittam*

tam vos. verſ. 33. *Idcirco ecce ego oblivíſcar veſtri omninò, & omittam vos, & urbem, quam dederam vobis & patribus veſtris, à conſpectu meo.* verſ. 39. *Et dabo ſuper vos probrum ſæculi, & ignominiam ſæculi, quæ non mandabitur oblivioni.* verſ. 40.

§. 97. Cap. 48. Is, qui ut teſtis & notor ſ. cognitor de Moabo Judæis conjuncto, & eadem ſacra cum illis uſurpante, ſic fuerat locutus: *Audivimus elationem Moabi*, &c. verſ. 29. 30. In ſeqq. calamitatem ejus ita deſcribit. *Propterea ſuper Moabo ejulo, & de Moabo univerſo clamo.* vel, ut in re præſenti, *ejulabam, clamabam.* Ut Eſai. 16: 9. Innuitur autem Chriſti fletus ſuper Hieroſolymâ & gente Judaicâ. *Super hominibus Kir-cheres ſuſpiratur.* verſ. 31. *Obploratum Jahſer ploro de te, vitis Sibma, cujus propagines tranſierunt mare, uſque ad mare Jahſer pervenerunt. In fructus tuos & in vindemiam tuam vaſtator cecidit.* verſ. 32. *Et ablata eſt lætitia atque gaudium ab arvo & à terrâ Moab: Et vinum à lacubus feci abeſſe. Non calcabit quiſquam cum Euge: Euge non Euge.* Euge hoſtium; imò ipſius Chriſti judicis, non eſt Euge calcantium uvas, ſed cum multo ploratu conjunctum. verſ. 33. *A clamore Cheſbon uſque ad Elaleh, uſque ad Jahaz ediderunt vocem ſuam, à Zoar uſque ad Choronajim vitula trima; quia etiam aquæ Nimrim vaſtitates fient.* verſ. 34. Hæc de fame, ortâ, ut videtur, ex ſiccitate; quæ fames fuit prænuncia majoris calamitatis: De quâ jam ſequitur. *Et faciam, ut non ampliùs ſit Moabo, ait Jehovah, qui offerat in celſo & adoleat Deo ſuo.* Minatur excidium templi & Sacerdotii. verſ. 35. *Propterea cor meum ab Moabum inſtar tibiarum fremit, & cor meum ob homines Kircheres inſtar tibiarum fremit.* Ut ſuprà Eſai. 16: 11. *Ideò reliqua ejus, quod paraverat, perierunt.* verſ. 36. *Nam omne caput calvum eſt, & omnis barba imminuta, in omnibus manibus lancinationes, & in lumbis ſaccus.* verſ. 37. *In omnibus tectis Moabi & in foris ejus nihil niſi planctus; quia fregi Moabum tanquam vas, in quo voluptas non eſt; ait Jehovah.* verſ. 38. *Quomodo conſternata eſt! Ejulate. Quomodo vertit cervicem Moab! Pudore corripere. Et factus eſt Moab deridiculum & conſternatio omnibus, qui circa eum ſunt.* verſ. 39. *Nam ſic dixit Jehovah; Ecce tanquam aquila involabit & expandet alas ſuas ad Moabum.* Titus & Romanus exercitus. verſ. 40. *Capta eſt Kerijoth, & arcium quæque tenetur; & fiet cor fortium Moabi in die illo, ut cor mulieris, quæ ſe affligat.* verſ. 41. *Et profligabitur Moab, ne ſit populus, quia contra Jehovam ſe magnificavit.* verſ. 42. *Pavor & fovea & laqueus ſuper te, qui habitas Moabitiden: ait Jehovah.* verſ. 43. *Fugiens propter pavorem cadet in foveam, & aſcendens de foveâ capietur laqueo: quia adducam ad eam, ad Moabum, annum viſitationis ipſorum; ait Jehovah.* verſ. 44. *In umbrâ Cheſbon ſubſtiterunt propter vim fugientem?* vel, *ex viribus totis fugientes.* Non auſi ſunt ad Hieroſolymam caput gentis & Judaicæ & Moabiticæ accedere. Fruſtra fuit ad illam confugiſſe. Ratio: *Quia ignis exiit ex Cheſbon, & flamma de Medio Sichon, & comedit angulum Moabi, & verticem filiorum tumultus.* qui hoc tumultu, & clade delectati, ad eumque deſcripti ſunt. v. 45. *Væ tibi Moab! Periit populus Chemoſch! Nam accepti ſunt filii tui in captivitate, & filiæ tuæ in captivitate.* verſ. 46.

§. 98. Micheæ cap. 6. Jehovah vocem tollens, & urbem vocans. verſ. 9. h. e. Chriſtus præconians; poſt exprobrationem variarum culparum, de quibus ſuprà; Exitum urbi, & Tribui, verſ. 16. ſic denunciat: *Ut te dem in vaſtitatem, & habitatores ejus* (urbis) *in ſibilum*, tanquam ϑεοσεχϑεῖς & improbos. Ratio: *& ut opprobrium populi mei feratis.* h. e. ut, quemadmodum populum Dei tractaſtis ipſi, vobis retalietur; & convicia ac blaſphemiæ in populum Dei effuſa, in caput veſtrum redundent. Idem Ib. cap. 7. verſ. 4. poſt comploratıonem de impœnitentiâ populi,

excidium ejuſdem ita denuntiat: *Dies ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua, venit.* Eſt conteſtatio de viſitatione populi jam factâ. *Nunc*, Quia non agnoviſti tempus viſitationis tuæ, Luc. 19: 44. *erit* (vel *fiet*) *conturbatio illorum.* Perplexitas erit, ſ. ſpectes ſtatum internum, ſ. anguſtiam externam, ſ. cæcitatem & intricationem in negotio ſpei & conſolationis ſuæ.

§. 99. Hæc de rebus à Chriſto prædicandis. Modum docendi quod attinet, namque & illum diligenter notavit Prophetia, fuit is 1. In libertate, & parrheſiâ.

2. In plenitudine: Liberè enim & plenè de ſalute noſtrâ & voluntate Patris locutus eſt Chriſtus. Utrumque notatur in illo: *Aperiam os meum.* Pſalm. 78: 2. Quo ſignificatur, Chriſtum docuiſſe *ἐν ἀνοίξει στόματος*, *cum apertione oris.* Liberè ſc. & plenè. Plenitudinem verò in ſpecie ſic deſignavit Eſaias: *Dominus volens propter juſtitiam ſuam*, jam paratam vel parandam, & exſtinguendum reatum, *multiplicabat inſtitutionem & ingentem faciebat.* Eſ. 42: 21.

3. In parabolis. Quod ita erat prædictum: *Aperiam in parabolâ os meum.* Pſalm. 78: verſ. 2. Idque propter *σκληροκαρδίαν*, *duritiem cordis*, partim ut alliceret ad ſe; Marc. 4: 22. partim, ut puniret; Matth. 13: 11. 13. Ideoque obedientiâ, attentione & fide opus erat, Joh. 7: 17. ut & Marc. 4: 23. 24. *Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Videte, quid audiatis.*

4. In claritate tamen & ubertate Euangelio digna, quanta non extitit antehac. Quò pertinet illud. *Eructabo*, ſcaturiam, in claram lucem producam, *ænigmata.* Omnem ſermonem V. T. obſcuriorem. Pſalm. 78: 2. Hinc יפח *ἐξηγητὴς*, *elocutor, explanator.* Hab. 2: 3.

5. Magnâ cum cupiditate, & proniſſimo affectu. *Volens* enim *Dominus multiplicabat inſtitutionem.* Eſ. 42: 21.

6. Sedulitate item in officio, etiam prædicationis, faciendo; & ſic quoque *progrediens in multitudine virium ſuarum.* Eſ. 63: 1.

7. Nec ſine commiſeratione erga errantes, atque etiam Zelo & irâ, aliiſque vehementioribus affectibus: ut conſtat ex Eſai. 16: 9. 10. & Jerem. 48: 31. 32. 36. quanquam ſine peccato. Add. Pſalm. 69: 10. 11. Ubi eſt; *Nam Zelus domus tuæ comedit me. . . . Et flevi, in jejunio fuit anima mea.* Conf. Joh. 2: 17.

8. *Ἀπροσωπολήπτως.* Ita enim Eſaias: *Et non ſecundùm viſum oculorum ſuorum judicabit*, ſuos contra hoſtes aſſerendo, defendendo, ſanctificando, juſtificando, & glorificando; *& non ſecundùm auditum aurium ſuarum redarguet*, conſolando. Nam partim quædam viſa non ampliùs feret coram oculis ſuis, ut externam ſervitutem elementorum mundi; partim ſola viſa & audita non attendet. Eſ. 11: 3.

9. Quædam publicè locutus eſt ad totum populum, quædam privatim inter ſuos. Quod intelligitur ex Eſai. 48: 1. ubi *domum Jacobi* alloquitur univerſim. & verſ. 12. ubi *Jacobum & Iſraëlem vocatum ſum* i. e. eos qui fidem & gratiam Jacobi Divinâ vocatione ſortiti ſunt. Quos & verſ. 14. Ibid. jubet *congregari* in proprio ac privato cœtu, ibique *audire*, ſ. convenire ad verbum ſuum audiendum. Et verſ. 16. *Appropinquare ad ſe*, ut ſcil. quàm proximè ad ſe accedant, & q. in ſecretum, ut ipſis tanquam amicis ſuis indicet rem maximè mirabilem, & ab hominum ſapientiâ occultam. Add. Eſ. 61: 2. 66: 4.

10. Nec tamen idcirco concitavit tumultus, vel convocavit cœtus, ſed q. latens & trepidans & fugiens conſpectum hominum, locutus eſt domi, in deſertis, & locis ordinariis, ubi cuivis modeſto licebat loqui, more omnium hominum. Quod

ita

ita fuerat prædictum: *Non clamabit, neque efferet ſe, & non faciet audiri in publico vocem ſuam.* Eſ. 42: 2.

§. 100. Quod ſupereſt, erat ſermo Chriſti anceps, habens vim dividendi animam & ſpiritum, & judicandi cogitationes hominum, quod dicitur de omni verbo Dei, Heb. 4: 12. Vera cos, ad quam examinaretur pietas & hypocriſis, per quem haberet homo vel bonam conſcientiam vel damnationem in conſcientiâ. In Judæis per hunc ſermonem oſtendebatur, quinam haberent ſermonem Dei manentem in ſe, quinam non. In Judæis & gentibus per hunc patebat, quinam Deum cognoviſſent, & ei gloriam dare cuperent, qui non. Nam doctrina de juſtitiâ Dei, eſt experimentum ſ. exploratio omnis de Deo cogitationis. Id ita prædixerat ipſe apud Eſaiam in Spiritu de ſe loquens: *Et poſuit os meum tanquam gladium acutum.* Eſai. 49: 2.

§. 101. Hinc itaque factum eſt, ut ſæpiùs principes populi irretiverit & intricaverit in ſuis conceptibus, opinionibus, doctrinis, & conſiliis, & reatum eorum deprehenderit ac demonſtraverit. Quod ita erat prædictum: *Et erit in lapidem offendiculi, & in petram ruinæ duabus domibus Iſraëlis; in laqueum & in decipulam habitanti Hieroſolymis. Et offendent in eis multi & cadent & frangentur & illaqueabuntur, & capientur.* Eſai. 8: 14. 15.

ARTICULUS XI.

SIc quidem ergo Virtus Divina in ſermonibus Chriſti conſpicua erat; ut qui ex Moſe & Prophetis ſciebant, quænam illa eſſent, quæ Chriſtus loqui debebat, quæque ad conſolationem hominis peccatoris Deo ſupererant dicenda, dubitare non poſſent, de ſermonum iſtorum veritate & Divinitate, & Hominem, illos proferentem, pro Prophetâ illo magno, à Moſe promiſſo, & verò Filio Dei, & Angelo fœderis, non habere. Sed & in operibus ejuſdem, quæ Pater ipſi dederat facienda, eadem virtus ſe manifeſtavit: nec tam, quatenùs ea fecit in nomine Patris & Patrem eorum auctorem nominavit, ita enim & Moſes & alii prophetæ ſimilia fecerunt; quàm quatenus declaravit ea ſuâ voluntate, juſſu, ac potentiâ fieri; & fecit ea in teſtimonium eorum, quæ de ſe dicebat: Scil. ſe eſſe Filium Dei; ſe facere, quæcunque viderit Patrem facientem; Sibi datum eſſe, vitam habere in ſeſe, & vivificare quos vellet; ſe baptizare ſpiritu ſancto; ſibi datam eſſe omnem poteſtatem & judicium: & ſic per ea ſe verum & magnum illum Deum, & unum cum Patre, demonſtrâvit, & Patrem ipſum, ejuſque nomen & gloriam, in ſe ut ſigillo & charactere ὑποστάσεως ipſius, conſpicandam oculis mortalibus dedit.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Eoque autem magis per opera iſta gloria divina in Ipſo ſpectabatur, quòd prædictum erat, Deum cum illis operibus venturum, in iiſque gloriam & brachium ſuum manifeſtaturum: ut rurſus dubitare poſſet nemo, qui Scripturas fideliter eſſet ſcrutatus, & opera Chriſti cum illis conferret, quin hic homo eſſet Is, qui ſe venturum promiſerat, Deus omnipotens, Deus Iſraëlis.

§. 2. Et primò quidem facturum illum fuiſſe opera Divina, oſtendunt ſequentia; ex Moſe: Deut. 18: 15. *Prophetam ex medio tui inſtar mei excitabit tibi Dominus.* Atqui Moſes fuit magnus ſignis & prodigiis. Debuit ergo & Meſſias; Propheta ille magnus, hâc in parte Moſe non minor reperiri. Deut. 32: 1. 3. *Cœli, date magnitudinem Deo Iſraëlis.* In hoc alloquio nihil vetat intelligere etiam precationem Moſis & Eccleſiæ ad Deum Patrem, ut det gloriam Filio. Sed illam Pater dedit Filio, dando ipſi opera divina facienda. Joh. 5: 36. 14: 10.

§. 3. Ex Pſalmis: Pſ. 2: 1. *Narrabo ad præſcriptum: Jehovah dixit ad me, Filius meus es tu, hodie genui te.* i. e. compellavit me, cùm opera Dei facerem, & per ea me Filium ſuum eſſe demonſtravit. Pſalm. 3: 5. *Voce meâ ad Jehovam clamabam, & reſpondit mihi.* i. e. mirabilibus operibus ubique & ſemper mihi atteſtatus eſt. Ita Chriſtus provocat ad exauditionem, Patris Joh. 11: 41. 42. Pſalm. 20: 2. Regi Iſraëlis attribuitur, ut *Deus ipſi reſpondeat.* i. e. opem reipſa ferat, quoties virtute & miraculo ipſi opus eſt. Et verſ. 5. *ut Deus ipſi det, ſecundùm cor ſuum & omne ejus conſilium impleat.* Non poſſunt hæc dici, niſi de eo, cujus omnis voluntas & conſilium eſt eadem voluntas & conſilium Dei. nimirùm de Filio Dei. Nam de homine uno Joſuâ notatur, quòd ſemel ad vocem ejus Deus ſolem ſtiterit. Conf. verſ. 6. 7. 10. Ut *ipſe reſpondeat invocatus.* Pſalm. 21: 3. *Concupiſcentiam cordis ipſius dediſti ipſi, & ſponſionem labiorum ejus,* quæ nobis ſpopondit ſe facturum, *non prohibuiſti.* Pſalm. 29: 3. *Vox Jehovæ eſt,* dantis teſtimonium Filio per opera mirabilia, quæ efficit per manum ejus. Pſalm. 40: 6. *Mirabilia Dei* memorantur circa adventum Meſſiæ; eaque dicitur Deus *ampla feciſſe erga nos.* Pſalm. 42: 7. 9. *Recordor tui . . . Interdiu jubebat Dominus extare gratiam ſuam.* i. e. dona ſua, à ſtudio ſalvandi profecta. Pſalm. 45: 3. 4. *Pulcher es præ filiis hominum.* Non es homo ψιλὸς; quatenùs per opera, quæ facis, Divinitas tua elucet. Verè *Præpotens,* ſ. *Heros;* qui τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου es abolіturus, cui mare & venti obedituri; *gladio accinctus.* i. e. imperio Dei efficaci, quo Diabolum imperio, quod habet, exues. Pſalm. 75: 4. *Fatiſcebat terra, & habitantes in eâ. Ego,* miraculis meis & doctrinâ meâ populum Dei expergefaciendo; *aptavi columnas ejus.* Pſal. 76: 2. 3. *Cognoſcitur in Judâ Deus, in Iſraële* omnium tribuum *eſt magnum nomen ejus.* Significatur, Deum aliquando per verba & opera ſua cognitum iri in Judâ, & tunc magnum ipſius nomen fore in Iſraële, nec tantùm in Iſraële, ſed etiam in mundo, ut nempe gentes videant & agnoſcant, Deum in Judâ cognitum eſſe, & nomen in Iſraële celebratum eſſe nomen Dei, verè magnum & Deo dignum. *Et extitit in Salem,* in totâ Hieroſolymâ, *tugurium ejus, & commoratio ejus in Sione.* Ita ut tantùm, imo ampliùs, viderit quivis civis Hieroſolymæ & Sionis, quantùm vel Moſes vel ſummus Sacerdos olim viderat, nempe Deum commorantem in templo corporis ſui, atque in eo in omnibus partibus Hieroſolymæ, imo totius terræ converſantem, & ſigna gratiæ ſuæ omnimodæ oſtendentem. Pſalm. 78: 4 — 7. *Non celimus filios* noſtros & patrum noſtrorum *in ætatem poſtremam, narrantes laudes Jehovæ.* Ea opera, quibus Deus ſe oſtendit Deum Iſraëlis; *Et robur ejus & mirabilia ejus, quæ fecit. Et* faciens illa *conſtituit teſtimonium in Jacobo: & legem poſuit in Iſraële.* i. e. illis operibus patratis fidem fecit legi ſuæ ac teſtimonio. *Quæ præcepit patribus noſtris notificare filiis ſuis Ut cognoſceret ætas poſterior, filii qui naſcentur, conſurgant, & narrent filiis ſuis.* Loquitur propheta non tantùm de miraculis, quæ fecit Deus, antequam legem daret per Moſen, ſed omninò omnibus, quæ fecit, etiam per Chriſtum, antequam Euangelium promulgaretur per ipſum & Apo-

ſtolos;

ſtolos; quæ etiam poteſt dici Deus præcepiſſe patribus notificare filiis ſuis, quatenùs per Moſen promiſit, ſe poſt Moſen excitaturum alium Prophetam non minorem ipſo, quique per conſequens in miraculis patrandis ipſi non cederet, quibus miraculis fidem eſſet facturus verbis quæ Deus ipſi reſervaverat dicenda, in legem & teſtimonium Iſraëli: *Et ponant in Deo fiduciam ſuam, & non obliviſcantur opera Dei, & præcepta ejus obſervent.* Pſal. 92: 5. 6. *Lætificâſti me, ô Jehovah, molitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo. Quàm magna ſunt opera tua, ô Jehovah!* Pſ. 94: 1. *Deus*, qui eſt Deus *ultionum*, *effulſit*. apparuit, ἐπεφάνη, cum verbo abſolutiſſimo, cum virtute & potentiâ operum immenſâ. Pſal. 96: 3. 4. *Narrate in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Nam magnus eſt Jehovah & laudari dignus valde.* Pſal. 115: 1. *Non nobis, non nobis Jehovah, ſed nomini tuo da gloriam.* i. e. fac ea, quæ naturæ, virtuti, & nomini tuo, quod exſtat Ex. 34: 7. ſunt conſentanea. *Generatio generationi laudabit opera tua, & præpotentias tuas indicabunt.* Pſal. 145: 14. Pſ. 150: 1. 2. *Celebrate Deum-omnipotentem in ſanctuario ſuo. Celebrate eum in præpollentiis ipſius: celebrate ipſum pro amplitudine magnitudinis ipſius.* Duo oſtendit motiva, quæ impellere debeant eos, qui excitantur ad celebrandum Jehovam in ſancto ſuo. 1. Quòd apparuerit in ſancto ſuo cum magnis virtutibus, ſ. operibus præpotentiæ. Non poterat enim fieri, ut loquens verba Dei, ſ. Filii Dei in nomine Dei, faceret opera omnipotentiæ Dei, aut ut ea in nomine ipſius fierent, atque is non eſſet Filius Dei miſſus à Deo ad ſalutem cum talibus verbis, atque ita Jehovah manifeſtatus in ſancto ſuo. 2. Quòd is qui in ſancto apparuerat, quique cognitus erat per glorioſa opera, *magnus* ſit, eaque magnitudo habeat *amplitudinem*. Eſt enim ſummè magnus ratione perſonæ, ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν, ratione potentiæ, & gloriæ ſuæ manifeſtatæ. Dignus igitur, qui *celebretur ſecundùm amplitudinem magnitudinis ſuæ.* i. e. prædicetur talis & tantus, qualis & quantus eſt, nec quicquam de magnitudine ejus detrahatur; ut faciunt ii, qui Jehovæ creaturam æquiparant, & ad ejus vilitatem eum detrudunt.

§. 4. Ex Eſaia: Eſ. 6: 9. *Vade; & dic populo huic: Audite audiendo*, ea ſcil. quæ Deus promiſit locuturum Prophetam illum magnum, & prædicationem Dei de Filio ſuo *& ne intelligatis; & videte videndo*, Deum revelatum in carne, & opera ejus, &c. *& ne côgnoſcatis.* Eſ. 8: 18. *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Jehovah, in ſigna & prodigia in Iſraële.* Signa ſcil., in quibus Divina potentia conſpicitur. Eſ. 9: 6. *Et vocabitur nomen ejus Mirabilis Deus-potens, Victor.* Ita veniet, ut omnipotentiam ſuam Divinam demonſtret in operibus. Eſ. 11: 2. *Requieſcet ſuper ipſo ſpiritus fortitudinis* ad potenter & efficaciter hominem ſalvandum. Eſ. 18: 3. *Omnes habitantes frugiferam & incolentes terram tanquam tolli ſignum montium videbitis, & tanquam clangi buccinâ audietis.* Ubi per ſignum videndum nihil eſt, quod potiùs intelligamus, quàm Chriſtum ipſum cum doctrinâ, & operibus Divinis; per clangorem tubæ, quàm evidentiam operum & apparitionis Chriſti, cum famâ & prædicatione in omnibus gentibus. Eſ. 26: 15. *Addidiſti ad gentem, Jehovah, glorificatus es.* per exhibitionem Chriſti, qui loqueretur verba tua, & faceret opera tua. Eſ. 40: 5. *Et revelabitur gloria Domini.* Sunt & Johannes cap. 1: 14. *Et vidimus gloriam ejus.* In omnibus dictis, & factis ejus ſe revelavit gloria Jehovæ. Eſ. 40: 10. *Ecce Dominus Jehovah cum robore veniet, & brachium ipſius poteſtatem exercebit ipſi.* Veniet ſcil. cum re validâ. Spiritu nempe Dei, quem mittet ex cœlo. Deinde cum brachio, ſ. potentiâ Divinâ, quæ conſpicua erit in operationibus omnium virtutum ſ. δυνάμεων. Eſ. 42: 6. *Ego Jehovah vocavi te cum juſtitiâ, & apprehendo manum tuam.* i. e.

Ego

Ego impleo omnia tua poſtulata, & facio te facere opera mea. Joh. 18:10. Eſ. 50:7. ***Et Dominus Jehovah auxiliatur mihi.*** nempe per totum tempus prædicationis meæ. Quoties enim Chriſtus voluit, præſens ipſi fuit Divina vis ad faciendum miracula, & ſanationes populi, etiam excitandos mortuos. Eſ. 53: 1. ***Brachium Domini ſuper quo revelatum eſt?*** Eſ. 63: 1. ***Quis hic veniens & Edom, fermentatus veſtes ex Botzrâ? Hic, progrediens in multitudine virium ſuarum?*** opera divina faciens. Ego, ***qui loquitur in juſtitiâ, amplus ad ſalvandum.***

§. 5. Jer. 3: 17. *In tempore illo vocabunt Hieroſolymam ſolium Jehovæ.* Conf. ſup. Pſ. 76: 3. & vid. de hâc σκηνώσει Joh. 1: 14. Jer. 17: 12. *Solium gloriæ in celſo præ priori eſt locus ſanctuarii noſtri.* Ezech. 14: 7. ***Et dabo faciem meam in virum illum,*** qui conſuluerit prophetam contra me, *& faciam ipſum ſtupentem.* Ut nihil habeat, quod dicere poſſit de iis rebus, quas facturus ſum contra ſententiam illius atque exſpectationem. Ez. 35: 10. ***At Jehovah ibi,*** in duabus illis terris, ***exſtitit.*** Ibi manifeſtatus eſt cum operibus gratiæ & potentiæ ſuæ.

§. 6. Jo. 3: 3. ***Et dabo ſigna in cœlo & in terrâ.*** Mich. 5: 3. ***Et ſtabit & paſcet in robore Domini.*** Divinâ potentiâ, eâque victrice & irreſiſtibili, quâ ſubjiciet ſibi omnia. Zach. 12: 8. ***Domus Davidis ut Deus; ut Angelus Jehovæ coram ipſis.*** Aliquis filius Davidis præcedet ipſos cum divinâ virtute, ut Deus, & ut miſſus à Jehovâ.

§. 7. Ex hiſce, quæ poſuimus, locis, hæc quoque ſunt, quæ Deum cum illis operibus venturum, ſive gloriam & brachium Domini in illis manifeſtandum fuiſſe declarant; nimirùm, Pſalm. 40: 6. 42: 9. 76: 2. 3. 78: 4. 7. 92: 5. 6. 94: 1. 96: 3. 4. 115: 1. 150: 1. 2. Eſ. 20: 15. 40: 5. 40: 10. 53: 1. Jerem. 3: 17. 17: 12. Ez. 35: 10. Mich. 5: 3.

§. 8. Quæ autem & qualia ea opera eſſent futura, in quibus Chriſtus Divinam potentiam ſuam eſſet demonſtraturus, in genere ſic declarat Moſes: ***Cœli, & Terra, date magnitudinem Deo Iſraëlis.*** Deut. 32: 1. 3. Moſen ſecutus David: ***Celebrate Jehovam ex cœlis; celebrate eum in celſis. Celebrate Deum à terrâ.*** Pſal. 148: 1. 7. Significatur enim, futurum eſſe, ut omnes creaturæ, ſummæ, imæ, Deo in carne revelato ſint præſtò ad obediendum nutibus ejus, eique, ex ſtatione & loco quæque ſuo, teſtimonium magnitudinis ipſius perhibeant.

§. 9. Ita *cœli*, ipſi ***magnitudinem dederunt***, & ***ex cœlis*** ipſum ***celebrarunt***. 1. quando fuit in monte ſancto. Matth. 17: 2. 4. 5. Luc. 9: 20. 2 Pet. 1: 16. 17. Ubi S. Petrus ſtilum Moſis imitatus: ***Spectatores***, inquit, ***facti ſumus magnitudinis ejus. Accepit enim à Deo Patre honorem & gloriam voce ipſi latâ per magnificam gloriam: Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacuit mihi.*** Huc refer Joh. 12: 28. 29. 30. Ita ***celebrarunt eum aquæ, quæ ſunt ſuper cœlos.*** i. e. nubes. Pſal. 148: 4.

2. Cùm venti Ipſi obediverunt. Matth. 8: 26. 27. Itaque ei convenit, quod eſt Pſal. 104: 4. *Faciens angelos ſuos ventos.* Quod ei, qui, poſt κένωσιν, ***majeſtatem induit***, h. e. demonſtratus eſt rex univerſi, cùm in cœlum aſcendit, d. l. à Pſalmiſtâ tribuitur. vid. verſ. 1. Atque ita ***celebravit eum ventus procelloſus, faciens verbum ejus.*** Pſal. 148: 8.

3. Quemadmodum & Deus ipſe ex cœlo. faciendo eum naſci ex virgine; & de cœlo ipſum natum, in baptiſmate ipſius, deſignando; & Divina opera ipſi dando facienda; & ex mortuis reſuſcitando; & collocando ad dexteram ſuam:

4. Et Angeli cœli, nativitatem ejus prænunciando; & paſtoribus annunciando; & in effectis ſuam præſentiam circa Chriſtum oſtendendo, eique miniſtrando. &c. Pſal. 148: 2.

5. Et

5. Et ſidera quoque ipſa, ex Pſ. 148: 3. magnitudini Ipſius atteſtati ſint, eamque celebrârint, non eſt hujus loci explicare, & partim ex ſupp. conſtat, partim in ſeqq. ſuis locis obſervabitur.

§. 10. *Terra* quoque materiam potentiæ ipſius ſubminiſtrando, & imperata ejus celeriter exſequendo, cùm miracula patraret, *magnitudini ejus dedit teſtimonium* abundè. Sive per *terram* intelligas ſyſtema maris & aridæ; ſive eam conſideres, ut locum mortis & cadaverum, & ut conſignificat omnem poteſtatem peccati, & Diaboli imperium mortis habentis; ipſaque adeo corpora humana, ut morbis & morti obnoxia complectitur.

Et *mare* quidem Chriſto gloriam dedit, quum ipſius nutui paruit, Matth. 8: 26. & veſtigia ipſius ac diſcipulorum ſuſtinuit, Matth. 14: 25. 29. 33. Joh. 6: 19. & piſcantibus dedit copiam piſcium, & numerum in piſce, ad nutum ipſius. Luc. 5: 4. 5. Joh. 21: 6. 7. 12. Matth. 17: 26. Itaque *eum celebrarunt abyſſi*. Pſ. 148: 7.

Terra, & quæ in eâ ſunt, quando ficus ad imperium ejus exaruit. Matth. 21: 19. Marc. 11: 14. 21. quando cibus, fructus terræ, inter manus & dentes edentium eſt multiplicatus. Matth. 16: 9. 10. Et fides facta prophetiæ, quæ jubet, *Celebrent ipſum arbores fructiferæ, & omnes cedri*. Pſ. 148: 9.

Poſteriori conſideratione *Terra dedit magnitudinem Deo Iſraëlis*, quando dæmones, morbique ad imperium Chriſti receſſerunt; & ipſa cadavera ſurrexerunt, atque adeo ex ſepulchris, in vitâ ipſius & morte, cùm terræ motu prodierunt. Ne de Chriſti ipſius reſurrectione ex mortuis jam dicamus.

§. 11. Hiſce atteſtantur Prophetæ; expulſioni, inquam, Dæmonum, ſanationi morborum, & reſuſcitationi mortuorum: Moſes, Gen. 3: 15. *Illud*, ſemen mulieris, *conteret tibi caput*: Debuit igitur manifeſtis ſpeciminibus ſe demonſtrare eum eſſe, qui vim peccati & mortis ſubegiſſet; quòd per ejectionem dæmonum ex obſeſſis, & ſanationem morborum factum eſt. Gen 17: 7. ut & Exod. 3: 6. *Angelus Jehovæ, Jehovah, Deus* dicit ex medio rubo: *Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Jacobi. Deus* autem *non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum*. Matth. 22: 32. Oportet ergo non tantùm Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum vivere quoad ſpiritum; ſed & Deum ipſorum in carne revelatum poſſe morbos amovere & excitare mortuos; ſicque fidem facere, ſe eum eſſe, *qui vulnerat & ſanat, qui mortificat & vivificat*; Deut. 32: 39. Idemque colligitur ex dicto Deut. 18: 15. *Prophetam ex medio tui parem mihi* (me non minorem) *excitabit tibi Dominus*. Fuit autem Moſes magnus ſignis & prodigiis: & nemo prophetarum fuit par ipſi poſt ipſum. Deut. 34: 10. Atqui inter ſequentes Prophetas fuerunt, qui ægrotos ſanarunt, ut Eliſa Naamanem; famelicos ſaturaverunt, ut idem in Zareptanâ; mortuos excitaverunt, ut Elias & Eliſa poſt mortem ſuam. Adde, & ventos pluviaſque inhibuerunt & dederunt, Solem & Lunam ſtiterunt, fluminibus imperarunt, aquas ſanârunt, & ſimilia mirabilia fecerunt. Vid. 1 Reg. 17. 2 Reg. 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 20. Debuit igitur & Meſſias, Propheta ille magnus, hâc in parte minoribus Moſe non minor reperiri.

Pſaltes; Pſ. 135: 6. *Omnia, quæ vult Jehovah, facit in cœlo, & in terrâ, in maribus, & omnibus abyſſis*. Et ſic Pſ. 148: 7. *Celebrate Deum à terrâ, dracones & omnes abyſſi*.

§. 12. Eſaias: Eſai. 11: 2. *Requieſcet ſuper ipſo ſpiritus fortitudinis*, ad potenter & efficaciter hominem ſalvandum. Eſ. 35: 5. 6. *Tunc acuentur oculi cæcorum, & aures ſurdorum aperientur. Tunc ſaliet inſtar cervi claudus, & cantabit lingua muti*. Quæ ut ſpiritualiter intelligenda ſunt, ita literalem ſenſum non excludunt. Cujusmodi

eſt & iſtud Eſ. 45: 21. *Reſpicite ad me & ſalvamini, omnes fines terræ.* Quamvis enim hoc de ſalute æternâ propiè & principaliter ſit intelligendum, non minùs tamen convenit de ſalute à morbis, & à poteſtate Diaboli idem accipere cujus rei typus etiam fuit Anguis in deſerto erectus, cujus aſpectu ſervabantur & ſanabantur Iſraëlitæ à morſu ſerpentum. Qui typus notabat eum, in quo ſanatio eſt humano generi, olim erigendum eſſe tanquam filium ſerpentis, in ſimilitudine carnis peccatricis & ut peccatorem; & eo tempore ſanationem præſtiturum populo. Eſ. 49: 24. Interrogat Chriſtus Eccleſiam, ſ. Sionem, quid putet; An Diabolo & ſatellitibus ejus poſſit eripi ſua captivitas, cùm is & fortis ſit magnamque potentiam habeat, & in illis captivandis juſtus ſit? Habebat enim Diabolus τὸ κράτος τοῦ θανάτου, & quidem per legem, 1 Cor. 15: 56. *An accipietur à forti captura, & nunquid captivitas juſti evadet?* Et reſpondet Chriſtus loco Eccleſiæ, in nomine Jehovæ, quod Diabolus ſit ſpoliandus robore ſuo, & ligandus, ut captiva ejus capiantur. *Nam ſic ait Jehovah, captivitas fortis capietur.* Hoc jam incepit fieri, cùm Chriſtus appareret in carne, cùm dœmonia ejiceret, & morbos ſanaret. Matth. 12: 29. Eſ. 53: 4. *Enimverò morbos noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe bajulavit.* Quod quamvis ſignificet, ipſum pro nobis ſuſtinuiſſe dolores & infirmitates à peccato noſtro provenientes, connotat tamen, maximè in iſto genere loquendi de mórbis & doloribus, ablationem potentem morborum & dolorum, idque ideo ſcil., quia ipſe portabat, & morbis ac doloribus tentabatur, ut nos ab iis liberaret. Atque hoc eſt, quod S. Matthæus ſignificat, cap. 8: 17. Eſ. 61: 1. 2. *Miſit me ad obligandum fractos corde, ad conſolandum omnes triſtes.* Eſ. 63: 1. *Quis hic veniens ex Edom, fermentatus veſtes ex Botzrâ? Ego, qui loquitur in juſtitiâ, multus ad ſalvandum.* Abundè virium & meriti habens ad ſalutem perfectam præſtandam confugientibus ad me. Eſ. 63: 7. 8. *Gratias Jehovæ commemorabo, laudes Jehovæ, ſummopere omnia, quæ pleniſſimè nobis tribuit Jehovah, & multum bonitatis domui Iſraëlis, quod tribuit illis ſecundùm miſericordias ſuas, & ſecundùm amplitudinem gratiarum ſuarum. Et dixit: Certè populus meus illi ſunt, filii qui non mentientur: & exſtitit ipſis in Servatorem.* h. e. illud præſtitit coram ipſis, quod credentes & cum gratiarum actione recognoſcentes poſſint juſtificari ab omnibus tùm peccatis ſuis, tùm iræ effectis. Et hoc quidem beneficium ſingulare præſtitit *ipſis*, nim. Judæis. Nam Chriſtus apparuit ut ſervus circumciſionis, venit ad ſalvandas oves perditas domus Iſraëlis. Ipſis ſe oſtendit Salvatorem, idque tùm auferendo morbos ipſorum, tùm patiendo in conſpectu ipſorum, tùm effundendo Spiritum ſuum, tùm prædicando Evangelium, ipſis demonſtravit.

§. 13. Ezechiel: Ezech. cap. 34: 16. *Fractam ligabo, ægrotam confirmabo.* & verſ. 23. *Excitabo ſuper illis paſtorem unum, & paſcet ipſas, ſervum meum Davidem: Ille paſcet ipſas, & ille erit ipſis in paſtorem.* Conf. Mich. 5: 3.

§. 14. Quod autem Chriſtus per opera iſta potentiæ Divinæ eſſet facturus fidem doctrinæ ſuæ, & iis, quæ de ſe teſtabatur, diſcimus tùm in genere, ex Pſal. 75: 4. tùm particulariter ex Pſalm. 78: 4. 5. quæ loca paulò antè adducta atque illuſtrata ſunt.

§. 15. Nec tamen idcircò putandum, per ſe & abſolutè neceſſaria fuiſſe miracula ad confirmandum Chriſti doctrinam. Ex Moſe & Prophetis probanda erat doctrina, eſſetne vera, & Chriſto conſentanea, nec ne. Ideo Chriſtus vocabat *ætatem adulteram*, quæ miracula quærebat. Placuit tamen ea addere doctrinæ. 1. ut per ea excitarentur ad attentionem & inquiſitionem.

2. ut fidei imbecillitas majoribus fulcris ſuſtentaretur.
3. ut fortiùs convincerentur hoſtes.

§. 16. Præter iſta autem, quæ dicta ſunt, operâ teſtantia virtutem & magnitudinem Servatoris, nec defuit ipſi hoc, quod ex Eſai. 11: 3. pro ſigno Meſſiæ Judæi habent, Luc. 7: 29. quòdque in Barcoſibâ deſiderârunt; nempe *Odorari improbos*. Eo ipſo agnitus fuit à Nathanaële, Joh. 1: 48. 49. ſed à Simone Phariſæo, Luc. 7. & Judâ proditore, per indignationem redargutarum cogitationum, repudiatus.

§. 17. Minimè verò negligenda ſunt illa Chriſti mirabilia, per quæ factus ipſe fuit miraculum ſummum, & nomen accepit *Mirabilis*, Eſai. 9: 5. Qualia ſunt, Deſcenſus Filii Dei de cœlo, ejuſque in carne apparitio, & ex virgine nativitas; humiliatio, ut factus fuerit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, atque ita peccatum & exſecratio pro nobis; itemque ipſius reſurrectio ex mortuis, aſcenſio in cœlum, effuſio Spiritus Sancti, & quæ eam conſecuta miranda in mundo & Eccleſiâ. Horum nullum eſt, cum quo comparata, etiam maxima, Moſis miracula, non parva videantur. Ut in ſpecimine Converſionis gentium in comparatione operum oſtenſorum in exitu Iſraëlis ex Ægypto, demonſtrat Pſalmiſta Pſalm. 114. *Quid tibi mare, quod fugeres? Coram Domino contremiſce, terra, coram Deo Jacobi, qui mutat petram in ſtagnum aquarum, rupem duriſſimam in fontem aquarum.* Corda ſcil. lapidea gentium mutat in carnea. Ezech. 11: 19. Hæc ſunt miracula ſcilicet, quæ in Chriſti promiſſione intelligi debebant, & in ejus exhibitione fideli ratiocinatione deprehendi & teneri. Ut injuſtè ſigna poſtulaverint Judæi, qui miracula, quæ jam extabant, & ante oculos ipſorum à Chriſto fiebant, & animabus ipſorum imprimebantur, non obſervabant, & nec Deum nec ſermonem ejus cognoſcebant, nec ſigna temporum animadvertebant.

ARTICULUS XII.

QUæ modò dicta ſunt Art. x. & xi., eò pertinent, ut, quemadmodum gloria Dei ſe manifeſtaverit in dictis & operibus Chriſti, evidenti Scripturarum demonſtratione conſtaret. Supereſt, ut quomodo eadem gloria in reliquis actionibus Chriſti, ut & paſſionibus ejus, ſe exeruerit, hîc explicemus. Scilicet, ut non indignum Deo eſt, fieri homini peccatori in Deum, ita non indignum, imò glorioſum, Deo eſt, id agere & pati, quo ipſi cauſa æternæ vitæ fiat. Id verò eſt, aſſumtâ formâ ſervi, i. e. eo ipſo aſſumto, quod ſervit, ſcil. naturâ humanâ, & ab uſu gloriæ Divinæ tantiſper abſtinendo, humiliare ſeipſum, factum obedientem, eamque obedientiam per paſſiones ac tentationes omnis generis, etiam acerbiſſimas, ipſamque adeo mortem, mortem autem crucis, conſummare. Ut ita, conſiderato, in homine mero non ſupereſſe vires ad obedientiam tam perfectam, in quo homine iſta obedientia, ſic probata, & nulla tamen vel minimâ in parte deficiens, inveniretur, in eodem plenitudinem & gloriam Deitatis omnem habitare, & obedientiam ipſius eſſe obedientiam Dei, quæ poſſit donari peccatori, ut per eam fiat gratus & acceptus Deo, & Deum ipſum ſic obediendo

 diendo

 in humiliatione Chriſti edita, etiam glorioſa erant Deo: a. 1 2. *nam obedientia* diendo & patiendo fieri quod eſt, & promiſſiones ſuas maximas implere, & omnia facere, per quæ ut verus ac perfectus Salvator, & Deus peccatoris, agnoſcatur, jure merito potuerit ac debuerit exiſtimari.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Et de humiliatione quidem Filii Dei ſuprà actum eſt, ubi de Statu, in quo apparuit cùm natus eſt, locuti ſumus: Ex quibus hîc repete, quòd dicatur *Filius hominis viſitatus factus inferior infra Deum*, tùm verum, qui erat, tùm nuncupatum quemlibet, ſ. Angelum, ſ. hominem; Pſalm. 8: 3. *occultans faciem ſuam à Jacobo*; Eſai. 8: 17. *Deus ſe occultans* in naturâ ſervili, nec inter homines inſtar Dei cum irrefragabili majeſtate agens; Eſai. 48: 15. *Servus poteſtatem habentium*; Eſ. 49: 7. Obedientiam verò ejus innuunt ſequentia: *Viro ſtudioſo tui*. Deut. 33: 8. & ſic Pſalm. 16: 9. *Dixiſti ad Jehovam, Dominus es tu*. Pſal. 16: 2. *Facere voluntatem tuam volupe mihi eſt, & lex tua eſt in medio viſcerum meorum*. Pſalm. 40: 9. *Vir timens Jehovam, in præceptis ejus ſe oblectans valde*. Pſalm. 112: 1. *Ancipites odi, & legem tuam diligo*. Pſalm. 119: 113. *Feci judicium & juſtitiam*. Ibid. verſ. 121. *Et quieſcet ſuper ipſo ſpiritus timoris Jehovæ*. Eſai. 11: 2. *Ecce ſervus meus*. Eſ. 42: 1. *Ut ſis mihi ſervus*. Eſ. 49: 12. *Servus meus*. Eſ. 53: 11. *Ecce ego adduco ſervum meum* GERMEN. Zach. 3: 8. In quibus locis vocatur *ſervus*, quia γενόμενον ἐκ γυναικὸς ἐγένετο ὑπὸ τὸν νόμον, Gal. 4: 4. atque ita obediens. Cumque etiam lex eſſet tradita εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, hinc, ut fuit, ita dicitur עֶבֶד מוֹשְׁלִים *ſervus poteſtatem habentium*, & *minor Angelis* atque dictis Diis. Eſ. 49: 7. Pſalm. 8: 6.

§. 2. Perfectæ obedientiæ ipſius atque innocentiæ atteſtantur iſta: Verè *dixiſti Jehovæ; Dominus es tu*. nec ullâ cogitatione, dicto, aut facto dominium meum abnegâſti. Pſalm. 16: 2. *Propoſui Dominum ante me ſemper*. Ibid. verſ. 8. *Etiam noctibus coërcent me renes mei*. i. e. etiam intimæ cogitationes & affectus mei ſunt ſancti. Ibid. verſ. 7. *Tu es motus meus ab utero*. Pſalm. 22: 10. *Facere voluntatem tuam volupe mihi eſt, & lex tua eſt in medio viſcerum meorum*. nihil ejus negligo, quod lex tua poſtulat, omnem juſtitiam impleo; idque cum voluptate & lubentiâ ſummâ ex amore tui. Pſalm. 40: 9. *In integritate mea* i. e. ob perfectam obedientiam, *eruiſti me*. Pſalm. 41: 13. *Odientes me immeritò*. Pſal. 69: 5. Quod & citatur Joh. 15: 23. Et ſic Pſalm. 109: 3. *Bellum gerunt in me immeritò*. Et Pſalm. 119: 161. *Principes perſecuti me ſunt ſine cauſâ*. Quibus innocentia ejus deſignatur. *In præceptis Jehovæ ſe oblectans valde*. Pſal. 112: 1. *Pro eo, quod non vim fecit, nec fuit dolus in ore ipſius*. Innoxius ſcil., nulliuſque mendacii compertus. Eſai. 53: 9. *Præco, qui non mentietur*. Hab. 2: 3. Hinc & tribuitur ipſi *ardor* Eſai. 63: 5. & *zelus* Pſalm. 69: 10. i. e. voluntas enixa & fervens, quâ *dilexit juſtitiam & odio habuit improbitatem*: Uti eſt Pſalm. 45: verſ. 8. Et obedientia ipſius *aquis mundis* aſſimilatur. Ezech. 36. verſ. 25.

§. 3. Specimen perfectionis obedientiæ in eo eſt, quod *pro defectoribus oraverit*. Eſai. 53: 12.

§. 4. Atque hæc eſt obedientia illa (ὑπακοὴν Paulus dicit, Rom. 5: 19) quam *juſtitiam* ſolet appellare Scriptura, Id ſonat enim Hebr. צֶדֶק vel צְדָקָה, & Græc. δικαιοσύνη; ſic ut ejus patratio δικαίωμα, Apoſtolo vocatur, q. d. *juſtificamentum*, vel *opus juſtum faciens*. Rom. 5: 16. 18. & à quâ *Servus Dei juſtus*, & *germen juſtum*, & ipſe *Jehovah juſtus vocatur*. Etenim David orans, *ædificet Deus muros Hieroſolymæ*, Pſalm.

Pſalm. 51: 20. Addit, *Tunc Illum delectatum iri ſacrificiis juſtitiæ.* h. e. perfectâ obedientiâ Chriſti, & agentis & patientis. Ibid. verſ. 21. Et hæc eſt צְדָקָה *juſtitia, per quam Sion redimitur.* Eſai. 1: 27. *quâ Deus ſanctus* volens juſtificare improbos *ſanctificatur.* Eſai. 5: 16. & *per quam regnum Chriſti confirmatur & fulcitur.* Eſai. 9: verſ. 6. Sic *vocatus* dicitur ſervus Dei *cum juſtitia*: i. e. ad perfectam obedientiam adducendam. Eſai. 42: 6. & *loqui cum juſtitiâ.* Eſai. 63: 1. Et *ſervus Dei juſtus.* Eſai. 53: 11. & *germen juſtum.* Jerem. 23: 5. & 33: 15. *Jehovah* verò *juſtus.* Pſal. 119: 137. Zeph. 3: 5. & *rex Sionis juſtus.* Zach. 9: 9. & quidem antonomaſticè, vocatur. Ab eâdem obedientiâ eſt, quòd *Deus* dicatur *ſanctificari in Iſraële.* i. e. aliquo Iſraëlitâ, *coram oculis gentium.* ut nimirùm gentes videant & cognoſcant iſtam Dei ſanctificationem in ipſis. Ezech. 20: 41. vel etiam *ante oculos ipſorum,* nempe Iſraëlitarum. Ezech. 36: 23. Et quia hæc obedientia eſt ipſius Dei, & à Deo nobis donatur, hinc vocatur *juſtitia Dei*, Rom. 1: 17. & *juſtitia à Deo.* Eſ. 54: 17. & *Jehovah* ipſe *appellatur juſtitia noſtra.* Jerem. 23: 6. & 33: 6. Sicut &, qui eam præſtitit, dicitur fieri fœderatis *juſtitia.* 1 Cor. 1: 30.

§. 5. Præſtitit eam juſtitiam Chriſtus ut Sacerdos. Unde זִבְחֵי־צֶדֶק *ſacrificia juſtitiæ*, ea obedientia appellatur, Pſalm. 51: 21. Et *per odorem fragrantiæ* dicitur Deus *acceptos habiturus Iſraëlitas, cum ſanctificabitur in ipſis.* Ezech. 20: verſ. 41. Unde & Apoſtolus eum vocat θυσίαν *ſacrificium*, & quidem εὐωδίας τῷ Θεῷ, Eph. 5: verſ. 2.

§. 6. Requirebatur autem ad hanc obedientiam inprimis dilectio tùm gloriæ Dei ex redemptione & ſanctificatione hominis miſeri; tùm fratrum puerorum, qui ipſi dati ſunt; eaque non conditionata tantùm, ſicut alii homines, tenentur ita diligero tùm Deum ut velint, ſi fieri poſſit, gloriam ejus, quæ in redemtione peccatoris ſpectatur, in ſe & per ſe perfici, tùm proximum, ut velint eum ab æterno exitio ſervatum, ſuopte etiam periculo, ſi fieri poſſit; cujus Amoris ſtricturæ aliquando in Sanctis, ut Moſe, Exod. 32: 32. & Paulo, Rom. 9: 3. apparuerunt: Sed etiam abſoluta, propter Sponſionem præcedentem. Quanquam etiam ex illo Amore, quem communem habuit cum aliis hominibus, & pereuntibus indoluerit, & eorum ſalutem ſeriò exoptaverit, & amorem proximo debitum etiam hâc in parte, quanquam ſub conditione voluntatis Divinæ, perfectiſſimè demonſtraverit.

§. 7. Eſt de hoc amore Chriſti Pſalm. 109: 4. *Pro amore meo,* quo conor ipſos convertere ad Deum, ut ſerventur, *infeſtant me. At me* quod attinet, *oratio eſt.* & quidem pro ipſis. Et rurſus Ibid. verſ. 5. *Et poſuerunt ſuper me malum pro bono.* quod bonum eſt, imputarunt mihi pro malo; *& odium pro amore meo.* De compaſſione verò ſuâ, ac dolore ob interitum hominum, ipſe loquitur Pſalm. 69: 11. *Et flevi, in jejunio fuit anima mea.* q. d. nullâ voluptate fruitus ſum in hâc vitâ, ſed ſemper triſtitia ob exitium ipſorum me comitata eſt; & nulli labori peperci, ut ſubvenirem ipſis. Eſurivi, ſitivi, ambulavi in æſtu, in frigore, etiam flevi, Luc. 19: 41. Sic & Eſai. 16: 9. *Ideo plorabam, irrigabam te lachrymâ meâ.* Et Jer. 48: verſ. 31. 32.

§. 8. Sed & ab alterâ parte, ne compaſſio ipſius quicquam de ſanctâ ejus voluntate, quâ amabat juſtitiam & odio habebat improbitatem, delibaret, cohorruit ob peccata, & profanationem nominis Divini, & quantumvis vellet, ſi fieri poſſet, etiam ingratiſſimos & atrociſſimos peccatores ſervare ab exitio, quod ipſis imminere videbat, atque ita ipſis indicibiliter indoluerit, tamen reſpiciens ad meritum peccati, & juſtitiam iræ Divinæ, & ſanctiſſimum Dei conſilium, gloriam dedit Deo,

ejuſque judiciis perfectiſſimè acquievat. Eſt de hoc ſanctiſſimo ejus horrore Eſ. 16: verſ. 11. *Iccirco viſcera mea propter Moabum, tanquam citharâ fremebant, & quæ intra me ſunt, ob Kirchares.* Et Jerem. 48: 36. *Propterea cor meum ob Moabum inſtar tibiarum fremebat, & cor meum ob homines Kireberes inſtar tibiarum fremebat.* In quibus ſtrepitus cordis, viſcerumque & omnium inteſtinorum ſignificat illud, quod hiſtoria Euangelica narrat de Chriſto, τὸ ἐμβριμᾶσθαι, τὸ ὀργίζεσθαι, τὸ ἐνθυμεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, Marc. 14: 33. τὴν ταραχὴν τῆς ψυχῆς, Joh. 11: 33. 12: 27. Et huc referimus *ſtuporem* Chriſti, quo tenebatur, cùm circumſpectans ad ſocios, alios homines juſtos, qui ſibi torcular calcanti adeſſent, neminem inveniret. De quo ita eſt Eſai. 63: 5. *Et intuebar, & non erat auxilians, & obſtupeſcebam, & non erat qui ſuſtinebat.* Itemque *æſtum* illum, de quo Ibid. verſ. 3. 5. 6. & *zelum domus Dei*, de quo Pſ. 69: 10. teſtatur ipſe, quòd *ipſum comederit.* Quod & citatur Joh. 2: 17. Significatur autem, Chriſtum doluiſſe ex animo ob profanationem nominis Dei, & domus ipſius violationem, eamque ægerrimè tuliſſe, & commotum eſſe ad zelum ejus vindicandæ; quod inſignibus inprimis quibuſdam actibus patuit. Vid. Joh. 2: 13. 17. Luc. 19: 45. Matth. 21: 12.

§. 9. Nec tantùm ſic horrenda peccata & judicia pereuntium, ſed etiam cumulus peccatorum, & tentationum ac dolorum Eccleſiæ, quibus necdum defuncta erat, & difficultas juſtificationis ac ſalutis in ſuis, ſine dubio eum, qui omnem juſtitiam implebat, ad ſimilem compaſſionem, & horrorem moverunt. Et hanc quidem compaſſionem & horrorem, & quâcunque conſideratione conceptum, Eſaias vocat *dolorem*, & *contritionem* animi. Eſai. 53: 5. *Atqui ille dolore afficiebatur à defectionibus noſtris, conterebatur* (ſive *enervabatur*) *à pravitatibus noſtris.* vocat & *Laborem animæ ipſius.* Ibid. verſ. 11. Scilicet in animo Chriſtus diebus carnis ſuæ expertus eſt amariſſimos & indicibiles dolores. Illi dolores fecerunt eum ἀτονοῦντα, & quaſi languentem, attonitum, ſtupentem, enervatum. Sive enim eſt intuitus meritum peccati, & conſideravit magnitudinem & juſtitiam iræ Dei, & vehementiſſimè cupivit Deum apud nos ſanctificare ex vero Dei amore & noſtri, non potuit non cohorreſcere: Sive etiam conſpicatus eſt peccata & tentationes Eccleſiæ futuras, non potuit non acerrimo dolore ex συμπαθείᾳ affici: Denique quatenùs ſub lege dilectionis fratrum ipſe fuit, & pereuntibus, maximè fratribus ſecundùm carnem, indoleſcere debuit. S. Paulus hunc dolorem vocat συμπάθειαν, *compaſſionem, condolentiam*, Heb. 4: 15. & εὐλάβειαν *timorem*, ſ. *legitimum metum* ex etymo. Heb. 5: 7. Alibi, ut Matth. 26: 37. λύπη, ἀγωνία, Luc. 22: 44. & ἀδημονία Matth. 26: 37. De his doloribus etiam ita conqueritur Pſalm. 18: 5. *Ingruerunt mihi dolores mortis.* i. e. vehementiſſimi, venientes à morte, ejuſque cauſis, peccato & maledictione. Significantur enim omnes miſeriæ, quas Chriſtus perpeſſus eſt in diebus carnis ſuæ, partim in hominibus vidit. Item Pſalm. 109: 22. *Nam imbecillis & egenus ego ſum, & cor meum confoſſum eſt in medio mei.* Quo dolor Chriſti varius videtur ſignificari, inprimis ex condolentiâ & indignatione. Hinc & *cruciatus corde* dicitur Ibid. verſ. 16. Dum verò ita *doluit*, & quaſi *enervatus fuit* animo, *terrores Dei ſuper ipſo tranſiverunt.* Pſ. 88: 16. 17. i. e. verè infernales dolores pertulit, & iram Dei guſtavit.

Ab iiſdem doloribus fuere δεήσεις *petitiones*, & ἱκετηρίας *ſupplicationes*, μετὰ κραυγῆς *cum clamore.* Heb. 5: 7. De quibus etiam ipſe par Davidem loquitur in Pſalmis. Ut Pſalm. 22: 3. *Deus mi, clamo de die, & non reſpondes; & nocte, & non eſt intermiſſio mihi.* q. d. in omni ſtatu, proſpero & adverſo; dum lucet lux vultus tui,

dum

dum eſt poteſtas tenebrarum. Pſalm. 69: 13. 14. *Colloquuntur de me ſedentes in portâ, & cantilenæ eorum, qui bibunt ſiceram, de me ſunt. Atqui ego, oratio mea ad te Jehovah, tempore gratiæ, ô Deus.* h. e. Ego Jehovæ, qui eſt Deus, offero ſupplicationes & interceſſiones pro ſalute hominum, ut ipſis peccata condonentur; idque eo tempore, quod tu deſtinaſti, ut peccata hominum expiares per victimam corporis mei. Pſalm. 88: 2. *Jehovah, Deus ſalutis meus: dies quo clamavi, de nocte coram te eſt.* q. d. Dies lucis & gratiæ, quem attuli hominibus, dum fui cum ipſis, à me cum clamore tranſactus eſt. Imminet jam nox, hora & poteſtas tenebrarum. Sed tamen non poteſt dies ille obliterari coram te. Igitur tandem appareat, te non obturâſſe aures ad clamorem meum, nec paſſiones meas ſuſque deque ferre. Et verſ. 10. Ibid. *Invocavi te, Jehovah, omni die; expandi ad te palmas meas.* Pſ. 109: 4. *Pro amore meo infeſtant me. At me quod attinet, oratio eſt.*

§. 10. Petiit autem inprimis *ſe ſervari*, etiam quando ad peccata & tentationes Eccleſiæ futuras reſpexit. Nam quicquid Eccleſiæ accidit, Chriſti paſſio eſt; & Eccleſiæ peccata ſua vocat. Adeo ut, quando ſe ſervari petiit, petierit ſalutem & membrorum ſuorum. Hanc orationem vide Pſal. 16: 1. *Serva me, Deus-omnipotens.* & Pſalm. 69: verſ. 2. *Salvum me fac, ô Deus.* Atque ita eſt Johan. cap. 12: verſ. 27. 28.

§. 11. Nec tantùm ſic oportuit Chriſtum ſimpliciter obedire: Oportuit & fieri obedientem uſque ad mortem, Phil. 2. & principem ſalutis per paſſiones conſummari. Hebr. 2: 10. 5: 9. Non defuerunt itaque Chriſto obedienti & *πειρασμοὶ tentationes*, quas in corpore ſuo ſuſtinuit. à quibus *didicit obedientiam.* Hebr. 5: 8. hoc eſt, in quibus experimentum cepit amoris conſtantiſſimi tùm Dei, tùm proximi, & obedientiæ perfectæ, & nobis illius argumentum præbuit. Igitur per totam vitam ipſum comitata eſt tenuitas, ſtatus irrequietus, labor, fatigatio, fames & ſitis, modus vivendi communis non notabilis, ut Johannis Baptiſtæ, metus hoſtium, ſubterfugitatio: donec veniret *hora poteſtatis tenebrarum.* Luc. 22: 53.

§. 12. De his tentationibus. 1. In genere ita eſt in Pſalmis. *Vide afflictionem meam, & libera me.* Pſal. 119: 153. q. d. Veni, de cœlo deſcende, viſita nos, & ſic *vide* & experire infirmitatem & miſeriam meam. Quemadmodum & reverâ Filius Dei de cœlo deſcendit, & in omnibus ſimiliter tentatus eſt, excepto peccato, ut miſericors & fidelis Sacerdos fieret, h. e. ut eum ſe præſtaret. Heb. 2: 13. 14. 15. 16. 17. Hoc igitur fuit naſci ex muliere, ſervi habitum aſſumere, exinaniri, humiliari ad obedientiam & mortem crucis. Phil. 2. Similiter Zach. 9: 8. dicit Servator: *Nunc*, cùm tranſiret Exactor per medium populi, *viderunt oculi mei.* q. d. *vidi* paſſiones populi mei, & omnes moleſtias, quas affert dominatus externus in bonis dominicæ hæreditatis, & quidem vidi *oculis meis*, ipſe illas expertus ſum. Eo ipſo enim temporis articulo, quo Imperator Romanus ſe Exactorem oſtendit indictione *ἀπογραφῆς*, natus eſt Chriſtus; & poſtea quoque à ſe exigi cenſum paſſus eſt. Hinc *vir dolorum* & animi & corporis, & *cognitus infirmitate.* Eſ. 53: 3. Qui *morbos noſtros tulit, & dolores noſtros bajulavit*, iis æque tentatus ac nos, ut nos ab iis liberaremur. Ib. vers 4. Et habitus ipſius in medium prodeuntis, ut *fermentati veſtes.* i. e. turgidi ex humore; ut *cujus veſtimento adeſſet rubrum.* Is color ſanguinis. *cujus veſtes eſſent ut calcantis in torculari.* uvidæ ſc. ac turgentes. Quibus ſignificatur abundantia dolorum, & totius carnis cruentatio Eſ. 63: 1. 2.

§. 13 2. In ſpecie occurrunt iſta: *Et flevi, in jejunio fuit anima mea.* Pſal. 69: 11. q. d. Eſurivi, ſitivi, ambulavi in æſtu, in frigore, denique non habui ubi caput reclinarem.

reclinarem. *Et feci indumentum ſaccum meum.* Ib. verſ. 12. *Nam imbecillis*, nullâ humanâ potentiâ præditus, *& egenus*, omnibus bonis & copiis deſtitutus, *ego ſum.* Pſal. 69: 22. *Ut umbra, quum inclinat, cogor abire.* Brevitas temporis notatur, quo Chriſtus docuit. *& excutior, ut locuſta.* Inſtabilitas Chriſti omni toto tempore officii. Ibid. verſ. 23. *Non efferet ſe*, ſed ſeipſum exinaniet; *non clamabit*, per impatientiam vel iracundiam; *non faciet in publico audiri vocem ſuam.* i. e. non concitabit tumultus, non convocabit cætus, ſed quaſi latens & trepidans, & fugiens conſpectum hominum, loquetur domi, in deſertis, & locis ordinariis, ubi cuivis modeſto licet loqui, more omnium hominum. Eſ. 42: 2. *Vir dolorum*, i. e. doloribus animi & corporis obnoxius, *& cognitus infirmitate*, quippe qui nunquam malo reſtiterit, & perpetuo latitaverit, niſi cùm in templo & Synagogis doceret. Eſ. 53: 3. *At vos profanatis illud*, nomen Jehovæ *dum dicitis; Menſa Jehovæ eſt polluta:* non creditis aliud altare, quam quæ eſt hominum impurorum menſa, dum nullum aliud ſacrificium expiatorium creditis, quàm pecudes mutas; *& germen ejus* Jehovæ, i. e. Filium Dei, Chriſtum, quod attinet, *contemptus eſt cibus ejus.* Putatis illum nullo alio cibo delectari, quàm illo, quo communiter vivit unusquiſque. Mal. 1: 12.

§. 14. His acceſſit contemtus, irriſio, odium, calumnia, perſecutio, machinatio, mortis ejus; aliaque mala per dies præconii ab hoſtibus perpeſſa: Quorum hæc ex prophetiis ſpecimina ſunto: *Jehovah, ut multiplicati ſunt hoſtes mei!* Diabolus inprimis, gentes, reges, principes terræ, &c. *multi ſunt, qui inſurgunt in me.* Æmuli ſcil. qui me regno meo ſpoliare conantur, ut ipſi regnent. Ut reges & principes terræ, &c. Pſal. 3: 2. Nec tantùm hoſtes ſunt & æmuli, ſed etiam *multi dicunt, de animâ meâ. Non eſt ipſi ſalus in Domino.* Eſt multitudo ita judicans, Deum mihi eſſe iratum, & me, à Deo deſertum, nullum habere in ipſo præſidium. Ib. verſ. 3. *Myriades populi circumquaque metantur contra me.* & omnia opprimendi momenta obſervant. Ib. verſ. 7. *Feciſti me evadere lites populi.* Cùm ſcil. me populus integer jure ſuo, tanquam præſcriptione legis & fœderis Dei ferox, oppugnaret tanquam mendacem & ſeductorem & blaſphemum. Pſal. 18: 44. *Inimici mei dicunt malum de me.* Hæc maledicentia & obtrectatio eſt. Et notum eſt ex hiſtoriâ Evangelica, quàm dira de ipſo dixerint. *Quando, inquiunt, morietur, ut pereat nomen ejus.* Hoc deſiderium & machinatio mortis ejus eſt, cum aucupatione oportunitatis; item ſpes, fore, ut cum morte omnis ejus memoria exſtinguatur. Pſal. 41: 6. *Et ſi quis venit ad videndum* me, h. e. ad viſendum, interrogandum, audiendum, & cognoſcendum de doctrinâ & vitâ, *temerarium loquitur cor ejus.* h. e. malè judicat ex temerariâ præſumtione *colligit vanitatem ſibi.* h. e. quod non eſt, nec vidit, nec audivit, fingit ſibi. Hæc hypocriſis eſt in adeundo, & malitioſa calumnia. *Prodit foras, loquitur.* Palam traducit me figmentis ſuis. Ib. verſ. 7. *Multiplicati ſunt ſupra pilos capitis mei odio me habentes immeritò.* Diabolus nim. cum exercitu ſuo, gentilibus & Judæis ab ipſo ſeductis; *invaluerunt exſcindentes me, inimicitiam in me exercentes cum falſitate.* Pſal. 69: 5. *Nam zelus domus tuæ comedit me, & convicia blaſphemantium te ceciderunt in me.* Eſt irriſio & damnatio actuum ſuorum per inimicos: nim. 1. Zeli gloriæ Dei. Ibid. vers 10. 2. Compaſſionis ſuæ: *Et flevi, in jejunio fuit anima mea, & fuit mihi in opprobria.* verſ. 11. 3. Humilitatis: *Et feci indumentum meum ſaccum, & factus ſum ipſis parabola.* exemplum homines ut mali, ita miſeri. verſ. 12. 4. Fiduciæ in Deum & deſiderii gratiæ: *Colloquuntur de me ſedentes in portâ, & cantilenæ eorum, qui bibunt ſiceram*, de me ſunt. verſ. 13. *Atqui ego, oratio*

tio mea ad te, Jehovah, tempore gratiæ, ô Deus. vers 14. *Nam os improbi, & os doli contra me aperuerunt.* Os *improbi* ſcil. quum ad mortem eum damnârunt, & *os doli*, cùm tanquam obſervatores legis cum ipſo diſputârunt. Pſ. 109: 2. *Et verbis odii*, calumniis ex odio, *circumdederunt me.* Ibid. vers 3. *Et bellum gerunt in me ſine cauſâ.* Hæc immerita excommunicatio. Ibid. *Pro amore meo infeſtant me.* Hæc vis impediens curſum Euangelii. Ibid. vers 4. *Et poſuerunt ſuper me malum pro bono; & odium pro amore meo.* Hæc veritatis & juſtitiæ condemnatio in ipſo. vers 5. *Propterea quod non recordatus eſt facere gratiam*, pietatem & charitatem, *& perſecutus eſt virum expertem virium & egenum & cruciatum corde ad occidendum.* Ut Chriſtum & Apoſtolos. Ibid. vers 16. *Principes* populi Iſraëlitici *perſecuti me ſunt ſine cauſâ.* cùm ego nulli eorum malefecerim, contrà omnes volentes beneficiis affecerim. Pſal. 119: 161. *Spretus*, & *tanquam abſconſio faciei*, abominabilis, & dignus qui de medio tolleretur; *idque præ nobis.* Ita ut nullum haberemus in toto populo abominabiliorem. Quod patuit, cùm Barrabam potiùs, quàm ipſum, vivere voluerunt. *Contemtibilis & non reputavimus ipſum.* ſive, prout dignum erat, æſtimavimus. Eſai. 53: 3. *Reputavimus ipſum plagâ affectum.* malè ſibi conſcium: ut quando in judicio conticuit. Ib. vers 4.

§. 15. In his omnibus Chriſtus *non clamavit* per impatientiam, Eſ. 42: 2. nec Divinæ voluntati, qui ipſum tradiderat in hanc horam, obmurmuravit, ſed per ſilentium & tolerantiam *non aperiebat os ſuum*, & habuit ſe *ut agnus, qui ad mactandum ducitur, & ut agna, quæ coram vulſoribus obmuteſcit.* Eſ. 53: 7. Atque ita ſilentio & patientiâ obedientiam ſuam in paſſionibus ac malis quibuscunque, quanquam graviſſimis, perfectiſſimè approbavit, & quaſi coronavit, nec ullo caſu, quantumvis aſpero & indigno, de gradu bonæ mentis, & propoſito Deum & proximum ex omnibus viribus amandi vel minimùm dimotus eſt.

§. 16. Hoc tantùm, & nihil aliud egit, *orationem ad Deum* pro ſalute ſuâ, &, ſi fieri poſſet, hoſtium quoque, ipſis repoſuit, Pſal. 69: 14. 109: 4. Jehovæ interim, ut *clypeo ſuo circa ſe*, Pſal. 3: 4. & *petræ ſuæ*. Pſ. 18: 3. cujus nim. præſidio in diebus præconii ſui à vi Adverſarii ſe tutum fore ſperaret, confiſus. Hujus inſtar orationis eſt Pſ. 119: 121. *Feci judicium & juſtitiam, ne derelinquas me fraudatoribus* (vel *oppreſſoribus*) *meis.* ſunt ſcil. qui me ut Injuſtum damnant, & in judicium rapiunt. Tu me illis ne deſeras. Et huc forſan pertinet oratio. Pſ. 7. in quâ David, ut typus Chriſti, perpetuas exilii ſui curas ſic exponit: *Jehovah, Deus mi, ad te recepi me: ſerva me ab omnibus perſequentibus me, & eripe me.* vers 1. *Ne prædetur* (vel *laniet*) qui, ut olim Saul, ob crudelitatem inſatiabilem, & potentiam ac poteſtatem, ſe habet, *tanquam leo animam meam, frangens, nemine eripiente.* vers 2. *Jehovah, Deus mi, ſi feci hoc*, ſi vel tantillum feci, ſi quicquam commiſi, cur meritò blaſphemarem, & iratum regem vel principes haberem, *ſi eſt injuſtitia in manibus meis.* ad innocentiam ſuam provocat. ut & Eſ. 53: 9. verſ. 3. *Si male feci pacifico meo*, ſi ex ſuperbiâ in illos, quorum ſubditus ſum, inſurrexi, eosque poteſtate ſpoliare volui. (*Atqui liberavi eum, qui me arctabat, ut nihil eſſet reliqui.* Ipſos potiùs, cùm Deus tradidiſſet in manum meam, liberos ſivi abire, & prohibui, ne ipſis noxa inferretur.) vers 4. *Perſequatur Inimicus animam meam & aſſequatur, & proculcet humi vitam meam, & gloriam meam*, Spiritum meum, quod maximum & præſtantiſſimum habeo, *faciat in pulverem procumbere.* Orco ſ. poteſtati mortis, vel morti æternæ tradat. vers 5. Hactenùs petivit Dei opem: Sequitur petitio Judicii: *Surge, Jehovah, in irâ tuâ*, oſtende ipſis ſigno aliquo, nimirum injiciendo animis pec-

cantium horrorem, diſplicentiam tuam; *& extollere in excandeſcentiis hoſtium meorum.* non modò te oſtende peccantibus, ſed etiam te adverſum iis offer, ut intelligant ſe contrà Deum ferri; *& vigila ad me.* Fac, quoties in periculum vocor, te oſtendendo, & adverſariis objiciendo, ut ego tutus ſim ab impetu eorum, & ipſi intelligant, te cauſam meam agere. Nam *Judicium præcepiſti* oſtendiſti velle te judicium agi cùm ſuper omnibus factis hominum, cùm inprimis meâ cauſâ. Quæ cùm ſit juſta & innocens, non debes eam periclitantem deſerere. Inprimis, cùm mihi promiſeris regnum, quòd in æternum maneat, & judicium indixeris, quo oppugnantes illud judicentur: Sic & Chriſtus provocat ad juſtificantem ſe. Eſ. 50: 8. Hæc verſ. 7. *Et* (q. d. ſecundùm edictum tuum) *cætus nationum circumdat te.* Circumſtant te omnes tribus Iſraëlis animis ſuſpenſis judicium & ſententiam tuam exſpectantes. *Et* igitur *ſupra illum* immorigerum & rebellem *in altum redi*, templo corporis mei in cœlum ſublato, colloca majeſtatem tuam in ſupercœleſtibus, & conſide in ſolio ad judicandum. verſ. 8. *Jehovah judicet populos*, ſ. duas partes populi Iſraëlitici, quarum una me benevolo affectu ac ſtudio, ut unctum à Jehovâ regem complectitur, altera illi, qui tibi inobediens eſt, adhæret; fac ut jus meum toti populo innoteſcat. *Judica me, Jehovah, ſecundùm juſtitiam meam*, ſecundùm jus regni, quod mihi competit, ex eo, quòd me in regem unxeris, *& ſecundùm integritatem meam, quæ eſt apud me.* quòd nullâ arte aut dolo malo ad regni faſtigium coner pervenire, ſed quòd providentiam tuam ducem ſequar. verſ. 9. *Finiatur, quæſo, malum improborum.* Stet in hoc termino malitia ipſorum; *& confirmes juſtum*, qui talis eſt ex fœdere gratiæ, interveniente fide. *Et* i. e. Nam, *explorans corda & renes eſt Deus juſtus.* tùm *juſtus* judex es, qui minimè reſpicis perſonam in judicio, tùm neque judicas ſecundùm id quod oculus videt vel auris audit, ſed pro rei veritate; tùm *exploras corda & renes*, h. e. tùm animi decreta, tùm intimos & maximè reconditos affectus ac propenſiones. verſ. 10. Hactenùs oratio ad Deum. Sequitur Oratio apud homines. Eſt in eâ. 1. Declaratio voluntatis Dei, tùm circa Davidem, ejuſque filium Chriſtum: *Clypeus meus eſt apud Deum*, q. d. Clypeum meum Deus ipſe ſuſcepit. h. e. pro me pugnabit. *qui ſalvat rectos corde.* illos ſcil. qui ipſum ſincerè amant, cujus ſinceri amoris & recti cordis mihi ſum conſcius. vers 11. Tùm circa Saulem, & qui ei ſimiles: *Deus judicat juſtum.* h. i. injurias, quæ inferuntur juſto, punit, & vindicat. *Et Deus omnipotens ſeveritatem exercet* in impios & impœnitentes, *omni die.* vers 12. *Si non reſipiſcet* inimicus, *gladium ſuum acuit, arcum tendit & aptat* nervum, ut nihil niſi diſploſio reſtet. vers 13. *Et ſibi præparavit tela mortis; ſagittas ſuas parat, ut ſint ardentes.* h. e. celeres. verſ. 14. Impœnitens ſcil. abuſu indulgentiæ Dei ſibi θησαυρίζει iram in die iræ, Rom. 2: 5. ut ita ſubitò & omnibus modis de ipſo ſupplicium ſumatur. Hæc præparatio pœnæ, ſequitur ejus deſcriptio, 1. In fruſtratione deſiderii & conſilii: *Ecce enitebatur iniquitatem*, Davidem (& ſic Chriſtum) capere & de medio tollere conabatur, quo regnum retineret, *& conceperat laborem*, ut finem ſibi propoſuerat tranquillam regni poſſeſſionem cum ſpe id tranſmittendi ad poſteros, *& peperit mendacium*, h. e. fruſtrationem, pudorem, & indignationem, omni ſuo conatu eſt aſſecutus. vers 15. 2. Illaqueatione per proprios dolos: *Foveam fodit & excavavit, & incidit in foſſam.* Ipſe ſuis dolis captus eſt. vers 16: 3. Retaliatione injuriæ: *Redibit moleſtia ejus in caput ejus, & in verticem ejus injuria ejus deſcendet.* Quemadmodum cogitavit facere mihi, fiet ipſi, & quod injuſtâ vi geſſit regnum, vi injuſtâ hoſtium amittet. 2. Profeſſio gratitudinis: *Confitebor Jehovam ſecundùm juſtitiam ejus.* h. e. ut animo agnoſco, ita

verbis

verbis teſtabor Dominum, juſtiſſimum judicem, & Deum meum & juſtitiam meam illum eſſe. *Et pſallam* ſive *canam*, cum lætitiâ, *nomen Domini Altiſſimi.* quicquid in Deo eſt virtutis, id faciam innoteſcat, & ab omnibus prædicetur. Inprimis quatenus ſuperiorem, vel parem non habet.

§. 17. Et in ſermonibus quidem & operibus Chriſti miraculoſis; ſed nullibi magis, quàm in obedientiâ & paſſionibus ejus inculpatiſſimis, nomen Dei, & gloria, & veritas, & decentia, & pulchritudo ejus atque amabilitas, enituit. Non tantùm quia in hiſce apparuit, quid ſit Deum in homine ſanctificari, verùm etiam quia in his potiſſimùm promiſſio, quæ eſt ex fœdere gratiæ, & virtus illa omnis, quâ Deus decenter ac glorioſè poteſt fieri Deus peccatoris, bonitas, inquam, & miſericordia ejus, impleta eſt. Quicquid enim boni à Deo optimo & miſericorde ad peccatorem redire poteſt, à Chriſti conſummatiſſimâ obedientiâ deſcendit. Per hanc enim Deus fit peccatori in Deum, & ea facit propter quæ jus habet peccator ab ipſo exſpectandi omnia, quæ à Deo ſuo exſpectare poteſt. Quæ quum facit, *apparet nomine ſuo Jehovah.* Exod. 6: 3. *fit quod eſt*, ſive divitias ſuas reipſâ expromit & effundit, Exod. 3: 14. *fit illi Salvator*, Eſai. 63: 8. 45: 21 — 25. *fit juſtitia*, Jerem. 23: 6. *Sapientia*, *ſanctificatio*, *redemtio.* 1 Cor. 1: 30. Ut propter illam reliqua omnia nobis donata cenſeri debeant; nec verbum adeò gratiæ ex ore ipſius audiri, nec morbi miraculoſè ſanari, aut mortui in vita revocari, potuerint, niſi ipſe perfectiſſimè obediendo oſtendiſſet, ſe jus ad iſta omnia habere; quod jus in obedientiâ iſtâ fundatur. Quia enim Filio datum erat ſalutem facere, & juſtitiam parare; datum eidem fuit ſalutem & juſtitiam, quæ in ipſo eſt, annunciare ad obedientiam fidei. *In ipſo vita erat: & vita erat lux hominum.* Johan. 1: 3. Et ſic de aliis. Ut ad hunc inprimis Articulum pertineant, quæ de Apparitione Dei, Art. 1. & Manifeſtatione nominis, virtutis, gloriæ, veritatis, & decentiæ, itemque gratiæ & bonitatis Divinæ in eâ, Articul. ix. convecta ex propheтiis ac illuſtrata ſunt.

ARTICULUS XIII.

Fuere & alia quædam opera: per quæ Chriſtus, tametſi legi ſubjiceret ſeipſum, & omnem juſtitiam impleret, Divinitatem ſuam in apertum dedit. Ut quando ſe dixit majorem Jonâ & Salomone; & templum, ut regiam ſuam, ejectis violatoribus, repurgavit; & in Sabbato ſanavit ægrotos, & non abſtinuit ab operibus manus, quæ Deus ipſi ad tollendos morbos ordinaverat; quale erat facere lutum, & oculis illinere; & juſſit ad glorificationem Dei grabatum ferre. & quæ ſunt plura ejus generis; quibus ſe oſtendit *Dominum & Sabbati.* Matth. 12: 8. Marc. 2: 28. hoc eſt eum, qui, quod erat cerimoniale in Sabbato & umbris futurorum, impleret & implendo tolleret, & ab eo libertatem ſuo tempore prædicaret. Coloſſ. 2: verſ. 16. 17.

DEMONSTRATIO.

Atque ita etiam loquitur, Eſ. 8: 19. *Annon populus Deum ſuum conſulet?* dignitatem & poteſtatem ſuam haud diſſimulans.

ARTICULUS XIV.

FActus erat Chriſtus per ſermonem & opera *lapis probationis*, per quem cogitationes multorum, & qui crederent Moſi & Prophetis, qui non crederent erant manifeſtandæ. Eſ. 28:16. Ez. 21:18. Igitur ipſo ſic, uti demonſtratum, per doctrinam lucente, & ubique ſigna potentiæ, gratiæ, clementiæ & miſericordiæ Divinæ circumferente in totâ terrâ, & perfectâ obedientiâ ſe demonſtrante Agnum illum, qui ferret peccata mundi, primò non defuere ex toto populo, quorum corda Deus illuminâſſet ad attendendum iis, quæ Moſes & Prophetæ prætestificati erant de Ipſo, qui dicta & facta ejus cum Scripturis conferentes, Ipſum agnoſcerent, Ipſum ſequerentur, Eique verâ fide adhærerent; & cum lætitiâ & gratiarum actione tantis beneficiis dignâ Deum laudarent ac celebrarent.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hi ſunt, quos Moſes appellat *Filios ejus*. Deut. 32:5. David, *generationem Juſti*. i. e. filios Chriſti, Juſti. Pſalm. 14: verſ. 5. *Semen*, & *Proſapiam Viri*, Chriſti. Pſalm. 112:2. *Pueros*. Pſalm. 119:9. Eſaias: *Pueros, quos donavit ipſi Jehovah*, Eſai. 8:18. *ſanctificandos* ſcil. ex verſ. 14. *Populum*, nimirùm peculiarem, ex *gente*, Eſai. 9:1. coll. 2. & 18:7. c. 22. *Fructum ſurculi*, qui erat *ex radicibus Jeſſe*; cùm dicatur hic ſurculus *fructificaturus*, h. e. multos filios habiturus. Eſai. 11:1. *Filios ejus*, & *opus manuum ejus*. Eſai. 45: verſ. 11. Ezechiel, *Atrium domus*. Ezech. 10:4. *Oves* Chriſti, *paſtoris unius*, *Servi Dei Davidis*. Ez. 34:11. & ſeqq coll. verſ. 23. 24. Amos: *Deſtructa Davidis*, pertinentia nimirùm ad corpus Davidis, i. e. Chriſti, myſticum. Am. 9:11. Obadias, *Sanctum in monte Sion*. q. d. Templum & domum Dei, in quo Is habitet. Ob. verſ. 17.

§. 2. De horum illuminatione, purificatione, & apparitione ad cognitionem ſalutaris Dei, & fidem in ipſum, ſic loquitur Moſes: *Et circumcidet Jehovah, Deus tuus, cor tuum, & cor ſeminis tui ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ* i. e. regenerabit, ſ. ſanctificavit Vos per Spiritum fidei & amoris Dei. Deut. 30:6. Sponſa in Cantico: *Trahe me; poſt te curremus*. Cant. 1:4. Eſaias: *Et erit in ſanctuarium*. i. e. habitabit in Iſraële in aſſumtâ humanitate, ut templo, atque ita ipſe futurus eſt Iſraëli templum, h. e. Auctor & medium ſanctificationis. Eſai. 8:14. *In tempore illo offeretur munus Jehovæ Deo exercituum populus ex tractus*, ex capt. Bab. & ſervitute gentium, *& deterſus*. h. e. purificatus, ſ. redemtus ad amovendum peccatum, illuminatus ad detergendos errores & ignorantiam, donatus fide, & liberatus à ſervitute peccati & maledictione. Eſai. 18:7. *Ut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachium ſuum colliget agnos, & in ſinum ſuum accipiet; fœtas clementer aget*: Eſai. 40:11. Sic Ezechiel juſſus *ex iis*, quæ incluſerat oræ ſuæ, *quædam accipere, & in ignem conjicere*; ſignificat, Chriſtum diſcretionem eſſe facturum inter remanentes in terrâ, ut alios ex iis liberet ex regno tenebrarum & ex manu principum, & ex populo educat & ſibi faciat adhæreſcere, alios non. Ezech. 5:4. 3. Cui ſimile eſt, quòd *Gloriâ Dei Iſraëlis deſcendente à Cherub ad limen domus*, mittatur ab Ipſo *Vir indutus talari*, h. e. Spiritu S. cum hoc mandato:

Tranſi

Tranſi in medio urbis, in medio Hieroſolymæ, & ſigna ſignum ſuper frontibus virorum ſuſpirantium & gementium propter omnes abominationes, quæ fiunt in medio ejus. Signum verò illud eſt nomen agni publicè per confeſſionem prælatum, fides in Chriſtum. Ezech. 9: 3. 4. Et rurſus, quòd, *gloriâ Dei deſcendente ad limen domus, impleta* quidem *fuerit domus nube*, h. e. Chriſtus habitaverit in populo in ſpecie humili, ſed tamen *atrium impletum fuerit ſplendore gloriæ Jehovæ.* h. e. viſa fuerit gloria ejus, ut unigeniti à Patre, ab iis, quorum corda ipſe illuminâſſet. Ezech. 10: 4. Inde eſt, quòd Deus promittat, *ſe* reductis *daturum cor unum, & ſpiritum novum daturum in medio ipſorum, & ablaturum cor lapideum, ex carne ipſorum, & daturum ipſis cor carneum. Ut in ſtatutis ſuis ambulent & Judicia ſua obſervent, & ea faciant, & futuros ſibi in populum, & ſe futurum ipſis in Deum.* Quod & in diebus carnis Chriſti factum eſt per dationem Spiritus filiationis, vel certè per dationem fidei in Chriſtum. Siquidem hæc promiſſio jam tùm inceperit impleri, cum miſſus eſt Angelus ad præparandum viam Domini. Ezech. 11: 19. 20. Atque hoc eſt, quod promittit Deus, *Se traducturum Iſraëlitas ſub virgâ*, quemadmodum paſtor oves traducit ſub virgâ, cùm eas numerat & diſcernit; atque ita numeratos & diſcretos *adducturum in vinculum fœderis*, i. e. per fidem uniturum ſibi & inter ſe. Ez. 20: 37. Item, Se & Filium, per exceptionem gratiæ interponendæ actui, quo Filius Dei traditurus erat gladium Romanis ad occidendum, *ἀθωΐαν* habituros & benefacturos: quòd ita dicunt: *Aut bilarabimur.* Ezech. 21: 15. Quibus conveniunt iſta: *Ecce me, me inquam, qui curabo oves meas, & luſtrabo eas.* Ez. 34: 11. *Et paſcam eas in montibus Iſraël, in cavis, & in omnibus babitatoribus terræ. Paſtu bono paſcam eas; & paſtu pingui paſcentur ad montes Iſraël.* Ibid. verſ. 13: 14. *Et ſalutem faciam ovibus meis. Et conſtituam ſuper ipſas paſtorem unum, & paſcet eas, ſervum meum Davidem, ille paſcet eas, & ille erit ipſis paſtor. Et ego Jehovah ero ipſis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio earum, ego Jehovah locutus ſum.* Ib. verſ. 22. 23. 24. Et in hanc ſententiam Hoſeas: *Et congregabuntur filii Juda & filii Iſraël unà.* i. e. ex omnibus tribubus electi coadunabuntur per paſtorem unum, & per fidem & ſpiritum unum.* Hoſ. 2: verſ. 2. Joël: *Filii Tſijon, gaudete, & lætamini in Jehovâ Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam.* Jo. 2: 23. *Et in ſuperſtitibus, quos Jehovah vocat.* Jo. 3: 5. Amos: *Deſtructa Davidis erigam.* i. e. Diſcipulos meos diſperſos colligam. Am. 9: 11. Zacharias: *Et ſalvabit Jehovah tentoria Judæ.* i. e. Adferet, repræſentabit ipſis ſalutare Dei, Chriſtum nimirùm & juſtitiam ejus. nec tantùm, ſed etiam illuminabit oculos ad agnitionem ejus & fidem in illum. Zach. 12: 7. Malachias denique: *Et ſedebit*, tanquam Doctor, *conflans & purificans*, ſive *conflando purificans*; *argentum.* i. e. explicans legem & prophetas, incendet cor ad amorem & timorem Dei, & ab opinionibus ſuis & ignorantiis & concupiſcentiis magis magiſque purificabit. Mal. 3: 5. Atque hinc eſt, quòd ab illuſtrandis tenebris Chriſtus gerat nomen *Lucernæ* in prophetiâ. Ut Pſal. 132: verſ. 17.

§. 3. Sic itaque Chriſto ſalutem Dei, quam procurabat, notificante & applicante, & corda illuminante ad agnitionem, fidem & amorem ſui, Illuminati *confugiunt ad Ipſum.* Pſalm. 2: 12. 71: 1. *Ipſo lucente vident lucem.* Pſal. 36: 10. Scandalo vilitatis & paſſionum ejus minimè deterriti, *reſpiciunt ad Tenuem.* Pſ. 41: 5. *Veniunt ante faciem Jehovæ.* Pſalm. 95: 2. *Veniunt coram Jehovâ.* Pſalm. 100: 2. *Convertuntur ad Deum victorem.* Eſai. 10: 21. 22. *Credunt.* Eſai. 28: 16. *Vident & agnoſcunt, quòd os Jehovæ loquuretur.* Eſai. 40: 5. *Cognoſcunt, quod nomen Dei ſit*

Jehovah, & is nomen ſuum manifeſtet, & fiat quod eſt, in Chriſto. Jer. 16: 21. *Implentur ſplendore gloriæ Jehovæ.* Ezech. 10: 4. *Cognoſcunt, quod in medio Iſraëlis ſit Jehovah, & quod Ipſe*, nim. Chriſtus, *ſit Jehovah Deus ipſorum, & non ſit præterea.* Jo. 2: 27. Et *Jehovah exiſtente in arcem, confugiunt ad Ipſum.* Nah. 1: 7. & *credunt in Ipſum.* Hab. 2: 3.

§. 4. Et horum quidem fuit, agnoſcentium miſeriam & indignitatem ſuam, primo adſpectu terreri, nec audere ad Chriſtum ſibi manifeſtatum accedere: Quem terrorem Eſaias in ſpiritu ſic repræſentat: *Et dixi: Væ mihi: quia perii: Nam vir pollutus labiis ſum, & in medio populi polluti labiis habito. Nam Regem Jehovam Deum exercituum viderunt oculi mei.* Eſai. 6: 5. Scil. peccatoris conſcientia horret ad conſpectum Dei accedere, & agnoſcit majeſtatem Dei, qui eſt ignis devorans. Eſaias v. hic commemorat peccatum ſuum & populi ſui, non tam oblitus ſe eſſe prophetam, quàm expromens perpetuas ſuas anxietates & ſuſpiria: quippe qui vix quicquam aliud meditetur, quàm defectus ſuos; quod eſt hominum timentium Deum. In eoque perſonam gerit illorum fidelium, qui poſtquam Chriſtum primitus in carne viderunt, attoniti ob majeſtatem tantæ perſonæ, & propriæ miſeriæ ſenſum, ad eum accedere timuerunt. Quod mirum videri non debet; cum, ut ſuprà viſum. Art. cxxxiv. Per. præced. etiam ob *famam* auditam Jehovæ appropinquantis, dicantur *timuiſſe* recti corde. Hab. 3: 2.

Quamvis autem hi ſe mortuos, & impotentes & averſos naturâ cognoſcerent, & planè indignos, qui in conſpectum perſonæ tam glorioſæ venirent, & propterea timerent; quia tamen & præceptum amoris ab ipſo audiebant, & potentiſſimas amandi cauſas percipiebant, & humilitate ejus atque clementiâ invitabantur ad accedendum, inceperunt diligere ſalutare Dei, & eſurire ac ſitire juſtitiam, & communionem Chriſti ad gloriam Dei juſtificantis improbum; denique & tractum Divinæ manus & creationem novi cordis in ſe deprehendentes, ex δικαιῷ & experimento regenerationis, acceperunt conſolationem, & *ἰσχυρὰν παράκλησιν*, validam inſtigationem, ut ſpem promtam quanquam cum timore, ne tantâ ſalute indigni reperirentur; unde & dicuntur *trepidare ad verbum Dei* de gratiâ, & cum timore illud recipere. Eſai. 66: 2. & *metuere à verbo Dei* Pſalm. 119: 161. arriperent ac tenerent. Horum ergo fuit pro accepto quidem regenerationis beneficio Deo ſuo, ad quem confugiebant, gratias agere, de cætero autem Orare Deum, *Benefaceret plenè ſervo ſuo*, & omnem ſalutem & ſanctificationem ſecundùm promiſſionem præſtaret: *Vivat* vitâ æternâ, quâ amet Deum in lætitiâ, neque occupetur ampliùs in elementis mundi, quæ miſeria quædam & mors erat; *& cuſtodiat verbum ejus.* non hominum, principum vel poteſtatum ſæculi prioris, quibus adhuc ſubjectus erat. Pſalm. 119: 17. *Revelet oculos ſuos*, oculos nim. mentis, & liberet eos à præjudicio & opinione propriæ ſapientiæ ac juſtitiæ; *ut cernat mirabilia ex lege Dei.* ut nim. videat legem juſtitiæ fidei, & cognoſcat ea mirabilia Dei, ſine quibus ea juſtitia conſiſtere non poteſt, quorum maximum erat Dei adventus ad populum, ad legi ſe ſubjiciendum. In eum finem tollat velum. i. e. ſententiam, quæ declarat, quæ ſint ſtatuta Dei, quæ qui facit, vivit in eis; & maledictionem ob oculos ponit, & reatum cogit fateri, & ſacrificia pro peccato & reatu exigit &c. per quæ homini carnali difficile erat legem juſtitiæ reperire, ut non juſtitiam operibus aliquibus tribueret. Ibid. verſ. 18. Fateri item, *Animam ſuam eſſe agglutinatam pulveri.* i. e. diutinâ exſpectatione, & gravi ſervitute, & prophetarum ſilentio, & ſectarum diverſitate, & profanitate vulgari ac reip. ἀναρχίᾳ & ſervitute gentium, in eo ſtatu verſari

verſari ſe, qui ſimilis ſit hominis in pulverem proſtrati, qui ſe erigere non poſſit; & ſedentis in umbrâ mortis. Deus igitur *vivificet ſe & ſalvet* à peccatis & maledictione per Chriſtum, *ſecundùm verbum ſuum.* Pſal. 119: 25. *Enarrare Deo vias ſuas*, quarum tamen nulla ipſum poſſet ad vitam deducere, ſive Phariſæos, ſive Sadducæos, &c. ſectaretur; atque ita Deo confiteri & exponere miſeriam ſuam. Ib. v. 26. Deo *ſtatuta ſua* promulgante, quæ ſunt lex fidei & charitatis, orare, *condocefaciat ipſum ſtatuta ſua.* i. e. ipſum illi viæ per ſpiritum ſuum aſſuefaciat ac docilem reddat. Ibid. verſ. 26. *Doceret ipſum Jehovah viam ſtatutorum ſuorum*, & *ſe retenturum illam ſemper.* Ibid. verſ. 33. *Bonitatem judicii.* i. e. ſenſum animi bonum, rectum judicium, rectum ἦθος, mores amabiles, quibus commendetur, & ſaporem gratum habeat inter homines, *& ſcientiam, doceat ipſum; cùm præceptis ejus*, per Moſen & Prophetas datis, *crediderit.* Ibid. verſ. 66. *Secundùm verbum ſuum faciat ſe prudentem*, viam veritatis & juſtitiæ doceat ipſum. Ibid. verſ. 169. *Traheret ſe* Sponſus, & *ſe poſt illum curſurum.* Cant. 1: 4. *Sanet ſe Jehovah, & ſanatum iri; ſalvum ſe faciat & ſalvum fore. Nam gloriationem ſuam eſſe illum.* Jer. 14: 17. Conf. cum poſterioribus 1. Cor. 1: 31.

§. 5. Eorundem porrò fuit virtutem Dei immenſam non modò multipliciter & inſigniter, ſed etiam maximo & glorioſiſſimo modo demonſtratam & explicatam agnoſcere & celebrare, ſicut prædictum Jo. 2: 26. *Celebrabitis nomen Jehovæ Dei veſtri, qui fecit vobiſcum ad miraculum uſque.* Et præceptum Pſal. 47: 12. *Lauda Jehovam*, memorem gratiæ ſuæ, quam exhibuit; *celebra Deum tuum, Sion.* non ſcandalizata humili ejus ſpecie. Facta autem illa celebratio verbis: *Jehovah, Domine noſter, quàm ingens eſt nomen tuum in tota terrâ!* Pſal. 8: 2. *Jehovah, in cælum gratia tua, fidelitas tua uſque ad æthera.* q. d. Talis ac tanta, ut æſtimari non poſſit; quemadmodum altitudinem cœli æſtimare non poſſumus. *Juſtitia tua*, quâ ſine ſanctitatis injuriâ, juſtificas peccatorem in Filio, propter dignitatem perſonæ eſt, *ut montes Dei; judicia tua*, quibus alios indures, alios recreas, *abyſſus magna.* imperſcrutabilia ſcil. Vid. Rom. 11: 33. *Hominem & pecus ſervas, Jehovah.* Ita judicas ſcil., ut non deſinas eſſe Servator hominum & pecudum, tùm omnium etiam brutorum hominum, quos ad pœnitentiam vocas, tùm maximè fidelium. *Quàm precioſa eſt gratia tua, ó Deus. Et* (vel *Nam*) *filii hominum in umbrâ alarum tuarum receptum habent. Irrigantur de opimitate domus tuæ, & torrente deliciarum potas illos.* Significatur ἡ τελείωσις, *conſummatio*, quæ datur ſub N. T. *Nam tecum eſt fons vitæ* omnis, & æternæ; Tu ſufficiens es ad beatitudinem: *Te lucente videmus lucem.* Tu affulges animabus noſtris; & nos ſentimus pacem, juſtitiam, & gaudium, initia vitæ æternæ Pſal. 36: 6. 7. 8. 9. 10. *Confitemur tibi. Deus, confitemur.* nos interroganti, annon videamus & cognoſcamus, te nobis factum eſſe in Deum, reſpondemus, Amen. *Et* enim *propinquum eſt nomen tuum.* Pſ. 75: 2. *Deus ſtatim congregatione Dei; in medio Deorum judicat.* Pſal. 82: 1. *Lucerna pedi meo*, dum ex tenebris enitor, *ſunt verba tua, & lux viæ meæ compendiariæ.* dum in verâ viâ ambulo, ut ſciam, me in viâ bonâ eſſe, & ſciam, quò eam, & quò perventurus ſim. Pſal. 119: 105. *Mirabiles ſunt teſtificationes tuæ.* i. e. verbum, cujus veritas te teſte comprobata eſt, incomprehenſibilia myſteria continet. Ib. verſ. 129. *Juſtus es Jehovah*, rectè ac decenter juſtificans peccatorem propter meritum & obedientiam Chriſti; *& rectum ſunt judicia tua.* quibus rejicis & induras maximè eos, qui omnibus prærogativis cæteris antecellunt, humiles verò recreas bono nuncio, & illuminas, & donorum tuorum participes facis. Ib. vers 137. *Confiteor te ex toto corde meo.* i. e. Aſtipulor

tuo,

tuo teſtimonio, & te agnoſco eum, quem nobis declarâſti verbo & opere, ſine hypocriſi, neque quia id videtur convenire concupiſcentiis meis, ſed quia amo juſtitiam tuam, & ſervitutem juſtitiæ tuæ, & communionem tui. *Adoro ad templum ſanctum tuum.* Chriſtum nim. in quo plenitudo Deitatis habitat corporaliter. Sive, in quo reperitur ad fidem & ſalutem, quicquid Deus & in Deo eſt, *& confiteor nomen tuum.* i. e. confiteor te manifeſtatum talem ac tantum, qualis quantus ad ſalutem noſtram & ad gloriam tui manifeſtari & credi voluiſti: *Propter gratiam & veritatem tuam.* quæ eſt in Chriſto Joh. 1: 17. *Quia magnificâſti ſuper omne nomen tuum*, quod hactenus à patribus auditum & pronunciatum eſt, *dictum tuum.* Pſal. 138: 1. 2. *Efferam te Deum meum, ô Rex.* i. e. agnoſcam & celebrabo te, in quo omnes promiſſiones ſunt Næ & Amen, in quo glorior, ut Deo meo, & exaltationem tuam ſuper omne nomen, principatus, poteſtates, ipſoſque Angelos, prædicabo; *& benedicam*, gratiarum actione proſequar, *nomen tuum.* omnem magnitudinem & bonitatem tuam, quæ de te prædicatur, *in ſæculum & perpetuitatem. Omni die benedicam tibi, & celebrabo nomen tuum in ſæculum & perpetuitatem. Magnus eſt Jehovah*, qui promiſſiones ampliſſimas, patribus factas, adimplet, *& laudandus valde, & magnitudo ejus eſt imperveſtigabilis. Generatio generationi laudabit opera tuâ, & præpotentias tuas* i. e. victoriam peccati & mortis, & ejus qui poteſtatem mortis habet, Diaboli, *indicabunt.* Pſalm. 145: 1 — 4. *Hallelujah.* Hæc vox excitat generaliter omnes ad celebrandum Deum in omni ſuâ decentiâ revelatum. *Celebra, anima mea, Jehovam. Celebrabo Jehovam, dum vivo; canam Deo meo, quamdiu ero.* Pſ. 145: 1. 2. *Solium gloriæ in celſo præ priori eſt locus ſanctuarii noſtri.* Jer. 17: 12.

§. 6. Fuit etiam eorum propter adventum Chriſti, & in conſpectu ejus, lætari. Quam lætitiam ita agnoſcunt Pſalm. 92: 5. *Lætificâſti me, ô Jehovah molitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo.* Et Spiritus prænunciat, Pſalm. 132: 16. *Pii ejus jubilando jubilabunt* ac jubet: *Gaude admodum filia Sion.* &c. Zach. 9: 9. Et de eâdem ſic, loquitur Eſaias, Eſai. 9: 2. *Amplificâſti gentem, non magnificâſti lætitiam: Lætantur coram te, velut lætitiâ in meſſe, quemadmodum gaudebant, cùm dividerent ſpolia.* Confert ſcil. hanc lætitiam cum gaudio, quòd ſuperioribus temporibus ex multiplicatione gentis, vel abundantiâ meſſis, vel diviſione ſpoliorum perceperant; dicitque illam hoc gaudium omne longè exſuperare. Conf. Luc. 2: verſ. 10.

Hanc lætitiam vult Spiritus eſſe mixtam *tremore.* Pſal. 2: 11.

§. 7. Ad utramque, nimirum & confeſſionem iſtam ſive celebrationem Dei, & Lætitiam, ſunt loca, in quibus fideles, qui viderint Deum in carne manifeſtatum, ſe mutuò & fratres ſuos cohortentur. Ut Pſalm. 95: 1. 2. *Venite, jubilemus Jehovæ*, regnum occupanti; *clangamus petræ ſalutis noſtræ*, ob victoriam & partam ſalutem; *veniamus ante faciem ejus cum confeſſione.* i. e. fideli gratiarum actione de donis omnibus, maximè de dono juſtitiæ. Et Pſalm. 100. Qui, ut ex titulo apparet, eſt *ad confeſſionem.* Ubi verſ. 1. 2. 3. Cohortatio fratrum huic tempori accommodata eſt iſta: *Jubilate Jehovæ.* Acclamate ei ut Diaboli & mortis victori, *omnis terra.* tam gentes, quàm Judæi. *Colite Jehovam cum lætitia, Venite coram eo cum cantu. Cognoſcite, quòd Jehovah ipſe*, Is nempe, qui manifeſtatus eſt patribus, & jam implet ſuas promiſſiones, & nullus alius, *eſt Deus*, dignus, in quem credamus cui tutò ad ſalutem confidamus. Pſalm. 147: 12. *Lauda, Hieroſolyma, Jehovam:* memorem gratiæ ſuæ, quam exhibuit; *celebra Deum tuum, ô Sion.* non ſcandalizata humili ejus ſpecie. Pſalm. 149: 1 — 4. *Hallelujah. Canite Jehovæ canticum novum.*

Deo

Deo nova opera faciente, & prædicante verba, juſtitiam, pacem, libertatem, regnum annunciantia, quæ Moſes in Cantico veteri præcinit ventura; *laudem* ſ. celebrationem, gloriationem *ejus*, quâ Ipſe ſe effert ſupra omnes Deos, *in panegyri ſanctorum.* ſ. cœtu illorum, qui Deum amant, tanquam juſtitiæ datorem in Chriſto. *Lætetur Iſraël*, non in terrâ; in urbe, in ſanctuario, in populo, in capitibus ejus, in ſacerdotibus aut ſacrificiis, ſed *in factore ſuo.* qui non tantùm facit ut ſit, ſed etiam ut juſtus ſit, & *πεπλεονασμένος*: *filii Tſijonis*, propago illorum, qui quondam in Sione manifeſtationem Filii Dei in carne exſpectarunt, & quicunque illum in Sione manifeſtatum viderunt, *gaudeant in rege ſuo.* non autem in ullo alio, putà Cæſare, gaudeant. *Celebrent nomen ejus in choreâ*, cum conſenſu, & motu membrorum omnium; *cum tympano & citharâ canant ipſi.* Ratio hujus lætitiæ: *Quia benevolentiam habet Jehovah in populo ſuo*: non ut olim pro impuro abſtinet ab altari ſuo, & ab acceſſu ad ſe cum oblationibus ipſorum, accuſans peccatum & reatum commemorans, & chirographum exigens; *ornat modeſtos*, qui renunciant præſidibus, ideoque facilè cedunt injuriis, *ſalute* donatâ, quâ ſint juſti & ſancti coram Deo. Pſalm. 150: 1. 2. *Hallelujah. Celebrate Deum-omnipotentem in ſanctuario ſuo: Celebrate ipſum in expanſo valido ipſius. Celebrate ipſum in præpollentiis ipſius: Celebrate ipſum pro amplitudine magnitudinis ipſius.* Eſai. 42: 10. *Canite Jehovæ canticum novum*, ſupra carmen ſcil. quo Deus celebratur ut creator, gubernator, judex mundi & patrator omnium magnorum operum, quæ Iſraël vidit patrata. nimirùm canite *laudem* (ſ. *gloriationem*) *ejus*, quâ Deus gloriatur contra impotentiam carnis & juſtitiam ejus, & contra vanam gloriationem Deorum habitantium in ſculptilibus. Quæ gloriatio fundatur in miſſione Filii Dei ad condemnationem peccati. *à fine terræ.* tota terra ſcil. ab ultimis uſque ejus finibus. omnes tribus Iſraël. Jo. 2: 23. *At, filii Tſijon, gaudete, & lætamini in Jehovah Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam.* Zach. 9: 9. *Gaude admodum, filia Tſijon, clange, filia Hieroſolymæ. Ecce rex tuus venit tibi.* &c.

§. 8. Et, ne quid videamur omiſiſſe, fuit eorundem, qui in Chriſtum à principio crediderunt, *ponere Jehovam fiduciam ſuam; & non reſpicere ad ferocias* ſ. *φρυάγματα, & declinantes per mendacium.* Pſal. 40: 5. Et *fœdus facere cum Ipſo per ſacrificium.* illud verum & unicum, Chriſtum, qui ſeipſum hoſtiam immaculatam Deo obtulit pro peccatis mundi. Pſalm. 50: 5. Et agnoſcere atque prædicare beatitudinem Chriſti, verbis: *Beatus vir timens Jehovam, in præceptis ejus ſe oblectans valde.* Pſalm. 112: 1. & orare: *Non nobis, non nobis, Jehovah, ſed nomini tuo da gloriam.* Pſ. 115: 1. & *ambulare in lege Jehovæ*, id eſt doctrinâ Chriſti, quam audiverunt; *& retinere teſtificationes ejus.* Id eſt, verbum Dei roboratum maximis divinitatis argumentis, quod continet ſeriam conteſtationem de benignâ ipſius voluntate in Chriſto, avidè recipere, & fideliter retinere, neque ab eo ad aliud verbum transferri; & *toto corde quærere ipſum.* i. e. Deo ut doctori attendere, animo non præoccupato aut nutante ad illum accedere, paratos credere omnia, quæ ille doceat. Pſalm. 119: 1. 2. 10. Deliberare, *In quo puer*, i. e. diſcipulus Chriſti unuſquiſque, qui verbum ejus ac ſermonem Euangelii receperit, ut puer, partim intellectum ſcil. partim non, *purificare debeat iter ſuum.* ſ. illud caſtum, ſimplex, & ſincerum, ſervare, ne à rectâ viâ in avia diſcedat. Et poſt deliberationem agnoſcere, id fieri, *obſervando* omnia quæ audiunt, & vident, *ſecundùm verbum Dei.* utrum ſcil. doceantur à Spiritu S. Et quæ cum illo verbo conjungi non poſſunt, tanquam inde profectum, & inde exſurgens, id ne recipiendo, ſed ſuſpectum habendo.

bendo. &c. Ibid. verſ. 9. Sic diſcipuli Chriſto dicebant: *Quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Joh. 6:68.

§. 9. Et, cùm hactenus in ipſum ſperâſſent, & umbræ carnalis hæreditatis ſervivîſſent, abdicare omnem hæreditatem, & à mundo Chriſtum non agnoſcente, & alia omnia eligente, ſe ſeparare, & donum illud cœleſte, Filium Dei in carne revelatum, in fide agnoſcere & accipere, verbis: *Portio mea eſt Jehovah*; & decernere, ſe ipſi credituros & ſervaturos verba ipſius, quæ ſunt verba vitæ, eaque ſemper meditaturos & ob oculos habituros, ut ex illis ſapientes & prudentes evadant, verbis: *Dixi, me obſervaturum verba tua.* Ibid. verſ. 57. Et, Deo ſuam doctrinam patefaciente, & tanquam magiſtro, publicè præſidente, indeſinenter illam doctrinam tractare, & de eâ, ſive ſint ſoli, ſ. cum aliis, loqui, idque teſtari verbis: *Quàm diligo legem tuam! Toto die illa eſt meditatio mea.* (vel *colloquium meum.*) Ibid. verſ. 97. Et in amore veritatis atque odio hominum ancipitum eundem ſenſum cum Chriſto habere, & dicere idcirco: *Ancipites odi, & legem tuam diligo.* Ib. v. 113. Et teſtari, *ſe teſtificationes Dei*, quas ſuprà laudabant, ut admirabiles, *retinere animâ ſuâ.* i. e. ſummo cum ardore & jucunditate accepiſſe, neque voluptatem alibi quæſiviſſe. Ibid. verſ. 129. Et vovere, poſtquam Deus *ſibi reſponderit*, & fecerit ſe audire verba ſua, *ſe cuſtodituros ſtatuta Dei.* nempe fidem & charitatem. Ibid. verſ. 145. Et *verba mirabilium Chriſti*, i. e. Euangelium, in quo clarè prædicantur & explicantur ea, quæ omnem mentem & cogitationem cordis humani excedunt, *meditari.* Pſalm. 145:5. Et *auxilium* habere *Deum Jacobi*, & *ſpem ſuam ſuper Jehovah Deo ipſius.* Pſalm. 146:5. Et caſto amore proſequi ipſum, & ſic *amare* Sponſum. Cant. 1:3. f. *diligere Ipſum.* Ibid. verſ. 4. f. *Et niti Jehovah Sancto Iſraëlis.* Eſai. 10:20. *Timere Jehovam* Eſai. 11:3. & ſe componere ad abnegandum hæreditatem terrenam, & cedendum injuriis, nec reſiſtendum malo, unde *Manſueti terræ* appellantur, Eſai. 11:4. Et profiteri, Sibi *iter judiciorum Divinorum*, i. e. ambulare in iſtis judiciis, ſ. juxta regulam ſecundùm quàm Chriſtus judicat, quæque in Euangelio continetur, *ſecundùm nomen Jehovæ*, quod in ipſis eſt expoſitum, & *ſecundùm memoriam ejus*, i. e. ſecundùm Euangelium auditum in toto mundo, *concupiſcentiam animæ.* i. e. ſuave & jucùndum, *eſſe.* Eſai. 26:8. Ab eo, quem omnes *audire* oportet, *diſcere vias populi Dei*; *ut jurent in nomine Dei, vivit Jehovah.* Jerem. 12:16. 17. Et *confidere Jehovæ.* Jer. 17:7. Et *in monte ſancto Dei, & in monte celſitatis Iſraël, colere Jehovam*; idque *in terrâ.* Ezech. 20:40. Et *invocare*, vel *nuncupare*, aut *profiteri, nomen Domini.* quæ invocatio non eſt niſi in Chriſto, & quâ Chriſtus adorandus & invocandus docetur. Jo. 3:5.

§. 10. Gentem quod attinet, ex quâ Deus hunc populum credentium ſibi collegit, dum in terris verſaretur, is fuit Iſraël, ſemen Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, ſecundùm carnem, quia huic ſemini facta erat promiſſio, fore, ut Deus ipſi fieret in Deum, & ut in illo ſemine, non tantùm ut cauſâ & auctore, ſed etiam ut exemplari & primitiis ſalvandorum in toto mundo, benedicerentur omnes gentes, & familiæ terræ, Nominatim τὸ δωδεκάφυλον, duodecim tribus, quarum reliquiæ poſt captivitatem Aſſyriacam & Babylonicam, partim in terrâ remanſerant, partim cum tribu Judæ vel parte ejus domum reverſæ, & in nomen illius conſpirantes, ita ut uni Senatui & metropoli omnes ſubeſſent, in immenſum auctæ totam terram & vicinas urbes, regiones atque provincias oppleverant, uti in ſuperioribus abundè oſtenſum eſt. Quare & nomine *omnium tribuum Iſraëlis*; Deut. 29:21. *totius domus Iſraëlis*; Ezech. 20:41. *Filiorum Judæ & filiorum Iſraël congregatorum unà*;

unà; Hoſ. 2: 2. *Domus Jacobi*; Am. 9: 8. & Ob. verſ. 17. *Filiorum Iſraëlis*, Mich. 5: 2. qui ab initio crediderunt Chriſto, inſigniuntur in prophetiâ. Nec tamen idcirco opus eſt, ut omnes & ſingulos Iſraëlitas aut Judæos ad Chriſtum converſos intelligamus. Repugnaret enim & hiſtoria, & ipſa Prophetia; quæ, ut paulo poſt demonſtrabitur, maximam partem norunt incredulorum. Sufficit, quod electi ex omnibus tribubus fuerint adducti, iique nomen ſeminis benedicti gerant. Nec id quidem ſine auctoritate Scripturæ, quæ, quod de omnibus tribubus, & toto Iſraële, modò dixerat, expreſſè de *reliquiis Iſraëlis*; Eſai. 10: 20. 21. 22. *Jacobo & Iſraële vocato Dei*; Eſai. 48: 12. De eo, *quem Deus reliquum facturus ſit*; Jerem. 50: 20. de *Evadentibus*, & *Superſtitibus*; Eſai. 10: 20. Jo. 3: 5. Ob. verſ. 14. & 17. *quos* nim. *Jehovah vocaverit*; Jo. l. c. interpretatur.

§. 11. Statum & conditionem credentium, quoque notat Scriptura;

1. Internum ac ſpiritualem. Quòd *Sancti* (ita honorificè appellantur propter gratiam ipſis jam per Chriſtum impetratam. Pſal. 16: 3. Ubi & dicuntur *eſſe in terrâ*.) Quòd *pii Dei*. i. e. Studioſi Dei & gloriæ ipſius. Pſalm. 50: 5. 132: 9. *Pii Sionis*. Pſalm. 132: 17. Quòd caſti, ut *virgines*, non ſcortantes ſcil. vel alium dotantes. Cant. 1: 3. f. quòd *recti*. Ibid. verſ. 4. f. *quorum* ſcil. *anima erat recta in ipſo*. Hab. 2: 4. *Manſueti terræ*. i. e. Ii ex populo, qui ad condonandum, ad donandum, ad cedendum hiſce rebus terreſtribus erant parati. Eſai. 11: 4. 61: 1. *Canna quaſſata*, *linum hebes*. Id eſt infirmi, & in quibus parum ſupererat lucis; pauperes, non divites & pleni; peccatores, non juſti. Eſai. 42: 3. *Confracti corde*. Qui nim. cor quaſi vulneratum gerebant propter peccata, & quia nomen Dei blaſphematur. Eſai. 61: 1. *Captivi*, *& vincti*. Tum longius abducti, tum ſub pædagogiâ legis captivi retenti in fidem revelandam, tanquam in lacu non habente aquam. Ib. v. 1. *Lugentes*; Super jacturis Iſraëlis, maximè etiam ſuper imminutâ gloriâ Dei. Ib. verſ. 2. & 3. *Inopes* i. e. viribus & juſtitiæ ſuæ diffidentes; *percuſſi ſpiritu*. Lugentes ob peccata, & imminutam gloriam Dei. Eſai. 66: 2. *Suſpirantes & gementes propter abominationes Hieroſolymæ*. Ezech. 9: 4. *Fracti*. i. e. contriti corde, & lugentes. Ezech. 34: 16. *Ægri*. i. e. languentes propter defectum cibi recreantis animam. Ibid. *Macilenti*. non *pingues*. i. e. Eſurientes ac ſitientes juſtitiam; non ſaturi. Ib. verſ. 20.

2. Externum; quod fuerint infimi populi, ut piſcatores, publicani; rudes & illiterati, ut pueri, mulieres; peccatores, ut publicani & meretrices; malis gravati, ut leproſi, dæmoniaci, &c. Unâ voce, probra ac dedecora iſtius ſæculi. Ita enim Moſes: *Filii ejus labes ipſorum*. Deut. 32: 5. David: *Ex ore puerorum & lactentium fundâſti robur*. i. e. Euangelium, organum, per quod Deus potenter efficax eſt ad fidem & ſalutem, curâſti prædicari, & contra omnes exceptiones ex Moſe & Prophetis fundari, per homines præ cæteris, infirmos, rudes, imperitos, & ſimplices. Pſal. 8: 3. *Judices populum tuum in juſtitiâ, & inopes tuos in judicio*. Pſalm. 72: 2. Eſaias: *Ecce ego & pueri, quos donavit mihi Jehovah, in ſigna & prodigia in Iſraële*. Quum enim illi ſint minimi in populo, ἀγράμματοι, imò publicani, meretrices, peccatores, tamen ita per me ſanantur, ut fiant filii Dei, & in omnibus tentationibus mihi adhæreſcant & ſe regendos mihi præbeant. Eſai. 8: 18. *Et judicabit in juſtitiâ tenues*. h. e. ſubmiſſos, viles, abjectos, exhauſtos. Eſai. 11: 4. Jeremias: *Parvi ovium*. Jerem. 49: 20. Ezechiel in ſummâ: *Et cognoſcent omnes arbores agri, quòd ego humiliavi arborem altam, exaltavi arborem humilem; exareſeci arborem viridem, & feci florere arborem aridam*. Ezech. 17: verſ. 24. Et in ſpecie:

 Perdi-

Perditam, non curatam à paſtoribus, *quæram*; *depulſam*. i.e. averſos à viâ bonâ peccatores *reducam* in viam, ſalvabo. Ezech. 34: 16. Amos: *Deſtructa Davidis erigam*. Am. 9: 11. Zacharias: *Et pavi oves occidionis ad præparandum*, ſive confirmandum, *miſeros* & inopes *gregis*. Zach. 11: 7. *Cognoverunt paratum* ſive rectum *inopum gregis*. quicunque inter inopes & miſeros gregis recti & parati fuerunt. Ibid. verſ. 11. *Retuli manum meam ſuper parvulos*. Zach. 13: 7. Quare & Chriſtus neceſſe habuit factum ſuum, quo filios faciebat ex miſeris peccatoribus, defendere; uti eſt Eſai. 45: 10. 11. & Eſai. 53: 3. *deficiens virorum*, utpote non viros, i. e. non ſapientes, potentes, divites, circa ſe habens, appellatur. Et ſalvandorum reſpectu hunc ordinem inſtituit Chriſtus, ut prius & magis in Galilæâ, quæ terra à literis, inſtitutione Sacerdotum, & cognitione legis erat elongatiſſima, quàm Hieroſolymis, Euangelium prædicaret, & ſigna potentiæ ac gratiæ multifaria oſtenderet, & diſcipulos quamplurimos atque credentes, inde haberet. Quod iam prædixerat Eſaias: *Populus ille, ille ambulantes in tenebris* ignorantiæ & errorum, *viderunt lucem magnam*; *ſedentes in terrâ umbræ mortis*, i. e. Galilææ, *lux exſplenduit ſuper illis*. Eſai. 9: 1. Id enim dici de habitantibus in Galilæâ, quibus Chriſtus primò innotuit, patet ex cap. 8: 23. Idemque ſignificavit Zacharias in iſtis: *Et ſalvabit Jehovah tentoria Judæ initio*; *eò ut non magnificetur decus domus Davidis & decus habitatoris Hieroſolymæ ſuper Judam*. q. d. Humilis veniet, ſine regiâ dominatione, qualem David habuit, neque per Synedrium Hieroſolymis reſidens & Pontifices, & celebres doctores, ſed per ſeipſum ſalvabit eos, qui longè aberant à ſapientiâ & inſtitutione Hieroſolymitanorum; quales Galilæi piſcatores.

§. 12. Juvat cum his conferre hiſtoriam. Ita autem ſonat: Matth. 11: verſ. 25. *Confiteor tibi, Pater, domine cœli & terræ, quòd celâſti hæc ſapientes & prudentes, & revelaſti pueris*. Matth. 10: 6. *Ad oves perditas domus Iſraël*. Matth. 9: 13. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam*. Matth. 21: 13. *Publicani & meretrices præcedunt vos &c*. Luc. 1: 52. *Dejecit potentes à thronis, & exaltavit humiles*. Luc. 7: 29. *Populus omnis & publicani juſtificarunt Deum. At Phariſæi & legis-periti conſilium Dei irritum fecerunt ad ipſos, non baptizati ab ipſo*. verſ. 34. *Amicus publicanorum & peccatorum*. verſ. 35. *Et juſtificata eſt Sapientia à filiis ſuis omnibus*. Luc. 12: 32. *Ne timeas, parve grex. Patri placuit vobis dare regnum*. Luc. 19: 10. *Venit quærere perditum*. Joh. 9: 39. *Veni, ut non videntes videant, & videntes cæci fiant*. Joh. 7: 48. 49. *Num quis ex principibus credit in ipſum, aut ex Phariſæis? Sed plebs iſta, quæ non intelligit legem, maledicti ſunt*. verſ. 52. *Propheta ex Galilæâ non eſt excitatus*. 1 Cor. 1: 26. *Videte vocationem veſtram. non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed ſtulta mundi elegit Deus, ut ſapientes confundat, & imbecilla elegit Deus, ut confundat robuſta, & ignobilia mundi, & quæ pro nihilo habentur, elegit Deus, & quæ non ſunt, ut quæ ſunt, aboleat*. Add. 1 Cor. 4: 9. 13.

§. 13. Nec tamen adeo à Viris Chriſtus erat deſtitutus, ut neminem ex iis diſcipulum aut credentem haberet. Quippe & *Regibus* h. e. illis, qui in rep. illâ, quæ habet regnum Dei, quaſi loco Dei regimen exercebant, & populum legibus & doctrinâ ſuâ regebant; & *Judicibus terræ*, qui nim. juſtos vel injuſtos, puros vel impuros, pronunciando, terram in ordine continebant, erat mandatum in prophetiâ: *Animadverterent*, i. e. Regi à Deo uncto cor ſuum apponerent, & cum attentione diſcerent; *& audirentur*. Submitterent ſe ipſius correptioni, reprehenſioni, caſtigationi. *Servirent Jehovæ in timore, & gauderent in tremore. Exoſcularentur*

Filium,

Filium, unicum auctorem juſtitiæ & ſalutis; *ne iraſcatur & pereant quoad viam*, permiſſi ſuis conſiliis & ratiocinationibus, &c. Pſal. 2: 10. 11. 12. Et generaliter omnibus, ac ſine diſcrimine gentium, ordinum, ſexus quoque & ætatis, erat dictum: *Celebrate Deum, Reges terræ & omnes nationes, Principes & omnes judices terræ. Juvenes & virgines etiam, ſenes cum pueris. Celebrent nomen Jehovæ.* &c. Pſal. 148: 7. 11. 12. 13. Nullum autem in Scripturâ exſtat mandatum, quod non in aliquibus cooperante gratiâ, fuerit efficax. Nec tantùm oraverant pii ſub V. T., *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ.* Pſalm. 132: 9. Sed & abſolutè Spiritus prædixerat: *Sacerdotes ejus induam ſalute.* Pſalm. 132: 17. Proculdubio ergo fuerunt, & ex illo ordine, qui, ut Zacharias, & Johannes Baptiſta; & ex Principibus, qui ut Nicodemus, & Joſephus Arimathæenſis, in ipſum crediderunt.

§. 14. Tandem notat Scriptura & Paucitatem fidelium in primo Chriſti adventu. Vocat enim Moſes *generationem* illam, cui Chriſtus apparuit, *perverſam & diſtortam.* Deut. 32: 5. Et prævidit David, *Matutinum* illud, quo lucente, Sol juſtitiæ Chriſtus exoriebatur, *fore, ſine nubibus.* quo ſignificatur, quòd in Chriſti παρουσίᾳ non erat futura magna apparentia pluviæ ſive benedictionis conjecti in terram ſeminis à Chriſto, i. e. verbi ab ipſo prædicati. 2 Sam. 23: 4. *Et offendentur in eo multi.* & quidem plures, & vilitatem ejus deſpectui habebunt. Eſai. 8: 15. *Quare veni, & non eſt vir? Clamavi, & non eſt reſpondens?* Conqueritur ſcil. Chriſtus, quòd cùm venerit & clamaverit, vix ullum repererit dicto obedientem. Eſ. 50: 2. *Quis credidit auditui noſtro*, ei, quod nobis annunciatum eſt: *& brachium Domini ſuper quem revelatum eſt?* In pauciſſimis ſcil. manifeſtata eſt vis Spiritus ſancti convertentis animas per verbum Euangelii ſalutis. Eſai. 53: 1. *Quoniam vocavi, & non fuit reſpondens.* Eſai. 66: 4. *Audite, ô tu Tribus. Et quis fecit illam convenire.* Nemo ſcil. illam fecit convenire. Nemo impetravit, ut accederet Tribus ad Dominum concionantem, & ipſi auſcultaret, atque colligeretur & congregaretur ab Ipſo. Mich. 6: 9. f. *Væ mihi! quia extiti, ut in collectionibus autumnitatis, ut in racemationibus vindemiæ! Non eſt racemus ad comedendum; præcoqua, quam concupivit anima mea.* Scil. debebat eſſe populus, à Chriſto viſitatus, ut hortus fructibus abundans & jam præcoquos exhibens, & inventus eſt habens inſtar horti ablecti. Mich. 7: 1. *Et quis eſt, qui ſuſtineat diem adventus ejus? & quis eſt, qui ſtet, quum is apparebit?* Tam efficax erit ipſius exploratio, ut nemo hypocrita ſuſtinere illam poſſit. Talia enim loquetur & faciet & patietur, ut neceſſe ſit, qui alia omnia ſentiunt, in ipſo ſcandaliſari: ut qui exſpectant Meſſiam bellatorem & imperatorem, qui quærunt poſſeſſionem terræ; qui per opera legis volunt juſtificari. Ita ſcoriæ & ſordes efficaciter per ipſum ſeparabuntur. Qui autem, ut aurum & argumentum perſtabunt, pauciſſimi erunt. Mal. 3: 4. Atque ita eſt. Luc. 12: verſ. 32. τὸ μικρὸν ποίμνιον.

§. 15. Cæterùm Scriptura eos, qui ſic Chriſto & Deo per veram ac vivam fidem adhæreſcebant, prædicat *Beatos*; Pſalm. 41: 2. 119: 1. 146: 5. *Benedictos*; Jerem. 17: 7. *Juſtos.* Hab. 2: 4. Iiſque per conſequens addicit *Vitam*; Hab. l. c. Et promittit, quòd *non feſtinabunt*, ſ. *præcipitabunt*, ἀπορίᾳ confuſi. Eſai. 28: 16. quòd ſint *ædificandi in medio populi Dei*; Jerem. 12: verſ. 16. & ſint *futuri, ut arbor plantata apud aquas, & quæ apud amnem porrigit radices ſuas, & non videt cùm venit æſtus, ſed eſt folium ejus viride, & in anno æſtuoſo non timet, neque recedit à faciendo fructu.* Jerem. cap. 17: verſ. 8. & quòd *in monte ſancto ſuo, in terrâ, ipſos ſit acceptos habiturus, & ibi requiſiturus ipſorum conſecrata, & primitias ferculorum ipſorum, cum omnibus ſacris ipſorum.* Ez. 20: 40. 41.

ARTICULUS XV.

PORrò Chriſtus, ut quæ de Ipſo prædicta erant, impleret, ex electis & vocatis fidelibus ſeparavit aliquos, qui ſervirent Ipſi in Euangelio, & teſtes fierent eorum, quæ viderent & audirent, in toto mundo.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hi ſunt, quos Scriptura vocat *Duces eorum, in quibus eſt omnis voluptas Dei.* i. e. Apoſtolos; deſignatos Chriſti legatos in mundum; ut verbo & vitâ credituris prælucerent, eoſque adducerent ad Chriſtum. Pſalm. 16: 3. *Narrantes mirabilia Dei.* Inprimis illud maximum & mirabile admodum Dei opus, quod eſt revelatio gloriæ Dei, ad redimendum Iſraëlem, & ei parandam juſtitiam. Pſalm. 75: 2. *Celebrantes Deum omnipotentem in ſanctuario ipſius, in expanſo valido ipſius, in præpollentiis ipſius &c. cum clangore tubæ.* Vox enim Apoſtolorum, quâ perſonuerunt totum mundum, *tubæ clangoris* inſtar habuit. Pſalm. 150: 1. 2. 3. *Angelos gentis.* Id eſt, Apoſtolos miſſos ad gentem, & ex ipſa; *quum Deus fundaret*, per redemtionem, *Sionem; & ad illam receptum haberent inopes populi Dei.* Eſai. 14: 32. *Paſtores ſecundùm cor Dei*, non qui in populum, ut Servos, dominatum exerceant, ſed qui eos *paſcant*, ducant, regant, ſuis admonitionibus, tanquam oves Dei; idque faciant *peritè & circumſpectè.* utpote ducti à Spiritu Sancto. Jerem. 3: 15. *Piſcatores & venatores*; qui partim ipſos *piſcentur*, eſcam appetentes; partim *venentur.* i. e. claritate demonſtrationis ſuæ cogant manus dare veritati, vel ſaltem confutent, & obtundant vi veritatis. Jer. 16: 16. *Filios Levi.* miniſtrantes nimirum Deo & Chriſto in prædicatione Euangelii, quo oblatio ut gentium, ita Iſraëlis ſit grata Sanctificata in Spiritu Sancto. Rom. 15: 16. Atque ita ſupplentes locum Sacerdotum in N. T. Mal. 3: 5.

§. 2. Eſt quoque, ubi Apoſtolis cum præcepto prædicandi, datur inſtructio quoad rem prædicandam. Ut Eſai. 3: 10. *Dicite*, prædicate, *juſtum*, Eccleſiam Chriſti, cœtum juſtorum, redemptum nimitum per judicium & juſtitiam, lavantem ſe in ſanguine agni immaculati, purificantem ſe, deſinentem malefacere, & diſcentem benefacere, *quòd bonus beatuſque eſt.* ἀγαθὸς τῷ Θεῷ καὶ μακάριος. Item Eſai. 40: 6. 7. 8. *Auditur vox dicentis; Prædica: & eſt qui dicat, quid prædicabo? Omnis caro gramen, & omnis pietas ipſius ut flos agri. Exareſcit gramen defluit flos, quum Spiritus Domini flaverit in illum. Utique gramen eſt populus. Exareſcit gramen, defluit flos, & verbum Dei noſtri ſtat in ſæculum.* Scil. vult Deus prædicari 1. rejectionem omnis ſtudii carnis, ut inutilis ad conſiſtendum coram judicio Spiritus Dei, vel placendum Deo, tanquam ſi juſtitia ſit. 2. Ἀδυναμίαν non tantùm reliquorum hominum, ſed etiam populi ad faciendum quicquam bonum. 3 Efficaciam verbi Dei. verbi nim. Teſtamenti, Sponſionis, Promiſſionis. In eo enim eſſe vitam, regenerationem, juſtificationem, glorificationem. Idque, quia ſtat in ſæculum, & nunquam intercidit. Add. 1 Pet. 1. v. ult.

§. 3. Quin etiam Eſai. 3: 10. & ſeqq. confirmantur Apoſtoli & diſcipuli Chriſti ad prædicandum Euangelium partæ juſtitiæ, variis argumentis. Primò ſcil. à promiſſione fructus juſtitiæ, in hâc & in futurâ vitâ: *Quia fructum ſtudiorum ſuorum comedent.* verſ. 10. Add. 1 Tim. 4: 8. Secundò ab infelicitate injuſti: *Væ improbo malo, quia prærogatum manuum ipſius fiet ipſi.* verſ. 11. Tertiò à populi & principum

cæcitate:

cæcitate : *Populus meus , exactores ejus pueri ſunt* , non tam ætate , quàm peritiâ , ut Heb. 5: 12. 13. 14. *& mulieres* , ut Herodias , Bernice , Druſilla &c. *poteſtatem habent in illum. Popule mi , qui ducunt te , ſeducunt , & viam itinerum tuorum corruperunt.* verſ. 12. Quartò à promtitudine Dei ad contendendum, & judicandum populos : *Stat ad contendendum Jehovah , & conſiſtit ad judicandum populos.* Et hoc argumento excitat Servator ſuos diſcipulos ad ἀποκαραδοκίαν ſuæ ἀπολυτρώσεως & vindictæ hoſtium. Matth. 24: 33. Luc. 21: 28. 31. Explicatur id (*a*) quoad Seniores populi in contentione ; verſ. 14: 15. (*b*) quoad populum in judicio ; verſ. 16 —— 26. 4: 1. Quintò à gloriâ Chriſti , tùm multis aliis rebus , tùm hoc judicio hoſtium manifeſtandâ , & adverſus calumnias & blaſphemias juſtificandâ : *Illo die erit germen Jehovæ in decus , & in gloriam , & fructus terræ in erectionem & ornamentum , evaſoribus Iſraëlis.* cap. 4: 2. Sextum & ſeptimum , argumenta , quibus ſuadetur Prædicatio juſti , quia pertinent ad citeriora tempora , hîc non recenſemus.

ARTICULUS XVI.

NEc tantùm præcones regni cœlorum, ſed etiam mirabilium operum patratores, lectos Apoſtolos jam tùm fecit.

DEMONSTRATIO.

Id ita ſignificavit Spiritus per Davidem : *Victorioſum erit in terrâ ſemen ejus.* Viri nempe illius, de quo verſ. 1. i. e. Chriſti. Id enim notat, Illum habiturum diſcipulos , non tam numero , quàm operibus Divinis & Spiritus S. demonſtratione hoſtibus prævalentes , tàm in carne dum erit , quàm poſtquam aſcenderit in cœlum. Pſal. 112: 2. Et Ipſe apud Eſaiam ſic loquens : *Ecce ego , & pueri , quos mihi dedit Jehovah , in ſigna & in prodigia in Iſraële , à Jehovah Deo exercituum , qui habitat in monte Sion.* Signa nim. in quibus Divina potentia conſpiciatur , Deo interim teſtante habitationem ſuam in Sione , h. e. recordationem fœderis , quod fecit patribus ad viſitandum populum Iſraëliticum , & ei impertiendum juſtitiam & vitam demonſtrante. Eſ. 8: 18.

ARTICULUS XVII.

ET hâc quidem ratione Chriſtus per doctrinam & opera ſua erat efficax in iis qui crediderunt. Quoniam verò dicta & facta ejus talia erant, ut, qui non haberent verbum Dei in ſe manens , facilè poſſent in eis ſcandalizari, & pleraque pars populi, exceptis reliquiis, de quibus modò dictum eſt, ex eo genere erant ; hinc factum eſt, ut non obſtante doctrinæ ejus certitudine , utpote quæ in Moſe & Prophetis erat fundatiſſima , & miraculorum eam comitantium evidentiâ , & inprimis vitæ innocentiâ exactiſſimâ , quæque eo quòd per paſſiones probaretur , qualitatem & officium perſonæ , eam præſtantis, haud obſcurè innuebat : Plurimi tamen, præſertim primores populi, Judices, Doctores, & Sacerdotes, manſerint inobedientes & increduli, & noluerint ab eo utut clementiſſimè invitante congregari.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc plerorumque inobedientiam & incredulitatem ita prætaxavit Spiritus per Moſen: *Et fiat, quum audieris verba adjurationis hujus, & benedicat ſibi in corde ſuo, dicendo, Pax erit mihi, quum in duritie cordis mei ambulabo, ad addendum irriguam ſitienti.* Deut. 29: 19. *Pro eo quod deſeruerunt fœdus Jehovæ, Dei patrum ſuorum.* Ibid. verſ. 25. In Pſalmis: *In unum ſeſe colligunt gentes, & nationes cogitant vanum; ſtitunt ſe reges terræ & principes conſilium agunt unâ, contra Jehovam & unctum ejus.* Quo propoſito? *Rumpamus vincula eorum*, timorem & reverentiam Domini & Chriſti ejus excutiamus, *& abjiciamus à nobis funes illorum.* non modò præceptis illorum non pareamus, ſed & amoliamur è medio noſtri, qui obedientiam illorum præceptorum exigunt, Chriſtum nempe & Apoſtolos ejus. Pſal. 2: 1. 2. 3. *Deus* per manifeſtationem Filii ſui in carne, *de cœlo proſpectavit*; nec tamen eâ re effectum eſt, ut improbi relinquerent vias ſuas, ſ. Judæi, ſ. gentiles, ſed quum eſſent ſtulti i. e. mortui in lapſibus & peccatis, *Dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus.* Quòd profectò illis competit, qui non credunt promiſſioni & Evangelio. Oportet enim accedentes ad Deum credere Deum eſſe, & remuneratorem eſſe illis, qui quærunt ipſum. Quum autem hoc in Evangelio patefactum ſit, qui id non receperunt, dixerunt & ore & corde, *Non eſt Deus.* i. e. Deum Salvatorem & Sanctificatorem abnegarunt. Non enim ſufficit ad cognitionem Dei, ſi quis novit, quòd ſit convictus, eſſe Ens primum, idque unum eſſe. Quod ſolum propemodùm eſt, quod Judæi de Deo ſciunt. Pſal. 53: 1. 2. *Refractarii* i. e. Judæi nolentes obedire Chriſto. Pſal. 68: 7. *Sed non auſcultavit populus meus, & Iſraël non eſt aſſenſus mihi.* Pſ. 81: 12. *Non recognoverunt, neque attenderunt. In tenebris ambulant.* Sunt cæci. Joh. 9: 39. Pſal. 82: 5. *Vir brutus*, Spiritu Dei carens, *non novit, & ſtultus* amore rerum terrenarum infatuatus, non *animadvertit hoc.* quod Deus facit & molitur. *Quum virent improbi inſtar herbæ, & florent omnes operantes vanitatem*: Pſ. 92: 7. 8. *Et adamavit maledictionem*, ſ. legem maledicentem, & maledictionem, *& obvenit ei; & non delectatus eſt benedictione*, & fide ejus in Chriſtò, *& elongata eſt ab ipſo.* Pſal. 109: 17. *Lapis, quem ſpreverunt architecti.* Pſal. 118: 22. *Rectum ſunt judicia tua.* quibus celſos illos & ſapientes & videntes induras, humilès verò & cæcos vocas & illuminas. Pſal. 119: 137. Quibus adde illud ex poſtremis Davidis: *Et tanquam lux matutina orietur Sol. Manè abſque nubibus erit.* q. d. Prima Chriſti apparitio erit ſine nube, h. e. ſine apparentiâ futuræ benedictionis ad fructificationem. 2 Sam. 23: 4. Per Eſaiam: *Vade, & dic populo huic: Audite audiendo, & ne intelligatis; & videte videndo, & ne cognoſcatis. Impinguando impinguavit cor populi hujus, & aures ejus aggravando aggravavit, & oculos ejus oblinendo oblevit: ne videat oculis ſuis & auribus ſuis audiat & cor ipſius intelligat, & convertatur, & ſanet eum.* Scil. non videbant Judæi vel recognoſcebant, quod videndum erat; quamvis viderent Jeſum, & opera ejus, & audirent ex ipſo ea, quæ Deus per prophetas ipſum dicturum promiſerat. Eſ. 6: 9. 10. *Etſi non creditis, quia non permanebitis.* Eſ. 7: 9. *Et erit* primùm *in ſanctuarium*, deinde, ſ. ſimul, *in lapidem offenſionis.* h. e. erit ipſis remora, erit moleſtus, injucundus, cupient illum de viâ remotum. Fiet ipſis, ipſorum culpâ, occaſio peccandi enormiter, & regnum Dei ac juſtitiam ejus rejiciendi, *ambabus domibus Iſraelis. Et offendent in eo multi.* nec minima quidem pars populi, ſed plures. Eſ. 8: 14. 15. *Dixit vigil: Venit manè, atque etiam eſt nox.* Venit quidem is, qui annunciat lucem populo & gentibus, ſed tamen nox ignorantiæ

tiæ & errorum in pleriſque manet. Eſ. 21: 12. *Quia dixerat ad ipſos : Hæc eſt requies ; date quietem laſſo : Et hæc eſt tranquillitas : & non voluerunt audire.* Eſ. 28: 12. *Ecce ego is, qui fundavit in Sione lapidem, lapidem explorationis,* per quem qui credant, qui non, fiant manifeſti : *credens non præcipitabit.* Ibid. verſ. 16. *Nam fudit ſuper vos Dominus ſpiritum ſoporis, & concluſit oculos veſtros. Prophetas & capita veſtra, videntes obtexit. Et exſtitit vobis inſtar univerſi ut verba libri obſignati.* &c. Eſ. 10: 11. 12. *Quis cæcus eſt niſi ſervus meus? & ſurdus, ut legatus meus, quem mitterem? quis cæcus, ut qui conſummatus eſt, & cæcus ut ſervus Jehovæ?* Intelligitur Iſraël, ut patet ex verſ. 24. Illi Deus concrediderat ſua oracula, & omnibus rebus illum obligaverat ad hoc, ut ſe præſtaret idoneum, ad docendum gentes, inprimis eo, quòd conſummatio ſalutis, jam apud ipſum eſſet facta, atque ita ad conſummatam lætitiam eſſet invitatus. *Videndo vidit multa, & non obſervabat, acutis erat auribus, & non audiebat.* Nempe in Judæis pleriſque non tantùm fuit ignorantia & ſtupor, ſed voluntaria rejectio regni Dei propter ſua præjudicia & concupiſcentias, qui in multis aliis rebus ſatis acuti & perſpicaces fuerunt. Et habuerunt aliquatenùs oculos ad videndum, quatenùs principia cognita habuerunt, ex quibus poterant ac debebant proficere, ſed noluerunt. Eſ. 42: 19. 20. *Quis dedit in dilacerationem Jacobum & Iſraëlem direptoribus? An non Jehovah, cui peccavimus, in cujus viis non voluerunt ambulare, & cujus doctrinam non audiverunt.* Ibid. verſ. 24. *Feci te audire nova de nunc, & retenta, quæ non cognoveras. Nunc creata ſunt, & non pridem, & ante diem non audiviſti illa : ne dicas, ecce noveram illa, ſimul non audiviſti, ſimul non cognoviſti, ſimul non aperuit ſe auris tua : nam noveram, quòd perfidè acturus eſſes, & defector ab utero nominatus es.* Eſ. 48: 6. 7. 8. *Atqui ego dixeram, in vanum laboravi.* h. e. ea fuit ſpecies primæ apparitionis, q. parum eâ eſſet effectum. Eſ. 49: 4. *Quare veni. & non eſt vir? clamavi, & non eſt reſpondens?* Eſ. 50: 2. *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Jehovæ ſuper quem revelatum eſt?* Eſ. 53: 1. *Spretus; & non reputavimus ipſum.* prout dignum erat, æſtimavimus. Eſ. 53: 3. *Exciſus eſt ex terrâ viventium propter defectionem populi mei.* à rege ſuo, & rejectionem ejus. Eſ. 53: 8. *Cùm ipſe pro defectoribus oraret.* Ibid. verſ. 12. *Et ipſi inobedientes exſtiterunt.* Eſ. 63: 10. *Etiam illi elegerunt vias ſuas, & abominationibus ipſorum anima ipſorum delectatur.* Eſ. 66: 3. *Quoniam vocavi & non fuit reſpondens, locutus ſum & non audiverunt, & fecerunt malum in oculis meis, &, quo non delector, elegerunt.* Eſ. 66: 4. *Enimverò perfidè abiit mulier à ſocio ſuo; ſic perfidè egeſtis mecum, domus Iſraël : ait Jehovah.* Jerem. 3: 20. *Et ſi non audient, avellam gentem illam penitùs & perdam, ait Jehovah.* Jerem. 12: 17. *Peccatum Judæ,* quo non cogitant ſe purificatione indigere, *ſcriptum eſt ſtilo ferreo & ungue adamantino exaratum eſt in tabulâ cordis eorum.* Sciunt enim, ſe peccatores eſſe, & à reatu ſuo non purificatos, cùm quotidie peccatum & reatum ſuum cogantur fateri, *& in cornibus altarium eorum,* quæ dum indeſinenter adſperguntur ſanguine ſacrificiorum, & tamen quotannis indigent expiatione, teſtantur contra ipſos, quòd ſint injuſti. Et eo magis ſe fatentur reos & impuros, quia pro peccato offerunt *recordando altaria* patrum ſuorum, *& Idola ipſorum apud arborem viridem, in collibus altis.* In conſcientiâ nim. idololatriæ à patribus exercitæ. Nam qui accedit ad Altare manufactum, non in fide altaris non manufacti, is accedit ad illud non aliter, quam is, qui ſacrificat idolo apud arborem viridem, & in collibus, ſ. celſis. Jerem. 17: 1. 2. Hinc verſ. 3. & *celſa ſua* Iſraëli exprobrantur, & *peccâſſe* ipſos in iis ſimul indicatur. Quale autem iſtud peccatum ſit, docetur Ibid. verſ. 5. *Maledictus vir, qui confidit homini, & ponit car-*

nem brachium ſuum, & cujus cor recedit à Jehovah. Et verſ. 13. *Deſerentes te.* Item: *Reliquerunt fontem aquæ vivæ.* Ib. *Si non audietis verba hæc.* Jerem. 22: 5. *Propterea quòd dereliquerunt fœdus Jehovæ Dei ſui, & adorârunt Deos alios & ſervierunt iis.* Jerem. 22: 9. Sumta hæc ex Deut. 29: 25. *Mœchis plena eſt terra Et in prophetis Hieroſolymæ vidi horrendum: mœchari* &c. Jerem. 23: 10. 14. Sunt autem mœchi, qui ſe vocant populum Dei, & interim ſapiunt ea, quæ ſunt mundi, & ſtudent hominibus placere. *Et Propheta & ſacerdos hypocriſin exercent. A prophetis Hieroſolymæ exiit hypocriſis in totam terram.* Ibid. vers 11. & 15. Eſt autem hypocriſis nominatio Dei non in veritate. quod maximè fit per abnegationem veræ juſtitiæ & gloriationem in falſâ. *Et exſtitit curſus eorum malum, & præpollentia ipſorum non rectum.* Ibid. vers 10. *Etiam in domo meâ inveni malitiam eorum: ait Jehovah,* verſ. 11. *Ambulare in falſitate, & firmarunt manus maleficorum, ita ut non converſi ſint quisque à malo ſuo.* verſ. 14. *Convertiſſent eos à viâ malâ ſuâ, & à malitiâ operum ſuorum* v. 22. Atque hoc eſt, quod vers 14. dicitur *Horrendum* quid. Horribilius enim eſt, homines nomen Dei nominare, & legem ejus atque fœdus ejus in ore ferre, non in verâ juſtitiâ, & ſic verba Dei tractare, ut per ea homines non abducantur à peccatis & conſiliis ſuis, quàm apertam exercere idololatriam, & verbum Dei rejicere. *Dicunt omnino iis, qui me contemnunt: Locutus eſt Jehovah: pax erit vobis: & quisquis ambulat in firmitudine cordis ſui, dicunt: Non veniet ſuper vos malum.* Ibid. vers 17. *Si ſtetiſſent in ſecreto meo,* & eſſent à me familiariter edocti, *facerent, ut audiret verba mea populus meus.* vers 22. *Qui cogitant facere, ut populus meus obliviſcatur nominis mei per ſomnia ſua, quemadmodum obliti ſunt patres illorum nominis mei per Baal.* Ibid. verſ. 27. *Et errare faciunt populum meum.* Ib. verſ. 32. *An non eſt ampliùs ſapientia in Theman? Periit conſilium à prudentibus? Computruit ſapientia ipſorum?* Irridet Judæorum & Idumæorum ſtultitiam, qui viam ſalutis & conſervationis ſuæ aſpernantes alia omnia conſilia inierunt: Qualia ſunt quærere juſtitiam ex operibus; eâ gratiâ velle templum & cultum carnalem ſemper eſſe. Propterea Chriſtum prædicatorum juſtitiæ Dei rejicere, & nolle cum gentibus unum fieri in libertate regni Dei. &c. Jerem. 49: 7. *Contra terram inobedientiarum.* Jer. 50: 21. Per Ezechielem: *Fili hominis, mitto te ad filios Iſraël, ad gentes,* ſ. tribus *maximè rebelles quæ rebellârunt ad me; ipſi & patres ipſorum defecerunt à me ad ipſum hunc diem.* quo ſcil. ut in typo, ita in rei veritate, *Deus viſus eſt* Prophetæ *in throno inſtar hominis,* ex cap. 1. 26. coll. 28. *Et ad filios duros facie & firmos corde ego mitto te.* Ezech. 2: 3. 4. *Et illi ſi audient, & ſi non audient, (nam domus inobedientiæ ſunt)* Ibid. verſ. 5. Hæc verò inobedientia exaggeratur cap. 3: 6. *Si non ad illos* inobedientes *miſiſſem te, illi* populi multi profundi labio *auſcultarent tibi.* Atque ita etiam eſt Matth. 11: 21. *Et refractaria fuit* Hieroſolyma *judiciis meis, ut improbè ageret præ gentibus; & ſtatutis meis, præ terris quæ circa eam ſunt. Nam judicia mea ſpreverunt; & ſtatuta mea, non ambulaverunt in eis.* Ezech. 5: 6. 7. *Propter omnes abominationes tuas.* Ibid. verſ 9. *Cum quorum corde fornicante, quod à me diſceſſit, & oculis fornicantibus poſt ſtercora ipſorum conflictatus fueram,* ſ. potiùs, *me confringendum præbueram.* per paſſiones nim. & mortem. Ezech. 6: 9. *Secundùm vias tuas, & omnes abominationes tuas.* Ezech. 7: 3. Et ſic vers 4. 8. & 9. *Gemmas protruſit contumacia.* inobedientia & infidelitas. Ibid. verſ. 10. *Aurum & argentum ipſorum exſtitit offendiculum pravitatis ipſorum.* fuit ipſis occaſio peccandi, & regem ſuum rejiciendi. Ezech. 7: 19. *Pravitas domus Iſraël & Judæ magna eſt valde admodum, & impleta eſt terra ſanguine, & urbs impleta eſt declinatione,* apoſtaſiâ à rege ſuo &

lege

lege Dei, & viâ juſtitiæ; *quia dixerunt, reliquit Jehovah terram ſuam, non videt.* Ezech. 9: 9. *Et levata erat gloria Jehovæ deſuper Cherubino ad limen domus, & impleta fuerat domus nube.* i. e. Apparuit Chriſtus in ſpecie humili, in eâque ſcandalizati fuerunt multi. Ezech. 10: 4. *Sed ad cor deteſtabilium ipſorum & abominabilium ipſorum cor ipſorum ambulat.* Ezech. 11: 21. *Unusquiſque de domo Iſraël, & de peregrino, qui peregrinatur in Iſraële, & ſe ſeparat à me, & facit aſcendere ſtercora ſua in cor ſuum, & offendiculum pravitatis ſuum ponit contra faciem ſuam, & venit ad prophetam; & conſulat illum in me, ego Jehovah reſpondebo ipſi in me.* Ita factum eſt, cum Chriſtus apparuit. Populus conſuluit mortuos de vivis, contra Chriſtum Deum ſuum, & prophetæ contra Deum reſponderunt. Ezech. 14: 6. *Et dabo terram vaſtitatem, propterea quòd prævaricati ſunt prævaricationem, ait Dominus Jehovah.* Nominarunt ſe populum Dei non in juſtitiâ & fide. Ezech. 15: 8. *Faciam tecum, quemadmodum feciſti, quæ ſpreviſti adjurationem*, factam in nomine Dei, *ut irritum faceres fœdus.* Ezech. 16: 59. *Et ſeligam ex vobis rebelles & deficientes à me.* Ezech. 20: 38. *Nam probatio eſt*, vel *ſit.* Omnium cogitationes manifeſtæ fiunt, tàm illorum qui non credunt, quàm qui credunt. Ezech. 21: 18. *Ut des te ipſam* (filios Ammon alloquitur.) *ad cervices profanorum inter improbos* Judæos, vel Judæorum proceres, *quorum venit dies, in tempore pravitatis finis.* quo tempore peccatum illud peccarunt, quod attulit finem politiæ. nim. per rejectionem & occiſionem Chriſti, regis ſui. Ezech. 21: 34. *Nam mœchatæ ſunt, & ſanguis eſt in manibus earum, & cum ſtercoribus ſuis mœchatæ ſunt.* Ezech. 23: 37. *Ecce ego judico inter ovem & ovem.* Ezech. 34: 17. 22. *Inter ovem pinguem & ovem macram.* verſ. 20. has conſolando ſcil., illas indurando & rejiciendo. *In tempore peccati finis.* Ezech. 35: 5. ut ſup. Ezech. 21: 34. Per Danielem: *Ad coërcendum defectionem.* i. e. Apoſtaſiam factam per rejectionem legis Dei, & regis à Deo dati. Dan. 9: 24. Ibidem verſ. 27. populus apoſtata *ſtupens.* i. e. cæcus & ſurdus, induratus, πωρωμένος, ut eſt Eſ. 29: 10. 42: 19. & alibi, appellatur.

§. 2. Per reliquos prophetas. Ut Hoſeam: *Vocarunt illos*, Chriſtus & Apoſtoli; *ſic abierunt à conſpectu ipſorum.* q. d. Quò magis & ardentius illi vocârunt, eò majori dedignatione abierunt à conſpectu ipſorum, vocantium, ne eos audirent. Hoſ. 11: 2. Amoſum: *Et faciam tenebras terræ in die lucis.* Intell. tenebras, quibus percuſſi ſunt Judæi eo tempore, quo Chriſtus lux mundi inter ipſos verſatus eſt. Am. 8: 9. Conf. ſup. Eſ. 21: 12. *Ecce oculi Domini Jehovæ ſunt in regnum hoc peccaminoſum.* Intell. gubernationem per reges, principes, ſacerdotes, & cætera, quæ ad reip. formam pertinebant, quâ regebantur præceptis hominum & ab illis judicabantur, & κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς caſtigabantur. Am. 9: 8. *Gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Ibid. verſ. 10. Obadiam: *Superbia cordis tui* (Edomum alloquitur) *impoſuit tibi.* Intell. proterviam illam, quâ non humiliatus eſt coram Deo, ut ſe ſubjiceret ipſi. Ob. verſ. 3. Michæam: *Audite, ô tu Tribus; & quis fecit illam convenire?* Mich. 6: 9. *Væ mihi! quia extiti, ut in collectionibus autumnitatis, ut in racemationibus vindemiæ! Non eſt racemus ad comedendum, præcoqua, quam concupivit anima mea.* Mich. 7: 1. Habaccucum: *Opus molitur* Deus vel aliquis à Deo miſſus, *in diebus veſtris: non credetis, cùm narrabitur.* Hab. 1: 5. *Ecce elivatur*, recedit ab eo, cui non audet ſe committere. *Cujus anima non eſt recta in ipſo.* Hab. 2: 4. Zephaniam: *Væ cui datum eſt videre* Deum in carne manifeſtatum, *quæque aſſerta eſt: Urbi opprimenti!* *Non auſcultavit voci* ipſius Filii Dei, *non exemplo* ſuperiorum judiciorum, in gentibus editorum, *emendata eſt; Jehovæ non eſt confiſa, ad*

Deum ſuum non acceſſit. Zeph. 3: 1. 2. *Jehovah juſtus in medio ejus erat; non faciebat injuſtitiam; matutinis ſingulis judicium ſuum edebat in lucem, non deſiderabatur; at neſciebat injuſtus pudere.* Ibid. verſ. 5. *Dixi, certè timebis Me, emendaberis exemplo, & non exſcindetur manſio illius; omne id, quod commendavi illis. Atqui præverterunt & corruperunt omnia ſtudia ſua.* Ibid. verſ. 7. Malachiam denique: *Quis eſt, qui ſuſtineat diem adventus ejus? & quis eſt, qui ſtet, quum is apparebit? Nam ipſe erit ut ignis aurificis, ut ſmegma fullonum.* Mal. 3: 4.

§. 3. Nec tantùm ſic plerique immorigeri & infideles regi ac Deo ſuo remanſerunt, ſed etiam animo hoſtili atque inimico Ipſum ſunt perſecuti, & partim vi, partim dolo contra ipſum graſſati, curſum Euangelii & doctrinæ ab ipſo prædicatæ ſiſtere ſunt conati. Hoc indicat Moſes in Cantico ſuo: *Pro ſcelerato tractavit rupem ſalutis ſuæ.* Deut. 32: 15. Pſaltes in jam citatis: *concurrerunt gentes* &c. Pſal. 2: 1. 2. 3. Itemque in iſtis: *Jehovah, ut multiplicati ſunt hoſtes mei! multi ſunt, qui inſurgunt in me.* non tantùm qui infeſtant me, ſed & æmuli, qui me regno ſpoliare conantur, ut ipſi regnent. Quales ſunt reges & principes terræ, de quibus Pſal. 2: verſ. 2. dictum eſt. Pſalm. 3: 2. *Nam os improbi, & os doli, contra me aperuerunt.* Os improbi, cum accuſarunt me & damnarunt, doli, cum fraudulenter cum ipſo diſputârunt. Pſalm. 109: 2. *Et verbis odii circumdederunt me.* Calumniis ex odio me onerarunt; *Et bellum gerunt in me ſine cauſâ.* Immeritò me excommunicant. Ibid. verſ. 3. *Pro amore meo*, quem ipſis impendo, dum ipſos conor convertere ad Deum; *infeſtant me.* Ibid. verſ. 4. *Et poſuerunt ſuper me malum pro bono; & odium pro amore meo.* Veritatem & juſtitiam in me & diſcipulis meis condemnarunt. Ib. verſ. 5. *Propterea quod non recordatus eſt facere gratiam.* pietatem & charitatem, duo maxima legis poſtulata, omiſerunt, *& perſecutus eſt virum expertem virium, & egenum & cruciatum corde ad occidendum.* Ib. verſ. 16.

Eſaias: *Nam lingua ipſorum & ſtudia ipſorum contra Jehovam ſunt ad exacerbandum oculos glorioſos ipſius.* h. e. Deo in carne revelato, & oculis ſuis inſpiciente ſtatum & conditionem ipſorum, talibus dictis & factis uſi ſunt, quibus ipſum contumaciter ad iram provocarent. Eſ. 3: 8. *Et erit in lapidem offenſionis.* quem velint de viâ remotum. Eſai. 8: 14. *Superbia ejus* (Moabi) *& erectio ejus & excandeſcentia ejus*, quâ Chriſtum & diſcipulos ejus perſequuntur *eſt futilitas vaniloquorum ejus.* Eſai. 16: 6. *Tergiverſamini & miramini; oblectate vos.* ob Chriſti & Apoſtolorum vexationem. Eſt ironica conceſſio. Eſ. 29: 9. *Qui redarguentem in porta* ut Chriſtum, ſuis vitiligationibus, *excutiunt, & declinant in inane juſtum.* Ibid. verſ. 21. *Super inimicos ſuos ſeſe corroborabit.* Eſai. 42: 13. *Væ contendenti cum formatore ſuo, teſtæ cum teſtis terræ. Væ dicenti ad patrem, quid gignis? & mulieri, quid parturis?* Eſai. 45: 9. 10. *Propè eſt juſtificans me. Quis contendet mecum? Conſiſtamus unà. Quis adverſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Jehovah auxiliatur mihi. Quis condemnabit me.* Eſai. 50: 8. 9. *Abſconſio faciei præ nobis.* Quem vellemus præ cæteris ex oculis remotum. Eſai. 53: 3.

Jeremias: *Et cognovi, ait Jehovah, excandeſcentiam ejus.* Moabi. &c. Jer. 48: verſ. 29. 30. ut Eſai. 16: 6. *Et profligabitur Moab, quia contra Jehovam ſe magnificavit.* Ibid. verſ. 42. *Relinque pupillos tuos; ego vivificabo: & viduas tuas; mihi confident.* q. d. noli vexare illos, qui in terris nullos ampliùs patres carnis agnoſcunt, nullos maritos, ſed unicum Patrem nominant Deum, & unicum ſponſum Chriſtum. Omitte eos, ut mihi confidant. Jerem. 49: 11. Ezechiel: *Cum quorum corde fornicante, quod à me diſceſſit, conflictatus fueram.* Ezech. 6: 9. *Violentia*, contraria

traria charitati in proximum, *ſurrexit*, excrevit, *in virgam improbitatis, non ex ipſis, & non multitudine ipſorum, & non ex ſtrepente ipſorum.* In ſceptrum dominationis extraneum. quale hoc tempore erat Romanorum. Ezech. 7. 11. *Fac catenam, nam terra impleta eſt judicio ſanguinis, & urbs impleta eſt violentiâ.* Ibid. verſ. 23. *Et impleta eſt terra ſanguine, & urbs impleta eſt declinatione.* Ezech. 9: 9. *Mœchatæ ſunt, & ſanguis eſt in manibus earum.* Ezech. 23: 37. *Pinguem mactatis, oves non paſcitis.* Ezech. 34: 3. *Cum vi dominati eſtis in oves, & cum ſævitiâ. Et diſſipatæ ſunt oves ſine paſtore, & extiterunt cibus omni feræ agri, & diſſipatæ ſunt.* Ez. 34: 4. 5. *Quia latere & humero truditis & cornibus veſtris feritis omnes infirmatas adeo, ut diſſipaveritis illas forâs.* Ibid. verſ. 21. *Eò quòd tibi fuerit inimicitia ſæculi, & laniaveris filios Iſraël gladio tempore calamitatis ſuæ in tempore peccati finis.* Ezech. 35: 5. *Si non, ut ad ſanguinem odiſti, etiam ſanguis perſequetur te.* Ibid. verſ. 6. *Opprobria tua, quæ dixiſti ſuper montibus Iſraël, dicendo; Vaſtati ſunt, nobis dati ſunt in cibum. Et magnificâſtis contra me os veſtrum, & multiplicâſtis* (ſive *grandiviſtis*) *contra me ſermones veſtros, ego audivi.* Ibid. verſ. 12. 13.

Obadias: *Superbia cordis tui*, quâ ſciens & volens te extuliſti contra Jehovam Deum tuum, *impoſuit tibi.* Ob. verſ. 3. *Væ cui datum eſt videre, urbi opprimenti?* Zeph. 3: 1. *Principes ejus leones rugientes; judices ejus lupi veſpertini, qui non roſerunt oſſa matutinò. Sacerdotes ejus profanant ſanctum.* non tantùm ſanctum locum infidelitate, rapacitate, injuſtitiâ contaminant, ſed etiam verum Dei templum, in quo is habitat corporaliter, corpus Chriſti, pro ſcelerato & profano tractant; *Vim faciunt legi.* Ibid. verſ. 3. 4. Sic & Malachias: *Profanavit Jehudah Sanctum Domini, quod diligit.* Mal. 2: 11. Plura videantur ſuprà Artic. 12. ubi de contemptu Chriſti, irriſione, odio, calumniâ, perſecutione, machinatione mortis, & aliis malis ab hoſtibus perpeſſis, actum eſt.

§. 4. Præter hæc fuere & multa alia crimina & peccata populi defectoris, quorum catalogum, ſuprà Per. Præced. Art. CXXXI. CXXXII. & inprimis Per. hujus Art. X. ex prophetiis, & ore ipſius Salvatoris, repræſentavimus. Paucula hic reſtant ſubnotanda.

Moſes ſæculo huic dat elogium *generationis perverſæ & diſtortæ.* Deut. 32: 5. *Populi ſtulti & non ſapientis.* Ibid. verſ. 6. Eſaias, *Populi labiis polluti*, ſicque indigni, qui nomen Dei & fœdus ejus in os aſſumeret, idque propter vitium cordis & membrorum omnium. Ut ita *impuritas labiorum* hîc conſignificet impuritatem univerſalem. Eſ. 6: 5.

Notat & Eſaias in eodem doctrinæ & operum pravitatem, quando dicit, quod *linguâ* i. e. ſermone & doctrinâ, *& ſtudiis ſuis*, i. e. factis, *Deum exacerbarint.* Eſ. 3:8. Add. Pſal. 109: 2. Dein & προσωποληψίαν in judicando: Tribuit enim ipſis *Aſpectum vultus ipſorum.* i. e. quòd ſe ſuique ſimiles aſpiciant, & hoc aſpectu judicium ſuum corrumpant. De hâc vero proſopolepſiâ dicit, quòd *reſpondeat*, teſtis ſit, *contra ipſos*, & ipſos αὐτοκατακρίτους oſtendat. Eſai. 3: 9. Res videatur Joh. 7: 24. 12: 43. 5: 44. Luc. 16: 15.

Tùm quòd impudenter peccatum ſuum publicent, ut Sodomitæ: *Et peccatum ſuum inſtar Sodomæ indicant.* Ibid. Exemplum eſt in eo, quòd gloriarentur, ſe Dominum gloriæ reprobatum cruci affixiſſe.

Et, quòd *ſibi ipſis malefaciant.* h. e. iræ Divinæ ſibi fuerint conciliatores & provocatores. Ibid. verſ. 9.

Item, quod *toto die nomen Dei blaſphemetur*: tùm ab hoſtibus externis,

tùm etiam à doctoribus populi juſtitiam Dei ignorantibus. Eſai. cap. 52: 5.

Jeremias, quòd *Horror ſuus.* i. e. terribilitas, quam comparaverat ſibi multitudine & opibus, *deceperit Edomum*, i. e. populum Idumæum Judæis conſœderatum & mixtum, ipſoſque adeo Judæos mores Idumæorum unà cum corporibus & opibus ipſorum aſſumentes: Tùm & *ferocia cordis*, quòd *habitaret in fiſſuris petræ, tenens faſtigium collis. Cùm nidum ſuum in alto collocaverit, ut aquila.* Quo fiducia notatur in urbibus munitis. Jer. 49: 16.

Ad hæc, quòd quaſi condicerent Deo certum locum & tempus ad conveniendum; & quod vellent adhuc paſtores ſtare coram ipſo. Hoc intelligitur ex iſtis: *Quis faciet me præſto eſſe? Et quis eſt paſtor, qui ſtabit coram me?* Add. Eſai. 66: 1. Jerem. 23: 23. Itemque Ez. 34: 10.

Ezechiel, cap. 7: verſ. 20. templum vocans *Decus ornatus Iſraëlis, quod in erectionem poſuerit, & in quo imagines ſuas abominabiles fœditates ſuas fecerint.* Item verſ. 24. illud appellans *erectionem robuſtorum*, & tùm ipſum, tùm perſonas & templi *ſanctificantia ipſos.* Præcipuum peccatum Iſraëlitarum oſtendit fuiſſe, quòd habuerint templum pro cauſâ animum celſum gerendi, & omnia ad ipſum pertinentia pro ſanctificantibus, non animadvertentes, quo fine illa inſtituta eſſent, & quòd ipſum templum diceretur peccatis Iſraëlitarum inquinari, & expiandum à fœditatibus illorum, Lev. 16.

Inſuper notat, quòd *mœchati ſint cum ſtercoribus ſuis, & eis filios ſuos obtulerint in cibum.* Ez. 23: 37.

Et adhuc hoc fecerint Deo; contaminarint ſanctuarium eodem die, & Sabbata Dei profanarint. & cùm mactâſſent filios ſuos, etiam venerint in ſanctuarium ſuum. Ibid. verſ. 38.

Hoſeas; quòd *Baalibus ſacrificaverint.* h. e. ſub nomine Jehovæ, quem voluerunt colere ſuis ſacrificiis, quum ille tamen declaret, ſe iis non delectari, Baales & dæmonia, & quidvis potiùs quàm verum Deum coluerint; & *ſuffitum fecerint ſculptilibus.* i. e. imaginibus ſacris & figuris quibuſvis, quatenùs ſine fide habebantur. tùm & Diis gentilium, quos coluerunt in cultoribus ipſorum, cùm rejecto regno Dei ipſis voluerunt placere. Hoſ. 11: 2.

Amos: *peccatoribus populi Dei* improperat, quòd *dicant, Non accedet, neque occurret nobis malum.* Am. 9: 10.

Habaccuc & ſalſam fiduciam notat, dum dicit, *elevari* eum, *cujus anima non eſt recta in ipſo.* Non enim hîc, tantùm ſignificatur ſui ſubductio à Chriſto præ timore, ſed & applicatio ſui ad aliud munimentum, & fiducia in eo. quale erat hoc tempore majeſtas Senatus, ſplendor Sacerdotii, templi celebritas, urbis munitio, hominum multitudo, generis nobilitas, &c. Add. Eſai. 16: 6.

Zephanias accuſat *Prophetas*, quòd ſint *futiles, viri fallaciarum*; & *Sacerdotes*, quòd *vim faciant legi.* Zeph. 3: 4.

ARTICULUS XVIII.

ET talis quidem Chriſti fuit converſatio in his terris, hæc ipſius dicta & facta fuerunt, & ita denique, uti demonſtratum eſt, homines ſui ipſum exceperunt. Appropinquabat interim, hoc die abeunte, Pſ. 109: verſ. 23. *nox*, Pſ. 22: 3. 88: 2. ſive *hora poteſtatis tenebrarum*, Luc. 22: 53:

& tem-

& tempus, quod Deus deſtinaverat ad *exigendum* ab ipſo, ut Sponſore, pravitatem omnium noſtrum, Eſ. 53:7. & ad expiandum peccata hominum uno die, h. e. uno ſacrificio. Zach. 3: 9. *Dies* quidem *anguſtiæ* reſpectu Chriſti, Pſal. 20: 2. 22: 12. 118: 5. Sed *tempus gratiæ*, Pſal. 69: 14. Eſ. 49: 8. 61: 2. *Dies ſalutis*, Eſ. 49: 8. & *annus aſſertorum*, Eſai. 63: 4. reſpectu noſtri. *Tempus* verò *peccati finis*, Ezech. 21: 34. 35: 5. *dies ultionis*. Eſ. 61: 2. & 63: 4. reſpectu omnium, qui deinceps juſtitiæ erant reſtituri, tam Judæorum, quàm Gentilium, Rom. 1: 18. quo etiam tempore Judæi erant peccaturi grande illud peccatum, quod finem erat allaturum ipſorum politiæ & urbi ac templo. Igitur Chriſtus, cùm jam ante illam horam deſignâſſet, Joh. 12: 27. & memoriale mortis ſuæ inſtituiſſet, Luc. 9: 22. 18: 32. Reſurrectionis quoque, Ibid. & verbis quidem prophetiæ. Zephan. 3: 8. quibus, *præſtolamini me, ait Jehovah, ad diem, quo ſurgam in perpetuitatem.* Memor mandati à Patre accepti, ſimul ut hoſtes ſuos irritaret, atque ita demonſtraret, ſe ſponte ſuâ in hanc horam venire, hunc colophonem diebus carnis ſuæ impoſuit. Ingreſſus eſt Hieroſolymam, humili quidem ſpecie, ut antea; ſed tamen ita, ut ſe regem eſſe Iſraëlis haud diſſimularet, idque factis quibuſdam circa ſe oſtenderet. Quippe & abſens effecit, ut ſibi adducerentur animalia, & occaſionem dedit populo, ut ſibi iis vecto viam ſternerent ramis & veſtibus, & per civitatem in templum intranti acclamarent, Hoſianna, eâque acclamatione ipſum, ut regem ſuum, cum gaudio & jubilo reciperent. Quæ res vehementer adverſariis ipſius bilem movit.

DEMONSTRATIO.

Indicat hoc factum Prophetia: *Gaude admodum, filia Sion, clange, filia Hieroſolymæ.* Cauſa lætitiæ & jubili: *Ecce rex tuus venit tibi*; Innititur hic ultimus Chriſti in urbem Hieroſolymam introitus glorioſiſſimus & πλειωτικὸς, quia præceſſit, illum *vidiſſe*, & ſic expertum eſſe, exactiones populi, quòd in omni Chriſti ἐπιδημίᾳ verificatum eſt. *Juſtus* habens juſtitiam, i. e. perfectam obedientiam, *& ſalvatus*, cum paſſionibus & peccatis noſtris ipſi impoſitis, à quibus ſalvetur, *ipſe eſt: inops*, utpote qui ſe ipſum exinaniverit ad ſubeundum paſſiones & mortem, *& vectus aſino, nempe pullo filio armenti aſinarum.* Zach. 9: 9. Ubi quanquam delectus *aſini* pro *equo* notet, ipſum non triumphabundum inſtar regis mundani, qui armis devicerit hoſtes, ſed quemadmodum vulgus hominum ſolebat, in urbem invectum eſſe, atque ita ſpeciem habeat humilitatis; quia tamen id ipſum aſino vehi non fuit inglorium; & filiis principum ac regum, ut peculiare quid, tribuitur in Scripturâ; Ut Jud. 10: 4. Et prophetia oſtendit, Sionem debuiſſe gaudere, & jubilare, quòd ſibi veniret ſedens in aſino rex ſuus; Et Chriſtus hoc ipſo habitu agnitus eſt, & cum jubilatione exceptus; Non immeritò hunc actum ipſi ut regi Sionis & comparatum ad gloriam ipſius demonſtrandam, in quantum ea in ſtatu humilitatis ipſius, & cum eo, demonſtrari poterat, imputamus. Notabile autem eſt, & Veteres hunc locum Zachariæ de Chriſto intellexiſſe. Dicunt enim in capite Chelek, ſi me-

reatur Iſraël, venturum in nubibus cœli; ſin, vectum aſino. Et cum Veteribus Joſephus Albo concedit, Chriſtum potuiſſe venire inſidentem aſino, ita ut, qui viderint eum, putaverint, eum non eſſe Chriſtum. Hodie Judæorum quidam, fatentes, hoc pertinere ad domum ſecundam, partim de Nehemiâ; partim de Judâ Maccabæo interpretantur; quos alii abſurditatis convincunt, ſed implementum ad domum tertiam rejiciunt. tantùm quia nolunt agnoſcere eum, qui venit.

ARTICULUS XIX.

Hoc igitur facto cùm Chriſtus inimicos ſuos irritâſſet, & aliàs ſermonibus ſuis eos apertiùs quam antè offenderet, cœperunt ipſi *imminere, quærentes animam ipſius.* h.e. cupiverunt ipſum ſublatum Pſ. 38:13. & tandem unanimiter in necem ejus conſpirarunt, atque aucupati opportunitatem, quomodo ipſum dolo, & ſine tumultu caperent, *unà ſuſurrarunt contra ipſum oſores ejus, contra* ipſum cogitarunt *malum ei.* Pſ. 41:8. Donec tandem occaſione per Proditorem oblatâ venit hora ipſorum, Chriſto ita rem adgubernante, ut cùm nemo ſibi poſſet animam ſuam eripere, ſed ipſe eam eſſet poſiturus, ſecundùm mandatum Patris, Joh. 10:18. Se non invitum in illam tractum, ſed ſuâ ſponte in illam veniſſe, & hoſtibus ſuis *ſe confringendum propoſuiſſe*, Ez. 6:9. ſimul manifeſtum daret.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Scilicet Chriſtus, ut *Heros* magnanimus, *accingens gladium ſuo femori*, i. e. expeditionem ſuſcipiens adverſus Diabolum, eumque armis decretoriis aggreſſurus, Pſal. 45:4. ad illud certamen viam paravit, vel potiùs illud incepit, hoc pacto. Sacerdotes concilium habebant feriâ quintâ, in quo deliberatum eſt de ipſo capiendo per inſidias & necando. Id initium certaminis illius decretorii, & ultimæ Chriſti anguſtiæ, & horæ illius ac poteſtatis tenebrarum, ſtatuamus licet. Eſt de hoc concilio Pſal. 2:2. *Siſtunt ſe reges terræ*, ut Principes, *&* qui ab illis proximi ſunt *Principes*, ut Sacerdotes, *concilium agunt unà, contra Jehovam & contra Unctum ejus.* Et conveniebat Chriſto hoc tempore hæc querela: *Jehovah, ut multiplicati ſunt hoſtes mei! multi ſunt, qui inſurgunt in me.* Pſal. 3:2. Et ſpecialior iſta: *Circumſtant me juvenci multi; validi Baſanis cinxerunt me.* i. e. Principes populi, & Sacerdotes, concilium agunt & de morte meâ deliberant. Pſal. 22:13.

§. 2. Ibi verò Diabolus, cujus tùm maximè intererat, ut Chriſtus, ſi fieri poſſet, prorſus interiret, & qui idcircò Ipſum conterere omni modo & corpore & animo ſatagebat, quod dicitur Eſ. 53:10. & Apoc. 12:4. lacertos omnes commovebat, nec contentus Sacerdotes & principes populi excœcaſſe, impulit etiam ex duodecim diſcipulis unum, ut Domini ſui prodendi cauſâ Sacerdotes adiret, & pecuniam proditionis pretium ab iis acciperet. De hoc conatu Diaboli ita loquitur Scriptura. *Tu ipſi conteres calcaneum.* Ubi non tantùm conatus, ſed & effectus ex parte ſignificatur ejus, quod perficere conabatur ex toto. Gen. 3:15. *Diſtenderunt contra me os ſuum, leo rapiens & rugiens.* Ubi per *leonem* vel *leones* collectivè, intelligitur exercitus dœmonum. Pſal. 22:14. *Volentem conterere ipſum* i. e. Diabolum, cujus voluptas & voluntas fuit Chriſtum & animo comminuere, & redigere ad deſperationem

ſperationem, & corpore, eumque redigere ad minutem. Eſ. 53: 10. *Et Draco ſtetit coram muliere, quæ paritura erat; ut, quum peperiſſet, prolem ejus deglutiret.* h. e. Draco ita circumſedit populum Judaicum, ut, quum Chriſtus natus eſſet, ſub poteſtate ipſius eſſet, omnia huc comparans, ut occideretur. Apoc, 12: 4.

§. 3. Futurum autem fuiſſe, ut per unum ex diſcipulis ſuis proderetur, indicat Scriptura, ubi eam attribuit familiariſſimo homini: *Etiam vir pacis meæ, cui fidebam, comedens panem meum, grandivit ictum calcis.* Diſcipulus Chriſti ſcil., ſectans ipſum, ſecreti ejus conſcius, in extremo paſchate conviva, calcem ipſi impegit. Pſal. 41: 10. Et ubi inter diſcipulos futurum υἱὸν τῆς ἀπωλείας innuit; *Curationem ejus accipiat alius.* Cujus enim curationem accipit alius, is perditam antea habuit. Pſ. 109: 8.

§. 4. Cæterùm pecuniam pro ipſo fuiſſe dandam ita declarat Scriptura, ut ſine ipſius ſcitu, gubernatione & induſtriâ id factum non eſſe ſimul clarè doceat. Apud Zachariam enim cap. 11: 12. ipſe Chriſtus introducitur ſe ſiſtens Sacerdotibus, ut pro ipſo daret pretium, quo æſtimandus ipſis videretur, ad eum tollendum de medio: *Et dixeram ad illos, ſi bonum eſt in oculis veſtris, date mercedem meam; & ſi non, ne faciatis.* Scil. factum Judæ ſibi tribuit Chriſtus in oblatione προδοσίας. Non enim neſcius futurus erat proditionis diſcipuli ſui, ſed ei opportunitates ipſe ſuggeſturus & ſe emendum ac vendendum præbiturus. Cùm igitur Judas Sacerdotibus dixit, Quid mihi dabitis, ut illum tradam vobis? id habet iſtam vim, ac ſi Chriſtus ipſis dixiſſet: Ecce me paratum per vos occidi: Si vultis, poteſtis expendere mercedem meam, h. e. ſumtum facere in necem meam; ſi non vultis, poteſtis id omittere. Ut hâc etiam in parte, ſicut & in morte ac reſurrectione, Chriſtus impleverit typum Jonæ, qui dicendo nautis, *Tollite me*, Jon. 1: 12. non quidem imperavit, ſed oſtendit, quid fieri debeat, ut ſalventur. Quemadmodum & Chriſtus: λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον. Joh. 2: 19. Non pluris autem debuit ab illis æſtimari, quàm viliſſimum mancipium, nempe triginta ſiclis. Ita enim prædefiniverat Scriptura; *Et pependerunt mercedem meam triginta ſiclis.* Zach. 11: 12.

§. 5. Sic igitur pretio proditionis dato & accepto oportunitatem tradendi Ipſum quæſivit proditor. Chriſtus verò permittens illam traditionem fieri, occaſionem ipſi ad eam ſubminiſtravit ultrò. A cænâ Paſchatis veſperâ feriæ quintæ celebratâ ſeceſſit in hortum dictum Gethſemane. Quem ſeceſſum poſſumus intelligere in iſtis: *Excutior, ut locuſta.* Pſal. 109: 23. Noverat verò & proditor locum quòd ſæpius Chriſtus cum ſuis in eo convenire ſolebat. Eò dum Chriſtus iret, & mœreret, ſe abire à conſpectu diſcipulorum ſuorum, ut ad tempus illum non viderent, Apoſtoli dixerunt inter ſe, Abeamus & moriamur cum ipſo. Quibus convenit hæc oratio; *Trahe me, poſt te curremus.* Chriſtus, cùm hactenus initium factum eſſet afflictionum ejus magis externarum atque evidentium, ſentire etiam majores dolores animæ; cœpit inquam, λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν *triſtari & animo linqui, externati inſtar eſſe.* Matth. 26: 37. ἐκθαμβεῖσθαι *expaveſcere*, καὶ ἀδημονεῖν, Marc. 14: 33. γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, Luc. 22: 44. Unde illa querela: *Obruta eſt mœrore anima mea uſque ad mortem* Matth. 26: 38. Marc. 14: 33. Quæ ἀγωνία & ἀδημονία & λύπη hinc ad mortem uſque duravit. Et quoniam in iis animæ doloribus præcipuam partem paſſionum ſuarum Chriſtus exantlavit, operæ pretium eſt, ut quomodo de iis Scripturæ loquantur, & quales eæ fuerint, hîc paulò attentiùs contemplemur.

§. 6. Scriptura hos animæ dolores indigitat voce *doloris*; Eſ. 53: 5. *Contritionis* ſ. *enervationis*; Ibid. *Laboris animæ*; Ibid. verſ. 11. *ſtuporis*; Eſ. 63: 5. *dolorum*; Pſal.

Pſal. 18: 5. 6. 69: 36. *Cruciatus cordis*; Pſalm. 109: 16. *Conſoſſionis cordis*; Ibid. vers 22. Scriptura N. T. & συμπάθειαν, *compaſſionem*, *condolentiam*, & εὐλάβειαν *timorem*, vel *legitimum metum*, ſi ex etymo id vocis lubeat interpretari, Hebr. 4: 15. 5: 7. ſicut in ipſâ hiſtoriâ λύπην, ἀδημονίαν, ἐκθάμβησιν & ἀγωνίαν, eoſdem appellat. Gravitatem verò ipſorum ſignificat, dum vocat *dolores mortis*, i. e. vehementiſſimos; Pſal. 18: 5. *dolores inferni*. Ib. vers. 6. & dicuntur, dum eos ſenſit, *terrores Dei ſuper ipſo tranſiviſſe*; Pſ. 88: 16. & *Conſternationes Dei ipſum profligâſſe.* Ibid. verſ. 17.

§. 7. Non poteſt eſſe horum cauſa mortis formido ſola per ſe. Quantâ enim cum alacritate martyres ſubierunt? Aliud fuit.

1. Pœna peccati noſtri, quæ non modò eſt mors corporis, ſed & animæ. h. e. carentia lucis Dei, lætitiæque in facie ipſius. Hanc Chriſtus guſtavit, quatenus ſanctus homo & filius Dei potuit. Senſit igitur peccati molem atque âbominationem; Pſ. 40: 13. iræque Dei gravitatem; Pſal. 88: 16. Porrò ut lux faciei divinæ humanitati ejus ſubtracta fuit, ita & conſortium ſanctorum angelorum; & contra in tenebras & dœmonum incidit infeſtationem. Vide Pſ. 88: 15. 16. Et hæc quidem cauſa ad ἀγωνίαν & ἐκθάμβησιν ſuffecit.

2. Chriſtus natus ex muliere factus erat ſub legem; Gal. 4: 4. Ut igitur debuit, ità ſerio dilexit fratres ſuos, h. e. omnes ejus naturæ participes, maximè τοὺς συγγενεῖς κατὰ σάρκα, ut cuperet eorum bono omnia extrema ſubire. Cohorruit igitur meritò, quoties cogitavit, ſe per ſcelus ſuorum prodendum & trucidandum eſſe, & iram Dei in pleriſque illorum, ùt & magnâ hominum parte manſuram; & ſine dubio hinc ad vehementem συμπάθειαν commotus eſt, imò majorem quàm quisquam animo concipere vel imaginari poteſt. Quemadmodum enim parentes, licèt liberos ſuos ſciant mortales, tamen ſummo dolore afficiuntur, quum vident mori; ita Chriſtus, quamvis ſciret conſilium Patris de indurandâ ac rejiciendâ plerâque, ut Judæorum, ita & reliquorum hominum parte, in eoque perfectiſſimè acquieſceret, cùm tamen quaſi in rem præſentem ſummi ſceleris & exitii ſuorum aliorumque veniſſet, & conſolatio viciſſim à Deo non ita repræſentaretur, in maximam ἀγωνίαν deductus eſt. Neque negari poteſt.

3. Chriſtum vidiſſe peccata ſibi datorum, quale Petri & Apoſtolorum & Eccleſiæ ſequentis temporis. Diabolus quæſivit, ſicut etiamnum quærit, illos cribrare inſtar tritici. Ibi ergo fuit Chriſti, non tantùm ex lege dilectionis communi, ſed & vi ac lege ſponſionis ſpeciali, de ſalute ipſorum anxium ac ſollicitum eſſe, omnia mala velle pro iis ſubire, & reverâ ea perpeti, quibus impetraret, ſi non, ut non tentarentur, & in mille inciderent anguſtias per ſuas inſcitias & infirmitates, ſaltem ne deficeret fides eorum, aut tentationibus ſuccumberent.

§. 7. Hæ ergo fuerunt cauſæ & conſiderationes, quæ in ſanctiſſimâ Chriſti animâ dictos dolores, horrores, triſtitiam, compaſſionem, & metum, excitarunt, & proculdubio indicibili modo eam afflixerunt ac perturbarunt: Quemadmodum ex ipſis orationibus huic Chriſti agoni accommodatis, hîc ſubjungendis videre eſt.

Quippe in hoc Chriſti ſtatu factum eſt hoc, quod legitur Heb. 5: 7. *Qui in diebus carnis ſuæ orationes & ſupplicationes ad illum qui poterat ipſum ſalvare ex morte, cum clamore valido & lacrimis offerens, & exauditus à legitimo metu, tametſi filius exiſtens didicit ab iis, quæ paſſus eſt obedientiam.*

§ 8. Et prima quidem in hoc genere exſtat oratio Pſal. 6. verſ. 2 — 8. Eſt enim hic communis quaſi formula humiliationis omnium ſanctorum, quoties ſenſu iræ

De

Dei ob peccata ſua afficiuntur, & cum terrore mortis, non tàm hujus carnis, quàm animæ luctantur. Jam verò nemo ita humiliatus eſt, ut Chriſtus, nemo piorum ita ſenſit iram Dei per paſſionem, ut ille vel per compaſſionem. Ut Chriſto inprimis conveniat argumentum hujus Pſalmi; idcirco dignum, ut hîc repetatur. *Jehovah, ne in irâ tuâ arguas me.* h. e. ne velis mecum agere ſecundùm meritum peccati, *& ne in ardore tuo*, ita uti dignum eſt ad vindicationem læſæ tuæ majeſtatis, *caſtiges me.* Oratio hæc Chriſto competit, quatenùs noſtro loco ſtat, & ſe ſervari ab irâ, h. e. nos ſervari, ſanari, ſanctificari orat. verſ. 2. *Gratiam fac mihi, Jehovah*, benignitatem gratuitam, ac impromeritam, ut tandem condones peccatum & remittas, *Nam languidus ſum*, irâ tuâ exhauſtus ita ut nullus in me ſit vigor. *Sana me, Jehovah.* Inſtaura, reſtitue in integrum. *Nam conturbata ſunt oſſa mea.* Soluta eſt tota corporis mei compages, ut nequeam me ampliùs ſuſtentare aut commovere. verſ. 3. *Et anima mea conſternata eſt valde.* Non modo exhauſtus langueo, non modò ſpiritus ad ſtatum & motum corporis non ſufficit, ſed vix ad vitam. verſ. 4. p. pr. Hæc lucta cum irâ Dei: Sequitur lucta cum dilatione auxilii. *Et tu Jehovah, quouſque?* ſic ages mecum, & differes ſanare? q. d. Si paulo diutiùs exſpectaveris, actum erit de me, & tum non erit ampliùs locus gratiæ tuæ, quam tamen me exſpectare juſſiſti. verſ. 4. *Convertere, Jehovah, expedi animam meam*, h. e. vitam meam periclitantem, & cum morte confligantem, ex illo diſcrimine libera; *ſerva me*, redde mihi vitam, ſalutem, incolumitatem, vires, conſolationem, lætitiam, *propter gratiam tuam*, h. e. ineffabilem illum amorem generis humani, quo filium tuum unigenitum pro illo tradidiſti. v. 5. *Nam non eſt in morte recordatio tui, in inferno quis confitebitur tibi?* q. d. Si me permittas à morte ſuperari, non erit tui recordatio, & tu debito tuo privaberis; nulla quoque ſupererit conſolatio, pro quâ Tibi gratias agere poſſim & Te glorificare. Ita hæc verba ſunt adhuc luctantis cum irâ Dei & gratiæ dilatione. verſ. 6. *Fatigatus ſum ſuſpiriis mei, fœdo* (vel *natare facio*) *totâ nocte* (Chriſtus vocat τὴν ὥραν καὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ σκότους, Luc. 22: 53.) *lectum meum.* h. e. non quieſco, ſed jactor, & manante affatim ſudore, videor natare in lecto meo: *lachrymâ meâ ſpondam meam liqueſeci.* Hyperbolica locutio, q. d. Si quis ita fleret, ut lachrymis ſuis ſpondam liquaret, majorem in animo triſtitiam, dolorem, & mœrorem experiri non poſſet. verſ. 7. *Corroſus eſt oculus meus præ ægritudine.* Impietas hominum, quam vidi, mihi fuit ſudes & ſpina in oculis meis; *eduruit inter omnes hoſtes meos.* quia jamdudum nihil gratum video, oculus meus hebet propemodum, ac ſtupet, tanquam ſi lapis eſſet, nec flere ampliùs poteſt. Indicatur ſtupor animi ob multitudinem & magnitudinem doloris ac mœroris. verſ. 8.

§. 9. Pſalm. 16. continetur Chriſti agonem cum morte adeuntis actio apud Patrem. Incipit autem ab imploratione Chriſti, ut jam in limine portarum mortis conſtituti: *Serva me, Deus omnipotens.* verſ. 1. Prorſus ut Joh. 12: 27. oraverat: *Serva me ex hâc horâ.* & in repræſenti. Matth. 26: 39. *Pater, tranſeat à me hic calix.* Vel, quod idem, *tranſeat à me hæc hora.* Marc. 14: 35. In quibus petitionibus Chriſtus ſpectandus eſt tùm ut legi dilectionis ſubjectus, tùm ut perſonam electorum ſecundùm promiſſionem ut ſponſor ſuſtinens. Adeò ut, cùm dicit, *Serva me*, vel *libera me ex hâc horâ, transfer hunc calicem*; intelligat tùm ipſam mortem & maledictionem, ut abſorbentem; tùm iſtam mortis conditionem, nimirum mori ſine ſolatio ex ſpe certâ ſalutis nonnullorum; cum dolore ex peccato popularium ſuorum; cum ſcandalo diſcipulorum; cum inſultatione Satanæ. Signanter autem

 dicit,

dicit, *Deus omnipotens.* Atque ita Marc. 14: 36. *Pater, omnia tibi ſunt poſſibilia.* & Heb. 5: 7. Preces cum *clamore & lacbrimis obtulit ei, qui poterat ipſum ſalvare ex morte.* Multò magis igitur ex iſtâ agoniâ, ſublatâ ſcil. ejus cauſâ. In quibus *τὸ poſſe* non tantùm notat efficacitatem voluntatis, ſed & jus volendi. Decebat enim Deum, illum, ut principem ſalutis, per paſſiones conſummare; Heb. 2: 10. Confirmat & petitionem: *Nam ad te confugio.* quanquam terrores tui me circumſtent, tamen ad tuam bonitatem me recipio. Æquum igitur eſt, ut me ſalves.

§. 10. Pſalm. 18; verſ. 5. & 6. In Narratione Anguſtiæ Chriſti hi occurrunt gradus: 1. *Ingruerunt mihi dolores mortis.* i. e. vehementiſſimi, quique hominem ſuffocare poſſent, utpote provenientes à morte impendente, ejuſque cauſis, nim. peccato & maledictione Dei. Significantur autem omnes miſeriæ, quas Chriſtus partim ipſe in diebus carnis ſuæ paſſus eſt, partim in hominibus vidit, partim in membris ſuis experitur. 2. gradus: *Torrentes Belial*, ſ. nequitiæ; id eſt omnis cumulus peccatorum mundi, ſ. *τοῦ πονηροῦ*, i. e. potentia Satanæ in omnibus reprobis, ejuſque fraudes & vis contra Chriſtum & regnum ejus, *perterrefaciebant me.* verſ. 5. 3. gradus. *Dolores inferni circumdederunt me.* i. e. dolores provenientes à maledictione Dei, per quam mors poteſtatem habet, & à compaſſione hominum æternæ morti per legem damnatorum, quam ſubire debebat ipſe Chriſtus, ſi poſſet fieri, ut à morte teneretur. verſ. 6.

Chriſto in hâc anguſtiâ conſtituto conveniebat orare, ut eſt Ibid. verſ. 7. *Quum arctum eſſet mihi, vocabam Jehovam, & ad Deum meum quiritabar*, vel *implorabam.*

Pſalmus 20. ab initio meminit *Diei anguſtiæ*, id eſt temporis illius, quo Chriſto, quem *Regem* appellat, cum maledictione & irâ Dei adverſus peccata & cum Diabolo fuit, tanquam ſponſori & vindici, decertandum: Et ipſum Regem proponit in illâ anguſtiâ conſtitutum, & ſupplicationes ei, qui eum ſervare ex morte poterat, offerentem, & cum populo ſuo in omni ejus anguſtiâ communicantem, pro eoque intercedentem. Ac denique introducit Eccleſiam Regem ſuum in hoc ejus ſtatu hoc voto proſequentem: *Reſpondeat tibi Jehovah in die anguſtiæ.* verſ. 2. col. 1.

§. 11. Pſalmus 22. in oratione Chriſti patientis, & *ἀϊλέθ*, quæ hic eſt ſatis luculenta, hæc habet præſenti rei accommodata: I. Querimoniam deſertionis, verſ. 2. *Deus mi, Deus mi, quare deſeruiſti me?* Quam ſuam fecit Chriſtus in cruce pendens; Matth. 27: 46. Marc. 15: 34. Significatur autem per deſertionem hanc ſumma infirmitas, ſummus horror & dolor, ſummaque in animo triſtitia. Siquidem caruit Chriſtus lætitiâ, quam habuit ab aſpectu lucis Dei; verè ſenſit horrorem à magnitudine peccati & iræ Dei, verè indoluit hominum miſeriæ, verè ſenſit ægritudinem ex inſultatione dæmonum, verè languit, verè ſummos in corpore & animâ cruciatus tulit, verè ſcelus hominum ipſum perturbavit ac percelluit. Hæc ſcimus; ſed ipſam molem paſſionum Chriſti non comprehendimus. Additur & querimonia dilationis opis: Quare *longè ſunt à ſalute meâ verba rugitus mei?* Rugio potiùs, quam loquor, & nulla tamen apparet ſalus. Et ſic quoque eſt Heb. 5: 7. *Μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς.* Significatur hoc rugitu vehementiſſimum deſiderium opis, conſolationis & recreationis; ſicut & per haſce querimonias verus dolor ac cruciatus, quem in paſſione ſuſtinuit, exprimitur. Exergaſia querimoniæ eſt 1. ab orationis ſuæ aſſiduitate: *Deus mi, clamo de die, & non reſpondes; & nocte, & non eſt intermiſſio mihi.* verſ. 3. (2.) à Dei inhabitatione in Eccleſia: *Et* Atqui, *tu, ô Sancte, habitas glorîationes Iſraëlis.* q. d. Tu, utut ſanctus & ſeparatus à peccatoribus, tamen jamdudum voluiſti habitare in populo tuo Iſraël; quomodo igitur

me

me non ſalvas, per quem ipſi eſt adductio? verſ. 4. (3.) ab ope patribus latâ, & quidem propter intercesſionem ſuam: *In te confiſi ſunt patres noſtri, confiſi ſunt, & feciſti eos evadere. Ad te clamaverunt, & liberati ſunt. In te confiſi ſunt & non pudefacti.* verſ. 5. 6. (4.) ab antitheſi ſuæ conditionis, quæ parum abſit à pudore fiduciæ in Deum. Id oſtendit (*a*.) in ſuâ vilitate: *At ego vermis ſum, & non vir.* res debilis & abominabilis, factus περίψημα, nullam habens in populo Dei dignitatem, non rex, non ſacerdos, Levita, aut magiſtratus; *opprobrium hominum* omnium, quos puderet tales eſſe, aut cum ipſo eſſe. q. d. omnes ſcandaliſantur in me. *contemptum* vel *contemptus populi* Iſraelitici, lapis ille, quem reprobârunt architecti. verſ. 7. (*b*) In ſannis hominum per geſtus & dicta; verſ. 8. 9. 10. 11. de quibus infrà commodiùs dicetur.

Querimoniæ ſubordinatur Petitio auxilii, eaque primò generalior: *Ne elongeris à me.* Ratio: *Nam anguſtia propinqua eſt.* Anguſtiam ſcil. vocat decretorium illud certamen cum Diabolo, morte, peccato, & maledictione; *nam non eſt opitulator.* qui conſoletur, qui in partem veniat hujus pasſionis; mihi ſoli omnis pæna peccatorum incumbit. verſ. 12. Appropinquatio ſ. apprehenſio anguſtiæ ὑποτυπώσει, in duobus gradibus; Quorum primus habet (1.) Studium & crudelitatem hoſtium: *Circumſtant me juvenci multi; validi Baſanis cinxerunt me.* verſ. 13. *Diſtenderunt contra me os ſuum; leo rapiens & rugiens.* Subintell. diſtendit os ſuum. verſ. 14. (2.) Statum ſuum in illâ invaſione: *Inſtar aquæ fundor.* Intelliguntur lachrymæ, & fluxio ceu grumorum ſanguinis; *& laxarunt ſe omnia oſſa mea.* præ dolore & debilitate nullum artuum meorum rego; *cor meum factum eſt ut cera*, molleſcens ſcil. Minuitur animus, gaudium, conſolatio, & firmitas illa excludens horrorem, & ἀγωνίαν, *Imo liquatum eſt in medio viſcerum meorum.* Quod quid aliud eſt, quam trepidatio, terror, horror, triſtitia & ἀγωνία? verſ. 15. *Areſacta eſt ut teſta vis mea.* h. e. humidum vitale. Ita ineptus ſum ad agendum quicquam, ac ſi principium vitæ in me deficeret. *Lingua mea eſt agglutinata palato meo.* non tantùm à conſilio & voluntate eſt ſilentium, (de quo Eſ. 53: 7.) ſed & ab infirmitate carnis. Ex hoc ardore & ariditate & ſitis illa in cruce. Nec ſufficit: *Et in pulverem mortis deponis me.* Non hoc jam aliunde, quam ab æſtu iræ Dei; qui ipſum ita exhauriebat, ut ad mortem redigeretur, quâ homines reſolvuntur in pulverem. Namque multùm ad celeriorem mortem Chriſti fecit ipſius triſtitia & lucta ſpiritualis. v. 16. Secundus gradus habet crucifixionem, Diviſionem veſtium, &c. iiſque ſubordinatas petitiones ſpeciales; de quibus infrà erit dicendi locus.

§. 12. Pſalmo 38. oratio præſcribitur caſtigato & oppreſſo pro remisſione & mitigatione pœnæ & auxilio. Nec impedit, quò minùs eam Chriſto & in luctâ conſtituto tribuamus. Eſt hic I. Propoſitio: *Jehovah, ne in fervore tuo coarguas me, & ne in ardore tuo caſtiges me.* Scil. pœnâ magnitudinem delicti æquante, & ut tuâ majeſtate dignum eſt, quæ requireret, ut nunquam fiat remisſio & gratia, licet ego penitùs interea. verſ. 2. Conf. ſup. Pſal. 6: 2. II. Illuſtratio petitionis à cauſâ impulſivâ, Senſu iræ Divinæ. Ubi diſtinctè 1. punientem agnoſcit: *Nam tela tua defixa ſunt in me, & deſcendit in me manus tua.* verſ. 3. (2.) Pœnam refert ad cauſam, Iram Dei: *Non eſt integrum in carne meâ propter ſeveritatem tuam*; & peccatum ſuum: *Non eſt pax in oſſibus meis propter peccatum meum.* Chriſtus conturbatus eſt & enervatus propter peccata noſtra, quæ nos aſſumendo fecit ſua, horrore & tremore repletus propter charitatem Dei & proximi, quando illorum molem vidit. verſ. 4. III. Suaſio petitionis (1.) à gravitate peccatorum, pro quibus ſatisfaciendo non

ſint humanæ vires naturæ. *Nam pravitates meæ excedunt caput meum*; totus immerſus ſum culpis; *ut onus grave, graviores ſunt præut ego ſuſtineam.* Chriſtus hoc potuit dicere, ſi ſolam naturam humanam in eo ſpectes. Nam ſi abſque dignitate perſonæ divinæ fuiſſet, debuiſſet ſuccumbere iſti oneri. Et ſic non potuiſſet nos liberare ſponſor manens in morte. verſ. 5. Demonſtrat hanc imbecillitatem à malis jam acceptis ob minorem aliquem reatum: *Fœtent, putent tumices mei*, plagas accepi, quas conſolidare natura non quivit, *propter ſtultitiam meam*, propter id, quod per levitatem & incogitantiam egi. verſ. 6. *Diſtortus ſum, incurvatus ſum valde; omni die atratus inceſſi.* verſ. 7. *Nam ilia mea repleta ſunt ſpurcitate, & non eſt integritas in carne meâ.* verſ. 8. Significatur languor & dolor corporis non intermittens, cum mali augmento quotidiano. Sequuntur, extrema debilitas corporis: *Dirigui & comminutus ſum* ſive *enervatus valde.* ablatus eſt motus, & ſpiritus commune agilitatis inſtrumentum; Sonora reſpiratio, qualis in extreme debilibus & moribundis: *rugivi à fremitu cordis mei.* verſ. 9. Dolor animi, & in eo votum cum gemitu ſine effectu: *Domine, coram te eſt omne votum meum*, quod eſt facere voluntatem tuam, *& gemitus meus abs te non eſt abſconditus.* verſ. 10. Vertigo denique ac deliquium animi atque lucis oculorum: *Cor meum rotatum eſt, deſeruit me vis mea, & lux oculorum meorum, etiam illorum, inquam, non fuit mecum.* Ita ſenſus motuſque ablatus eſt. Proximè mortem fui. Et hæc à levi ſtultitiâ. Quid, ſi Deus pœnam omnium pravitatum velit exigere? Millies interiret, antequam pro milleſimâ partis ſatisfaceret merus homo. Obſervandum autem, hæc mala non tantùm in Chriſto ipſo requirenda eſſe, ſed etiam in corpore Chriſti myſtico. Pro quo Chriſtus ita intercedit, ut hujus mala pro ſuis reputet. verſ. 11. (2.) Suadet petitionem à Scandalo ex calamitate ſuâ, tàm apud amicos, verſ. 12. quàm apud malevolos, v. 13. Ubi eſt: *Et imminent (invergunt ſe,) quærentes animam meam, & quærentes malum meum loquuntur nequitias, & fraudes omni die meditantur.* Vid. ſuprà in Articulo. Amplificatur hoc ſcandalum ab eo, quod non poſſit ſeſe defendere & veritati teſtimonium dicere, verſ. 14. 15. cauſam verò ſilentii dicit tùm Spem in Deum, v. 16. tùm infirmitatem dolorem & timorem lapſus, verſ. 17. 18. Ubi hæc ſunt: *Nam dicebam: ne lætentur de me, qui, nutante pede meo, contra me magnificârunt. Nam ego ad claudicationem paratus ſum, & dolor meus eſt coram me ſemper.* (3.) à gloriâ Deo redditâ per indicationem & deteſtationem peccati: *Nam pravitatem meam indico, formido peccatum meum.* Chriſtus reverâ indicavit pravitatem & peccatum ſuum, quia & oravit pro eo, ut condonaretur, & patiendo demonſtravit, quantum id eſſet. verſ. 19. (4.) ab Inimicorum injuſtorum ἀδικίᾳ, & augeſcente cùm copiâ, tum injuriâ: *Sed inimici mei vivi invaleſcunt, & multiplicantur, qui me oderunt ob falſimoniam.* ex falſâ & ementitâ cauſâ. verſ. 20. *Et reddentes malum pro bono adverſantur mihi* (tanquam ἀντίδικοι) *pro eo, quòd ego perſequor bonum.* verſ. 21. Fingunt ſibi odii cauſas, reverâ autem urit & malè habet eos, quod ego bonum perſequor, ſive illi intelligant, id bonum eſſe, ſive non, inexcuſabili ignorantiâ. Conf. Joh. 16: 2. 3. IV. Concluſio petitionis: *Ne relinquas me, Jehovah; Deus mi, ne longè à me abſis. Feſtina ad auxilium meum; Domine, ſalus meâ.* verſ. 22. 23.

§. 13. Pſalmus 40. continet orationem Chriſti animantis Eccleſiam ad fiduciam in Deum ſub cruce, & intercedentis pro eâ. Animat autem fideles ad certamen exemplo ſuo. Ut ita hîc ſit ὑπογραμμὸς Chriſti, ut capitis, in exſpectatione Dei, & effectu iſtius exſpectationis, liberatione. Ubi & de ſtatu Chriſti in agone occurrunt, quæ hîc notanda. *Exſpectando exſpectavi Jehovam.* certus, illum olim mihi

ſaluti

ſaluti futurum. Adde ex ſeqq. & imploravi eum. Sequitur enim: *& audivit implorationem meam.* verſ. 2. *Et eduxit me ex puteo ſtrepitus*, id eſt, ex peccatis præteritis & futuris, quæ ceu aquæ multæ, cum ſtrepitu in me ingruebant; *ex luto cœni*, id eſt, ex poteſtate mortis & vinculo maledictionis, ex quibus ſe expedire, & in ſtatum vitæ ac ſalutis transferre ſe ſolo non poterat. v. 3.

Ibidem verſ. 6. & ſeqq. intercedens pro Eccleſiâ, & petens verſ. 12. continuationem gratiæ, verbis: *Tu, Jehovah, ne contineas miſericordiam tuam à me: gratia & veritas tua ſemper me cuſtodiant*, ſive amplectantur. addit cauſam impulſivam petendi: *Nam ingruerunt in me mala, uſque adeò, ut non ſit numerus; attigerunt me pravitates meæ; & non poſſum cernere; numeroſiores ſunt pilis capitis mei; & cor meum reliquit me.* verſ. 13. In quibus Chriſtus cum membris ſuis ſpectandus eſt, quorum dum aliquid miſerum eſt, nondum totus beatus eſt; & quorum peccata ſua vocat, quia pro iis ſpoponderat, & venerat ad ea expiandum in corpore ſuo. Vidit ergo & paſſionum adhuc Eccleſiæ exantlandarum, & peccatorum futurorum molem, & proculdubio hinc cohorruit, cùm ſic pro eâ intercederet.

§. 14. Pſal. 41. in eâ parte Pſalmi, in quâ Chriſtus, quem nomine *Tenuis* indigitaverat, ſuam cùm Tenuitatem, tùm evectionem in oratione ad Deum habitâ explicat, afflictiones ſibi incumbentes propter peccata noſtra, & ſe debilitantes, oſtendit hoc modo: *Ego dixi: Jehovah, gratioſus eſto mihi, ſana animam meam.* h. e. vitam ſpiritumque refocilla, recrea, robora, & confirma; *quia teneor tibi*, ad pœnam peccati, & nemo idcirco præter te ſanare poteſt. Poteſt etiam verti; *quia peccator.* vel peccatum & exſecratio, *ſum tibi.* Ut ita & actus pravus, & obſtrictio, ſive obligatio ad pœnam, ſimul notetur. Actus verò pravos ſibi imputat Chriſtus, quatenus membra ipſius adhuc peccat. Ut enim ipſe juſtitiam ſuam nobis dat, ita & peccata noſtra ſua facit.

§. 15. Pſalmus 69. luculentam habet Chriſti patientis orationem uſque ad v. 33. Ex eâ potiſſimùm hîc excerpemus, quæ ad præſentem Chriſti ſtatum & luctam ejus ſpiritualem pertinent. Vide hîc ab initio Petitionis propoſitionem generalem: *Salvum me fac, ô Deus* Tu qui vis ſervare hæredes à te teſtamento mihi donatos, quorum ego locum jam ſuſtineo & cauſam ago, factus legi obnoxius; noli permittere, ut ego miſer ſim & intereamm, ſed præſta mihi exitum ex miſeriâ ad beatitudinem & gloriam. In hâc petitione ineſt ἱκετηρία pro juſtificatione & conſervatione ſuorum. Quia eſt ſupplicatio, ut ſervetur ab εὐλαβείᾳ, h. e. ab illo legitimo metu pro ſuorum ſalute, quem ipſi ingerebat amor illorum, & contemplatio peccatorum, ex quibus liberandi, quæque ipſis condonanda erant, atque ex alterâ parte ſanctitatis Dei. Conf. Pſal. 16: 2. Tùm confirmationem petitionis. 1. à magnitudine periculi, vi malorum ingruentium, defectu virium. *Nam venerunt aquæ ad animam* q. d. Tantùm non ſubmergor e ſuffocor mali magnitudine. verſ. 2. *Immerſus ſum in cœnum profundi, & non eſt ubi ſtem; veni in profunda aquarum, & fluxus aquæ inundat me.* verſ. 5. Allegoricè multitudo peccatorum, magnitudo reatus noſtri, legis maledictio & ira Dei trahens ad exitium ſignificatur meliùs quàm ulla calamitas. Accedit & virium defectus. Homo per ſe ex tantis malis non poteſt eluctari. *Defatigatus ſum clamando, exaſperatum eſt* raucedine ex clamore *guttur meum; Conſumti ſunt oculi mei ſperantis ad Deum meum.* ἀδημονία, μονοθυμία, triſtitia ad mortem, mœror, vertigo, laſſitudo & lucta cum irâ Dei, quæ & grumos ſanguinis expreſſit, hîc ſignificatur. verſ. 4. (2.) ab Hoſtium copiâ; & (3.) Chriſti innocentiâ: *Multiplicati ſunt ſupra pilos capitis mei odio habentes me ſine cauſâ,* (Id citatur

tatur Joh. 15:25.) *invaluerunt exſcindentes me, inimicitiam in me exercentes cum falſitate. Quod non rapui*, gloriam Dei, quam non ego, ſed homines ei eripuerunt, *tunc*, mox, cùm patiar mortem, *reddam*, ac reſtituam Deo. verſ. 5. Hoc declarat à divinâ ſcientiâ: *ô Deus, tu noſti uſque ad levitatem meam, & reatus mei à te non ſunt occulti.* q. d. noviſti omnes reatus uſque ad leviſſimas culpas, pro quibus luam, & quòd nullum in eis ſit meum delictum proprium vel erratum, quo tuum jus violaverim, ut reſtituturus ſim, quòd ego rapuerim. verſ. 6. (4). à Spe illorum, qui exſpectant Deum: *Ne pudefiant propter me, qui exſpectant te, Domine Jehovah Deus exercituum; ne confundantur propter me, qui quærunt te, Deus Iſraelis.* verſ. 7. *Nam propter te*, i. e. tuâ cauſâ, ſ. quia conteſtabar Judæis, ipſos non noſſe Deum, quippe qui Filium non cognoſcerent, *tuli probrum, texit ignominia faciem meam.* vers 8. Quod ſi autem caput ac fundamentum ſpei, Chriſtus pudefiat, etiam pudefient membra. Ignominiam hanc in ſpecie oſtendit, in Averſatione fratrum, verſ. 9. & Irriſione ac damnatione actuum ſuorum per inimicos, nimirum zeli gloriæ Dei; verſ. 10. Conf. Joh. 2: 17. Compaſſionis; verſ. 11. Humilitatis; verſ. 12. Fiduciæ in Deum & deſiderii gratiæ. De irriſione hujus deſiderii ſunt iſta: *Colloquuntur de me ſedentes in portâ, & cantilenæ eorum, qui bibunt ſiceram, de me ſunt.* verſ. 13. *Atqui ego, oratio mea ad te, Jehovah, tempore gratiæ, ô Deus.* verſ. 14. q. d. Ego Jehovæ, qui eſt Deus, offero ſupplicationes & interceſſiones pro ſalute hominum, ut ipſis peccata condonentur, idque eo tempore, quod tu deſtinâſti, ut peccata hominum expiares per victimam corporis mei: Sed illi damnant me in judiciis, &, tanquam me victo, canunt de me in conviviis.

Petitionem generalem excipit Specialis, quâ petit, tùm ut exaudiat Deus interceſſionem ſuam: *In amplitudine gratiæ tuæ reſponde mihi per veritatem ſalutis tuæ.* Duo ponit fundamenta petitionis, Dei æternam dilectionem, quâ Chriſtum dilexit, ut caput, & homines ſalvandos ut membra, & promiſſionem ſalutis Chriſto & membris ejus præſtandæ veraciſſimam. verſ. 14. Tùm ut ſe eripiat ex malis circumſtantibus, nimirum peccatorum obſtrictione, hoſtium poteſtate, reatus magnitudine, iræ & maledictionis ſeveritate. Hæc metaphoricè, ut ſuprà: *Eripe me ex cœno, ne demergar; eripiar ab oſoribus meis, & à profundis aquarum.* verſ. 15. *Ne inundet me fluxus aquarum, & ne abſorbeat me abyſſus.* verſ. 16. Petitioni adduntur orationes, (1.) ab amore & miſericordiâ Dei: *Reſponde mihi, ô Jehovah, quia bona eſt*, maximi boni deſtinatione, *gratia tua; ſecundùm amplitudinem miſerationum tuarum*, τὸ ἔλεος τὸ πολὺ, τὴν δόξαν τῆς χάριτος, gloriam ſive præcellentiam gratiæ, *reſpice ad me.* verſ. 17. (2.) à ſuâ obedientiâ: *Ne occultes faciem à ſervo tuo.* qui ſolus dixit, Dominus es tu. Pſal. 16: 2. h. e. voluntatem tuam fecit. vers 18. col. 1. (3.) à ſtatu ſuo & ſummâ triſtitiâ: *Quia arctum eſt mihi*; oſtende igitur mihi faciem tuam, ut recreer. *properè reſponde mihi.* Intereſt ovium mearum, ut mox mihi reſpondeas, & ſalutem ipſis ac juſtitiam partam notificem. v. 18. (4.) à Conjunctione: *Accede ad animam meam, aſſere illam.* tanquam propinquam, tanquam animam filii tui. Conſideratur hic anima Filii, ut ponens אשם ſatisfactionem pro reatu: Quâ poſitâ pleniſſimum jus eſt Deo eam aſſerendi, & à poteſtate tenebrarum ſolvendi per potentiam. verſ. 19. (5.) à fine liberationis, ut hoſtibus rependat, & dominium Satanæ deſtruat: *Propter inimicos meos redime me.* Libera me ex poteſtate Satanæ propter ſolutum pretium. v. 19.

Tùm & petit, ut puniat hoſtes. Ubi juſtas pœnæ ſumendæ cauſas exponit & repetit (1.) à Probri magnitudine: *Tu noſti probrum meum & pudorem meum, & ignominiam*

miniam meam. Quomodo ſcil. Diabolus alios incitârit ad me conviciandum, alios ad me tradendum, alios ad me deſerendum, & abnegandum quoque, quæ mihi cauſæ pudoris & confuſionis. verſ. 20. (2.) ab Hoſtium copiâ, & in Deum furore: *coram* (vel *contra*) *te omnes hoſtes mei.* Noſti ſcil., quanta ſit hoſtium meorum & copia & malitia. verſ. 20. Malitiam oſtendit irriſione ſui in paſſione; verſ. 21: 22. Ubi eſt: *Probrum fregerat cor meum.* h. e. contriſtaverat me ad mortem. Hæc paſſio interna eſt, orta ex amore Dei, & ex amore illorum, qui Deum blaſphemabant. Nam ſecundùm legis rigorem dilexit etiam illos; quanquam non ut ſibi datos. v. 21. Pœnæ hoſtium in ſeqq. verſ. 23 — 29. deſcribuntur.

Denique petit, ut triumphet; verſ. 30: 31. 32. Ubi eſt: *Ego autem inops & doloribus excarnificatus: Salus tua ô Deus* i. e. ἀπολύτρωσις, redemtio per me facta, tuo dono & gratiâ tuâ, *ſublimet me*, & faciat me compotem vitæ, gloriæ, regni, hæreditatis. verſ. 30. Suadetur petitio à fine; nim. gloriâ Dei vero cultu illuſtrandâ: *Celebrabo nomen Dei carmine, & magnificabo illud profeſſione.* verſ. 31. *Idque placebit Jehovæ præ bove, juvenco cornuto ungulas habente.* v. 32.

§. 16. Pſalmo 88. Paſſiones Chriſti cum κραυγῇ & δάκρυσιν *clamore* & *lacrimis* ad Patrem repræſentantur. Habet 1. Petitionem: *Jehovah, Deus ſalutis meus; dies, quo clamavi*, totum tempus præconii mei, quod cum clamore tranſegi, *de nocte* imminente jam horâ & poteſtate tenebrarum, *coram te eſt.* verſ. 2. *Veniat* igitur *coram te oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.* verſ. 3. II. Confirmationem petitionis à dolore & triſtitiâ ſuâ: *Nam ſaturata eſt anima mea malis, & vita mea ad orcum acceſſit.* i. e. tantus me dolor & anxietas tenet, ut neceſſe ſit me ab eo exſtingui, niſi me recrees. Convenit Chriſti querela; *Triſtitiâ obruitur anima mea uſque ad mortem.* Matth. 26: 37. 38. Fuit autem hæc maximè triſtitia à ſenſu iræ Divinæ & dolore ob peccata hominum. verſ. 4. Hæc triſtitia illuſtratur à cauſis; nim. (1.) à ſcandalo eorum, quibus propoſitus erat Salvator; tùm in genere omnium, v. 5. *Reputatus ſum cum deſcendentibus in foveam*, ut latronibus, aliisque hominibus improbiſſimis, quibus nulla in Deo ſalus; Iſta reputatio fuit in omnibus Judæis, tempore paſſionis Chriſti. Quibus condoluiſſe Chriſtum, inprimis electis inter ipſos, ut fratrem, ratione humanitatis ſuæ, conſentaneum eſt. Certè quidem ſine ſummâ triſtitiâ non potuit electorum ſuorum pudenda peccata intueri, qui ob interitum Hieroſolymæ amarè flevit. Et ſanctus ille erat affectus in Eſaiâ, Jeremiâ, Paulo, Moſe, exitium populi Iſraëlitici cum maximo animi dolore ferentibus, quorum quidam etiam vitam deponere, ne illam viderent, alii à gaudiis Chriſti excludi cupiebant, ut, ſi poſſibile foret, eos lucrifacerent. Qui ſanctiſſimus affectus, ut pro fratribus ſuis vitam ponendi, ita peccatis illorum & exitio indoleſcendi, ſine dubio in Chriſto perfectus fuit. Quippe qui omnem legis juſtitiam implevit.

In cauſis ſcandali eſt *(a.)* ſpecies infirmitatis, ut in homine ψιλῷ: *Extiti ut vir ſine viribus.* Ib. verſ. 5. *(b.)* Species ſequeſtrationis à vitâ & conſervatione Dei; v. 6. *(c.)* Exinanitio ipſius, tanquam ſponſoris, ad extremum uſque fundum miſeriæ & doloris: *Poſuiſti me in foveâ profundiſſimâ, in tenebris, in abyſſis.* h. e. humiliâſti me ad imum uſque gradum humilitatis, & deſtituiſti omni luce conſolationis, & immerſiſti malis, ex quibus emergere non eſt, quæ ſuâ naturâ hominem abſorbent. verſ. 7. *In me incubuit æſtus tuus, & omnes fluctus tuos reſonare feciſti.* Significat Chriſtus, ſe ut ſponſorem noſtrum ſenſiſſe infernalem pudorem & dolorem & angorem, ſine peccato tamen, & vividè omnibus judiciis Dei, quæ in æternum

preſſura erant homines, tactum ac perculſum fuiſſe verſ. 8. Tùm in ſpecie diſcipulorum. verſ. 9.

(2.) Ab amore & deſiderio ſalutis ſcandaliſatorum cum diutinâ & hactenus non exauditâ precatione: *Oculus meus tabeſcit, præ imbecillitate*, dolet ex longâ & vanâ exſpectatione; *invocavi te, Jehovah, omni die; expandi ad te palmas meas.* vers 10. Res deſiderata: *Numquid mortuis facies miraculum? an computreſacti ſurgent, confitebuntur te?* ſcil. in hoc mundo, ut ipſi miraculo tuo ad fidem adducti alios quoque ad fidem ejus commemoratione adducant? verſ. 11. *An narrabitur in ſepulchro gratia tua? veritas tua in Interitu?* vers 12. *An cognoſcetur in tenebris mirabile tuum, & juſtitia tua in terrâ oblivionis*; verſ. 13. Minime certè. Atqui tamen mirabile patras ad fidem hominum, vis narrari gratiam & veritatem tuam, cognoſci mirabile tuum & juſtitiam tuam: Non convenit ergo, ut me relinquas in morte, quia apud mortuos patrare mirabile tuum, narrare gratiam tuam &c. non poſſum. Non convenit etiam, ut permittantur homines ſcandaliſari, & ſic mori in peccatis ſuis, ut videre & agnoſcere & celebrare mirabile tuum & gratiam tuam & veritatem ac juſtitiam tuam non poſſint. Ut ita hic ſit oratio partim pro reſuſcitatione Chriſti ad vitam, partim pro Apoſtolis & omnibus, quos dedit Filio Pater, & daturus erat, ut conſervarentur à malo. Probat ulteriùs hoc deſiderium à ſuâ inſtantiâ: *Et ego ad te* Patrem *vociferatus ſum* ex anguſtiâ cordis mei, *& matutinò oratio mea coram te apparuit.* verſ. 14. Intelligitur oratio Chriſti ſacerdotis ſe ipſum offerentis, quæ fuit plena amoris Dei & proximi.

(3.) à privatione ſolatii, tùm Divini: *Quare Jehovah, rejicis animam meam? occultas faciem tuam à me?* Quare animam meam, quam ego offero in victimam pro peccatis, non teſtaris tibi eſſe θυσίαν εὐωδίας, & mihi oſtendis faciem tuam, ut placati & reconciliati? verſ. 15. *Inops ego ſum & exſpirans præ teneritudine. Tuli terrores tuos, animo linquor.* verſ. 16. *Obruerunt me omnes æſtus tui, conſternationes tuæ profligârunt me.* verſ. 17. *Circumdederunt me toto die, cinxerunt me coronâ pariter.* verſ. 18. Apparet, Chriſtum verè infernales dolores guſtâſſe pro nobis & iram Dei pertuliſſe. atque ita, ut quamvis humana ipſius natura à Divina ſuſtentaretur, tamen quàm minimum perceperit gaudii, quod ex luce ejus alioqui capere ſolita erat, aut ad quod in exaltatione pervenit. Tùm ſocialis in conſortio tenebrarum: *Elongaſti à me amantem & ſocium: noti mei ſunt tenebræ.* h. e. ſpiritus tenebrarum me undiquaque cingunt & percellunt, mihique inſultant procaciſſimè. v. 19.

§. 17. Pſalmus 109. graviſſimæ Chriſti actioni, & rogationi ſententiæ in hoſtes, verſ. 21. & ſeqq. ſubjungit Poſtulationem auxilii in hanc ſententiam: *Sed tu, Jehovah, Domine, effice mecum propter nomen tuum.* Pertinet hoc ad divinæ virtutis in omni officio Chriſti efficaciam; *Quia bona eſt gratia tua, eripe me.* Suſtenta & eripe me ex omnibus periculis. verſ. 21. Suadetur à tenuitate virium: *Nam imbecillis & egenus ego ſum, & cor meum confoſſum eſt in medio mei*, quo ſignificatur dolor Chriſti varius. inprimis ex condolentiâ & indignatione. verſ. 22. *Ut umbra, quum inclinat, cogor abire.* Intelligitur brevitas temporis, quo Chriſtus docuit; *& excutior, ut locuſta.* Intell. receſſio Chriſti in hortum, vel omnis Chriſti toto officii tempore inſtabilitas. verſ. 23. *Genua mea lapſarunt præ jejunio, & corpus meum emaciatum eſt ab opimitate.* verſ. 24. Accommodatiſſimum eſt ultimam Chriſti ἀγωνίαν intelligi, cum in horto cecidit in faciem & oravit; & grumos ſanguinis profudit. *Jejunium* autem vocatur hîc non cibi abſtinentia, ſed graviſſimi mali, æſtus iræ Dei, qui eſt major æſtu diei, tolerantia ſine refectione. Sic Chriſtus, cùm ſe conquereretur

quereretur deſertum, animam eſurientem Divinæ conſolationis, ut cibi, oſtendit.

Pſalm. 118. v. fit mentio *Anguſtiæ*, ex quâ teſtatur Chriſtus *ſe invocâſſe Jehovam.* Intelligitur autem anguſtia maxima animæ pro ſalute Eccleſiæ laborantis. Pſ. 119: 121. Deo à Chriſto abeunte, hæc ipſi præformatur oratio: *Feci judicium & juſtitiam, ne derelinquas me oppreſſoribus meis.*

Pſ. 144: 7. petit Chriſtus ſui extractionem ex aquis multis: *Mitte manum tuum ab alto, libera me & eripe me ex aquis multis.* Exemplum hujus extractionis eſt in reſuſcitatione Chriſti ex morte.

§. 18. Eſaiæ cap. 49. v. 8. innuitur, *Tempore gratiæ*, id eſt acceptationis grati ſacrificii, fuiſſe, qui oraret pro populo, atque etiam offerret. Dicitur enim: *Tempore gratiæ reſpondi tibi.*

Eſai. cap. 53. meminit *dolorum* Chriſti, verſ. 4. *συμπαθείας*: *Atqui ille dolore afficiebatur (ſ. cruciabatur) à defectionibus noſtris, conterebatur (*ſive *enervabatur) à pravitatibus noſtris.* verſ. 5. Ubi intelliguntur maximi in animo dolores, quos clamore & lacrimis & ſudore & oratione teſtatus eſt: Qui etiam dolores & metus eum fecerunt *ἀπονοῦντα* & ſtupentem, & quaſi enervatum, ſive conſideraret meritum peccati, ſive peccata & tentationes Eccleſiæ futuras, ſive interitum ſuorum hoſtium, quibus ceu fratribus indoleſcebat. Tùm, quòd *exemplaris pœna ſuper ipſo fuerit.* i.e. quòd factus ſit exemplum exſecrationis & iræ Dei, ſive, ut Apoſtolus loquitur, peccatum. verſ. 5. quanquam hoc magis ad totam ejus paſſionem, vel externam magis, quàm internam, pertineat. Item, quòd *Deus fecerit in ipſum incurrere pravitatem omnium noſtrûm.* eum, faciendo ſervum ſuum, & conſtituendo ſub legem dilectionis fratrum, & obligando ad voluntatem offerendi ſe victimam pro illis. verſ. 6. Quòd, *cùm exigeretur* pravitas omnium noſtrum, & tempus veniſſet illam condemnandi, & Deum ſanctificandi, tùm *ipſe ſe ſubmiſerit*, & ſtiterit tanquam ſponſor & ſacerdos excepturus plagas pro nobis. verſ. 7. Quòd fuerit, qui *ipſum voluerit enervare*, h. e. privare alacritate, promtitudine, bonâ voluntate, ſpe, & in pulvere mortis poſitum redigere עַד דַּכָּא Pſalm. 90: 3. quemadmodum nos morientes ad minutum redigimur. Fuit verò hoc ſtudium hoſtis, qui imperium mortis habebat. verſ. 10. Quòd *poſuerit anima*, i. e. enixiſſima voluntas ejus, *ſatisfactionis pretium*, ſ. *ſacrificium pro reatu.* quia charitas, obedientia, enixa voluntas, ac ſtudium, cum ſummâ voluptate ad ſatisfactionem requiruntur. Ibid. verſ. 10. Meminit & *laboris animæ ipſius.* Qui inprimis eſt ipſius obedientia, amor, compaſſio, triſtitia & anxietas; quanquam & paſſio in corpore intelligatur, quatenùs ſine dolore animæ exantlari non potuit. verſ. 11. Denique, quòd cùm *peccata multorum ferret*, etiam *pro defectoribus oraverit.* Quo perfectio obedientiæ & compaſſionis Chriſti notatur. verſ. 12.

Eſaiæ cap. 63. introducitur Chriſtus in tali habitu prodiens ex Edom & Botzrâ: *fermentatus veſtes.* i. e. turgentibus veſtibus. verſ. 1. *cujus veſtes ſunt, ut calcantis uvas in torculari.* uvidæ ſcil. & turgentes. *cum rubro in iiſdem.* colore ſanguineo. ſcil. Quo abundantia dolorum & totius carnis cruentatio ſignificatur. Inquiritur autem de cauſâ iſtarum paſſionum, verſ. 2. Et reſpondet Chriſtus, *Se calcâſſe populos in irâ ſuâ, & conculcâſſe eos in æſtu ſuo, & aſperſam eſſe vim*, i. e. ſanguinem, *illorum veſtibus ſuis, & omnia indumenta ſua ſe fœdâſſe*, & ſimilem eſſe factum ei, qui torcular calcat, cujus veſtes ab uvis madere ſolent. verſ. 3. Significat autem, ſe omnem carnem aboleviſſe, ad ſalutem Eccleſiæ & abolitionem omnium refracta-

 riorum

riorum tàm Judæorum, quàm gentium, per paſſionem ſuam. Itaque ſe *ſanguine* omnium populorum, tùm redimendorum, tùm inobedientium, *aſperſum*, i. e. cum ipſis ſe ſanguine inquinatum eſſe. Porrò ibidem verſ. 5. narrat *ſe intuitum eſſe*, circumſpectâſſe ad ſocios & adjutores, *& nullum fuiſſe auxiliantem*, *&* hinc *ſe obſtupuiſſe*, cùm *non eſſet, qui ſuſtineret*. Qui ſtupor proculdubio, quoque ad laborem animæ ejus debet referri.

§. 19. Jeremiæ cap. 31. v. 20. Chriſtus continuans ſermonem ſuum de Ephrajimo, h. e. Judæis errantibus, & ſimilibus ipſorum, ſe ipſum quaſi miratur, quî fiat, quòd ex quo cæperit de ipſo loqui, non poſſit de ipſo ſilere, ſed mentionem ejus faciat iterum iterumque: Et ſe interrogat, an hoc ex eo fiat, quod Ephrajim ſibi ſit *filius pretioſus, puer deliciarum?* Et porrò teſtatur, *idcircò ſtrepuiſſe viſcera ſua ſuper ipſo.* tùm nempe, cùm flevit ſuper Hieroſolyma, & oravit pro crucifigentibus, ne hoc ipſis imputaretur, quia neſcirent, quid facerent. Similia ſunt Eſ. 16: 9. & 11. itemque Jer. 48: 31. 36. de quibus ſuprà egimus Art. x. & xii.

§. 20. Malachias denique eandem *λύπην* & *ἀδημονίαν* Chriſti ſignificat, ubi accuſat Sacerdotes, quòd *exſpirare fecerint germen Jehovæ.* Eſt autem talis exſpiratio, quæ מַפַּח נֶפֶשׁ *efflatio animæ* dicitur Job. 11: 20. id, quod animæ deliquium. Unde & Rabbini locum Malachiæ explicant partim per יָגוֹן *mœrorem*, quaſi ſit הוֹגַיְתֶם *mœrore affeciſtis*, uſque ad deliquium animi, partim per הִדְאַבְתֶּם / ut notat Abarbenel. Quare non ineptè ad triſtitiam & angorem Chriſti hunc locum referemus.

§. 21. Atque ita quidem Scripturæ luctam Chriſti ſpiritualem, & paſſionem internam, cum clamore & lachrimis atque orationibus & ſupplicationibus in eâ profuſis nobis proponunt. Voluit nempe Spiritus S. ad hunc modum nobis effigiare Amorem ejus & *συμπάθειαν*, ut & ſanctitatem Dei, & veritatem atque perfectionem obedientiæ Chriſti, meditaremur & cognoſceremus clariùs, & quanta fuerit moles ac turpitudo peccati, conſideraremus diligentius, & dum affectum Chriſti æſtimamus atque amamus, etiam conciperemus atque imitaremur, quantùm pote, ipſius tùm condolentiam, tùm propter peccatum horrorem.

In eâ luctâ fit hoc, quod ſcribitur Pſalm. 22: 15. *Fundor ut aqua.* Quod non tantùm de lacrimis, verùm etiam de fluxione ceu grumorum ſanguinis, eſt intelligendum. Atque ita hiſtoria, Luc. 22: 44. *Sudor ejus factus eſt ut grumi ſanguinis, deſcendentes in terram.*

§. 22. Poſt peractum in horte agonem adfuit proditor, ac tradidit illum, juxta prophetias Pſalm. 41: 10. 109: 8. Zach. 11: 12. ſuprà eâ de re enarratas. Quibus nunc addi poteſt, quod eſt Pſalm. 88: 9. Poſuiſti me *incluſum* notis meis, *ut non exirem.* Siquidem inprimis Judas hîc notetur, cujus manibus Deus ipſum incluſit ita, ut captus & vinctus Sacerdotibus traderetur.

§. 23. Proditionem itaque ſecuta eſt apprehenſio ſeu captura; de quâ non modo citatum locum Pſalm. 88: 9. verum etiam Eſai. 10: 4. intelligimus, ubi Chriſtus dicitur *vinctus.* Et Eſai. 53: 8. ubi fit mentio *coarctationis*, ſ. *incluſionis* ejus, ex quâ dicitur aſſumtus.

§. 24. Cum apprehenſione Chriſti Fuga diſcipulorum & ſcandalum illorum docetur. Pſal. 88: 9. *Notos meos* (Apoſtolos) *elongâſti à me, poſuiſti me abominationem ipſis*; (Judæ quoad perſonam, & quodammodo reliquis, nominatim Petro, quoad afflictionem.) *incluſum, ut non exirem.* Pſalm. 38: 12. *Amantes me & ſocii mei longè contra plagam meam ſtant: & propingui mei eminùs ſtant.* Ita enim evenit, Chriſto patiente, in diſcipulis. Pſalm. 69: 9. *Alienus factus ſum fratribus meis; &*

peregrinus

peregrinus filiis fratris meæ. Qui locus non tantùm de fratribus Chriſti, ſed & de Apoſtolis qui fugerunt, & quorum Petrus ipſum abnegavit, omnibuſque Iſraëlitis, qui erant fratres ejus ſecundùm carnem, intelligendus eſt. Et rurſus Pſ. 88: verſ. 19. *Elongâſti à me amantem & ſocium: noti mei ſunt tenebræ.* Eſai. 61: 7. *Pro eo quod pudefacti eſtis bis.* Pertinet enim hoc ad diſcipulos Chriſti, qui bis pudefacti ſunt: 1. quando Chriſtus captus & interfectus eſt à Judæis. 2. quando Judæi Euangelium rejecerunt. Eſai. 63: 3. *Torcular calcavi ſolus, & ex populis non erat vir mecum.* Et verſ. 5. *Et intuebar, & non erat auxilians, non erat qui ſuſtinebat.* Non erant vel angeli vel homines, ex quibus aliquid ſolatii caperem. Ita impleri oportuit, quod eſt Dan. 9: 26. *Et nihil erit ipſi*, vel, *& non erit* quicquam *ſuum.* Quod non tantùm derelictionem & perfidiam Judæorum, ſed & fugam diſcipulorum ejus notat. Am. 9: verſ. 11. *Et deſtructa ipſius* (Davidis) *ſuſcitabo.* Diſcipulos meos diſperſos recolligam, & recreabo. Et Zach. 13: 7. *Percute paſtorem, & diſſipentur oves.*

§. 25. Nec tantùm conſortium amantium ſui hominum, ſed & Angelorum ipſi ſubtractum eſt, quod ex Eſai. 63: 5. & Dan. 9: 26. facilè intelligitur. In horto id ſingulare, quòd Angelus roboraverit eum. Jamnunc conſortio dæmonum traditus eſt; *Noti ejus facti tenebræ.* Pſalm. 88: 19. & *diſtendit contrà ipſum os ſuum, leo rapiens & rugiens.* i. e. Diabolus. Pſalm. 22: 14. Add. Eſai. 53: 10. & Apoc. 12: verſ. 4.

§. 26. Hoſtes externos quod attinet, in quorum manum incluſus eſt, facit Scriptura duplices, *gentes*, & *nationes*, ſ. Judæos. Pſalm. 2: 1. Sive, ut appellat David, Pſalm. 22: 17. *Canes*, & *cœtum maleficorum.* Quorum illud ſignificat gentes, ſive eos, quos Salvator ἁμαρτωλὰς nominavit. Matth. 26: 45. Marc. 14: 41. Luc. 24: 7. Eſaias in vocibus diſtinctis, *Imperii*, & *Judicii*, eoſdem indigitat, Eſ. 53: 8. Nam imperium tùm penes Romanos, eorumque procuratorem Pilatum, erat. Ordinem tamen aliquem in hiſce ſervat Scriptura, ut initium vexationis Chriſti deducat à *juvencis* & *tauris* ſ. *caballis.* i. e. principibus populi & *Leone*; procedat ad canes. i. e. Romanos, & *cœtum maleficorum*; & finiat in *monocerotibus.* i. e. potentibus, & *Leone.* Vid. Pſalm. 22: 13. 14. 17. 22. Atque ita res geſta eſt. Chriſtus captus primò deductus eſt ad Sacerdotes & judices populi: Ab iis traditus eſt in manus gentilium: Terminavit paſſionem Chriſti, Pilatus, non modò jubens ut oſſa ejus fraugerentur, quod tamen morte ſuâ prævertit Chriſtus, ſed & corpus ejus concedens ſepulturæ.

§. 27. Chriſto itaque in vinculis primùm ducto ad Sacerdotes & Seniores populi, actum eſt ab iis *judicium*, Eſai. 53: 8. *Stiterunt ſe reges terræ*, quaſi gradum figentes, ut cum Chriſto cominùs congrederentur, *& principes concilium egerunt unà; contra Jehovam, & contra Unctum ejus.* Pſalm. 2: 2. Qui & ab iis ſe judicari paſſus eſt, *factus ita inferior infra Deos* illos dictos. Pſalm. 8: 6. Ibi falſas accuſationes ingerendas paſſum ſubindicat Scriptura. Primaria tamen oſtenditur futura eſſe illa, quòd Homo cùm ſit, Deum ſe fecerit. Vid. Joh. 5: 18. 10: 43. 19: 7. Hanc accuſationem non debuit ſine apologiâ præterire; quam graphicè Eſaias deſcribit cap. 50. ubi cùm verſ. 5. poſuiſſet, *ſe increpatione ſuâ ſiccâſſe mare*, & alia Divininatis opera ſibi vindicâſſet: Tùm verſ. 8. & 9. provocat ad judicium Dei: *Propinquus eſt juſtificans me: quis contendet mecum? conſiſtamus unà*, &c. *Ecce Dominus auxiliabitur mihi.* &c. Apud Zephaniam quoque, *Præſtolamini me, ait Jehovah, ad diem, quo ſurgam in perpetuitatem. Nam judicium meum eſt ad congregandum gentes*

tes &c. Reſurrectionem ſcil. ſuam prædicit ad vitam perpetuam; quam oſtendit compatatam ad hunc finem, ut judicet in gloriâ & regno. Planè ut Chriſtus, Matth. 26: 64. Marc. 14: 62. Luc. 22: 69. 70. ubi duo conjungit, Seſſionem ad dextram Patris, & adventum ad judicandum vivos & mortuos. Quorum & prius illius ætatis homines viſuros dixerat, Matth. 16: 28. Secundùm quæ dicit S. Paulus. 1 Tim. 3: 16. *Juſtificatus eſt in ſpiritu*. h. e. ut Deus, divinâ ſuâ potentiâ demonſtravit, ſe non eſſe mentitum.

§. 28. Hujus judicii definitiva ſententia fuit, oportere, ut unus homo pro populo moriatur. Joh. 11: 50. Quæ etiam voluntas Chriſti, cui idcircò *datum* hoc *judicium* dicitur, Pſalm. 72: 1. Ecech. 21: 32. & judicium Patris fuit. Nam Deus *faciebat in ipſum incurrere peccatum omnium*: tempuſque jam erat, ut *id exigeretur*, Eſai. 53: verſ. 7. ut daret אשם *ſacrificium pro peccato anima ejus*, charitate tenerrimâ languens. verſ. 10. & ut *ſolveret, quod non rapuerat*. Pſ. 69: 5. In quo judicio factus ipſe eſt *κατάρα exſecratio*, *ἁμαρτία peccatum*, *περὶ ἁμαρτίας ſacrificium pro peccato*, dedit *ἀντίλυτρον redemtionis pretium*, peregit *ἱλασμὸν propitiationem*, portavit peccatum, ut ſponſor & mediator teſtamenti, & *agni* aberrantis, ac *ſerpentis* in deſerto erecti typum implevit.

§. 29. Sententia Synedrii de ipſo recitatur in Gemara Sanhedrin, cap. 6. quod incipit, *Nigmar baddin*, fol. 43. pag. 1. *In paraſceve Paſchatis ſuſpenderunt Jeſum: Et præco exibat ante illum quadraginta diebus: Exit ut lapidetur eò quod magiam exercuit, & ſeduxit, & depulit Iſraelem. Quicunque novit argumentum abſolutionis pro eo, veniat & doceat. Sed non invenerunt ipſi rationes abſolventes & ſuſpenderunt ipſum pridie Paſchatis. Dixit Ula. Et putaſne eum fuiſſe talem, ut ratio pro illo abſolvendo proferri potuerit? Atqui ille ſeductor erat. Et Deus ille miſericors dixit, Non indulgebis neque proteges eum. Sed diverſum erat in Jeſu, propinquus regibus erat.* Hæc ſententia Chriſtum juſtificat. Oſtendit enim, eum damnatum eſſe primò, quòd alium Deum doceret: quia nempe dicebat, Deum Iſraëlis eſſe Patrem ſuum. Secundò, quòd magus fuerit: nempe quia miracula faciebat in nomine Patris quem ipſi ignorabant. Et quidem frequentia & crebra, quippe cùm vi illorum dicatur depuliſſe Iſraëlem. Obiter etiam notetur in eâ ſententiâ teſtimonium generis Jeſu, quòd fuerit ex familiâ regiâ, h. e. Davidicâ, atque ita habitus ſit pro Chriſto; item teſtimonium generis mortis, & temporis, ſcil. pridie Paſchatis.

§. 30. In hoc judicio damnatum eſt peccatum, quod habebat actionem ex lege ad mancipandum ſibi hominem, eumque morti dandum, & Diabolus imperium mortis habens judicatus & abolitus eſt. Rom. 8: verſ. 3. Hebr. cap. 2: verſ. 14. Johan. 12: 21. 16: 11. ad deletionem omnis carnis, Eſ. 63: 3. Num. 23: 17. 19. abolitionem omnis potentiæ, poteſtatis, & dominationis, 1 Cor. 15: verſ. 24. & ad erectionem regni, in quo nil niſi juſtitia, vita, & lætitia eſt, Eſai. 9: 6. 49: 8. 65: 17. 18. & ſic Deus ſanctus ſanctificatus eſt, & ut ſanctificans, juſtificans & vivificans impium, juſtificatus eſt, Eſai. 5: 16. Ezech. 36: 22. 23. Rom. 3: 26. Nam juſtus moriens pro injuſtis moritur. Injuſti autem, pro quibus moritur juſtus, in juſto mortui habentur.

§. 31. Condemnatus à principibus populi Chriſtus traditus eſt in manus gentilium; Itaque incluſus eſt *Imperio*. Eſ. 53: 8. & implevit, quod præfiguratum erat in *Jonâ*, à nautis *conjecto in mare*, Jon. 1: 15. Qui tamen hoc non fecerunt in fide, ut ſatis innuit Jonas, cap. 2: 8. Sicut nec Judæi. Facta autem traditio Chriſti in manum gentium eo conſilio, ut interficeretur. Id judicium erat *odii ſine cauſâ*. Pſal. 69: 5. Nam

69:5. Nam cùm poteſtatem interficiendi hominem non haberent, & ſuperſedere poſſent ſanguinis judicio, maluerunt cum peccatoribus tradere; quàm vitam ei permittere. Itaque *perſecuti ſunt virum inopem & egenum & contritum corde, ad occidendum.* Pſalm. 109. v. 16. Et *ad ſanguinem odit* populus Idumæo animo affectus. Ezech. 35:6.

Ibi verò non tantùm Sacerdotes & Judices, ſed & totus populus, cœtus maleficorum, Pſal. 22:17. jure ſuo tanquam præſcriptione legis ferox; ipſum circumſteterunt, & tanquam mendacem, ſeductorem & blaſphemum oppugnarunt, necem ejus efflagitantes; quod dicitur Pſalm. 3:7. *Myriades populi circumquaque metatas contra ipſum.* Et *Surrexiſſe* contra ipſum, Pſal. 109:28. Omnes *Inimicos & oſores ejus.* Pſal. 68:12. Hæ *lites populi*, Pſal. 18:44. *Dicentium, Verbum Belial fixum eſt in eo*, eumque ut blaſphemum, ſeductorem, ſeditioſum & violatorem legis damnantium. Pſ. 41:9.

§. 32. Ut verò interimeretur, ne cogerentur ſubſiſtere in flagellatione & ἀναθηματισμῷ, invenerunt ſchema politicum, Hoſtem eſſe Cæſaris. Hæc excogitatio falſæ cauſæ eſt, de quâ Pſal 38:20. *Inimici mei invaleſcunt, & multiplicantur, qui me oderunt ex falſo.* ex falſâ & ementitâ cauſâ ſcil. Pſal. 69:5. *Multiplicati ſunt ſupra pilos capitis mei odio me habentes immeritò; invaluerunt exſcindentes me, inimicitiam in me exercentes cum falſitate*, vel, ex falſâ cauſâ. Nam de quo me criminantur, falſum eſt. *Quod non rapui, mox reddam.*

§. 33. Eſt verò hæc accuſatio 1. Teſtimonium innocentiæ Chriſti. Nam judici non eſt probatum crimen ſeditionis. 2. Manifeſtatio ſcortationis ſpiritualis, quòd magis reſpicerent ad Capitolium, quàm ad montem domus Domini, & in hoc colerent Deos Romanorum. Nam illis imputarunt ſuum panem, aquam, linum, lanam, vinum, oleum: non cognoſcentes eum, qui omnia ipſis dederat. Hoſ. 2:7. 10. Quod declarârunt dicentes, *Non habemus regem, niſi Cæſarem.* Johan. 19:12. 15. Atque ita *reprobato* Chriſto Dei, & regno ejus. Matth. 21:42. Marc. 8:31. Luc. 17:25. Pſal. 2:2. 3. 118:22. *Alium dotârunt.* Pſ. 16:4.

§. 34. Judas interim, cùm videret, condemnatum eſſe Jeſum, pœnitens facti ſui, argenteos à Sacerdotibus acceptos in templum conjicit: Sacerdotes autem pecuniam in templum conjectam dederunt figulo pro agro. Deo ita gubernante ut partim vilitas pretii, quo emptus ille, quem ut retinerent, magno debebant mercari, partim conſcientia Sacerdotum mala in perpetuam rei memoriam toti mundo innoteſceret. Unde hoc quoque factum Judæ ſibi tribuit Chriſtus, ut paulò ante ſui venditionem, Zach. 11:13. *Et Jehovah dixerat ad me. Projice illud ad figulum, ingentem magnitudinem, quâ æſtimatus ſum auferendus ab illis. Et acceperam triginta illos argenteos, & projeceram illud argentum in domum Jehovæ pro figulo.*

§. 35. Chriſtus ſtans coram tribunali Pilati, ut ante in Synedrio, edidit pulcherrimam illam ὁμολογίαν, *Confeſſionem*, 1 Tim. 6:13. quæ exſtat Johan. 18:36. 37. Ut & Matth. 27:11. Marc. 15:3. Luc. 23:3. In eâque habuit Deum *extollentem caput ſuum*: Plenus ſpei ſcil., fiduciæ, & παῤῥησίας. Pſ. 3:4. De quâ etiam ipſe ita loquitur: *Et Dominus Jehovah auxiliatur mihi, propterea non ſubterfugi. Propterea poſui faciem meam inſtar ſilicis: & cognovi quod non pudefiam* Eſ. 50:7.

§. 36. Multa verò crimina ingerentibus ipſius Adverſariis obticuit, quaſi convictus non poſſet ſeſe defendere, aut veritati teſtimonium dicere. De hoc ſilentio ita Pſaltes: *Imminent quærentes animam meam, & quærentes malum meum loquuntur nequitias, & fraudes omni die meditantur. At ego ut ſurdus, quaſi non audirem; & ut mutus,*

mutus, qui non aperit os ſuum. Et extiti ut vir, qui non audit, & in cujus ore non ſunt argumenta. Pſ. 38: 13 — 15. Eſaias quoque: *ſubmittebat ſeſe, & non aperiebat os ſuum, ut agnus qui ad mactationem ducitur, & ut agna, quæ coram vulſoribus ſuis obmuteſcit, & non aperiebat os ſuum.* Eſ. 53: 7.

§. 37. Fuit hoc ſilentium non tantùm à voluntate & conſilio, ſed & ab infirmitate: Quòd innuit Propheta, Pſal. 22: 16. *Areſacta eſt ut teſta vis mea, & lingua mea eſt res agglutinata ad palatum meum.* ex ardore ſcil. & ariditate corporis & oris. Hinc illud ſilentium in judicio. Hinc & ſitis in cruce. Et rurſus. Pſal. 38. Ubi haſce ponit cauſas: 1. Spem; Deum calumniis pro ſe reſponſurum: *Nam ad te, Jehovah, ſperavi: Tu reſpondebis, Domine; Deus mi.* verſ. 16. Alteram, Infirmitatem, dolorem & timorem lapſus, impedientem conteſtationem veritatis & *innocentiæ. Nam dicebam: Ne lætentur de me, qui nutante pede meo, contra me magnificarunt. Nam ego ad claudicationem paratus ſum, & dolor meus eſt coram te ſemper.* verſ. 17: 18.

§. 38. Quin etiam notandum eſt, hoc ſilentium opinionem de Chriſto præconceptam, ut inſigni peccatore, non parùm confirmâſſe, & ſcandalum auxiſſe, tam apud amicos, & illos, qui ipſum ſectati fuerant antehac, inter quos ſine dubio multi fuerunt, qui hæſitaverunt, in ſpecie ejus ſcandaliſati, quàm apud malevolos. Quippe ut cauſa ſcandali apud utroſque. Pſ. 38. id allegatur, ut patet ex verſ. 12. 13. coll. verſ. 14. 15. Et de fidelibus conſtat ex Eſ. 53: 4. Ubi nomine ſuo & totius populi confitentur errorem priſtinum, quo antequam illuminati eſſent à Spiritu S., in Chriſto offenſi fuerunt. *At nos*, inquiunt, *reputavimus ipſum plagâ affectum.* Quod non eſt intelligendum de plagis humanis, quæ in Chriſto conſpicabiles fuerunt. Non enim Judæi errarunt, quando judicarunt, eum ab hominibus percuſſum eſſe. Imò hoc non tàm reputarunt, quàm viderunt. Sed de malâ conſcientiâ id intelligendum eſt, quæ habet inſtar plagæ lepræ. Viſus autem eſt Chriſtus ſibi malè conſcius, cùm in judicio conticuit.

§. 39. Dum durat examen, non deſunt injuriæ, Alapæ, Conſputatio, Flagellatio, aliæque vexationes. Has ſummatim comprehendit Eſaias in iſtis: *Tergum meum dedi percuſſoribus & maxillas meas colaphiſantibus, faciem meam non abſcondidi à contumeliâ & ſputo.* Eſ. 49: 6. In ſpecie de ῥαπίσμασι Chriſto infligendis Eſaias: *Et faciem inopum commolunt.* colaphiſando ſcil. Eſ. 3: 25. Michæas cap. 4. verſ. 14. *Virgâ percutiunt in malâ Judicem Iſraëlis.* De flagellatione Eſaias cap. 53: 4. *At nos reputavimus eum plagâ tactum*, immundum, leproſum, id eſt malè ſibi conſcium, *percuſſum Deorum*, qui nimirum cum flagellaretur, juſto judicio ab iis, qui Dii vocabantur, percuteretur. Et verſ. 5. Ibid. *Vibice ejus ſanati ſumus.* Et facilè ſubintelligitur in iſtis; *Inſtar aquæ fundor.* Quod non tantùm dicitur de fluxu ceu grumorum ſanguinis, ſed & de ſanguine ex vulneribus flagellationis manante. Pſalm. 22: 15. Sicut & hoc, *Laxarunt ſe omnia oſſa mea.* quod ſequitur Ibidem, & de debilitate ex vi luctæ, & de flagellatione commodè intelligi poteſt.

§. 40. Acceſſit ad cumulum vexationum deductio Chriſti ad Herodem Antipam, regem, gente Idumæum, qui hoc tempore erat Hieroſolymæ, à quo contemptus & remiſſus eſt ad Pilatum, cùm ad votum ejus non faceret miraculum, adeoque *extitiſſet, ut vir ſine viribus*, in quo vis Spiritus & Divinitatis potentia nulla eſſet. Pſal. 88: 5. Innuit Obadias verſ. 13. Ubi vetat *Edomum intrare portas populi Dei in die calamitatis ipſorum, & ſpectare malum ejus in die calamitatis ipſius* h. e. ſe judiciis populi Dei (ita dicti à viſitatione Filii Dei) intempeſtivè immiſcere, vel ſaltem ſpectare,

ſpectare, cùm malè cum ipſo ageretur. Quemadmodum ſaltem ſpectator adfuit Herodes, cùm Chriſtus judicaretur, & cùm id impedire potuiſſet, paſſus eſt ipſum crucifigi.

§. 41. Conſilium Pilati erat Chriſtum ſervili verbere caſtigatum dimittere. Igitur eum flagellatum populo oſtentavit, ſi fortè hoc ſpectaculo commotus in ejus dimiſſionem conſentiret. At Fruſtra! Populus enim nihilo eâ ſpecie factus humanior, aut ad miſericordiam proclivior, tolli eum & crucifigi inſtantiſſimis clamoribus poſtularunt. Itaque *Jeſchurun*, i. e. Iſraël, נָבָל *tanquam ſceleſtum, & vitâ indignum, rejecit rupem ſalutis ſuæ*. Deut. 32: 15. Et Chriſtus *Multitudine* ita *Dicente*, ſ. judicante, *de animâ ipſius, Non eſt ipſi ſalus in Deo*. Pſal. 3: 3. *vermis* jam, id eſt res debilis, vilis, & abominabilis, & *non vir*, quidvis potiùs; *opprobrium hominum* omnium, quos puderet tales eſſe, vel cum ipſo eſſe, aut de ipſo magni aliquid ſentire, ipſius Pilati, cujus eſt illud, *Ecce homo!* Joh. 19: 5. *contemtum* vel *contemtus populi* Iſraëlitici. Pſ. 22: 7. *Amantibus ipſum & ſociis ipſius longè contra plagam ipſius ſtantibus, & propinquis ejus eminùs ſtantibus*. Pſal. 38: 12. *Alienus factus eſt fratribus ſuis, & peregrinus filiis matris ſuæ*. ab omnibus deſertus ſcil. & fratribus etiam ſuis abominationi factus. Pſal. 69: 9. Et *reputatus eſt cum* latronibus & quibusvis aliis ſceleſtiſſimis peccatoribus *deſcendentibus in foveam* corruptionis. Pſal. 88: 5. Et *elongatis ab ipſo notis ipſius*, omnibuſque generatim diſcipulis & auditoribus, *poſitus eſt abominationes ipſis*, adeò ut etiam clamarent cum reliquis Crucifige, Crucifige. Ibid. verſ. 9. *Et factus eſt ipſis probrum*, damnatus. Pſ. 109: 25. Et *lapis quem reprobarunt*: Pſ. 118: 22. Et *factus in lapidem impactionis & rupem offenſionis, in laqueum & decipulam ſedenti Hieroſolymis*. Eſ. 8: 14. *contemptus animæ, abominatio gentis*, Eſ. 49: 7. *Spretus, Et nihil habens virorum, vir dolorum, & cognitus infirmitate, & tanquam abſconſio faciei*, quem ſcil. inconnivis oculis nemo poſſet aſpicere, utpote quem putarent veniſſe ad tentationem & ſeductionem populi. Eſ. 53: 3. *reputatus eſt percuſſus Deorum*, jure flagellatus. Eſ. 53: 4. Et *cum defectoribus numeratus eſt*, Damnatus ab hominibus. Ib. v. 12.

§. 42. Notabile eſt, quod dicatur Eſaiæ cap. 53: 3. *Abſconſio faciei præ nobis*. Quo ſignificatur, tantæ abominationi Judæis, ut nullum inter ipſos haberent æquè abominabilem. Quod patuit, quando Barabbam potiùs vivere, quàm ipſum, voluerunt.

§. 43. Sic itaque Chriſto ab univerſo populo rejecto, & damnato, Pilato quoque clamoribus populi, cujus erat, *Si illum dimittas, non es amicus Cæſaris, Non habemus regem niſi Cæſarem*. Joh. 19: 12. 15. à propoſito eum dimittendi abſterrito, traditus eſt Jeſus voluntati Judæorum, ut crucifigeretur. Itaque ſimul Gentiles & Judæi in necem Chriſti conſpirârunt, & impletæ prophetiæ: *Concurrerunt* conſociatæ, unitæ ſunt, *gentes*, in unum populum coierunt eo ſcil. *conſilio*, ut ſub uno regimine communes cultus ecommunia ſacra in pace & abundantiâ haberent Pſal. 2: 1. 33: 10. Nec tantùm; ſed & *nationes*, Judæi & *populi*, tam Judæi, quàm gentiles *cogitârunt vanum*. Ibid. Pſal. 2: 1. 33: 10. *Stiterunt ſe reges terræ & principes concilium egerunt unà, contra Jehovam & contra Unctum ejus*. Pſal. 2: 2. Quod dicitur Act. 4: 27. *Convenerunt in veritate in ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſraël*. Quæ autem fuerit ipſorum cogitatio, explicatur. Pſal. 2: 3. *Rumpamus*, inquiunt, *vincula eorum Jehovæ & Chriſti ejus, & abjiciamus à nobis funes illorum*, Scil. cogitationes populorum, Judaici & Paganici, in crucifixione Chriſti fuerunt hæ: Chriſtum non

poſſe regnum in mundo erigere, ſeque facilè excuſſuros jugum ejus, ut pax & amicitia utriuſque populi conſervaretur.

§. 44. Sequitur, ut ducatur ad ſupplicium. *Ut agnus ad mactationem ducebatur.* Eſ. 53: 7.

Locus ſupplicii extra urbem notatur ab Apoſtolo in Epiſtolâ ad Hebræos cap. 13. verſ. 12. 13. & vers 11. refertur ad typum, quo animalium, quorum ſanguis intrò in adytum ferebatur per Pontificem, corpora extra caſtra comburebantur. In quo typo obſervandum, Pontificem & victimam tanquam unum ſpectari. Nam animal eſt cibus hominis; cibus autem pro ſubſtantiâ Sacerdotis corporeâ ſubſtituebatur. Docebat igitur is typus, corpus Sacerdotis veri extra Hieroſolymam paſſurum, & ipſum vivum in cœlum intraturum, poſt ſanguinem fuſum. Convenit Eſaias, qui cap. 63: 1. videt *exeuntem è Botzra.* In ſpiritu enim & ænigmate tunc erat Iſraël *Edom*, tùm propter mixturam & imperium Idumæorum, tùm propter animos Idumæos; & Hieroſolyma *Botzra.*

§. 45. Chriſtus ſub cruce ambulans proſequentibus & plangentibus eum matronis Hieroſolymitanis imminentem ipſis & liberis ipſarum calamitatem prædicit, utque ſuper eâ plangerent mandat; Luc. 23: 28 — 31. Quemadmodum & in Spiritu Moabo, i. e. populo Moabitis permixto, & animos Moabitarum præferenti prænunciat fletum atque ejulatum, Eſ. 16: 7 — 10. *Propterea ululabit Moab ad Moabum, univerſus ululabit; de pedamentis Kirchareſeth gemetis: utique imminuta ſunt! Nam ager Cheſbon languens, vitis Sebmæ.* &c. Et de cauſâ lugendi matronas ſpectante, jam ante ſic egerat Prophetia: *Da ipſis Jehovah. Quid dabis? Da ipſis vulvam orbantem & ubera marcida.* Quâ oratione ipſis optando ſupplicium minus ſignificat, melius fuiſſe, eorum poſteritatem vel nunquam naſci vel ſtatim mori. Hoſ. 9: 14. Prorſus ut Chriſtus: *Beatæ ſteriles, & ubera, quæ non lactant.* Luc. 23: 29. De planctu verò, nominatim mulierum, ita Zacharias: *Illo die magnus erit planctus Hieroſolymæ, ut planctus Hadadrimmon, in valle Megiddo. Et planget terra, familiæ quæque ſeorſum. Familia domus Davidis ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familia domus Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Familia domus Levi ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: Familia Simei ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Omnes familiæ reſiduæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum.* Scil. unaquæque familia ob commodum ſibi ereptum per deſtructionem reipublicæ lamentabitur. Mulieres verò deplorabunt filios ſuos, & fructum ventris ſui. Zach. 12: — 11. 14.

§. 46. Ad locum ſupplicii ut ventum, *circumdederunt eum canes*, i. e. milites Romani circumiverunt & circumcurſitarunt, crucifigendi & cuſtodiendi cauſâ; *& cinxerunt ipſum*, orbe undique conſerto, totus populus, *cætus maleficorum.* Pſal. 22: 17.

§. 47. Denique & crucifixerunt. Hoc præſignificavit Moſes per ſerpentem æneum in deſerto erectum in virgâ, & ad intuendum propoſitum. Num. 21: 8. 9. Oſtendit enim hic typus, eum qui aſpiciendus eſt fide ad ſalutem, factum peccatum, tanquam peccatorem & genimen ſerpentis tractandum, & in ligno pendentem oculis totius mundi exhibendum fuiſſe. Idemque ſatis manifeſtè docuit, vetando relinqui cadaver ſuſpenſi in ligno, *quia exſecratio Dei fit ſuſpenſus.* Deut. 21: 23. Nec de alio ſupplicio talis cautio eſt. Quo ſignificatur, inter omnia ſuppliciorum genera, quibus ira Dei adverſus peccatum demonſtraretur, Deum elegiſſe ſupplicium ſuſpenſionis de ligno, quo exſecratio peccatori incumbens, necdum expiata, manifeſtaretur. Quare etiam illum, qui venit in locum eorum, qui merebantur exſecratio-

nem,

nem, debuiſſe ſuſpendi, & effectum exſecrationis in ſuo corpore experiri, atque ita, factum eſſe exſecrationem, demonſtrari. Quod autem debuerint Iſraëlitæ ex mandato Dei tollere cadaver ſuſpenſi, nec pœnam prorogare vel continuare in noctem, eo ſignificabatur, finiendam eſſe exſecrationem legis hoc ſupplicio, & procurandam per illud gratiam & remiſſionem.

§. 48. Porrò crucifixionem Meſſiæ hæc Prophetarum teſtimonia præcinunt. Pſalm. 22: 8. *Videntes me.* & verſ. 17. 18. 19. *Foderunt manus meas & pedes meos. Annumero omnia oſſa mea. Illi intuentur, ſpectant me. Partiuntur veſtes meas.* Hæc nudi hominis in propatulo extenſionem, affixis manibus ac pedibus, deſcribunt. Pſ. 69: 21. *Probrum fregerat cor meum,* contriſtaverat me ad mortem, *& infirmabar.* traditus ad mortem, affixus cruci. Pſal. 88: 6. *Extiti in mortuis,* h. e. in eo ſtatu, in quo mortificabar, *liber*, q. d. publicatus omnium oculis & ludibriis; tanquam homo ſceleratus, in quem cuivis omnia liceant, pependi in cruce; *ut examines,* violentâ morte interempti, *qui jacent in ſepulchro.* improborum, h. e. qui in cruce ſuſpenſi ſunt, corruptioni obnoxii; *quorum non recordaris ampliùs & qui manu tuâ,* ut Dathan & Abiram, *exciſi ſunt.* nunquam ſurrecturi in ſorte juſtorum. Loquitur enim hîc Chriſtus ut in cruce hærens. Pſalm. 109: 25. *Et ego factus ſum probrum illis;* damnatus. *Vident me.* διατειζόμενοι. Ita *ſuper ipſo fuit* מוסר *exemplaris pœna,* παράδειγμα εἰς σωφρονισμὸν πολλῶν, *exemplum caſtigationis ad coërcitionem multorum.* Eſai. 53: 5. *Et dedit* populus *cum improbis ſepulturam ejus.* omninò volentes ipſum crucifigi. Quemadmodum enim non ſepeliri, ſed in terræ ſuperficie projici, eſt *ſepultura aſini*, Jerem. 22: verſ. 19. ita in cruce mortuum pendere eſt *ſepultura improbi.*

§. 49. Tempus crucifixionis Chriſti, tùm mactationi Agni Paſchalis, tùm ſacrificio jugi matutino reſpondet. Nam & decimo quarto die menſis Abib, & circa horam tertiam, crucifixus eſt.

§. 50. Ipſe interim dum crucifigeretur, pro crucifigentibus oravit, ne hoc ipſis imputaretur, quia neſcirent, quid facerent. Quod dicitur Eſai. 53: 12. *Pro defectoribus interceſſit.* Et Jer. 31: 20. *Iccirco ſtrepuerunt viſcera mea ſuper ipſo.* Add. Eſ. 16: 11. & Jer. 48: 36.

§. 51. Societas crucifixi cum aliis crucifixis viſa eſt Davidi, Pſalm. 88: 5. *Reputatus ſum cum deſcendentibus in foveam.* h. e. omnes, qui me ſpectant, me intuentur tanquam hominem derelictum, cum improbis latronibus in foveam corruptionis abeuntem, cui nulla ſalus in Deo ſit. Itemque Eſaiæ c. 53: 12. *Et cum defectoribus numeratus eſt.*

§. 52. Porrò notat Scriptura & diviſionem veſtium nudati, partim ſecundùm particulas, partim ductâ ſorte: *Dividunt veſtes meas ſibi; & ſuper indumento meo jaciunt ſortem.* Pſal. 22: 19.

§. 53. Is jam ſtatus Chriſti erat, ut debuiſſet omnis homo, qui ullam fibram humanitatis haberet, complorare, vel etiam conſolari, certè quidem non cum voluptate eum ſpectare, multòque minùs illudere atque inſultare afflicto. Sed contrà evenit. *Exſpectavit complorationem, & non erat; conſolatores, & non invenit.* Pſal. 69: 22. Prædefiniente Scripturâ, & voluptatem populi in ſpectaculo crucifixi, Pſalm. 22: 18. *Enumerarim* (vel *numeranda præbeo*) *omnia oſſa mea. Illi cernunt, aſpiciunt me.* Optimè habet eos factum ſcil. Magnam belluam ſe ſuſtuliſſe judicant. Add. Ibid. verſ. 8. & Pſ. 109: 25.

§. 54. Et irriſionem; quæ verbis ipſis extat Pſalm. 22: 8. 9. *Omnes videntes*

 me,

me, ſ. Romani aut Ἕλληνες, ſ. Judæi, *ſubſannant me*, h. e. irrident; *diducunt labium*, h. e. apertè inſultant, & me, ut abominabilem, averſantur; *quaſſant caput*. damnantes me, ut ſeductorem, vel ſaltem dubitantes de me. *Devolvit ad Jehovam: Evadere eum faciat. Eripiat eum. Nam delectatur iſto.* Vid. Matth. 27: 39 — 44. Marc. 15: 29 — 32. Luc. 23: 35 — 37.

§. 55. Paſſionem comitatur *occaſus Solis in meridie.* i. e. ab horâ ſextâ uſque ad nonam. Matth. 27: 45. Marc. 15: 33. Luc. 23: 44. qui addit, καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος, verſ. 45. Quæ tenebræ quid aliud potuerunt ſignificare, quàm Solem juſtitiæ eo momento ab oculis Iſraëlis auferri; & noctem atram calamitatis mox ipſis incubituram? Quâ ratione & *Sol* in paſſione Chriſti obſcuratus, *eum celebravit*. Pſ. 148: 3. Hieronymus: *Poſſumus hunc locum* (Amoſi) *& in Domini intelligere paſſione, quando Sol horâ ſextâ retraxit radios ſuos, & pendentem in cruce Dominum ſuum ſpectare non auſus eſt.*

§. 56. Circa nonam clamavit Jeſus voce magnâ, querens de derelictione ſui, verbis ipſis Pſalmi 22: 2. Vid. Matth. 27: 46. Marc. 15: 34. Ut ad hunc locum referri poſſint omnia, quæ de eodem argumento ſuprà ad initium hujus Articuli comportata ſunt. Inprimis hîc vide Pſ. 16: 1. 18: 6. 7. 22: 2 — 11. 69: 2 — 14. 88: 2 — 9. item 15 — 19.

§. 57. Poſt illa Jeſus, cùm ſciret, omnia jam eſſe conſummata, nec eſſe ulterius ulli homini permiſſum in eum ſævire, & ſolum ἀγῶνα cum morte & διαφθορᾷ *corruptione* reſtare, ut impleretur Scriptura, clamans ſe ſitire, potatus eſt οἶνον ἐσμυρνισμένον, vino in quo myrrha vel thus maceratum erat. Marc. 15: 23. Pro quo dicunt Euangeliſtæ ὄξος, *acetum*; & Matthæus cap. 27: 34. ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, *acetum cum felle mixtum.* notans vinum corruptum mixturâ rei amariſſimæ. De eo Pſalm. 69: 22. *Dederunt in cibo meo* (vel *refectione meâ*) *venenum*, amariſſimum aliquid, *& in ſiti meâ potârunt me aceto.* Proculdubio autem ſitis illa orta eſt ex ardore & ariditate corporis ac oris, de quâ loquitur Pſalm. 22: 16. *Areſacta eſt ut teſta vis mea*, humidum vitale exhauſtum eſt; *& lingua mea eſt agglutinatum* quid *palato meo.*

§. 58. Cæterùm jam morti propinquus, & quaſi in limine portarum mortis conſtitutus oravit, ſicuti eſt Pſ. 16. toto. Simul & prævidens, quod futurum erat, niſi ipſe ponendo animam illud anteverteret, oravit in ſententiam, quæ prædeſcripta eſt Pſalm. 22: 20. 21. *At Tu, Jehovah, ne elongeris. Facultas mea, ad opem meam feſtina.* In ſpecie, *Eripe à gladio*, vel cuſpide ſcrutaturâ latus, *animam* i. e. vitam *meam.* non enim arbitrio hominis eam volebat ponere. *A manu canis*, militis oſſa frangentis, *unicam meam.* i. e. animam, quam chariſſimam habeo, nec eam ſeorſum, ſed cum reſpectu ad corpus ſpectatam. Orat igitur, mortem ſuam præverti oſſifragio inſtanti. *Et ex cornibus monocerotum*, i. e. ex poteſtate principum ac rerum-potentium, ut Pilati, *reſponde mihi.* non tantùm non permittendo quod ille juſſerat, ut oſſa mihi frangantur, verùm etiam efficiendo, ut corpus meum concedat ſepulturæ, ne ullus monoceros in me ampliùs ſæviat. Quibus convenit illud Chriſti, *conſummatum eſt.* Ut hæc quoque ſit oratio Chriſti jam ultima paſſi ante mortem, & ad eam ſe parantis.

§. 59. Ponens verò animam, oravit, ſicuti eſt Pſal. 69: 14 — 19. Ubi quod dicitur verſ. 19. *Accede ad animam meam, aſſere illam.* ut propinquus ſcil. ut animam filii tui. manifeſtè involvit animæ Chriſti traditionem in manus Patris. Et conſideratur hîc eadem anima, ut ponens אָשָׁם ſatisfactionem pro reatu. Quâ poſitâ ple-

tâ pleniſſimum jus eſt Deo eam aſſerendi, & à poteſtate tenebrarum ſolvendi per potentiam. Huc quoque pertinet oratio. Pſalm. 109: 26. 27. *Adjuva me, Jehovah, Deus mi*, (Tale eſt, *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, Luc. 23: 46.) *ſerva me* ex morte, *ſecundùm gratiam tuam* immenſum amorem tuum. *Et cognoſcant, quòd manus tua ea ſit: Tu Jehovah, feceris illud.* Ubi *manus*, ut Act. 4: 28.

§. 60. His itaque dictis, *exſpiravit*, Pſal. 88: 16. Mal. 1: 13. Itaque factus eſt נבלה *πτῶμα cadaver*, Deut. 32: 15. Et *caro Chriſti procubuit*, ſ. *jacuit*. Pſal. 16: 9. Et *occurrerunt Ipſi laquei mortis*. Pſalm. 18: 6. Ubi ſignanter dicuntur *laquei*. Incidit enim Chriſtus in laqueos mortis, at non venit in manum mortis. Laqueos enim rupit, & ſpiculum morti morte ſuâ ademit. Et *cubuit ac dormivit*. Pſal. 3: 6. Et *dedit Deus Dilecto ſuo ſomnum*. i. e. permiſit Filium ſuum mori. Pſal. 127: 2. De quo *ſomno*, i. e. morte ſuâ, etiam loquitur Jerem. 31: 26. Et inundarunt ipſum *aquæ multæ*; Pſalm. 144: 7. Sive, ut eſt Pſalm. 110: 7. *Ex torrente*, aquis non tantùm multis, ſed etiam violentis ac impetuoſis, *in viâ*, ſcil. curſu juſtitiæ & progreſſu ad regnum, *bibit* illum torrentem ingreſſus, & tantùm non ab eo ſuffocatus. quo hieroglyphicè paſſiones Chriſti, & mors ejus, ſignificantur. Et *vim ſuam conſumſit*. Eſai. 49: 4. Et *animam ſuam in mortem effudit*. Eſai. 53: 12.

§. 61. Exſpiravit autem cum clamore, viventibus adhuc latronibus, & irridentibus ipſum; quo voluntariam eſſe hanc Animæ depoſitionem conſtaret. Quam etiam arguunt loca ex Pſalm. 22: 21. & Eſai. 53: 12. modò citata. Quibus nunc addimus Eſai. 53: 10. *Ubi poſuerit ſatisfactionem anima ejus*. i. e. voluntas ejus obediens, per amorem Dei & fratrum.

§. 62. Quanquam aliàs cauſæ, quæ ipſum ad mortem adigebant, tam internæ, ac corporales, fuerint ſatis magnæ atque evidentes. Quippe & intrinſecùs æſtus iræ Divinæ ita ipſum exhauriebat, ut non ſit dubitandum, hoc multùm ad celeriorem mortem Chriſti contuliſſe quod dicitur Pſalm. 22: 16. *In pulverem mortis deponis me*. Et extrinſecùs ea, quæ hoſtes in ipſo fecerunt, talia ſunt, ut propter ea mori ipſum neceſſe fuerit, ſi nihil aliud acceſſiſſet. Ut non ſint crucifigentes à cæde ejus excuſandi, licet Chriſtus ſuâ ſponte vitam poſuerit, & illi actus ſolennes mortiferos in Chriſto adhuc vivo non peregerint. Siquidem Chriſtus tàm debilis fuit, ut flagris, crucifixioneque ipſâ ac ſanguinis miſſione per eam facilè ad mortem potuerit deduci. Quare & mors ejus, ut non ſimplex, ſed violenta, proponitur, & hoſtibus ejus, Judæis & Gentilibus Romanis, tanquam homicidis, imputatur, & ceu peccatum ac ſcelus ſceleſtiſſimum ac nefandum traducitur in Scripturâ.

§. 63. Mors inquam Chriſti, ut violenta, nec ſimplex, deſcribitur in iſtis: *Ego autem inops & doloribus excarnificatus. Salus tua ſublimet me*. Pſalm. 69: 30. *Exiti in mortuis libor, ut exanimes*, violentâ morte interemti, *qui jacent in ſepulchro* improborum. Pſal. 88: 6. *Et dedit cum improbis ſepulturam ejus, & cum divite in mortibus ejus*. h. e. cùm non ſimplici morte interfectus eſſet. Eſai. 53: 9. Quare & *occiſus* dicitur in prophetiâ, Eſai. 10: 4. & *exciſus ex terrâ viventium*, Eſ. 53: 8. Et *deciſus de capite ſtolonum Jechoniæ*. Ezech. 17: 22. Et velut *lapis à monte exciſus*. Dan. 2: 34. 45. Quod de *Meſſiâ* dicitur, יכרת *exſcindetur*. Dan. 9: 26.

§. 64. Judæis imputatur hæc cædes in ſequentibus: *Et impinguatus eſt Jeſchurun*, Iſraël, cui videndi Filium Dei copia facta eſt, &c. וַיְנַבֵּל *& emori fecit*, mortificavit, fecit נְבֵלָה cadaver, à נָבֵל, quod eſt flacceſſere, emori. vel, *Et pro ſcelerato tractavit*, à נָבָל *ſtultus*, flagitioſus, mente atque animo corruptus, *rupem*

quàm gentibus imputanda, *etiam ipſi Satanæ*; *ſed hi omnes egerunt ſalutis ſuæ*. Deut. cap. 32: 15. *Et dedit* populus meus *ſepulturam ejus cum damnatis.* omninò volentes eum crucifigi. Eſai. 53: 9. *Terra impleta eſt ſanguine.* Ezech. 9: 9. *Et ſanguis eſt in manibus earum.* Ezech. 23: 37. Et *profanarunt ſanctuarium Dei.* Ezech. 23: 39. *Eo quod tibi fuerit inimicitia ſæculi*, *& laniaveris filios Iſraël gladio in tempore peccati finis.* Ezech. 35: 5. *Ad ſanguinem odiſti.* Ibid. verſ. 6. In quibus intelligitur *ſanguis* Chriſti & Apoſtolorum. *Sacerdotes ejus profanant Sanctum.* Templum Dei, corpus Chriſti, in quo Deus habitabat corporaliter, ſceleſtè & pro profano tractant. Scil. omnibus modis illud vexando & morte afficiendo. Zeph. 3: verſ. 4. *Et dixiſtis*; *Ecce*, *quid defatigatio? Et deflaviſtis ipſum.* vel potius, *exſpirare feciſtis ipſum.* Scil. germen Jehovæ. Mal. 1: 13. *Perfidè egit cœtus Judæ*, *& abominatio facta eſt in Iſraële & Hieroſolymis. Nam profanavit Juda*, *Sanctum Jehovæ*, *quod diligit.* Mal. 2: 11.

§. 65. Gentilibus verò Romanis in hiſce: *Ex imperio*, *& ex judicio aſſumtus eſt.* Eſai. 53: 8. Intelligitur exaltatio Chriſti poſt mortem ejus & ſepulturam factam imperio gentilium, & judicio Seniorum. Eſai. 53: 8. *Nam tu ſpoliâſti gentes amplas*; *ſpoliabunt te omne reſiduum populorum*, *propter ſanguinem* fuſum *hominis.* Nim. Chriſti, ſecundi Adami. Hab. 2: 8. Qui locus de Imperii Romani diſſolutione agit. Quare & *in civitate illâ magnâ*, *quæ vocatur ſpiritualiter*, i. e. in ſpiritu, in prophetiâ V. T., *Sodoma & Ægyptus*, *Dominus noſter crucifixus eſſe* dicitur Apoc. 11: 8. Quia ſub Judice Romano, in parte ditionis Romanæ, Judæâ ſcil. petentibus Judæis factâ provinciâ imperii Romani ſub Auguſto; ut ſuprà oſtenſum eſt.

§. 66. Quia vero Diabolus tàm gentiles, quàm Judæos ad hoc facinus patrandum inſtigaverat, hinc & in ipſum, ut primarium auctorem, mors Chriſti transſcribitur. Ut Gen. 3: 15. *Tu ipſi conteres calcaneum.* Pſal. 22: 22. *Serva me ex ore Leonis.* i. e. Diaboli, rugientis & laniantis, inſtar Leonis. Pſalm. 109: 6. *Et Satanas ſtet ad dextram illius.* tanquam actor, in judicio, coram tribunali. h. e. admittatur ipſius accuſatio, accuſati verò rei conſtituantur, habeantur exſortes juſtitiæ, traduntur Satanæ in nexum; ut deinceps ab ipſo impellantur ad varia ſcelera ſicut notabiliter factum eſt, quando Chriſtum abnegârunt & interfecerunt. Eſai. 53: 10. *Dominus volentem enervare ipſum*, i. e. Diabolum id agentem, ut Chriſtus omni modo & animo & corpore, contereretur, atque ad minutum redigeretur, *infirmavit.* Apoc. 12: 4. *Et Draco ſtabat coram muliere*, *quæ paritura erat*; *ut quum peperiſſet*, *prolem ejus deglutiret.* Sic & Chriſtus. Luc. 22: 53. *Hæc eſt hora veſtra*, *& poteſtas tenebrarum.*

§. 67. In Judæis hoc factum, quo Dominum gloriæ cruci affixum ſuſtulerunt, traducitur, ut ſcelus, & peccatum, quod propter enormitatem nomen & exemplum ſimile non inveniat. Unde per excellentiam appellatur *Peccatum*, Eſai. 3: 9. 5: 18. Et *Scelus*, Hoſ. 2: 12. Imò *ſcelus illud*, q. d. magnum & incomparabile. Ezech. 16: 43. Eſt &, ubi cum peccato Gibeæ comparatur, quod fuit peccatum clamans, & judicium vindictam flagitans; ut Sodomæ: Interim tamen velabatur & defendebatur ab habitatoribus Gibeæ, qui etiam armati cum Iſraële judicium hoc exſequentes congreſſi ſunt. Ut Hoſ. 9: 9. *In profundum corruperunt*, *ut diebus Gibeæ.* Tale certè peccatum eſt Chriſtum interficere, & fideles ejus perſequi. Denique & *peccatum finis* appellatur. tale ſcil. quod abruptionem tolerantiæ erga populum carnalem, & finitionem reipublicæ ipſius, & excidium urbis ac templi mereatur. Ezech. 21: 34. 35: 5.

§. 68. Aliàs, quia ſine Dei conſilio, nutu, permiſſione, & gubernatione Chriſtus

ſtus non eſt interemtus, Deus horum omnium quæ Chriſto acciderunt, cauſa ſumma, ac gubernatrix laudatur Pſ. 127: 2. *Dat dilecto ſuo ſomnum.* i. e. permittit ipſum mori. Pſalm. 109: 26. *Cognoſcant, quod manus tua ea ſit, tu Jehovah, feceris illud.* i. e. Cognoſcant, quòd tu omnia iſta conſilio tuo diſpoſueris, providentiâ rexeris, & quod potentia tua mihi ſit præſtò. Conf. Act. 4: 28. Et huc facit iſtud Domini apud Eſ. 34: 5. *Quia ſe inebriavit in cœlo gladius meus.* i. e. quia illi, qui ex cœlo ſunt, & ad cœlum pertinent, h. e. Chriſtus & Diſcipuli ejus, gladio Dei interfecti ſunt. Itemque apud Zach. 12: 7. *Gladie, excitare in paſtorem meum*, &c.

§. 69. Quin etiam quia Chriſtus ſuo & Patris conſilio æterno, & ſponte ſuâ, venerat in hanc horam, ut ſuprà dictum, hic gladius Chriſto tribuitur Pſ. 45: 4. Ubi eſt: *Accinge gladium tuum femori, Heros.* In oratione ad Chriſtum, expeditionem ſuſcipientem adverſus Diabolum, eumque armis decretoriis aggredientem. Reverâ enim & tùm maximè hunc gladium Diabolo intentavit, cùm moreretur. Qui idcircò, cùm *ſe* Judæis *confringendum præbuiſſet*, Ezech. 6: 9. atque ita ab iis victus videretur, tùm maximè *ipſos decepit*, cùm in cruce de iis triumpharet, eorumque poteſtatem aboleret. Eſ. 8: 14. 15. *Factus ita in ſignum & prodigium in Iſraële.* Ibid. verſ. 18.

§. 70. Tempus excidii Meſſiæ notatur in viſione, *poſt ſeptimanas illas ſexaginta & duas.* Quæ, ut ſuprà obſervatum eſt ad f. Art. V. in A. C. 13. terminantur. Dan. 9: 26. Quod autem Chriſtus circa nonam diei, & ſic inter duas veſperas, exſpirârit, id per ſacrificium juge veſpertinum; quemadmodum tempus crucifixionis Chriſti per juge matutinum: Quòd ante veſperam diei decimæ quartæ menſis Abib, per mactationem Agni Paſchalis, eodem tempore fieri ſolitam, eſt adumbratum.

§. 71. In morte Chriſti factus eſt terræ motus, & monumenta ſanctorum aperta ſunt, ipſique in vitam reſtituti. Matth. 27: 51. 52. 53. Significat David, Pſ. 18: 8. *Et fatiſcebat ac contremiſcebat terra.* Qui etiam illum terræ motum accidiſſe notat à Dei diſplicentiâ, & ad terrorem peccatoribus ingerendum. Addit enim; *Quia ægrè ipſi erat.* Et facit ſignum atque anteambulonem majoris judicii. Quemadmodum & ipſe *Terræ motus* ſignificat figuratè motum ſtatus regnorum, inprimis populi Dei. Ita *celebrarunt Deum à terrâ, dracones & omnes abyſſi.* Pſal. 148. 7.

§. 72. Petierant Sacerdotes à Pilato, ut corpora de crucibus, crucibus priùs fractis, tollerentur; ſed Chriſtus repertus eſt mortuus. Joh. 21: 31. 33. Ita *prærepta* eſt *anima* Chriſti *manui canis*, juxta orationem ipſius, Pſal. 22: 21. Et Pater *reſpondit* Filio, ipſumque exaudivit, *è cornibus monocerotum.* Pſal. 22: 22. Et *aſſumtus eſt ex imperio.* h. e. crurifragio, juſſu ac imperio Pilati efficiendo. Eſ. 53: 8. Et impletum eſt, quod in Agno Paſchali, cui oſſa non confringebantur, erat præfiguratum; & ſignanter dictum Pſal. 34: 21. *Conſervans omnia oſſa ejus; unum illorum non fractum eſt.*

§. 73. Sequitur Transfixio. Hanc Chriſtus prævertit deponens animam ſuam in manum Dei, & cum clamore eam effundens. Quod ipſum ita oraverat. Pſ. 22: 21. *Eripe à gladio*, ſ. haſtâ adigendâ in latus, *animam*, h. e. vitam, *meam.* Eſt de hâc transfixione. Pſal. 45: 4. *Accinge gladium tuum femori, Heros.* Sicuti tùm factum eſt, cùm latus ejus confoſſum eſt. Reverâ enim tùm Satanas confoſſus eſt. Eſ. 34: 5. *In cœlo ſe inebriavit gladius meus.* Non enim ſine Dei conſilio latus Chriſti cuſpide gladii apertum eſt: Nec tam fuit hominum, quàm Dei ipſius, directione, & gubernatione, hic gladius. Ez. 35: 5. *Quia feciſti diffluere filios Iſraël gladio in tempore*

peccati

peccati finis. Zach. 12: 10. *Reſpicient ad Dominum cum eo quem transfixerunt.* Hujus dicti partem, deſertâ LXX Interpretum tranſlatione ineptâ, ſic reddit S. Johannes cap. 19: 37. Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Zach. 13: 7. *Gladie, evigila in paſtorem meum, & virum proximum meum, ait Jehovah Deus exercituum: percute paſtorem.* Omnem hanc vim innuit Eſaias cap. 52: 14. *Adeò corruptum præ Viro erat ſpecies ejus.* Amoſus cap. 9: 26. Ubi *deſtructa Davidis* appellat noxas corpori Chriſti illatas.

§. 74. Hauſto Chriſti latere emanavit ſanguis mixtus aquâ. Debuiſſe autem ſanguinem Chriſti effundi, docuerunt ſacrificia, quæ non fuerunt abſque ſanguine: maximè illud, quo initiatum eſt vetus fœdus Iſraëlitarum. Ex. 24: 8. quæ oſtendunt *ſanguinem Teſtamenti*, Zach. 9: 11. *Sanguinem hominis.* nim. veri, in quo verè aſpiciebatur imago Dei, ſecundi Adami; Hab. 2: 8. fundendum in *terrâ.* Ez. 9: 9. ſcelere Oholæ & Oholibæ, Ezech. 23: 39. per manus gentilium Romanorum. Quibus idcircò hic ſanguis etiam imputatur.

§. 75. *Sepulturam cum improbis*, h. e. mortem Chriſti in cruce, ſequitur *ſepultura* altera, quæ eſt *cum divite.* h. e. in ſepulchro divitis Joſephi. Eſ. 53: 9. ad permiſſionem Pilati; qui corpus Joſepho & Nicodemo ad ſepulturam conceſſit. Quâ ratione dicitur Deus Chriſto *reſpondiſſe ex cornibus monocerotum.* Pſ. 22: 22. & *aſſumtus ex imperio.* Eſ. 53: 8. quanquam id ampliùs connotet; nim. reſuſcitationem & aſſumtionem in cœlum. Intelligitur autem & ſepultura Chriſti ex Deut. 30: 13. Ubi prophetat Moſes *præceptum, quod ipſe* Iſraëlitis *præcipiebat*, i. e. verbum juſtitiæ fidei *accipiendum* & adferendum eſſe *ultra mare*, h. e. ex locis vivo homini inacceſſis. Itemque ex iſtis Pſal. 16: 9. 10. *Etiam caro mea procumbet ſecurè; quia non relinques animam* h. e. vitam *meam inferno.* h. e. loco & poteſtati corruptionis, ut per eam vita mea abolita maneat, (hoc commune habent cum Chriſto omnes, qui in ipſo vivificabuntur ultimo die.) *& non dabis ſtudioſum tui videre corruptionem.* Hoc neque in Davide, neque in piis verificatum fuit, qui computreſcunt; ſed in eo, qui ante putrefactionem cadaveris reſurgit. Act. 2: 29. Quippe hinc patet, *Chriſtum, & Animam Chriſti deſcendere in infernum.* quod intelligendum eſt de inferioribus partibus terræ, ſ. ſepulchro, in quo viva mortificantur, cadavera, reſolvuntur, & à vitâ arcentur. Quare & ex hoc loco colligit Apoſtolus, eum, de quo dicitur Pſ. 68: 19. *aſcendiſſe in altum*, neceſſariò antea *deſcendiſſe in inferiores partes terræ.* h. e. ſepultum eſſe Eph. 4: 9. Tum etiam quando Chriſtus orat Pſ. 69: 16. *ne puteus ſupra ſe claudat os*, h. e. ne maneat in ſepulchro. Ac denique innuitur, τὸ *Jacere* corporis in *Surrectione* vel *ſtatu* indicato Mich. 5: 3.

Eſaias hanc ſepulturam attribuit populo ut auctori, & in ignominiam Chriſti ab ipſis factam interpretatur, Eſ. 53: 5. *Et dedit* populus meus *cum improbis* latronibus in cruce *ſepulturam ejus, & cum divite in mortibus ejus; pro eo quod non injuriam fecit, & non fuerat dolus in ore ipſius.* Scil. cauſati ſunt apud Pilatum, planum illum dixiſſe, Se poſt triduum ſurrecturum: ideoque petiverunt ſepulchrum obſignari, & cuſtodiam apponi, volentes eum ibi manere; quod non fuit humanitatis, ſed iniquitatis & malevolentiæ, & manifeſtum rurſus odii gratuiti argumentum.

§. 76. Chriſto in ſepulchrum abeunti in eoque jacenti competit hæc oratio: *Serva me ex ore Leonis.* h. e. Diaboli, qui poteſtatem mortis habet, Hebr. 2: 14. *Et* h. e. poſtquam, *ex cornibus monocerotum reſpondiſti mihi.* Pſ. 22: 22. Orat ſcil. ut ipſum liberet à reatu, à maledictione, à poteſtate Diaboli, à morte, per reſuſcitationem ex mortuis. Cui orationi ſimilis eſt iſta: *ſed tu, Jehovah, gratioſus eſto mihi,*

mihi, & erige me. Ex illâ ἀσθενείᾳ in quâ ſum, morti ipſi ſubjectus. Ratio à fine: *Et rependam illis*, Pſal. 41: 11. Item: *Eripe me ex cœno, & ne demergar; eripiar ab oſoribus meis, & à profundis aquarum. Ne inundet me fluxus aquarum, & ne abſorbeat me abyſſus, & ne claudat ſuper me fovea os ſuum.* Petit enim, ut ſe eripiat ex malis circumſtantibus, nim. peccatorum obſtrictione, hoſtium poteſtate, reatus magnitudine, iræ & maledictionis ſeveritate, mortis dominatu, ſepulchri incluſione. Pſal. 69: 15. 16. Et porrò, huic ſtatui convenit orare, ut eſt Ibidem verſ. 17. & ſeqq. *Reſponde mihi, ô Jehovah, quia bona eſt gratia tua; ſecundùm amplitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me.* verſ. 17. *Ne occultes faciem à ſervo tuo. Nam arctum eſt mihi. Properè reſponde mihi.* Intereſt ovium mearum, ut mox à morte reſurgam, ut, me viſo, ex triſtitiâ ſuâ, & arcto recreentur. verſ. 18. *Accede ad animam meam, aſſere illam*, tanquam propinquus, à poteſtate tenebrarum diſſolve illam vi pretii à me ſoluti per potentiam. *Propter inimicos meos redime me.* Ut rependam illis ſcil. & dominium Satanæ deſtruam, divinâ potentiâ intercede contra vim hoſtium meorum, ut me liberum facias. vers 19. Itemque ut eſt Pſalmo 88. toto. Inprimis verſ. 10 — 13. In quibus Chriſtus exponit Patri amorem ſuum ac deſiderium ſalutis ſcandaliſatorum, quæ, quamdiu maneat in ſtatu mortis & corruptionis, non poſſit promoveri, aut Deus inde celebrari. *Oculus meus tabeſcit præ imbecillitate; invocavi te Jehovah omni die, expandi ad te palmas meas.* Res deſiderata: *Nunquid mortuis facies miraculum? an computrefacti ſurgent, confitebuntur te? An narrabitur in ſepulchro gratia tua? veritas tua in interitu? An cognoſcetur in tenebris mirabile tuum, & juſtitia tua in terrâ oblivionis?* Tùm etiam, ut eſt Pſ. 109: 26. 27. *Adjuva me, Jehovah, Deus mi, ſerva me ex morte ſecundùm gratiam tuam. Et cognoſcant, quòd manus tua ea ſit: Tu, Jehovah, feceris illud.* Ac denique quod eſt Pſal. 144: 7. *Mitte manum tuam ab alto. Libera me & eripe ex aquis multis.* per reſuſcitationem ex morte ſcil. In quibus videmus inter alia veratum, quod dicitur de Rege Pſal. 21: 5. *Vitam poſtulavit à te.*

§. 77. Debebat *Filius hominis*, gratioſâ Dei inhabitatione *viſitatus, minor eſſe infra Deum pauliſper* h. e. parvo tempore. Pſ. 8: 6. Itaque manſit Chriſtus quaſi *in ore Leonis*, ſ. Satanæ Pſal. 22. 22. h. e. in ſepulchro, in tertium diem. Id Servator prædixit, & per Jonæ ſignum prophetatum eſſe arguit Matth. 12: 39. 40. & alibi. Nec id ſine cauſâ. Per Jonæ enim ſignum docetur. 1. Æquè poſſe vitam reſtitui die tertio, atque Jonas potuit in ventre ceti vivus conſervari. 2. Quandoquidem Chriſtus ſignis non debebat eſſe minor reliquis Prophetis, veriſimiliter in hâc quoque parte non minorem futurum. 3. Quandoquidem Moſes prophetaverat, verbum juſtitiæ fidei renunciandum eſſe tanquam à regionibus mundi ultimis, ultra omne mare, quò nemo abit, ut inde redeat, extra terram viventium, Deut. 30: 13. & aliæ quoque prophetiæ de morte & ſepulturâ Chriſti cecinerant; incluſio Jonæ in ventrem ceti fuit ſignaculum iſtarum prædictionum. 4. Harmonia ſigni Jonæ & ſepulturæ Chriſti oſtendit, Chriſtum in Jonâ adumbratum. Accedit ad cumulum hujus harmoniæ & oppreſſio Eccleſiæ per duos dies, ita ut poſt illos die tertio vivificetur; de quâ Hoſ. 6: 2. Neque enim fieri poteſt, ut ad periodum paſſionis Chriſti, ut capitis Eccleſiæ, ejuſque ſepulturæ, eo in loco non ſit reſpectum.

§. 77. Nec tantùm ſic propriè & literaliter per tempus ſepulturæ, quatenùs parte tridui ſive triplicati νυχθημέρου in ſepulchro fuit, ut ita ſit ſynecdoche in temporis notatione; ſed & ſecundùm analogiam per totum tempus extremæ humiliationis, quæ inſtar habet detruſionis in Orcum, & per omnem horam poteſtatis tenebrarum

 extenditur,

extenditur, Chriſtus prædictionem ſuam de ſe futuro per tres dies & tres noctes in corde terræ, & ſignum Jonæ implevit. Duravit enim tota Chriſti paſſio vel à manè feriæ quintæ, quo congregati fuerunt contra ipſum Sacerdotes & Seniores, & Judas accepit ab ipſis argentum proditionis, uſque ad matutinam reſurrectionis; vel ſi velis paſſionem Chriſti incipere à cœnâ, & Chriſtum nolis ſine diſcipulis totum putare, à veſperâ cœnæ uſque ad veſperam, quâ ſe manifeſtavit diſcipulis, & in iis quaſi denuò revixit. Et poteſt, cùm utrumvis ſumes tempus, ſtatus Chriſti, quo fuit in ſepulchro, ſimùl includatur, ab eo ſtatu, ut extremo humilitatis, totius temporis denominatio deſumta videri.

§. 78. Notabile porrò eſt, quòd Chriſtus quieverit in ſepulchro, ipſo die Septimo. Eodem olim die, dato Mannâ, Deus Iſraëlitas juſſit manere in loco ſuo, & à quærendo Mannâ, abſtinere; ſimulque Sabbatum hebdomodale, ſ. requietem ſeptimi, initiavit. Exod. 16: 23. Id Sabbatum Chriſtus, Manna verum, poſtquam ſatis diu apparuiſſet in terris, & conſummatus nobiſque factus eſſet cibus vivificans ad vitam æternam, hâc ſuâ quiete in ſepulchro, & quidem ipſo die ſeptimo, implevit.

§. 79. In hoc ſtatu Chriſti eſt externus triumphus hoſtium de ipſo, verbis prophetiæ: *Verbum Belial fixum eſt in ipſo.* Redundat in ipſum crimen blaſphemiæ, ſeductionis, ſeditionis, violationis legis, in caput ejus deſtillat; *& poſtquam cubuit, non addet ſurgere.* Illud clarum ſcil., ex morte non reſurrecturum. Jam actum eſſe de ipſo. Pſal. 41: 9. Itaque impletum eſt, quod referunt fideles, priùs ſcandaliſati in ipſo: *Reputavimus ipſum* מעונה *ſubactum*, victum, oppreſſum. Eſ. 53: 4. *Et dixerunt* Idumæi *ſuper montibus Iſraël: Vaſtati ſunt, nobis dati ſunt in cibum. Et magnificârunt contra Jehovam os ſuum, & grandiverunt contra ipſum ſermones ſuos.* Ez. 35: 12. 13.

Et his quidem modis Deus *contendit.* h. e. judicium exercuit in peccatum, ſuumque repetiit. Pſal. 103: 9. Et veritatem implevit partis nominis ſui, de quâ Exod. 34: 5. 6. 7. etiam expreſſæ in lege, Exod. 20: 5. quâ eſt אֵל קַנָּא θεὸς ζηλωτής. לֹא נַקֵּה יְנַקֶּה *non habet impunitum*, non agit diſſimulatorem, non communicat cum peccato. Quatenùs nimirùm *Iſraëlem non omiſit impunitum.* Sed in ipſo Iſraële, h. e. in aliquo Iſraëlitarum edidit exemplum ſeveritatis ſuæ. Jerem. 46: 28. Atque ita denique *ſanctificavit nomen ſuum magnum*; Ezech. 36: 23. per *juſtitiam* ſcil. h. e. perfectam obedientiam, quæ idonea eſt, ut ſit cauſa vitæ æternæ dandæ peccatoribus, & per *judicium*, quo damnatur peccatum ut juſtificetur Deus juſtificans improbum, Eſai. 5: 16. Tùm nimirum, *quando ſanctificatus eſt in Iſraëlitis.* h. e. in aliquo ipſorum, in fratre ipſorum, in filio Abrahami, *coram oculis ipſorum.* Ezech. 36: 23.

§. 80. Spectata quoque in paſſionibus hiſce fuit ac probata Chriſti obedientia; adeo quidem, ut cùm etiam hîc nullâ in re feſelliſſe deprehendatur, jure merito pro conſummatiſſimâ ac perfectiſſimâ, quæque nobis exhibeat ὑπογραμμὸν exemplar, quod imitemur, ſit habenda, atque ut talis quoque in Scripturâ commendetur. Hinc nomine *veritatis* inſignitur. Pſal. 89: 3. Eſ. 16: 5. & *juſtitiæ*, quia jus dabat Chriſto omnia ſibi promiſſa à Patre bona poſtulandi; non datura, ſi vel minimâ ex parte defeciſſet. ut Pſal. 97: 2. Eſ. 9: 6. & paſſim alibi. Imò & in plurali *juſtitiarum.* q. d. conſummatæ juſtitiæ. Eſ. 45: 24. Sicut & Chriſtus hinc paſſim *Juſtus* dicitur ut Eſ. 53: 11. Jerem. 23: 5. 33: 16.

§. 81. Perſtitit in his omnibus Chriſtus, ipſâque adeo morte, Deo tenente illum & robur,

& robur atque vires ad perferendum omnes afflictiones, tam animæ, quàm corporis, quanquam diriſſimas, ſuppeditante. Id ſignificat Ipſe in Spiritu, ubi poſtquam ſuum erga Deum Patrem affectum profeſſus eſſet, verbis: *Diligo te, Jehovah.* Cauſas reddit hujuſce affectus ſui, 1. Intimam. nim. corroborationem. *Firmitas mea.* Q. d. Omnis meus motus, conatus, virtus, *ἐνέργεια*, ſtrenuitas, conſtantia, perduratio eſt in te & à te. Tuque non deſeruiſti me ad finem uſque. 2. Alteram externa gubernationis, reſpectu Adverſariorum. *Jehovah*, inquit, *eſt petra mea.* Occupata mihi ſcil. in medio mari, cujus præſidio tutus fui in diebus præconii mei ab omni vi Adverſarii, etiam in ipſâ morte & faucibus Orci. Pſalm. 18: 2. 3. Quare & Eccleſia in oratione gratulatoriâ pro curâ regni Chriſti, ubi celebrat opus Dei circa Regem, & viciſſim affectum Regis, ita loquitur: *Jehovah, in robore tuo*, quod ei præſtas in conciliandis ei bonis, *lætatur Rex: & in ſalute tuâ*, quâ ab eo avertis potenter omnia mala, *quàm gaudet vehementer?* Pſalm. 21: 2. Et porrò in exergaſiâ Salutis præſtitæ: *Nam Rex confidit Jehovæ*, h. e. acquieſcit ipſius conſilio ac voluntati, & fretus ipſius præſidio nihil metuit mali, atque opus, quod ei dedit Pater, imperterritus aggreditur, *& in gratiâ Altiſſimi non commovetur.* Hæc eſt *Salus* ſcil. quòd non nutet, non labefactetur, non labatur. Ibid. verſ. 8. Et rurſus Chriſtus, ubi exemplo ſuo animat Eccleſiam ad fiduciam in Deo ſub cruce, teſtatur, *Deum poſuiſſe in rupe*, h. e. ſtatu periculi experte, *pedes ſuos, firmaſſe greſſus ſuos.* h. e. jus dediſſe tranſeundi in gloriam. Pſalm. 40: 3. Et Deus ipſe ductor eſt, *ſe tenere ſervum ſuum.* h. e. ipſi adeſſe potentiâ ſua; *dediſſe ſpiritum ſuum ſuper ipſum*, i. e. feciſſe in eo habitare voluntatem & potentiam ad omnia efficiendum, quæ ad hominis ſalutem pertinerent, & ſic proculdubio ad perpetiendum quoque. Eſai. 42: 1. *Et retinere illum.* h. e. non tradere illum inferno, ut videat corruptionem, eripere illum ex ore Leonis, ſalvare illum ex morte. Ibid. verſ. 6. Et, *Tantùm in Jehovah (de Ipſo dixit) juſtitiæ*, h. e. conſummatio juſtitiæ, vel omnia jura ad benedictionem, *& robur.* ad præſtanda omnia, quæ ad ſalutem pertinent. Eſai. 45: verſ. 24. Et, *Tempore gratiæ reſpondit Illi, & in die ſalutis auxiliatus eſt Ipſi*, per potentiam ſuam ipſum educendo ex morte, & faciendo victorem omnium; Eſai. 49: 8. 50: 7. *& retinuit illum.* non omiſit Filium ex manu, contrà potiùs tranſtulit ad ſe, ut ſolus eſſet Sacerdos, & rex Eccleſiæ ſuæ. Eſai. 49: 8. Et Chriſtus iterum, ſibi hanc potentiam & merito ſuo tribuens: *Intuebar*, inquit, *& non erat auxilians, & obſtupeſcebam, & non erat, qui ſuſtinebat, & ſalutem mihi fecit brachium meum*, Divina potentia mea, *& æſtus meus*, ſ. ardor, h. e. voluntas enixiſſimè obediens, *ille ſuſtentavit me.* Eſ. 63: 5.

§. 82. Supereſt, ut quo fine, & pro quibus Chriſtus ſit paſſus, quatenùs ex propheτis conſtat, eloquamur. Scilicet 1. Chriſtus patiens & moriens verè fuit ſacrificium, h. e. fuit comparatus ad expiandum reatum peccatorum ipſi incumbentium, vel propriorum, vel alienorum. Hoc enim probat ipſa Dei vox, *Execratio Dei ſuſpenſus.* Deut. 21: 23. Clarè enim hoc docto aſſeveratur, neminem hominem non reum peccati, aut niſi propter exſecrationem peccato incumbentem, & quia portet exſecrationem, de ligno ſuſpenſum iri. Idemque docemur Pſalm. 50: 5. ubi ipſe *ſacrificium* appellatur, i. e. *θῦμα*, victima, id quod mactatur in honorem Dei. Et Pſal. 51: 21. Ubi obedientia ipſius *Sacrificia* dicuntur, idque in contradiſtinctione *holocauſti*, & *muneris*, qualia Sacrificia ſunt & dicuntur de אָשָׁם, חַטָּאה, תּוֹדָה, שְׁלָמִים/ quia agendo & patiendo implevit illa quæ per ſacrificia iſta ſignificabantur. Et clariùs idem patet ex Eſai. cap. 53: verſ. 10. ubi *anima ejus* i. e. voluntas tenerrimâ

charitate languens, dicitur *poſuiſſe* אשם / De quâ voce notandum, tria ſignificare. 1. Reatum, hoc eſt debitionem pœnæ. 2. Cauſam reatus, hoc eſt culpam. 3. Satisfactionem pro reatu, pœnam mulctamve propter reatum impoſitam, cujuſmodi habetur ſpecies quædam ſacrificii hoc nomine in lege Moſis appellata. Jam Chriſtus non *poſuit*, vel donavit aut exhibuit *reatum*, h. e. obligationem ad pœnam: (Non enim venit, ut reos faceret, aut ut damnaretur mundus per ipſum, ſed ut ſalvaretur mundus per ipſum. Joh. 3: 17.) neque *culpam*; quæ per Adamum introiit in mundum; & opus Diaboli eſt, ad quod deſtruendum venit. Supereſt proinde, ut anima ipſius, diligens Deum & fratrem peccatorem, vitam ultrò ponendo agnoſcatur poſuiſſe *ſatisfactionem* pro culpâ ad reatus ſolutionem, & eam donare, quibus vult, nempe populo ſuo.

§. 83. Deinde non obtulit ſacrificium pro ſuis peccatis. Ea enim non habuit. *Quod non rapui, tunc reddam.* Pſal. 69: 5. Neque etiam eo fine ſe obtulit, ut divinam gloriam adipiſceretur. Nam, cùm eſſet Filius, ſtatim poterat ſine paſſione humanitatem ſuam gloriâ & lætitiâ implere, & ſe Dominum univerſi demonſtrare: Sequitur ergò, ut ſe obtulerit pro peccatis aliorum, ut Sponſor, & Mediator Teſtamenti. Hoc docet Pſalmiſta ita canens: *Verba pravitatum ſuperabant me. defectiones noſtræ: Tu illas expias.* pretio nimirùm dato atque accepto illas obliteras, aboles. Pſalm. 65: 4. Et clariſſimè Eſaias, cap. 53. Ubi hæc de Chriſto dicuntur: *Enimverò morbos noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros, bajulavit eos.* Sicut oſtendit non modò in ablatione potente morborum Iſraëlis, verum etiam in *πάθει* & *ſυμπαθίᾳ*, ſive quòd inſignis condolentia in ipſo ſpectabatur cum notabili humilitate & paſſionibus graviſſimis. Manifeſtum autem eſt, eum, qui juſtus erat, & ſe Deum diligere in dilectione proximi probabat, quique ſtatu miſerior erat omnibus inter Iſraëlitas, ad cujus verbum & morbi & mors ipſa fugiebant, non propter ſua peccata pati, ſed peccatum & execrationem fieri propter ipſos, & mori propter vitam ipſorum. verſ. 4. *Sed ipſe cruciabatur propter defectiones noſtras, conterebatur ob pravitates noſtras, paradigma,* (ſ. *exemplaris pœna*) *pacis noſtræ ſuper ipſo erat, & vibice ipſius ſanatio nobis facta eſt.* nimirùm ut pax fieret, & ſic ſanctificationem, juſtificationem & glorificationem vice impuritatis, condemnationis & mortis acciperemus, ipſe flagellatus eſt. verſ. 5. *Omnes nos tanquam oves erraveramus, quiſque ad viam ſuam reſpexeramus; & Dominus impegit in ipſum pravitatem omnium noſtrûm.* Quod nihil aliud eſt, quàm, eum præordinatum eſſe vadem & ſponſorem & agnum ad ferendum peccata mundi; imò peccatum eſſe à Deo factum. verſ. 6. *Exigebatur* pravitas omnium noſtrùm, h. e. pœnâ illius, *& ipſe ſubmittebatur*, ſ. ſubmiſit ſeſe, ac ſtitit, tanquam ſponſor & ſacerdos paratus ad excipiendas plagas pro nobis. v. 7. *Ex judicio*, tùm injuſto Seniorum, tùm juſto Dei, quo à Deo factus peccatum, judicatus eſt ut legitimus Sponſor pro fratribus ſuis, *aſſumtus eſt.* verſ. 8. *In mortem effudit animam ſuam*, factus obediens uſque ad mortem, *& cum defectoribus numeratus eſt, cùm ipſe peccata multorum ferret.* verſ. 12. Et huc quoque faciunt loca, quæ ipſum nobis, ut Sacerdotem, itemque ut Paſtorem, deſcribunt. Siquidem ſit Sacerdotis ferre peccatum populi, & boni Paſtoris ponere animam ſuam pro ovibus ſuis. Sic dicitur *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedek.* Pſal. 110: 4. Ita Deus apud Jeremiam: *Et exiſtet dux ejus ex ipſo, & poteſtatem habens ipſius ex medio ejus exibit. Nam quis eſt, qui in fidem ſuam recepit cor ſuum, ut accedat ad me? ait Jehovah.* Ubi *τὸ accedere ad Deum*, phraſi ſumtâ ex Num. 16: 5. eſt Sacerdotio fungi, Sacerdotem eſſe. *Paſtor* verò appellatur Pſalm. 23: 1. Zach. 13: 7.

Ubi

Ubi & *Paſtor Dei.* & promittitur apud Ezechielem his verbis: *Et conſtituam ſuper ipſas* (oves meas) *paſtorem unum, & paſcet eas, ſervum meum Davidem; ille paſcet eas, & ille erit ipſis paſtor.* Ezech. 34: 23. Item: *Et ſervus meus David rex ſuper ipſis, & paſtor unus erit omnibus.* &c. Ezech. 37: 24. Ac denique idem probat omnis Schola ſacrificiorum & typorum. In quâ emicat typus *agni* (qui eſt hieroglyphicum peccatoris Eſai. 53: 6. 1 Petr. 2: 25.) *ferentis peccatum.* Johan. 1: 29. & *Serpentis*, Joh. 3: 14. in quo nihil niſi mendacium & dolus, aut ſaltem imputatio peccati & maledictio, ſpectari poteſt: & *Sacerdotis*, qui dicebatur ferre peccatum populi, quando adolebatur pars cibi ipſius, qui pro corpore ſubſtituebatur. Lev. 10: 17. Jam, Chriſti corpus per victimas adumbratam fuiſſe, inprimis teſtatur S. Paulus Heb. 10: 1. 5. ex Pſ. 40.

§. 84. Quoniam verò hæc Chriſti ſatisfactio atque obedientia erat omnibus numeris & partibus abſoluta, ac perfecta, hinc ſecutum eſt, ut primò *Salutem ſibi faceret brachium ſuum.* h. e. potentiâ ſuâ Divina jus ſuum Patri & ſibi reſtitueret, vitam in lucem produceret, regnum obtineret, hoſtes conficeret. Eſ. 63: 5. Et viciſſim *anima Dei* in ipſo *acquieſceret*, i. e. in ipſo & per ipſum reconciliatio, pax, ſanctificatio nominis Dei, remiſſio peccatorum, juſtitia efficeretur, & quicquid ſignificatur in Scripturis per רצון / quale inprimis eſt id, quod contrarium eſt iræ & repudationi. Eſ. 42: 1. Tùm & *victor* exiſteret peccati & mortis, ejuſque, qui poteſtatem mortis habebat, i. e. Diaboli. Pſalm. 45: 4. 145: 4. Eſai. 9: verſ. 5. *contereret caput Serpentis.* Gen. 3: 15. *Volentem enervare ipſum infirmaret.* Eſai. 53: verſ. 10. *Ad veritatem faceret exire judicium.* Eſai. 42: 3. nempe *judicium datum ſibi* Pſalm. 72: 1. Ezech. 21: 34. quale eſt illud inprimis, quo damnatur peccatum accuſans peccatorem; Rom. 8: 3. quo damnatur falſa juſtitia, & impotentia creaturæ demonſtratur ad gloriandum de juſtitiâ; Col. 2: 15. quo princeps mundi judicatur & cogitur regno ſuo decedere; Joh. 16: 11. Atque adeo efficeret, ut pro veritate ſententia diceretur. Et hinc deinceps *captivitatem fortis acciperet.* i. e. Diabolum ſpoliaret robore ſuo & ligaret, ut captiva ejus caperentur. Eſai. 49: 24. 25. *Bonum Dei*, i. e. gratiam, χαριτώματα, quod *fuerat* hactenus *ſuper ipſo*, h. e. præſtandum ipſi incubuerat, impetraret *pro ſanctis, qui erant in terrâ*, electis diſcipulis ac fidelibus, & Apoſtolis, *ducibus eorum, in quibus omnis voluptas Dei.* Eccleſiæ ex gentibus & Judæis colligendæ. Pſalm. 16: verſ. 2. 3. Nominatim *redimeret Iſraëlem*, vi כפר ſ. lytri, de quo Pſalm. 65: 4. *ex omnibus pravitatibus ſuis.* Pſal. 130: 8. *Redimeret Sionem in judicio, & reſipiſcentes ejus in juſtitiâ.* Eſai. 1: 27. *Redimeret Jacobum.* i. e. ſuo ſanguine ſibi pararet Eccleſiam; Jer. 31: 11. *Aſſereret ſervum ſuum Jacobum* i. e. liberaret à nexu legis, à reatu, ab accuſatione peccati, & conſequenter à ſervitute. Eſai. 48: 20. *Aſſereret*, inquam, *eum ex manu ejus, qui validior ipſo erat.* Jerem. 31: 11. Pretiò quidem, nam redemtio à lege peccati ſinè pretio fieri non poterat, ſed non auri vel argenti, ſecundùm illud: *non argento aſſeremini* & recuperabimini. Eſ. 52: 3. quod explicans S. Petrus ait, 1 Pet. 1: 18. 19. οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι. In quibus manifeſtè reſpicitur ad typum λύτρου in argento capitationis, de quo Exod. 30: 12. 15. & typus reducitur ad veritatem. Quaſi diceret Propheta: Nihil cedet creaturis captivantibus vos ex veſtri redemptione, & ceſſabit λύτρωσις animarum per argentum (verbi cauſâ capitationis, aut ſacrificia, quæ argento æſtimantur.) nihil utilis ad recuperationem: quippe quæ exigebatur per homines dominantes vobis & ejulantes & nomen meum blaſphemantes; ceſſabit omnis veſtra impenſa in expiationem & meliori pretio recuperabimini & liberabimini.

 §.85. Por-

§. 85. Porrò Chriſtus obedientiâ ac morte ſuâ expuncto reatu & ſublatâ accuſatione legis, & abolitâ ſervitute, ſub quâ ſemper terrebantur conſcientiæ & poteſtas inimici metuebatur, *ſervavit nos ab hoſtibus noſtris* tam internis, quàm externis, Serpente & ſemine ejus, *& oſores noſtros pudore affecit.* Pſalm. 44: 8. Quemadmodum & Zacharias pater Johannis, *Salutem* prædicat *ex hoſtibus noſtris & ex manu omnium, qui oderunt nos.* Luc. 1: 71. Itaque, *Paravit ſalutes in medio terræ.* Pſal. 74: 12. Et factum eſt, quod prædictum erat apud Eſaiam: *Et exſtitit ipſis Jehovah in Salvatorem.* nim. à peccatis, & omnibus iræ effectis. Eſai. 65: 8. Itemque apud Jeremiam: *In diebus ejus ſalvabitur Juda.* nim. à peccatis ſuis, à reatu & accuſatione peccati, à poteſtate paſtorum, ſ. principum, à ſervitute elementorum mundi, à ſubjectione in certum pignus, & ejus dilectionem, à commixtione injuſtorum, à ſiti denique & exſpectatione, ut præ ſatietate poſſint ovare. Jerem. cap. 23: 6. 33: 16.

§. 86. Nec tantùm ſic Salutem, ſed & Juſtitiam, & Pacem, ſatisfactione præſtitâ, peperit ſuis. De juſtitiâ eſt Pſalm. 72: 1. *ô Deus, judicia ſua Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.* i. e. Da filio tuo poteſtatem dandi populo ſuo juſtitiam tuam, i. e. illud donum, quod Teſtamento præparâſti filiis tuis, cor adſperſum à malâ conſcientiâ, corpus lotum aquâ mundâ, libertatem accedendi ad Deum, abolitionem jugi & ſervitutis, jus regni. Eſaiæ quoque cap. 45: 24. *Tantùm in Jehovah (de me dixit) juſtitiæ.* q. d. conſummatio juſtitiæ, & omnia jura ad benedictionem. Et clariſſimè Eſai. 53: 11. ſimùl indicans medium ſ. inſtrumentum, quo, qui ſunt Chriſti, juſtitiæ beneficium ab ipſo accipiunt; *In agnitione,* i. e. fide, fiduciâ, cultu, invocatione *ſui juſtificabit,* (vel *juſtitiæ cauſa & donator fiet) multos.* (vel *multis.*)

§. 87. De pace per Chriſtum partâ eſt apud Eſaiam, cap. 9: verſ. 5. ubi inter nomina Chriſti recenſetur hoc ipſum, *Princeps pacis.* Et intelligitur is, qui abſtulit iram & maledictionem, & commemorationem peccati, & metum mortis, & diſcrimen gentium, & omnes hoſtes, putà Diabolum, carnem, mundum, ſibi ſubjecerit. Itemque cap. 53: 5. ubi eſt: *Paradigma* cauſa *pacis noſtræ* & incolumitatis *ſuper ipſo erat.* i. e. Pœna ei talis ac tanta erat impoſita, quæ ad exemplum pertineret, & alios à peccando retraheret. In quo teſtimonio vox *Pacis* aptiſſima eſt ad ſignificandum finem paſſionum Chriſti, nempe ut conſpicuum fieret, quid peccata mererentur, & quantùm remittatur redemptis Chriſti; ut illi credentes ſibi propter Chriſtum peccata remiſſa eſſe, Deum ſanctificent, & ſic glorificent, & diligendo Chriſtum, diligant ſanctitatem Dei, atque ita ad imaginem Dei per cognitionem Chriſti magis magiſque reformentur. Rurſus ut paſſiones Chriſti conſiderantes poſſimus eſſe conſcientiâ lætâ, quòd videamus ipſum plenam ἀπολύτρωσιν inveniſſe. Jam huc quoque refer Thren. 4: 22. *Finita eſt pravitas tua, filia Sion.* i. e. ſublata eſt accuſatio impuritatis, & non cogeris ampliùs ferre calamitatem ullam propter pravitatem popularium tuorum, & communionem cum eâ. Quo ſenſu etiam accipi poteſt illud, quod dicitur *tempus pravitatis finis.* Ezech. 21: 34. & 35: 5.

§. 88. Ad hæc *per vibicem ejus,* i. e. per paſſiones Chriſti, *ſanatio* à morbis ac doloribus noſtris *nobis facta eſt.* Eſai. 53: 5. Et factum eſt, quod dicit Ipſe. Eſai. 63: verſ. 3. *Calcabam populos in irâ meâ, & conculcabam eos in æſtu meo.* Et hanc dicit cauſam, cur ipſe ſanguine fuerit aſperſus. Significat autem ſe crucifixiſſe vetuſtum hominem ad ſalutem Eccleſiæ, & abolitionem omnis impietatis per crucifixionem

fixionem

fixionem ſuam. Chriſtus enim ſuâ morte & effuſione ſanguinis ſui hoc conſecutus eſt, ut omnis caro aboleatur, & novum cœlum ac nova terra fiat, per liberationem redemptorum. Et quod legitur. Ezech. 32: 23. *Et ſalvabo eos ex omnibus ſedibus ſuis in quibus peccârunt.* Significatur enim fructus mortis Chriſti, quem docet Apoſtolus Gal. 1: 4. Nempe quòd *per eam ſint liberi facti & exempti ex ſæculo hoc malo.*

§. 89. Sic itaque Chriſtus ſatisfaciendo pro peccatis Eccleſiæ, & merita ſua ac dona juſtitiæ ſuæ per verbum & Spiritum ſuum ei applicando, perrexit *Terram*, i. e. Eccleſiam, *fatiſcentem ut columnis* ſubditis domum *confirmare* quaſi, & ſuffulcire. Pſal. 75: 4. Et *fundavit* Deus *in Sione lapidem*, fundamenti vicem præbentem, qui potentiâ & merito Eccleſiam ſuſtineret, & in quem fiducia ferretur, *lapidem explorationis*, ſimùlque *angulum pretioſiſſimi fundati fundatiſſimi*, Eccleſiæ nim. in ipſo fundatæ; Matth. 16: 8. qui angulus omnia ſibi inædificata conjungeret & viveret in omnibus. Eſ. 28: 16.

§. 90. Nec tantùm ſic Prophetia in morte Chriſti ſpectandam nobis exhibet voluntatem Chriſti, quæ eſt gratia & charitas, ſed etiam eam quæ eſt ira & æſtus. Tàm enim mortuus eſt Chriſtus, cum intentione puniendi hoſtes ſuos, omneſque adeò eos, qui tantam ſalutem erant neglecturi, quàm ſalvandi oves ſuas. Utrumque docetur. Eſ. 63. Ubi cùm quæſtio fuiſſet habita de cauſâ paſſionum Chriſti. verſ. 2. reſpondet ipſe v. 3: 4. & 6. *Torcular calcavi ſolus, & ex populis non erat vir mecum; & calcabam eos in irâ meâ, & conculcabam eos in æſtu meo, & adſpergebat vis eorum veſtibus meis, & omnia indumenta mea fœdavi.* Scil. hoc morte meà conſecutus ſum, ut omnis caro omniſque impietas aboleatur, idque duobus modis, Primò per ultionem. Secundò per liberationem redemtorum. verſ. 3. Hoc porrò indicatur verſ. 4. Ubi dicit occaſionem ſuæ paſſionis: *Nam dies ultionis erat in corde meo.* h. e. cogitabam, abruptà tolerantiâ populi carnalis, aperire vindictam, Primò in illum: Tùm in omnes juſtitiæ reſiſtentes, Rom. 1: 18. *Et annus aſſertorum meorum*, tùm illorum liberandorum, qui prioribus diebus jugum tulerant, tùm etiam ſalvandorum illorum, qui ex gentibus mihi in hæreditatem dati ſunt, *advenerat.* verſ4. De hoſtibus verò ipſum rejicientibus & tantam ſalutem negligentibus, ita loquitur verſ. 6. *Et conculcabam populos in irâ meâ, & inebriabam illos æſtu meo, & feci deſcendere in terram vim illorum.* Scil. dicit, ſe ſuâ paſſione aſſecutum illorum *proculcationem*, ut fiant tanquam pulvis platearum, & *inebriationem*, ut mutuò ſanguinem ſuum bibant, & *profuſionem ſanguinis ipſorum in terram.* Nec potuit non fieri in arido ligno, quod in viridi factum erat. Et datæ erant Chriſto gentes, non tantùm, ut hæreditas poſſidenda, ſed etiam confringendæ inſtar vaſis figuli; Pſ. 2:8. Ideo & alibi dicit, *Reſurgam & rependam illis.* ut Pſal. 41: 11. Et nominatim. Pſal. 69: 23. *Fiat menſa ipſorum coram ipſis laqueus.* &c. Similia ſunt in Pſal. 109.

§ 91. Quin etiam notandum, tàm paſſionem & mortem Chriſti, quàm ſuperiora omnia ejus opera & beneficia, tàm nupera, quàm antiqua, ipſamque adeo viſitationem populi Judaici, & apparitionem in carne, ſingulariter impenſa eſſe populo Iſraëlitico eo fine, ut cùm jam Deus illud omne præſtitiſſet coram ipſis, quod credentes & cum gratiarum actione recognoſcentes juſtificari poſſent ab omnibus tùm peccatis ſuis, tùm iræ effectis, neque adeo poſſent allegare Iſraëlitæ, ſibi aliquid defuiſſe ex parte Dei, ad conſtituendam juſtitiam propriam, ſecundùm præſumtionem ſuam; etiam ſic demonſtraretur impotentia carnis ad ſubjiciendum ſeſe Deo, & juſtitiam propriis viribus parandam, vel omnino quicquam agendum, quod tantis beneficiis conſentaneum eſſet, adplacendum Deo, & vitam æternam obtinendam:

dam: quo, ſic quoque evictâ neceſſitate gratiæ ac doni ſalutaris, abſolutum Dei regnum ac dominium in converſione & ſanctificatione hominis peccatoris manifeſtaretur, atque oportunè aperiretur, in toto mundo.

§. 92. Hoc docemur Pſalmo 53. ubi dicitur *Deus*, poſt manifeſtationem ſui in Sinai, de quâ agit Pſalmus 14. iterùm *proſpectâſſe à cœlo ſuper filios hominis*, ſive hîc intelligas manifeſtationem Dei illam, quâ locutus eſt in Filio ſuo, ſ. aliquam citeriorem. Finis: *ad videndum an eſſet animadvertens συνιῶν, qui curaret Deum.* i. e. qui animum induceret, Deo auſcultare, ab eo diſcere, in viis ipſius ambulare, & qui reverâ factus erat Redemtor, Sanctificator, & Juſtitia Iſraëlis, eum habere ante oculos. verſ. 3. Itemque Eſaiæ cap. 5. Ubi poſt ſuperiorum temporum beneficia inde à primâ origine in populum Iſraëliticum collata, & diuturnam exſpectationem fructuum judicii ac juſtitiæ, introducitur, qui viſitat populum, & qui poſt longum ſatis tempus viſitationis provocat, quid amplius ſit faciendum populo ſuo, quod *non* fecerit in eo? Verba viſitantis, & provocantis vide: *Et nunc, qui habitas Hieroſolymæ & vir Judæ, judicate, agite, inter me & vineam meam. Quid faciendum ampliùs vineæ meæ, quod non fecerim in eâ?* q. d. Omnia feci, quæ ad ſalutem hominis neceſſaria videri poſſunt de ſuâ poteſtate præſumentibus. Viſitationem ipſam impendi eis, cum eâque omnia præſtiti ipſis, per quæ ut ſufficiens Salvator poſſim agnoſci. Viſitatio enim indicatur tùm reipſâ. (Contendit enim poſt exſpectationem) tùm vocibus, *Et nunc*; & modo contendendi, *inter me & vineam meam.* verſ. 3. & 4. Finem verò tam viſitationis hujus, quàm reliquorum beneficiorum, indicat per hæc verba: *Exſpectavi ut faceret uvas*, verſ. 4. Sive, ut eſt in applicatione allegoriæ *exſpectavi ad judicium & juſtitiam.* verſ. 7. Q. d. Talia ſunt ac tanta hæc mea beneficia, ut ſi velit iis reſpondere, debeat facere uvas &c. & ego debeam eas exſpectare. Quo ſignificatur Comparatam fuiſſe hanc viſitationem ad populum obligandum, ad ferendos bonos fructus, & ad hoc invitandum atque excitandum. Nec tantùm: ſed & ad convincendum ejus inexcuſabilitatem, malitiam & impotentiam ad ſubjiciendum ſeſe Deo. Quod arguunt iſta: *Quare exſpectavi quidem ut faceret uvas & fecit labruſcas?* verſ. 4. Et: *Exſpectavit ad judicium, & ecce ſcabies; ad juſtitiam, & ecce vociferatio.* verſ. 7. Idem denique evidenter oſtendit Eſaias in iſtis: *Et dixit: Certè populus meus illi ſunt.* hæc gens eſt particulariter electa ex omnibus gentibus, ut appellaretur populus Dei, ut ipſis eloquia mea notificarentur, *filii qui non mentientur.* Nam in Ægypto Moſes apud Pharaonem Iſraëlem appellavit filios; quos idcirco veriſimile eſt, apud hòmines, & juſtum apud Deum, jam non mentiſuros, quorum ſcil. patres promiſerant ſe audituros verba Dei & facturos, dum modò Deus non pergeret ad ipſos loqui in igne, ſed per Moſen vel alium Prophetam ipſos alloqueretur: *Et* h. e. Ideo, *exſtitit ipſis in Salvatorem.* Apparuit Judæis ſingulariter, ut ſervus circumciſionis, venit ad ſalvandas oves perditas domus Iſraël, & ipſis ſe ut Salvatorem oſtendit, tùm auferendo morbos ipſorum, tùm etiam in conſpectu ipſorum patiendo, atque ita ſe perfefectum Salvatorem demonſtrando. Eſ. 63: 8. Nec tantùm opus ſalutis, verùm etiam gratiam ſuperioris temporis huc refert Eſaias, dum ſic pergit Ibidem: *In omni anguſtiâ ipſorum non oppugnabat quiſquam ipſos, & Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos; in dilectione ſuâ, & in clementiâ ſuâ ipſe aſſerebat ipſos, & bajulabat illos, & ferebat illos omnibus diebus ſæculi.* v. 9.

ARTI-

ARTICULUS XX.

ET hæc quidem de Chriſti ταπεινώσει *humiliatione*, Scripturæ prædixerunt. Sequitur, ut, quæ de ejusdem ὑψώσει, *exaltatione*, eædem habent, hîc referamus.

Quemadmodum ſoluto debito non habet creditor, quò minùs Sponſorem è carcere & nexu, quo ſibi obligabatur, dimittat, & liberum ſinat abire, atque ita ſibi plenè ſatisfactum eſſe teſtetur; ita Deus, cùm poſuiſſet Filius ſuus ſatisfactionis pretium, & ipſe illam ut plenam acceptaret, in argumentum dati & accepti lytri, & quo demonſtraret, omnia jam facta eſſe, quibus glorioſè & ſine ſanctitatis ſuæ ignominia poterat fieri & ſe rebus ipſis oſtendere Deum peccatoris, ante omnia Sponſorem Filium è nexu ac reatu, quo vi legis propter peccata noſtra tenebatur, ipſoque adeo ſtatu extremæ humiliationis ac mortis, dimiſit incolumen. Qui idcirco, accepto jure redeundi in vitam, & vi fœderis, quod cum Patre, ut Sponſor ac Mediator Teſtamenti, de hæreditate ac juſtitiâ æternâ habebat, viciſſim à Patre accipiendi, quæcunque dona ac bona maxima cadere in perſonam tam illuſtrem, ab eâque donari & conferri in redemtos poterant; tertio die, victor atque triumphator Satanæ & Mortis, exivit è ſepulchro, ſuâque & Patris virtute ſuſcitatus è mortuis, aſſumſit vitam æternam, incorruptibilem, atque immortalem.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Hanc Chriſti reſurrectionem à mortuis multifariam præteſtificatus eſt Spiritus. Primò per Moyſen. Is Deut. 30: 13. prænunciat. *Præceptum*, quod iſto tempore præcipiebat, quod eſt præceptum juſtitiæ fidei, Rom. 10: 6. 7. 8. *non fore ultra mare*, in locis ab hominum commercio & terrâ viventium ſeparatis, *ad dicendum: Quis tranſibit nobis ultra mare, & accipiet illud nobis, & faciet nos illud audire, ut faciamus illud?* Quo ſignificat fore aliquando tempus, quo tam evidens ſit futura revelatio fœderis & præcepti apprehendendæ juſtitiæ fidei, ut impoſſibilitas redeundi ad homines à locis ultra mare remotiſſimis, quaſi inter viventes nemo exſtet, qui inferos expugnatos & valvas mortis reſeratas aſſerere poſſit, fidei ſit obſtitura. Quippe illo tempore futurum, nim. Filium Dei, qui ſit rediturus ab illis locis, unde ad homines reditus non eſt, *ex abyſſo* ſcil., ſive *ex mortuis*, & oſtenſurum reditu ſuo evidentiſſimè, credentibus in ipſum patere clauſtra mortis ad reſurrectionem carnis, & ipſorum ſpiritus in morte ad vitam tranſire propter juſtitiam jam donatam.

§. 2. Huic Moſis teſtimonio ſatis luculento, ipſiusque Apoſtoli, Rom. 10., interpretatione ſuffulto, ſuccinunt ea, quæ ſequuntur; pari evidentiâ. Pſalmo 3. verſ. 9. Chriſtus ipſe in Spiritu mortem & reſurrectionem ſuam ita commemorat; *Ego cubi & dormivi; evigilavi, quia Jehovah ſuſtentabat me.* Iterumque Pſal. 16: 9. 10. eandem prædicit in hanc ſententiam: *Etiam caro mea procumbet ſecurè. Quia non relinques animam meam* aut meorum, quibus & hoc commune erit, *in inferno; neque*,

quod me ſingulariter attinet, *ſtudioſum tui ad videndum corruptionem.* Quo quid aliud, quàm reſurrectio maturata illius, qui amat Deum perfecto amore, ut ſolus ante corruptionem reſurgat, indigitatur? Quare & Chriſtus mortem ſuam non aliter aſpiciens, quàm viam vitæ, d. l. Pſal. 16: verſ. 11. ſic continuat orationem: *Noſſe me facies iter vitæ.* q. d. facies me experiri, & pro omnibus ſanctis initiare viam vitæ veræ & æternæ. Scil. per mortem. Et Eccleſia in oratione gratulatoriâ ad Deum pro curâ regni Chriſti, Pſal. 21: 5. *Vitam*, inquit, *poſtulavit à te.* Flagitavit Chriſtus, quum mortem ſubiret, à Patre, ut ei vitam reſtitueret, atque ita teſtaretur, ſatisfactionem ſuam ei gratam eſſe. *dediſti ipſi.* ſc. vitam. Deus Pater lytron Filii acceptavit; atque adeo reddidit ipſi vitam. Iterumque Pſal. 68: 21. in concluſione euchariſticâ & conſolatoriâ: *Deus* omnipotens *noſter eſt*; *Deus ad ſalvandum: Et Jehovah Dominus habet exitus mortis.* ex ipſâ morte exivit ſcil. virtute ſuâ, & penetravit cœlos victurus in æternum.

§. 3. Jeremiæ cap. 31., in quo perpetua eſt oratio Chriſti, interpolata tantùm recitatione dictorum Patris, hoc exſtat verſ. 26. ipſius de reſurrectione ſuâ elogium. *Propterea*, quia ſcil. impleturus eram animam tabeſcentem, & irrigaturus animam laſſam, *evigilavi & vidi.* h. e. & reſurrexi, & primitias electorum meorum ex Judæis, diſcipulos meos, reviſi. Amoſi item cap. 9. verſ. 11. ubi Deus promittit erectionem regni Davidis; *Et deſtructa*, inquit, *Davidis ſuſcitabo.* Ubi erectio deſtructorum Davidis, ſecundùm analogiam myſterii fidei, prophetiæ, & hiſtoriæ, eſt reſuſcitatio Chriſti ex mortuis. Michæas quoque cap. 5. verſ. 3. eandem rem prævidens, *Et ſtabit*, inquit. ſcil. Judex Iſraëlis; qui jacuerat mortuus & ſepultus. Et Habaccucus cap. 3. vers 2. in ſpiritu ſe extendens ad diem Domini, fidem Eccleſiæ hujus temporis in oratione ad Deum ſic repræſentat: *Jehovah, molitio tua eſt in medio annorum vita ejus.* Sc. Domini, quem præſentem & prædicantem ac prædicatum audivi. *Vita* autem ejus, quæ eſt molitio Dei, eſt reſurrectio ex mortuis. Zephanias denique c. 3. verſu 8. Chriſto prædicenti diſcipulis ſuis reſurrectionem ſuam hanc præformat orationem: *Quapropter præſtolaminime, ait Jehovah, ad diem, quo ſurgam in perpetuitatem.*

§. 4. Hanc Filii Dei reſurrectionem à morte multa alia ſunt loca Scripturæ, quæ ſi non expreſſè, ut modò adducta, ſaltem tacitè indicant, quæque ſecundùm analogiam myſterii fidei, prophetiæ, & hiſtoriæ, intellecta, claram de eâdem apud mentem attentam & fidelem expoſitionem habent. Primùm enim facilè ea intelligitur ex promiſſione primâ in paradiſo edita. Hæc enim indigitando Deum auctorem inimicitiæ inter hominem & ſerpentem, & ſimul ſemen mulieris per contritionem capitis victorem ſerpentis, in hâc victoriâ reſurrectionem hujus ſeminis ad vitam ſimul indigitat. Gen. 3: 15. Quòd & intellexit Adam, quando uxorem ſuam agnovit *factam*, vi promiſſionis illius, cùm quoad judicium Dei pronunciatum Gen. 3: 16. non eſſet niſi mater morientium, *matrem omnis viventis.* h. e. tùm vivificantis, tùm vivificandorum. Quia oportet *Sanctificantem & ſanctificatos eſſe ex uno.* Heb. 2: 11. Et huc reſpexit Noachus, declarans Gen. 9: 27. 28. Deum eſſe *Deum Semi*, h. e. in Semi poſteritate eſſe fundamentum fœderis, & *habitare in tentoriis Semi* eſſe viam aut ſummam beatitudinis: quod tantundem eſt atque habere communionem cum Semo & ſemine ejus ad perceptionem benedictionis. Cui planè conſonat promiſſio facta Abrahamo, *Fore eum Patrem multarum gentium*, eo quòd *in ſemine ipſius gentes benedicendæ ſint.* Quo notatur, ſemen Abrahami fore auctorem benedictionis, ſanctificatorem & regem Eccleſiæ, ejuſque juſtitiam, objectum fidei & gra-

tiarum

ciarum actionis quæ ſine morte & reſurrectione Filii Dei ne cogitari quidem poſſunt.

§. 5. Succeſſu temporis *lex* iterùm atque exſecratio eſt introducta, etiam poſt lapſum & promiſſionem. quâ homines redigebantur ad deſperationem ſive abnegationem juſtitiæ propriæ, & ad quærendam juſtitiam extra ſe, reputandam & donandam. quippe Lex teſtatur, citra obedientiam ſufficientem tùm ad meritum vitæ, tùm ad tollendos multos lapſus, mercedem vitæ non dari. Huic verò Legis repetitioni conjuncta eſt *inſtitutio Sacerdotii.* Ea teſtabatur, dari גאלה / ſive *vindiciæ* aut *aſſertionem*; quâ frater innocens poſſit, legi id imperanti obedientiam præſtando, intercedere pro lapſis per obedientiam perfectam; & illam obedientiam conſummari oblatione ſui corporis ſive per paſſiones experimentaliter diſci, Hebr. 5:8. & dari juſtificationem, ita ut Deus poſſit, ſine abnegatione ſui, imò cum demonſtratione nominis ſui ſive perfectionum ſuarum, eum exaudire ad liberandum ex morte cum fratribus ſuis. Illam verò expiationem non eſſe poſſibilem per hominem fratrem ſecundùm potentiam carnis, & per oblationem animalium mutorum, evidens erat, tùm quia talis Sacerdos ipſe peccato erat circumdatus; tùm quia oblatio iſta non erat λογικὴ ſive rationalis cultus ſ. vera obedientia, jus ad vitam pariens; tùm quia illi propter mortalitatem non poterant permanere; tùm quia quotidie repetebantur eadem ſacrificia; tùm quia hominibus relinquebatur ea expiatio, qui multa ignorant & ſibi non attendunt; tùm quia ea expiatio erat tantùm ad fructum puritatis carnalis, ut templum & terra Canaan, ceu ſymbola cœleſtium, cum ſanctificatione nominis Divini poſſet adiri & habitari. Ita in Sacerdotio ut indigitatio paratæ juſtificationis ad ſpem, ſic accuſatio humanæ impotentiæ fuit, ad quæſtionem melioris.

Quando verò Deus ſibi illud nomen ſuaviſſimum גואל *Redemtoris* ſ. *Aſſertoris* aut *Vindicis* aſſumſit, ſeque *ſanctificatorem* Iſraëlis, & *juſtitiam* fidelium vocavit; ſeque declaravit *juſtitiam* dono dare & *per fidem imputare*; ſimulque manifeſtavit *Angelum* fœderis cum elogio *vindicis* & attributione nominis *Jehovah*: Per hæc omnia clariſſimè docuit deſcenſum Dei, mortem, & reſurrectionem; ut ita ſit verus Pontifex *ſecundùm vim indiſſolubilis vitæ*; & ipſe Deus ſit *clypeus* fidelium; & reverâ *Deus ipſorum*, *ex quo*, h. e. cujus gratiâ, & *per quem*, ſ. in quo, ut mediatore, capite, & bono ſuo, & *ad quem*, h.e. ad cujus gloriam, eſſent æternùm juſti & beati.

§. 6. Hujuſdem quoque reſurrectionis Chriſti diverſimodè per ſequentia admonemur. Pſalm. 4:2. Chriſtus cauſam ſuam & regni ſui contra adverſarios agens apud Deum, ita ipſum compellat: *Quum voco, reſponde mihi, Deus juſtitiæ meæ*, cum quo tanquam Sponſor & Mediator teſtamenti æternum fœdus de juſtitiâ habeo: Quique *in arcto dilatâſti mibi*. præbuiſti mihi exitum ex maximis anguſtiis, ſolutis doloribus mortis, atque ita oſtendiſti, quòd me pro fideli ſervo haberes. *Gratioſus eſto mihi* Chriſtus ſcil. quatenus ſuſtinuit cauſam & perſonam noſtram, imploravit gratiam Dei. Heb. 5:7. & eandem commemoravit, ut unicam cauſam redemtionis & exauditionis ſui; quanquam ſi ipſius dignitatem ſpectemus; qui Filius erat, & dignus, quem amaret Pater, & cui omnia traderet in manus, obedientiâ ſuâ ſibi meritus ſit, & reverâ tanquam τιμῇ & pretio emerit hæreditatem.

Pſalm. 6:9. 10. Verbis Chriſti humiliati, quæ cognovimus ſuprà ad Art. 19. ſubjicit iſta ejuſdem erecti: *Recedite à me, omnes tractantes vanitatem.* nihil niſi pudor & confuſio & διχοτομία & ſeparatio à cœtu juſtorum, vos manet ſcil., qui ad

 me ac-

me acceditis non cum ſanâ doctrinâ, quæ eſt ſecundùm pietatem. *Nam audivit Jehovah vocem ploratus mei.* Deus reſpexit humilitatem, pœnitentiam, diſplicentiam malorum & dolorem ex ſenſu miſeriæ meæ, compaſſionem pereuntium, Zelum gloriæ ſuæ; quæ omnia mihi ejulatum vehementem ac ſonorum cum lachrymis expreſſerunt. *Audivit Jehovah ſupplicationem meam:* Deus reſpexit humilitatem & fidem meam, quâ ab ejus gratiâ ſolâ miſericordiam & condonationem offenſarum expetivi. Quibus ſimilia ſunt, quæ leguntur Pſalm. 18: 7. *Quum arctum eſſet mihi, vocabam Jehovam, & ad Deum meum quiritabar; audiebat à templo ſuo vocem meam, & imploratio mea coram ipſo venit in aures ejus.*

Pſ. 16: 1. orat Chriſtus: *Serva me, Deus-omnipotens.* Libera me ex hâc horâ, ſcil. ex morte & maledictione ut abſorbente.

Pſal. 18: 44. Chriſtus iterùm, ubi agit de exaltatione ſuâ ſupra vim & potentiam alienorum, inter alia reſurrectionem ſuam ita innuit: *Feciſti me evadere lites populi.* Cùm me integer populus cum ducibus ſuis oppugnaret tanquam ſeductorem, tu me è morte ſuſcitâſti, atque ita è litibus eorum eripuiſti. Iterùmque verſ. 51. In gratiarum actione poſt promiſſionem gratitudinis pro ſummis Dei beneficiis, rationem promiſſi ſic reddit: *O tu, qui maximas ſalutes præſtat regi ſuo:* qui ab omnibus malis & periculis liberâſti regem à te conſtitutum, idque potentiſſimè & magnificentiſſimè.

Pſalm. 20. qui Pſalmus repræſentat fidem Eccleſiæ in capite ſuo Chriſto, quâ eum in omni ſtatu ipſius & ſuo proſequitur, verſ. 2. Chriſto humiliato vovet ſ. exoptat, *Reſpondeat tibi Jehovah in die anguſtiæ.* Significet tibi amorem & promtam voluntatem ad orationem tuam, in ope reipſâ latâ, cùm ſalute tibi opus eſt; *ſublimet te nomen Dei Jacob.* Evehat te ad regnum, qui, formâ ſervi indutus, eras humiliatus infra angelos & depreſſus uſque ad mortem crucis.

Pſalm. 21. qui continet Eccleſiæ gratulationem pro curâ regni Chriſti, verſ. 2. in propoſitione congratulatoriâ, *Jehovah*, inquit, *in robore tuo*, in conciliandis bonis ipſi & Eccleſiæ, *lætatur rex: & in ſalute tuâ*, ob averſionem potentem omnium malorum, *quàm gaudet vehementer!* Et rurſus verſ. 6. in expoſitione roboris Dei Chriſto exhibiti in datione bonorum: *Magna eſt gloria ejus* ſ. opulentia, incrementum regni ejus, *in ſalute tuâ*, dum robore tuo ei *ſalutem* præſtas ab hoſtibus ejus.

Pſal. 22. Chriſtus patiens cum reſpectu ad id quod futurum erat, ita orat: *Serva me ex ore Leonis.* Diaboli ſcil. qui poteſtatem mortis habet. i. e. à reatu, maledictione, & poteſtate Diaboli, à morte denique, per reſuſcitationem ex mortuis. Cui orationi in re præſenti convenit hæc narratio Chriſti jam ſuſcitati: *Non ſprevit, neque abominatus eſt paſſionem inopis* Chriſti, ſed acceptavit illam ut lytron pro peccatis ſcil., *neque abſcondit faciem ſuam ab ipſo*, ſed reſpexit faciem Chriſti, & propter illum omnia donat; *& cum is quiritaretur ad ipſum*, opem poſtulans, *audivit.* verſ. 25.

Pſalm. 40. ubi Chriſtus animat fideles exemplo ſuo ad fiduciam in Deo collocandam ſub cruce, ſuam exſpectationem Dei, & hujus exſpectationis effectum, liberationem, ita commemorat: *Exſpectando exſpectavi Jehovam, & inclinavit ſe ad me, & audivit implorationem meam.* aſſenſa eſt voluntas Patris in voluntatem & deſiderium meum. verſ. 2. *Et eduxit me ex puteo ſtrepitus*, ex peccatis præteritis & futuris, ceu aquis multis; *ex luto cœni*, ex poteſtate mortis & vinculo maledictionis; *& poſuit in rupe*, ſtatu periculi experte, *pedes meos*; *firmavit greſſus meos.* dedit mihi jus tranſeundi in vitam & gloriam. verſ. 3. *Atque* ita *dedit in os meum canticum*

ticum novum, laudem Deo noſtro. pro reſuſcitatione & exaltatione ſalvatoris ſcil. verſ. 4.

Pſalm. 41: 11. Chriſto in ſtatu humiliationis conſtituto hæç præſcribitur oratio: *Sed tu Jehovah, gratioſus eſto mihi, & erige me.* ex illâ ἀσθενείᾳ ſcil., in quâ ſum, morti ipſi ſubjectus, per reſurrectionem ex eâ. Ibid verſ. 12., in evectionis Chriſti explicatione, declarat reſurrectionem ſuam ex conſequente tum poſitivo tum negativo contrarii, hoc modo: *In hoc cognovi, quod delectaris me,* quod Filius tuus ſim, in quo complacentiam habes, *quòd non jubilet inimicus meus ſuper me.* Chriſtus enim tertio reſuſcitatus jubilum eorum prævertit. Quia enim prædixerat, ſe tertio die reſurrecturum, ante eum diem jubilare non poterant. Iterùmque eam innuit verſ. 13. his verbis: *Sed ego. in integritate meâ.* i. e. propter perfectam obedientiam meam, *tenuiſti me.* ſ. apprehendiſti, ut ſcil. erigeres me & aſſumeres.

Pſal. 42. in eâ parte carminis, in quâ fideles tentationibus ſuis opponunt memoriam vetuſti temporis, dona gratiæ, ad quæ pertinet & reſurrectio Chriſti, commemorant hoc pacto: *Deus mi, recordor tui,* &c. verſ. 7. Quum ſcil. *Interdiu jubebat Jehovah exſtare gratiam ſuam.* i. e. dona ſua à ſtudio ſalvandi profecta vocabat potenti juſſione, ut eſſent præſentia. verſ. 9. Eſſe enim hîc quoque reſpectum ad reſurrectionem Chriſti, patet ex eo, quod eodem verſu 9. Eccleſia Deum vocet *Deum vitæ ſuum.* i. e. & vivum, & vivificum.

Pſalm. 45: 4. Eccleſia Apoſtolica in encomio Regis Chriſti deſcribens apparatum ejus ad militiam: *Accinge majeſtatem tuam, Heros.* h. e. Demonſtra te regem ſuper omnem terram. Quod tum potentiſſimè incepit facere, & regiâ ſe majeſtate accingere, quum reſurrexit à mortuis.

Pſalm. 47. in quo agitur de gentium adjunctione ad regnum Dei, gentes hortatur ad applaudendum & clangendum Deo, ut certanti & regnum paranti, ratione inter alias deſumtâ ab exemplo ſ. modo, quo aſcendit Dominus in thronum ſuum: *Aſcendit Deus cum clangore, Jehovah, cum voce tubæ.* Scil. non ſilentio Deus evectus eſt. Nam primò evectus eſt atque aſcendit reſuſcitatus à mortuis. Quam reſurrectionem comitata ſunt angelorum & ſanctorum teſtimonia, &c. verſ. 6.

Pſalm. 69: verſ. 2. Dei Filius Deo ſupplicans ita orat: *Salvum me fac, ô Deus:* Noli permittere, ut ego miſer ſim & inteream, ſed præſta mihi exitum ex miſeriâ, in quâ ſum, ad beatitudinem & gloriam, per reſuſcitationem ex mortuis. Et ſpecialiùs verſ. 14. & ſeqq. ad 20. prævidens id, quod futurum erat, ſic pergit orare: *In amplitudine gratiæ tuæ,* ſ. æternæ dilectionis, quâ me dilexiſti, ut caput, & homines ſalvandos, ut membra, *reſponde mihi, per veritatem* ſ. promiſſionem veraciſſimam *ſalutis tuæ,* mihi & membris meis præſtandæ, tùm in verbo, tùm ab æterno in conſilio Trinitatis definitam. verſ. 14. *Eripe me ex cœno,* peccatorum obſtrictione, *& ne demergar; eripiar ab oſoribus meis,* à poteſtate hoſtium, *& à profundis aquarum.* à magnitudine reatus. verſ. 15. *Ne inundet me fluxus aquarum,* iræ & maledictionis ſeveritas, *& ne abſorbeat me abyſſus,* mortis dominatus, *& ne claudat ſuper me fovea os ſuum.* libera me à ſepulchri incluſione. verſ. 16. *Reſponde mihi, ô Jehovah,* exaudi me & ſerva à morte, *quia bona eſt gratia tua;* maximum bonum deſtinâſti voluntate & conſilio tuo. *ſecundùm amplitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me.* verſ. 17. *Ne occultes faciem tuam,* ſed oſtende mihi illam, ut recreer, *à ſervo tuo.* ab illo ſcil. qui perfectè voluntatem tuam fecit. *Quia arctum eſt mihi; properè reſponde mihi.* Intereſt enim ovium mearum, ut mox à morte reſurgam, nec videam corruptionem, ut, me viſo, & triſtitiâ ſuâ & arcto recreentur. verſ. 18.

Accede ad animam meam, aſſere illam. & à poteſtate tenebrarum ſolve per potentiam; *propter inimicos meos redime me.* libera me ex poteſtate Satanæ propter ſolutum pretium. ℣ſ. 19. Quibus ſimilis eſt petitio ℣ſ. 30. *Ego autem inops & doloribus excarnificatus: Salus tua,* ἀπολύτρωσις, redemptio per me facta, tuo dono & tuâ gratiâ, *ſublimet me*, & faciat me compotem vitæ, gloriæ, regni, hæreditatis. Itemque narratio, quæ exſtat verſ. 34. *Attendit ad pauperes Jehovah*, ut ſufficiant ipſis omnia neceſſaria; *& vinctos ſuos*, ſuâ ſcil. cauſâ, *non ſpernit*, ſed habet maximo in pretio, ut animam illorum ſoletur & liberet à morte.

Pſalm. 109: 21. in eandem ſententiam orat: *Sed tu, Jehovah, Domine, fac mecum*, partibus meis adſis, *propter nomen tuum. Quia bona eſt gratia tua, eripe me*, ex periculis omnibus, ipſâque morte.

Pſalm. 118: 5. Chriſtus excitans Eccleſiam ad confeſſionem Dei, confirmat hanc excitationem à liberatione ſui ex anguſtiâ: *Ex anguſtiâ*, inquit, *invocavi Jehovam, reſpondit mihi in latitudine Jah.* Teſtatur ſcil., Deum ſe ex morte revocâſſe ad vitam æternam & regnum.

Pſ. 144: 7. Chriſtus iterùm, ut ſuprà, orat: *Mitte manus tuas ab alto, libera me & eripe me ex aquis multis.* Exemplum extractionis ex aquis multis eſt in reſuſcitatione Chriſti ex morte.

2 Sam. 23: 4. *Matutino*, in quo Sol juſtitiæ Chriſtus exortus eſt, quanquam *ſine nubibus*, id eſt ſine magnâ apparentiâ pluviæ ſ benedictionis verbi ab ipſo prædicati, ſubordinatur *ſplendor* hujus Solis, velut in meridie. Quo ſignificatur reſurrectio Chriſti à mortuis, paſſim divulgata.

§. 7. Eſaias hanc reſurrectionem ſignificat, ubi juſſu Dei Achazo offert *ſignum*, quod peteret, *ex imo.* Eſai. 7: 11. coll. 14. Item, ubi cap. 8: verſ. 14. & 15. de *Jehovâ facto in ſanctuarium*, id eſt habitante in aſſumtâ humanitate, hæc prædicit: *Et erit in laqueum & in decipulam habitanti Hieroſolymis. Et offendent in eo multi & cadent, & frangentur & illaqueabuntur & capientur.* Additque verſ. 18. illum futurum *in ſignum & prodigium in Iſraële.* Intelligitur autem Chriſtus tum maximè illos decepiſſe, cùm ſeſe ipſis tradidiſſet interficiendum, ac videretur ab iis victus, cùm in cruce & ſepulchro de iis triumpharet, eorumque poteſtatem aboleret, & tertio die à morte reſurgeret.

Idem cap. 9. verſ. 5. inter alia ad reſurrectionem quoque Chriſti reſpiciens, eum vocat *Mirabilem*, itemque *Deum victorem;* qui ſcil. omnes tentationes, ipſamque mortem vicerit, & Diabolum imperium mortis habentem deſtruxerit.

Cap. 18: verſ. 3. Eſaias prophetat, fore ut *omnes habitantes frugiferam*, i. e. omnes animæ à Deo redemtæ & ſanctificatæ, *& incolentes terram*, i. e. omnes gentes, *tanquam tolli ſignum montium videant.* i. e. videant Chriſtum cum doctrinâ Divinâ, factis, & reſurrectione ex mortuis, factum πυρσὸν aut quid ſimile, videndum in montibus.

Eſ. cap. 42: verſ. 6. Pater loquens de Filio, & ad Filium: *Ego Jehovah*, inquit, *vocavi te cum juſtitiâ*, ut illam adduceres, *& apprehendo manum tuam*, ut opera mea facias, *& retinebo te*, ne videas corruptionem, vel hebeteris aut enerveris à Diabolo, & ſalvabo te ex morte.

Cap. 49: verſ. 8. in ſimili ἐπαγγελίᾳ Patris ad Filium: *Sic ait Jehovah: Tempore gratiæ reſpondi tibi* oranti pro populo tuo, *& in die ſalutis* faciendæ *auxiliatus ſum tibi*, liberando te ex morte, *& retinebo te*, in poſterum, non admittendo alios reges vel ſacerdotes in populum tuum, &c.

Eſ. cap.

Eſ. cap. 50: vers 8. Chriſtus ipſe in apologiâ coram judice: *Propè eſt*, inquit, *juſtificans me*, tùm à criminationibus adverſariorum meorum, tùm à peccatis populi mei, per reſurrectionem ex mortuis.

Cap. 53. verſ. 8. *Aſſumtus* dicitur Chriſtus *ex imperio* ſ. *coarctatione* Pilati, à quo incluſus erat, ne exiret, adeoque ex ipſâ morte & ſepulturâ, *& ex judicio*, tùm injuſto Seniorum, tùm juſto Dei, poſtquam factus eſſet ab ipſo peccatum. Impleta hæc, quando reſurrexit ex mortuis, & aſcendit in cœlos.

Eſ. 63: 5. *Et intuebar*, inquit, Chriſtus, *& non erat auxilians*, *& obſtupeſcebam*, *& non erat qui ſuſtinebat*, *& ſalutem mihi fecit brachium meum*. h. e. Divinâ potentiâ jus meum patri & mihi reſtitui, vitam in lucem produxi, regnum obtinui, hoſtes confeci.

Zach. cap. 6: 13. *Et ipſe ædificabit templum Jehovæ*. i. e. Eccleſiam ſuam per deſtructionem corporis ſui, *& ipſe accipiet majeſtatem*. definietur Filius Dei in potentiâ per reſurrectionem ex mortuis.

Zachariæ cap. 9. verſ. 9. *Rex Sionis juſtus* dicitur, *& ſalvatus*. ob juſtitiam ſcil. ſeu perfectam obedientiam, ereptus ex paſſionibus ſuis & ex morte.

Apocal. cap. 12. vers 5. *Filius*, quem pepererat mulier, i. e. Eccleſia V. Teſtamenti, *raptus* dicitur *ad Deum & thronum ejus*. nempe *ex ore Draconis*, ex inferno ſ. ſepulchro, & morte. Reſuſcitatu adſcendit in cœlum, & conſedit ad dextram Dei.

§. 8. In hiſce ferè omnibus locis reſurrectio Chriſti Deo auctori adſignatur. Nominatim vide Gen. 3: 15. Pſalm. 4: 2. 6: 9. 10. 16: 1. 16: 10: 11. 18: 44. 18: 51. 20: 2. 21: 2. 22: 22. 22: 25. 40: 2. 3. 41: 11. 42: 7. 9. 68: 21. 69: 2. 69: 14 — 19. 69: 30. 69: 34. 109: 21. 118: 3. 144: 7. Eſ. 42: 6. 49: 8. 50: 6. Am. 9: 11. Hab. 3: 2. Ut non immeritò ad *opera Dei magna*, *& mirabilia*, de quibus eſt Pſal. 40: 6. & 92: 5. 6. hæc Filii ſui reſuſcitatio à morte referatur.

§. 9. Eſt &, ubi Chriſto, tanquam Deo, ac Divinæ ejus virtuti reſurrectio ejus adſcribitur. Ut Geneſ. 3: 15. Pſ. 45: 4. 47: 6. 68: 21. Eſ. 9: 5. 63: 5. Zeph. 3: 8. & alibi.

§. 10. Patri id opus tribuitur, ut acceptanti Chriſti paſſionem, tanquam lytron ſufficiens pro peccatis; Pſal. 22: 25. atque hinc jus ipſi danti tranſeundi in gloriam. Pſal. 16: 11. 40: 3. Quem idcirco Chriſtus appellat *Deum juſtitiæ ſuum*; Pſal. 4: 2. Et invocat, tanquam מפלל / juris & æqui arbitrum; unde *oratio* ipſius תְּפִלָּה Ibidem appellatur. Vocat & *Deum ſuum*. qui ſcil. ipſum juſſerit ſperare juſtitiam; Pſal. 22: 3. Et *à Deo gloriationem ſuam* eſſe prædicat; Pſal. 22: 26. Eumque idcirco appellat *Deum gloriationis ſuum*; Pſal. 109: 1. ut à quo haberet præceptum ponendi animam pro vitâ mundi, & poſito lytro, eam reſumendi ſcil., & ſic jus de hiſce gloriandi.

§. 11. Nec dubitandum, hoc quoque jus ad vitam in Scripturâ intelligi, quoties Chriſto *juſtitia* tribuitur. ut Pſal. 72: 1. Et Chriſtum hinc *ſervum juſtum Dei*; Eſ. 53: 11. Et *germen juſtum*; Jer. 23: 5. Et *Dominum*, qui ſcil. haberet poteſtatem in cœlo & in terrâ; Pſal. 68: 21. appellari. Atque ita denique Chriſtum jure ſuo vitam, quam poſuerat reſumendo, incepiſſe *captivam ducere captivitatem*. i. e. Inimico adimere ſua ſpolia; Pſ. 68: 21. *Et videre*, *unde ſatiaretur*. Eſ. 53: 11.

§. 12. Hoc verò jus in perfectiſſimâ ipſius obedientiâ erat fundatum. Siquidem *à labore animæ ſuæ viſurus erat* Chriſtus, *unde ſatiaretur*. Eſ. 53: 11. Atque ita mors ipſi fuit *greſſus* quidam, Pſal. 40: 3. ſive *iter vitæ*, dans ipſi jus ad vitam ſcil. Pſal. 16: 11.

16: 11. Quare & *in integritate ſuâ*, i. e. propter perfectam obedientiam, *Deus illum tenuiſſe* dicitur; nimirùm ut erigeret & aſſumeret; Pſ. 41: 13.

§. 13. Cæterùm reſurrexit Chriſtus ad vitam æternam, incorruptibilem atque immortalem. Sic enim Pſalmiſta: *Vitam poſtulavit à te, dediſti ipſi*, ſcil. vitam, *in longitudinem dierum, ſæculum, & æternitatem.* Reddidiſti ipſi vitam ſcil., non modo ad tempus, ſed etiam in æternum, ut ipſius ſacrificium prodeſſet in omne tempus. Eſaias, idem ſignificat, ubi poſtquam dixiſſet, aſſumptum eſſe ex imperio ſ. coarctatione & judicio; ut appareat, per aſſumtionem ſe intellexiſſe reſuſcitationem ex mortuis, mentionem facit vitæ ipſius: *Et ætatem ejus*, h. e. tempus vitæ, *quis enarrabit?* ſermone, imò cogitatione & tractatione mentis. Nam vita æterna eſt. Zephanias denique, ubi Chriſtum introducit alloquentem ſuos, & jubentem patienter exſpectare reſurrectionem ſuam à mortuis, in quâ reſurrectione accepturus ſit vitam immortalem & incorruptibilem, & nullâ vi deſtructibilem. *Præſtolamini me, ait Jehovah, ad diem, quo ſurgam in perpetuitatem.*

§. 14. Circumſtantiam temporis quod attinet, quo Chriſtus reſurrexit, eam notat Scriptura duplicem: 1. Oeconomicam; Hab. 3: 2. *In medio annorum.* id eſt, in fine temporis, quod erat præſtitutum viſioni, jamjam imminente anno acceptationis. Eſ. 61: 2. & anno aſſertorum, Eſ. 63. 4. Secundò particularem ſ. propriam; quatenus debebat 1. eſſe maturata, & antequam videret corruptionem; idque ut impleretur Scriptura, Pſal. 16: 10. *Non relinques ſtudioſum tui, ut videat corruptionem.* 2. Tertio die. Vid. quæ de ſepulturâ ejus triduanâ ad Art. præced. notata ſunt. 3. Poſtridie Sabbati, ſ. die primo hebdomadis, Paſchalis. Hoc die enim Deus inſtituerat, ut Manipulus offerretur & agitaretur coram Jehovah. Lev. 23: 4. 11. At manipulus ille ſignificavit Chriſtum, primogenitum ex mortuis, primitias ſeminum, quæ in terram ceciderunt, & ex eâ quaſi revixerunt. 1 Cor. 15: 36. Quem cùm videmus hoc die reſurrexiſſe, non dubitamus, Deum in oblatione manipuli ci rei præluxiſſe.

§. 15. Hanc reſurrectionem comitatus eſt Terræ motus; & is quidem à diſplicentiâ Dei, & in ſignum majoris calamitatis imminentis populo, terræ, & urbi. De hoc quoque terræ motu intelligendus eſt. Pſal. 18. verſ. 8. *Et fatiſcebat ac contremiſcebat terra; & fundamenta montium commovebantur, & convellebantur; quia ægrè erat ipſis.* Item Pſal. 148: 7. *Celebrate Deum à terrâ . . . omnes abyſſi.*

Acceſſere & teſtimonia Angelorum. Quod ita erat prædictum: *Aſcendit Deus cum clangore; Jehovah cum voce tubæ.* Non ſilentio Deus evectus eſt, reſuſcitatus ex mortuis. Comitata enim ſunt hanc reſurrectionem teſtimonia Angelorum, & fama ejus percrebuit per totam terram. Pſal. 47: 6. Et rurſus: *Confitebuntur cœli mirabile tuum, ô Jehovah; veritatem tuam in panegyri ſanctorum.* Pſal. 89: 6. Itemque: *Hallelujah. Celebrate Jehovam ex cœlis; celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes angeli ejus.* Pſal. 148: 1. 2. Et apud Eſaiam: *Omnes habitantes frugiferam & incolentes terram tanquam tolli ſignum montium videbitis*, per reſurrectionem Chriſti ex mortuis, *& tanquam clangi buccinâ audietis.* per famam & prædicationem hujus reſurrectionis in omnibus gentibus. Fuit hic quidam velut *ſplendor* hujus *Solis* in meridie. 2 Sam. 23: 4.

§. 16. Per reſurrectionem Chriſti è mortuis demonſtratus eſt, eſſe Filius Dei *ἐν δυνάμει*; Rom. 1: 4. & præſtantia ipſius ei reddita eſt. Ut ſic inprimis impletum ſit, quod eſt Pſalmo 2. vers 7. *Jehovah dixit ad me, Filius meus es tu, hodie genui te.* i. e. per reſurrectionem ex mortuis nominavit me ac demonſtravit Filium primogenitum

nitum ac principem omnium, quem ab æterno genuerit. Et Pſal. 8: 6. *Gloriâ coronas eum.* Ubi per gloriam propriè intelligitur præſtantia, quam habet Chriſtus, ut Filius Dei; quam inprimis recepit per reſurrectionem ex mortuis. Vid. 1 Pet. 1: 21. Tale eſt, quod legitur Pſ. 16: 11. *Noſſe me facies iter vitæ*, quatenus feciſti me per mortem tranſire ad vitam æternam; *ſatietatis lætitiarum apud faciem tuam*, quatenus me feciſti ut præſens aſſiſtam faciei tuæ, ut tu in meâ obedientiâ, & ego in tuâ gratiâ ſaturam lætitiam habeam; *amænorum, quæ ſunt in dextrâ tuâ perpetuò.* h. e. per mortem adibo gloriam regni. Nam per reſuſcitationem declarabitur, quòd ego ſim Filius Dei; &, me ſubvecto in cœlum, demonſtrabitur, me eſſe regem & dominum & judicem omnium conſtitutum. Et Pſ. 21: 6. *Decus*, τὸ ἀξιοπρεπὲς, ſ. id, propter quod homines confiteantur eum, per illuſtrationem veritatis Divinæ de perſonâ & officio Chriſti, *ponis ſuper ipſum.* Item, Pſ. 41: 12. *In hoc cognovi, quòd delectâris me*, quòd complacentiam habeas in me, ut Filio tuo, *quòd non jubilet inimicus meus ſuper me.* nam reſuſcitatus tertio die jubilum eorum præverti. Pſal. 45: 4. *Accinge majeſtatem tuam, Heros.* h. e. demonſtra te regem ſuper omnem terram, ſicut potentiſſimè fecit, & regiâ ſe majeſtate accinxit, quum reſurrexit ex mortuis, definitus Filius Dei ſecundùm ſpiritum ſanctitatis. Rom. 1: 4. *& decorem tuum.* ſ. *reſpectum* accinge. i. e. poſtquam reſurrexiſti, oſtende te diſcipulis, & fidem eis fac, te eſſe verè Filium Dei.

§. 17. Huc quoque facit, quod Eſ. 5: 1. *Canam age*, inquit Deus Pater, *dilecto meo.* i. e. Filio meo dilecto, *carmen dilecti mei*, Spiritus S., *de vineâ ipſius.* Filii mei. Siquidem carmen hoc ſignificet Patris & Spiritus S. teſtimonium de Filio, & judicium de populo Iſraëlitico ad gloriam Filii. Quod teſtimonium etiam redditum eſt ipſo opere; quando inter alia Pater reſuſcitavit Filium à mortuis, & in throno collocavit. Et quod exſtat. Eſ. 9: 5. ubi pluribus partibus deſcribitur nomen Chriſti, quod cùm omnibus teſtimoniis & argumentis, tùm maximè argumento reſurrectionis ex mortuis, & aſcenſionis in cœlum, & effuſionis Spiritus S. in credentes, ipſi dedit Pater ſupra omne nomen, ut in nomine ejus ſe flecteret omne genu. Phil. 2: 9. Nominatus autem & creditus eſt *Mirabilis*, utpote æternus Dei Filius, & magnus ille Deus, & planè ſuprà poteſtatem naturæ factus ex virgine; *Conſiliarius*, qui quæ non modò audiverit, ſed & viderit apud Patrem, teſtatus ſit, & Deum nobis enarraverit, ipſa ſapientia & λόγος; *Deus-potens*, quippe qui fecerit omnia opera, quæ Pater ipſi dederat facienda, claudos, mutos, cæcos natos, dæmoniacos, omni morbo laborantes, verbo ſanando, & mortuos reſuſcitando; *Victor*, qui omnes tentationes, ipſamque mortem vicerit, & Diabolum imperium mortis habentem deſtruxerit; *pater æternitatis*, qui & ab æterno apud Patrem fuerit, & ſpiritu æterno ſe ipſum pro nobis obtulerit, nobiſque vitam æternam pepererit; *princeps*, rex & dominus Eccleſiæ & omnium, cum poteſtate omni in cœlo & in terrâ; & quidem *princeps pacis*, qui abſtulerit iram & maledictionem & commemorationem peccati, & metum mortis, & diſcrimen gentium, & omnes hoſtes, putà Diabolum, carnem, mundum, ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubjecerit. Itemque Eſ. 28: 16. ubi dicitur *lapis*, rupes ſalutis, *in Sione fundatus.* id eſt, in medio Iſraële manifeſtatus, per reſurrectionem ex mortuis. *angulus fundati*, omnia ſibi inædificata coniungens, & vivens in omnibus, & quidem *fundati*, Eccleſiæ fundatæ, *fundatiſſimi*, utpote in ipſo fundati, qui potentiâ & merito illud ſuſtinet.

§. 18. Denique in reſurrectione Filii Dei palàm factum eſt, & Deum factum eſſe quod eſt, atque ita impleviſſe vim nominis *Jehovæ*, & promiſſiones ſuas feciſſe

ciſſe Næ & Amen. Pſal. 92: 2. Et, *Deum ultionum effulſiſſe*, ſ. apparuiſſe Jehovam in carne, qui eſt Deus ultionum; apparuiſſe, inquam, cum verbo abſolutiſſimo, cum virtute & potentiâ operum immenſâ, cum poteſtate ad vindicandum & ad ulciſcendum contemtores ſui & oppreſſores Eccleſiæ. Pſal. 94: 1. Et, *dedit Deus nomini ſuo gloriam*, h. e. fecit ea, quæ nomini ipſius & virtuti ſunt conſentanea. Pſal. 115: 1. &, *ut oleum, effuſus eſt nomine ſuo.* Cant. 1: 3. Atque ita *nomen Jehovæ Dei exercituum* in Sione manifeſtatum; Eſ. 18: 7. & *gloria Domini revelata* eſt. Eſ. 40: 5. In ſpecie fides facta verbo, quod exſtat Pſ. 68: 21. *Deus omnipotens noſter eſt; Deus ad ſalvandum: Et Jehovah Dominus habet exitus mortis.* Add. Pſal. 42: 9. Habaccuci cap. 3. vers 2. proponitur hæc reſurrectio Chriſti, ut molitio ac præparatio operis majoris: Sic enim in Spiritu Propheta: *Jehovah, molitio tua eſt in medio annorum vita ejus.* Cujus verò operis, ſic innuit Ibidem: *Quam* (vel quem) *in medio annorum notificas; in irâ miſerari recordaris.* Scil. Deus parabat finem imponere populo rebelli. ideò præmiſit ἀπολύτρωσιν & ἀπολυτρώσεως φανέρωσιν. Quare etiam alibi Scriptura conjungit *Anno acceptationis annum ultionis.* Ut Eſ. 61: 2. Et apud Zephaniam Chriſtus oſtendit vitam ſuam perpetuam comparatam eſſe ad hunc finem, ut judicet in gloriâ & regno: *Præſtolamini*, inquit, *me ad diem, quo ſurgam in perpetuitatem. Nam judicium meum eſt ad congregandum gentes, & ad ſociandum regna, ad effundendum in illos ſeveritatem meam, omnem æſtum iræ meæ. Nam igne Zeli mei comedetur tota terra.* Zeph. 3: 8. Quod quidem ex eo fonte promanat, quia morte ſuâ debebat abolere poteſtatem mortis habentem, h. e. Diabolum; & ſic accuſationem legis tollere; & porrò chirographum, quod contra Iſraëlitarum conſcientiam erat, caſſare; denique principes exuere, ut ſolus ſine ipſis regnet.

ARTICULUS XXI.

CHriſtus poſito lytro jus habebat non tantùm reſumendi vitam, ſed & poſtulandi à Patre hæreditatem prædicandi juſtitiam, & accipiendi fidem, gratiarum actionem, omnemque affectum Deo & perfecto Salvatore dignum. Itaque ſtatim à reſurrectione, veſperâ primæ Sabbatorum, dilectos ſuos diſcipulos, primitias Eccleſiæ à ſe redemptæ, deinceps colligendæ ex Judæis & gentibus, reviſit; quos invenit, utut triſtes, tamen adhuc per gratiam Dei amantes ſui, iiſque ſui exhibitione, & Evangelio æternæ juſtitiæ & pacis ut jam partæ, hactenus inaudito, ex triſtitiâ ſuâ recreatis, in iis demùm plenè ac integrè revixit, vitâ ſuâ in ipſis operante ad veram, plenam, ac ſolidam lætitiam, amorem, confeſſionem, laudem & benedictionem ſui & virtutum ſuarum.

DEMONSTRATIO.

§. 1. De hâc Diſcipulorum Chriſti viſitatione, & exhilaratione, non ſemel agunt prophetæ. Pſaltes in perſonâ Chriſti: *Enarrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*, ut cognoſcant ſcil., quis & qualis ſis, teque ipſis apparuiſſe quoad nomen tuum Jehovah; *in medio comitii*, ſ. panegyreos, Eccleſiæ electorum ex Judæis & gentibus, *celebrabo te.* Pſalm. 22: 23. Ubi *fratribus meis*, ut Matth. 28: 10. Additur Ibidem verſ. 24. Euangelium ipſum, ſub formulâ præcepti tùm univer-

ſalis

ſalis ad omnes *timentes Jehovam*, quos ſcil. lex defatigavit, maledictio terruit, quique gratiam à Deo in mediatore exſpectant, tùm ſpecialis directi ad *omne ſemen Jacob*, & *omne ſemen Iſraëlis*, i. e. omnes ſine diſcrimine filios Jacobi non tantùm ſecundùm carnem, ſed etiam ſecundùm ſpiritum promiſſionis, & novæ generationis; quos diſtinctius notat nomen *Iſraëlis*. *Timentes Jehovam, celebrate eum*, agnoſcite bonum illud maximum, quod Deus vobis dat in Filio ſuo, non imputans vobis peccata, & liberè celebrate eum hilari & grato animo; *omne ſemen Jacob, glorificate eum*, abnegatâ propriâ juſtitiâ, juſtitiæ donum quærite per fidem in Chriſtum ex ſolâ gratiâ, & qui non quæritis juſtitiam veſtram ſtabilire, tamen Deum glorificate propter gratiam & veritatem; *& metuite ab ipſo omne ſemen Iſraëlis.* non ab ullo alio ſcil. metuite, ſed contra omnia mala & omnem potentiam ipſi confidite, ut eſt Matth. 10: 28. Rationes præcepti Ibid. verſ. 25. ſunt iſtæ: *Nam non ſprevit, neque abominatus eſt paſſionem inopis.* Chriſti ſcil., ſed acceptavit illam, ut λύτρον pro peccatis: Ergo celebrate eum, ut maximum benefactorem. *neque abſcondit faciem ſuam ab ipſo*, ſed reſpexit faciem Chriſti, & propter illum omnia donat: Ergo glorificate Deum. *& cùm ii quiritaretur ad ipſum, audivit.* Ergo metuite ab ipſo. Qui enim Chriſtum audivit, audiet & vos.

Pertinet huc oratio Chriſti, quâ Pſalm. 40: 2—5. animat fideles exemplo ſuo ad certamen: *Exſpectando exſpectavi Jehovam*, certus illum olim ſaluti mihi futurum; *& inclinavit ſe ad me, & audivit implorationem meam.* verſ. 2. *Et eduxit me ex puteo ſtrepitus*, ex mole peccatorum multorum mihi incumbentium, *ex luto cœni*, ex poteſtate mortis & vinculo maledictionis; *& poſuit in rupe pedes meos, firmavit greſſus meos* tranſeuntis in gloriam. verſ. 3. *Atque* ita *dedit in os meum canticum novum, laudem Deo noſtro*, pro reſuſcitatione & exaltatione ſalvatoris ſcil. verſ. 4. Ubi *Deo noſtro* ponitur, ut Joh. 20: 17. Fructus: *Videbunt multi*, etiam ex gentibus, *& timebunt, & confident in Jehovâ.* Ib. verſ. 4.

Innuit eandem viſitationem. Pſalm. 47: verſ. 6. *Aſcendit Deus cum clangore, Jehovah cùm voce tubæ.* Primò enim aſcendit Deus, cùm reſurrexit è mortuis. Statim verò innotuit diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem, ejuſque fama percrebuit per totam terram.

Ideo oraverat Chriſtus Pſal. 69: 18. *Properè reſponde mihi.* Intererat ſcil. ovium ipſius, ut mox à morte reſurgeret, ut, illo viſo, ex triſtitiâ ſuâ & arcto recrearentur.

Et huc reſpexit in voto Pſalm. 69: 31. 32. *Celebrabo nomen Dei carmine, & magnificabo illud profeſſione. Idque placebit Jehovæ præ bove, juvenco cornuto ungulas habente.* Scil. cultus novi Teſtamenti poſt partam ſalutem non eſt niſi confeſſio & magnificatio nominis Dei. Quod enim Chriſtus hic reſpexerit inter alia ad viſitationem diſcipulorum, & prædicationem nominis Dei inter illos, patet ex ſequentibus verſ. 33. & 34. Ubi lætitiam, ſpem ac fiduciam fidelium excitat in hanc ſententiam: *Viderunt manſueti*, ſcil. exaltationem meam, pignus & arrhabonem ſpei ſuæ; *lætentur: Curantes Deum, & vivat cor veſtrum.* fiduciâ & omni alacritate repleamini, adverſus omnem triſtitiam & tentationem afflictionis omnis confirmati. Ratio: *Quia attendit ad pauperes Jehovah*, ut ipſis omnia ſufficiant neceſſaria; *& vinctos ſuos*, cauſâ ſuâ, *non aſpernatur.* Sed animam eorum à morte liberat. Exemplum in ipſo Chriſto. De quo vid. ſup. Pſ. 22: 25.

§. 2. Eidem quoque Chriſti vivi repræſentationi reſpondet hæc diſcipulorum ſeſe ad credendum Euangelio & illius veritatem confitendum excitantium oratio:

Bonum eſt confiteri Jehovæ. i. e. credere in ipſum , obſignare quòd ipſe ſit verax , & fecerit ſuas promiſſiones Næ & Amen ; *& canere nomini tuo , Altiſſime.* i. e. propter virtutes tuas commemoratas in S. literis , & comprobatas operibus , lætitiam animo conceptam in ipſis quoque tribulationibus patefacere. Pſalm. 92: 2. Hæc propoſitio. Quam confirmat verſ. 5. in hypotheſi ab experimentò lætitiæ ex factis Dei : *Nam lætificâſti me , ô Jehovah , molitione tuâ ; in operibus manuum tuarum jubilo.* Et ſubjicitur verſ. 6. Lætitiæ cauſa , Divinorum operum magnitudo & conſiliorum profunditas : *Quàm magna ſunt opera tua , ò Jehovah ! Valde profundæ ſunt cogitationes tuæ !* Ubi non poſſunt alia opera intelligi , quàm ea , quæ perfectam lætitiam ea contemplantibus afferunt , quæ per Euangelium narrantur. à quibus juſtitia & ſalus hominis dependet.

Illuſtris præ reliquis eſt locus Eſaiæ cap. 61: 1 — 7. In quo prodit in medium , qui dicat hæc verba Iſraëli : *Spiritus Domini eſt ſuper me* , i. e. plenitudo Patris habitat in me , atque ita & gratia & potentia Patris in me eſt , & Spiritus S. à me procedit. Hæc Theſis eſt Eam probat ; *quia unxit me Jehovah* , id eſt æterno conſilio me deſignavit , ſive definivit , quemadmodum per unctionem reges ſolent definiri ac deſignari. Secundò per reſurrectionem ex mortuis potenter demonſtravit regem ac ſacerdotem , quemadmodum reges per unctionem manifeſtantur. Finis unctionis : *ad evangelizandum manſuetis* , id eſt ad annuntiandum bonum diu exſpectatum & ablationem moleſtiæ diu latæ , *manſuetis* , ſ. iis , qui parati ſunt relinquere bona terreſtria propter ipſum ; *Miſit me* de cœlo *ad obligandum confractos corde* , id eſt , ad lætificandum eos qui lugent , atque ita cor quaſi vulneratum gerunt propter peccata , & quia nomen Dei blaſphematur ; *ad prædicandum abductis in captivitatem* i. e. longiùs abductis à rep. Iſraëlis , & à Diabolo captivis retentis , *libertatem* ; *& vinctis* ſub pædagogiâ legis in fidem revelandam tanquam in lacu non habente aquam , *acutum viſum.* id eſt ad prædicandum utriſque abolitionem imperii mortis,quod habebat Diabolus , & chirographi , quod erat contrarium etiam ſperantibus , & ſic omnis jugi & ſervitutis. verſ. 1. *Ad prædicandum annum acceptationis Domino* , id eſt, tempus condemnationis peccati ſecundùm promiſſionem N. T. ; *& diem ultionis Deo noſtro.* nempe prioris temporis fuit quidem ira , quam operabatur lex , cui jam opponitur רצון , ſive acceptatio , ſed & ejuſdem fuit ἀνοχὴ ſive tolerantia , non modò gentium , ſed & populi utut carnalis. Jam verò aperitur dies iræ & ultionis omnibus non obedientibus Chriſto , tùm Judæis , tùm gentibus. *Ad conſolandum lugentes.* ſuper jacturis Iſraëlis , maximè etiam ſuper imminutâ gloriâ Dei ; quæ conſolatio fit per incrementum regni Dei , & abſciſſionem eorum , per quos nomen Dei blaſphematur. verſ. 2. *Ad ponendum lugentibus Sionis* , *ad dandum ipſis ornamentum* , id eſt cœlitùs demiſſa chariſmata , quibus conſpicui in mundo evadant ; *oleum hilaritatis* , id eſt ſpiritum patientiæ , fortitudinis , ad alacriter ſubeundum omnes paſſiones ; *operimentum gloriationis* , id eſt gloriationem in ſalute , in ſpe gloriæ Dei , in afflictionibus , in Deo , *pro ſpiritu hebeti* , id eſt animo demiſſo , non audente accedere ad Deum , affixo elementis mundi , quem habuerunt Veteres. *Et vocabuntur quercus juſtitiæ* , germina juſtitiæ in ſtabilitatem & πλήρωμα provecta , utpote conſummati , & creſcentes ad ſtaturam , vim , & menſuram proceritatis ejus , quam Chriſtus implet ; *plantatio Domini* , creatura nova , *ad condecorandum ſe.* ut glorificet ſe in illis , & divitias gratiæ in illis oſtendat. verſ. 3. Porrò promittit lugentibus Sionis , diſcipulis ſuis , opus felix : *Et ædificabunt* , prædicatione ſalutis ſalvabunt , *vaſta ſæculi* , &c. multos ex Iſraële in omnibus tribubus , quæ antea erant

tanquam

tanquam domus collapſæ; & inter gentes integras Eccleſias excitabunt, inter quas nihil niſi periens & infrugiferum fuerat à multis ſœculis. verſ. 4. *Et ſurgent alieni*, ex ipſis gentibus doctores, *& paſcent oves veſtras*, oves ſcil. perditas domus Iſraëlis, & cum ipſis hæreditabunt mundum, in quo ſint exerciturí culturam, & vitem Iſraëlis paraturi ad fertilitatem, & fructûs collecturi, ut *ruſtici & vinitores. Vos autem*, ô Diſcipuli mei, *Sacerdotes Domini vocabimini*, paraturi ſcil. oblationem gentium, ut ſit ſancta & accepta Domino; *& miniſtri Dei mei & veſtri. Copias gentium comedetis*, dum vobis adcorporabuntur; *& in gloriâ ipſorum dicetis vos*, tanquam hæredes ejus. Hinc enim Eccleſia Apoſtolica vocatur. verſ. 5. 6. *Pro eo quòd duplum*, ſive bis, *pudefacti eſtis* vos, ô Apoſtoli mei. Primò, quando Chriſtus crucifixus eſt. Secundò, quando Judæi Euangelium rejecerunt; & pro eo, quòd diſcipuli ipſorum, *confuſionem cantârunt partem ſuam*, gloriantes ſcil. in cruce Chriſti, & in afflictionibus. &c. verſ. 7. Eſſe enim hæc verba Chriſto tribuenda, inprimis à morte reſuſcitato, & diſcipulis ſuis apparenti, iiſque Euangelium pacis, gratiæ, & libertatis annuncianti, tùm omnia oſtendunt, tùm etiam, quòd verſ. 2. Deum vocet *Deum noſtrum.* id eſt Deum ſuum, & Deum Apoſtolorum; quos hîc alloquitur: planè quemadmodum Chriſtus ipſe, Joh. 20: 17.

Et huc quoque referendum, ubi Chriſtus teſtans amorem ſuum erga *Sionem*, id eſt eos, qui verbum promiſſionis audiverant & crediderant, & ad Deum in Sione habitantem acceſſerant, & regem in eâ & ſuper eâ agnoverant: *Propter Sionem*, inquit, *non ſilebo, & propter Hieroſolymam non quieſcam, donec exeat* i. e. manifeſtetur, *tanquam ſplendor, juſtitia ejus, & ſalus ejus tanquam flamma ardens.* Sicut mox hæc juſtitia Sionis manifeſtata eſt effuſione Spiritus S. in eam, & conſecutis eam mirabilibus. Eſai. 62: 1.

Jeremias hanc viſitationem diſcipulorum Chriſti minimè præterit, ubi introducens filium Dei loquentem de tranquillatione populi Iſraelitici futurâ ultimis diebus, ſic eum facit illius recordantem: *Propterea*, quia ſcil. reſtitutione jacturarum Iſraëlis impleturus eram animam tabeſcentem, & irrigaturus animam laſſam, ex v. 25. *evigilavi*, reſurgens à morte, *& vidi*, h. e. reviſi primitias electorum meorum ex Judæis, nempe diſcipulos meos, & eos reperi adhuc amantes mei, atque ita Deum adhuc in ipſis per gratiam ſuam efficacem; *& ſomnus meus ſuavis mihi fuit.* mihi ſcil. & mori dulce fuit, & me non pœnituit mortis & paſſionum mearum. Jerem. 31: verſ. 26.

Amoſus quoque verbis Dei eandem ſignificat, ubi verbis Dei promittens erectionem regni Davidis in Chriſto, inter alia: *Et deſtructa*, inquit, *ipſius*, ſc. Davidis, *ſuſcitabo.* Corpus Chriſti filii Davidis reſuſcitabo ex mortuis, & mox diſcipulos ejus recolligam & recreabo.

Zacharias denique poſt diſperſionem diſcipulorum Chriſti factam eo tempore, quo is traderetur ad mortem, de quâ vid. ſup. ad Art. XIX. recollectionis eorundem ita meminit: *Et retuli manum meam ſuper imminutos.* Zach. 13: 7.

§. 3. Et hæc quidem loca hanc Apoſtolorum viſitationem ita probant, ut ſimul pleraque eorum rem à Chriſto ipſis annunciatam clarè demonſtrent. Vid. modò Pſalm. 22: 23. p. p. & verſ. 24. 25. Pſalm. 40: 2 — 5. Pſalm. 69: 31 — 34. Eſ. 61: 1 — 7. Eſai. 62: 1. Et nota ex hiſce obiter, qualia illa fuerint, quæ pertinentia ad regnum Dei, S. Lucas Act. c. 1., per XL dies, quibus adhuc verſabatur in terris, Ipſum cum diſcipulis ſuis locutum eſſe teſtatur. Talia enim ſunt, quæ Pſ. 40: 2 — 5. & inprimis Eſ. 61: 1 — 7. Spiritus S. Ipſi dicenda prædeſcripſit.

§. 4. Ita *ſecundò intrans in orbem habitabilem* Filius Dei, (Hebr. 1: verſ. 6.) & viſitans Eccleſiam ſuam, ſeſe habuit ut Sacerdos ab altari ingrediens in tabernaculum prius, illamque luce, parato cibo, & ſuffitu precum, quibus clamamus, Abba pater, (hæc enim tria olim in tabernaculo primo erant.) implevit.

§. 5. Cœterùm quòd ſic Chriſtus viſitaverit diſcipulos ſuos, in iiſque ceu primitiis totam Eccleſiam N. Teſt., id Scriptura ex jure & merito ipſius derivat; quo datum ipſi erat *poſtulare à Deo* patre *gentes hæreditatem*, ad eas vocandum, & adducendum ad fidem in ipſum; *& totam terram*, i. e. omnes tribus Iſraëlis, *proprietatem ſuam*; Pſalm. 2: 8. Et *bonum Dei non erat* ampliùs *ſuper ipſo pro ſanctis, qui erant in terrâ, & ducibus eorum, in quibus eſt omnis voluptas Dei.* Pſalm. 16: 2. 3. Et proprietas terræ & jus mundi ipſi aſſeritur, Pſalm. 24: 1. 2. Et *Deus ipſi benedixerat in ſæculum.* i. e. oſtenderat, ipſum eſſe illud ſemen benedictum, cui Deus hæreditatem terræ promiſit in quo benedicuntur omnes gentes, quibus jus habet poſtulandi omnem benedictionem, id eſt omnia dona maxima; Pſal. 45: 3. Et erat *Dominus*, id eſt is, qui habet poteſtatem in cœlo & in terrâ, cujus eſt hæreditas; Pſal. 68: 12. Et *captivam duxit captivitatem*, & *accepit dona* à patre *in hominibus*; *etiam refractarios*, Judæos, *ut habitent* aliquando *decentiam Dei*; Pſalm. 68: 19. Et *judicat* ſ. defendit ut advocatus interceſſione ſuâ fundatâ *in juſtitiâ*, ſ. δικαιώματι τῷ νόμῳ, *populum ſuum.* Pſal. 72: 2. Et, *ſi poneret anima ejus ſatisfactionis pretium, viſurus erat ſemen.* id eſt peculium, populum, filios, non ex generatione carnali, ſed Divinâ regeneratione prognatos; Eſai. 53: 10. Et *à labore animæ ipſius viſurus erat, quo ſatiaretur.* Ibid. verſ. 11. Et *in agnitione*, h. e. fide, fiduciâ & cultu, *ſui juſtificaturus erat juſtus ſervus Dei multos.* Ibid. Et *ipſi* Deus *daturus erat partem in multis*, & *cum robuſtis*, vel *robuſtos*, aut *numeroſos*, *partiturus erat pro ſpolio*; *propterea quod in mortem effudit animam ſuam, & cum defectoribus numeratus eſt, cùm ipſe peccata multorum ferret, & pro defectoribus intercederet.* Ibid. verſ. 12. Et erat *poteſtatem habens ejus*, Jacobi. qui ſcil. dignus eſſet accipere regnum, gratiarum actionem, gloriam, & poteſtatem in cœlo & in terrâ; Jer. 30: 21. Et *redemerat Jacobum, & aſſeruerat eum ex manu ejus, qui validior ipſo erat.* Jerem. 31: 11. Et Deus ipſi *illos* petenti in hæreditatem *dabat.* Ezech. 37: 26. Ut hujus etiam juris meritò Deus vocetur *Deus juſtitiæ ipſius.* cum quo ſcil. tanquam Sponſor & mediator teſtamenti æternum fœdus de juſtitiâ habebat; Pſalm. 4: 2. Et *Deus ipſius*, qui ſcil. juſſerit ipſum ſperare juſtitiam & hæreditatem. Pſalm. 22: 3. Pſalm. 40: 6. Et *Deus gloriationis ipſius*; Pſalm. 109: 1. utpote *à quo eſſet gloriatio ipſius.* à quo nim. accepiſſet præceptum ponendi animam, & poſito lytro eam reſumendi, & juſtitiam Dei prædicandi, & hæreditatem poſtulandi, & jus de iis omnibus gloriandi. Pſal. 22: verſ. 26. Hinc dicitur Deus *concupiſcentiam cordis ipſius dare ipſi*, utpote cui jus poſtulandi dedit; Pſalm. 21: 3. & *juſtitiam ſuam filio regis.* Pſalm. 72: 1. Et Chriſto tribuitur *juſtitia*, Pſalm. 65: 6. Eſai. 28: 17. & hinc appellatur *juſtus ſervus Dei*; Eſ. 53: 11. & *germen Davidis juſtum*; Jer. 23: 2.

§. 6. Quamvis autem ſic Chriſtus quum reſurrexiſſet à mortuis, viſus ſit à ſuis, iique publico quaſi præconio excitati ſint, ut convenirent ad ipſum videndum in Galilæâ, tamen in publico non eſt verſatus ampliùs; atque ita etiam fides facta eſt prophetiæ, in quâ Eccleſia ad Chriſtum: *Enimverò*, inquit, *tu es Deus, qui ſe occultat, Deus Iſraëlis Salvator.* Quemadmodum enim ſecundùm hanc prophetiam in diebus carnis ſuæ non debuit ἀξίως Θεοῦ, h. e. ut par erat Deo, inter homines verſari cum irrefragabili majeſtate; ita juxta eandem poſt mortem & reſurrectionem non debuit ſpectari in publico ampliùs.

ARTICULUS XXII.

Neque hîc ſubſtitit gloria Chriſti, vel gratia Dei erga nos; ſed ut Sacerdos quotannis, & quidem ſeneſcente ætate, poſt exordium novi anni vulgaris, בִּתְקוּפַת הַשָּׁנָה Exod. 34: 22. revolvente anno, ante feſtum ſcenopegias, intrabat, non ſine ſanguine, in ſanctum ſanctorum: ita Chriſtus, fuſo ſanguine ſuo, rupto velo carnis ſuæ, jure ac poteſtate ſuâ, adſcendit in cœlum, & ad ſummum culmen honoris ac majeſtatis evectus, longè ſupra omnes victos Deos, principatus & poteſtates, tanquam rex & Sacerdos veri ac pleni nominis, conſedit ad dexteram Dei, & occupavit thronum, in quo regnabit, & intercedet pro nobis, in æternum; & quemadmodum Sacerdote velum amovente, utrumque tabernaculum unum erat, ita Chriſtus in cœlum invectus viam ad cœlum nobis apertam dedicavit, cœleſtem Eccleſiam cum terreſtri conſummavit, novumque annum gratiæ & libertatis attulit atque aperuit nobis.

DEMONSTRATIO.

§. 1. Aſcenſionem Chriſti in cœlum clarè deſignant ſequentia, Pſ. 2. verſ. 4. *Sedens* Chriſtus Filius Dei *in cœlis*, in quos adſcendit, *ridet*, &c. Pſalmo ſeptimo, in quo David, ut typus Chriſti & Eccleſiæ, perpetuas exilii ſui curas exponit, inter alia ita orat v. 8. *In altum redi.* Quod habet quidem hunc ſenſum, ut Deus oſtendendo, quòd velit Davidem ſedere in ſolio ſuo, ſolium ſuum occupet; ſed pleniori proculdubio formâ & modo impletum eſt, quando Deus, qui olim habuit tabernaculum in terrâ, & inter homines habitavit, non voluit ampliùs domum habere in terris, & templum corporis Chriſti ex terrâ in cœlum ſublatum eſt.

Pſal. 8. poſtquam fideles verſ. 1. virtutem Dei immenſam, quâ fit peccatori in Deum, ipſo opere demonſtratam atque explicatam celebrâſſent. verſ. 2. ita pergunt: *Ejus rei cauſâ*, ut ſcil. illa nominis Domini majeſtas clariùs innoteſcat, *eſt ponere*, ſ. ponit Deus, *majeſtatem ſuam ſupra cœlos.* Quod factum eſt filio in cœlum aſſumto, & rege ac capite Eccleſiæ declarato, ut non ampliùs thronus regis Eccleſiæ in terrâ, ſed in cœlo quærendus ſit.

Pſal. 16. verſ. 11. Chriſtus in oratione ad Patrem: *Noſſe me facies*, inquit, *iter ſatietatis lætitiarum apud faciem tuam, amœnorum, quæ ſunt in Dexterâ perpetuò.* Id eſt, aſſumes me in cœlum, ut compaream coram facie tuâ, & à dexterâ Dei omnia amœna, id eſt multiplicia dona Spiritus Sancti in Eccleſiam meam effundam.

Pſal. 18. verſ. 17. etiam vehiculum indicans, quo aſcendit: *Mittebat ex alto aliquid*, ſcil. nubem, *& aſſumebat me.* in cœlum.

Ibid verſ. 44. *Feciſti evadere lites populi*, cùm reſuſcitatum è mortuis in cœlum ad te recepiſti.

Pſal. 20: 2. col. 2. *Sublimet te*, in ſublime attollat, evehat ad regnum poſt humiliationem, *nomen Dei Jacob.* quia veniſti in nomine Dei Jacob, ſcil. ut is, qui à Deo Patre nominatus erat Jacobo, ut rex Eccleſiæ & hæres regni futurus.

Pſal. 36: 6. *Jehovah, in cœlum gratia tua.* i. e. amor ille tuus, erga homines electo

ctos tantus eſt, ut in cœlum aſſurgat. Propter eum enim filius Dei deſcendit de cœlo, & aſcendit in cœlum, idque ut cœlum & terram conjungeret.

Pſal. 40: 3. f. *Firmavit greſſus meos.* h. e. dedit mihi jus tranſeundi in gloriam, & ad thronum Dei.

Pſ. 41. vers 13. *Sed ego, in integritate meâ.* i. e. ob perfectam obedientiam meam, *tenuiſti me*, ut erigeres ſcil. & aſſumeres, *& conſtituiſti coram te in perpetuum*, in cœlum aſſumtum, ut eſſem rex & ſacerdos in ſœculum.

Pſal. 45. verſ. 4. & 5. *Accinge decorem tuum*, progredere uſque ad ſummum decoris tui, Chriſte *Heros*; *& decus tuum*, i. e. cœlum, id nim., quo gloria tua demonſtratur, *pertranſi*; *ſuperinſide.* Sublimis vehere, & inſide cœlo tanquam ſolio tuo. Competentia: *propter veritatem*, ut prophetæ, verba Dei loquentis; *& manſuetudinem*, ut Sacerdotis, ſemetipſum offerentis; *& juſtitiam*, ut regis, *tuam.* Finis exaltationis: *Et docebit te terribilia dextera tua.* i. e. experimento ipſo cognoſcenda dabit tibi tremenda opera; qualia ſunt opera omnia Chriſti regis à prohetis deſcripta.

Pſal. 47: 3. *Nam Jehovah Altiſſimus*, qui nim. ſedet in cœlo, cui omnia ſubjecta ſunt, *timendus eſt.* Solus timeri meretur.

Pſal. 47: 6. *Aſcendit Deus cum clangore, Jehovah cum voce tubæ.* Non ſilentio Deus evectus eſt, cùm adſcendit in cœlum. Nam aſcendit videntibus diſcipulis, quum antea ipſum vidiſſent magno numero homines, & in totam terram exiſſet fama, Chriſtum reſurrexiſſe; & ſtatim per effuſionem Spiritus S. & fidem multorum ex Iſraële majeſtas ejus demonſtrata eſt. Sanè vox Apoſtolorum Spiritu S. repletorum majus quid eſt voce tubæ: Et Pauli converſio, & ejus circumductio per totum orbem in ſervitute enixiſſimâ triumphus clariſſimus eſt. Et quis jam porrò dubitare poteſt de *aſcenſione* ejus, qui deſcenderat, in thronum gloriæ, quum audiverit talem ἰγκίλευσιν, qualis hîc eſt, in omnibus tot jam ſæculis, & videat paulatim hoſtes Dei proſterni, & totum mundum nomine Chriſti imbui, & *clangor* ille, cum quo Chriſtus aſcendit in cœlum, ſit clariſſimus, & nullas aures non verberet?

Pſal. 57: 6. Eccleſia ſuſpirans ad manifeſtationem regni Dei in Chriſto, ita orat: *Extolle te ſupra cœlos, Deus:* i. e. inſide throno tuo judex, & cœlitùs oſtende, te non habere ſolium ampliùs in terrâ, in certo monte, urbe, loco, ſed in cœlo, ut caput & principem ſupra omnia elevatum, conſediſſe.

Ibid. vers 11. Confitetur Eccleſia: *Magna eſt ad cœlos gratia tua, & ad nubes veritas tua.* Ut ſup. Pſ. 36: 6.

Pſal. 68: 6. deſcribitur Dei nomen & officium, quod ſibi ſumſit, & ad quod gerendum thronum gratiæ occupavit. *Pater pupillorum, & judex* ſ. *patronus viduarum*, diſcipulorum ac fidelium, qui velut pueri parentibus orbi, aut viduæ, nullam habent opem in mundo, eſt *Deus in habitaculo ſancto ſuo.* i. e. cœlo.

Expreſſiùs v. Ibid. vers 19. de evectione regis ita loquitur: *Aſcendiſti in altum.* i. e. in cœlum. Ibi thronus tuus eſt, non, ut cœteri putant, in terrâ, in monte Morijâ, vel Romæ. Et huc facit, quod eſt Ibid vers 21. *Jehovah Dominus habet exitus mortis*, h. e. ex ipſâ morte exivit virtute ſuâ, & penetravit cœlos, victurus in æternum.

Pſal. 69: 30. orat Chriſtus: *Salus tua ſublimet me.* Redemtio per me facta, tuo dono. & tuâ gratiâ, faciat me compotem vitæ, gloriæ, regni, hæreditatis.

Pſal. 89: 3. *Cœli! conſtabilies veritatem tuam in eis.* priùs impletam in terris; quemadmodum hinc Chriſtus dicitur habere regnum ſupercœleſte, non de hoc mundo. &c.

Pſ. 92: 2.

Pſal. 92: 2. *Bonum eſt confiteri Jehovæ, & canere nomini tuo*, qui es *Altiſſimus*. Conf. ſup. Pſal. 47: 3.

Pſal. 93: 1. *Jehovah rex factus eſt, erectionem induit, induit*, inquam, *Jehovah*. Significat erectionem throni, ejuſque collocationem ſupra cœlos.

Pſal. 102: 17. *Quum apparuerit Jehovah in gloriâ ſuâ.* Ut cùm apparuit in carne, & in gloriam ſuſceptus eſt.

Pſal. 104: 1. *Jehovah Deus mi, magnus es valde.* ratione perfectionum, itemque operum, & divitiarum tuarum; *majeſtatem induiſti*, tùm in creatione, quando creaturis tuis te demonſtrâſti regem & omni ſubjectione digniſſimum, tùm magis propriè in aſcenſione in cœlum, tanquam ſolium regium, poſt depoſitam ſervi humilitatem.

Pſal. 111: 3. *Majeſtas* regis noſtri, quâ effulſit, quum in cœlum aſcendit, *& reverentia*, vis flexanima, *eſt opus ejus.*

Pſ. 113: 4. *Excelſus ſupra omnes gentes eſt Jehovah; ſupra cœlum eſt gloria ejus.* Sicut ipſo opere demnoſtratum eſt, quum adſcendit in cœlum.

Pſal. 115: 3. in contentione Dei veri & falſorum Deorum: *At Deus noſter eſt in cœlo.* Nam Deus ex cœlo venit ad nos, & ſpectantibus iis, quorum fides in dubium revocari non poteſt, in cœlum adſcendit.

Pſal. 119: 89. *In ſœculum, Jehovah, verbum tuum ſtat in cœlis.* Senſus. Quum Filius tuus aſcenderit in cœlum, qui eſt verbum illud æternum, verbum tuum, id eſt Euangelium, ſceptrum regni tui, ſummam obtinet auctoritatem, agnitum, quòd ſit verbum non hominum, ſed Dei.

Pſal. 145: 3. *Reverentiam gloriæ majeſtatis tuæ meditor. Majeſtatem* ſcil. id eſt virtutem ac potentiam regio nomine dignam, *glorioſam*, ſive ſupereminentem omnem majeſtatem. Eſt enim ſupra cœlos evectus, & declaratus rex regum, princeps angelorum & hominum. cum *reverentiâ*, ſ. vi flexanimâ ad obedientiam fidei, ſcil. per effuſionem Sp. Sancti.

Pſal. 148. verſ. 1: 2. & 4. Pſalmiſta reſpiciens inter alia ad aſcenſionem Chriſti in cœlum, factam nube, & atteſtantibus magnitudini ejus Angelis, ita canit: *Celebrate Jehovam ex cœlis, celebrate eum in celſis. Celebrate eum omnes Angeli ejus.... Celebrate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ ſunt ſuper cœlos.* Scil. nubes ipſi uſum currus præbuit, quum in cœlum gradum ſtruxit, ut conſideret ad dexteram majeſtatis. Nec defuerunt Angeli ipſi gloriam & majeſtatem teſtimonio ſuo dantes. cœlum cœlorum, in quod invectus eſt, in quo tanquam throno conſedit, teſtis ipſius gloriæ factus eſt. Quod quanquam non videtur, eo ipſo tamen eſſe comperitur, quòd ſupra cœlos ſidereos evectus eſt Filius Dei. Ibidem verſ. 13. ratio, cur nomen Dei ſit celebrandum, iſta redditur: *Quia ipſius ſolius nomen eſt ſublimatum, majeſtas ejus eſt ſuper terram & cœlos.* Ipſius ſcil. nomini atteſtati ſunt cœli & terra, & quæ in eis ſunt.

Pſal. 150: 1. Poſt præceptum celebrandi Deum in ſancto ſuo, h. e. in Filio ſuo in carne manifeſtato, ſuccedit: *Celebrate eum in expanſo roboris ſui.* Scil. poſtquam cognitus eſt Jehovah in ſancto ſuo, id in cœlum tranſtulit, ingreſſus in id verus Sacerdos & ſanctum Domino, ut pro nobis appareret apud Patrem, & conſideret ad dextram ejus, regnaturus in ſœculum.

Ibid. vers 2. in indigitatione rationum moventium ad Jehôvæ celebrationem continentur iſta: *Celebrate eum in virtutibus ejus*, ſ. operibus præpotentiæ, tùm ante, tùm poſtquam adſcendit, editis; *celebrate eum ſecundùm amplitudinem magni-*

 tudinis

tudinis ejus. ut prædicetur tàlis ac tantus, qualis & quantus eſt, tùm ratione perſonæ, quatenus ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν, tùm ratione potentiæ, & gloriæ ſuæ manifeſtatæ, & regni, & gratiæ, & judicii.

§. 2. 2 Sam. 7: 11 — 16. Deus promittit Davidi ſemen, quod ſemper ſtet coram Deo in domo ipſius, quod eſt cœlum.

2 Sam. 23: 4. *Soli* illi, de cujus exortu dixerat ante, tribuitur *ſplendor*, ſcil. ut in meridie. quo reſurrectio Chriſti à mortuis, & aſcenſio in cœlum, paſſim divulgata, ſignificatur.

§. 3. Cant. 1: 4. quando profitetur Sponſa, quòd *introduxit me Rex in penetralia ſua*, Chriſtum adſcendiſſe in cœlum, ut prodromum ſuum teſtatur.

§. 4. Eſaias ad eandem aſcenſionem Chriſti in cœlum alludit, ubi eum vocat *ſignum ex ſummo*. Eſ. 7: 11. Et indigitat verbis fidelium, c. 53: 8. *Aſſumtus eſt ex imperio* Pilati, à quo *coarctatus* & *incluſus* erat, ne exiret, adeoque ex ipſâ morte & ſepulturâ, *& ex judicio*, tùm juſto Dei, tùm injuſto Seniorum. Ergo reſurrexit ex mortuis, & aſcendit in cœlos, ut vivat in æternum.

Ezechiel etiam ſatis clarè, cap. 10. vers 18. Ubi eſt: *Aſcendit gloria Dei de limine in thronum.* Quo aſcenſio Dei in thronum ſuum ſignificatur.

§. 5. Joël prædicens cap. 3: 3. *Deum daturum ſigna in cœlo*; inter alia aſcenſionem Chriſti in cœlum ſignificat.

Amoſus de eâdem vaticinatur, cap. 9: 6. ita Chriſtum deſcribens: *Qui ædificat in cœlis gradus ſuos.* h. e. qui ſuâ virtute aſcendit in cœlum ad occupandum thronum tanquam ſuum, & à ſe exædificatum. Et eodem inter alia reſpicit, ubi verbis Dei: *Et deſtructa Davidis*, inquit, *erigam.* h. e. corpus Chriſti deſtructum non tantùm ex mortuis reſuſcitabo, verùm etiam transferam in cœlum. c. 9: 11.

Habaccuc nativitatem Chriſti ex Edomo myſticâ, ejuſdemque aſcenſionem in cœlum, & conſequentem coruſcationem Euangelii per totam terram Iſraëlis, ita conjungit: *Deus ex Theman venit, & Sanctus è monte Paran, Selah. Operit cœlos majeſtas ejus; & celebratione ejus plena eſt terra.* Hab. 3: 3.

Haggæus eandem Chriſti aſcenſionem notat verbis: *Illo die*; h. e. interim dum throni evertuntur, *ait Jehovah Deus exercituum, accipiam te*, ſ. *aſſumam.* in cœlum ſcil. *Sorobabel*, h. e. Chriſte, fili Sorobabelis. c. 2: 23.

§. 6. Johannes in Apocalypſi c. 12. vers 5. ut in re præſenti, eandem narrat in hanc ſententiam: *Et raptus eſt* ex ore Draconis, inferno ſ. ſepulchro, & morte, *filius ejus ad Deum & ad thronum ejus.* Reſuſcitatus adſcendit in cœlum & conſedit ad dextram Dei, regnaturus in gentibus.

§. 7. Ex eâdem Chriſti in cœlum aſcenſione claram expoſitionem habent ſequentia: Pſal. 7: 11. *Clypeus meus eſt apud Deum.* Pſal. 22: 29. *Nam Jehovæ eſt regnum.* Jehovah regnum capeſſivit, *& princeps*, ſ. poteſtatem habens, *inter gentes.* q. d. Jehovah habet illum, apud Jehovam eſt is, cui gentes ſunt traditæ, ut inter illas verbum ipſius ſonet, & per Spiritum ſit efficax. Pſal. 91: 2. *Jehovæ eſt receptus meus.* i. e. Jehovah habet, ad quem me recipio. Cant. 2: 9. *Ecce ſtat poſt parietem noſtrum*, apud nos domi in Eccleſiâ verſatur, & quaſi ſubauſcultat ea, quæ apud nos & vos geruntur; *ſpectat de feneſtris.* h. e. non tantùm audit, ſed etiam videt de loco ſublimi. Illudque Hoſeæ cap. 9: 8. *Qui ſpeculatur Ephrajimum, eſt cum Deo meo.* vel *apud D. M.* h. e. rex Eccleſiæ, quemadmodum in initio fuit apud Deum, & quum viſitavit populum ſuum, venit à Deo, ita jam rediit ad Deum, & ſedet ut rex in cœlo tanquam throno gratiæ.

§. 8. Quin

§. 8. Quin huc etiam ſpectant generalia iſta: *Ampla feciſti, ô tu Jehovah, mirabilia tua, & cogitationes tuas erga nos.* Pſal. 40: 6. *Nam lætificâſti me, ô Jehovah, molitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo. Quàm magna ſunt opera tua, ô Jehovah! Valdè profundæ ſunt cogitationes tuæ.* Pſalm. 92: 5. 6. *Deus ultionum effulſit.* Pſalm. 94: 1. *Non nobis, Jehovah, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, propter gratiam tuam, propter veritatem tuam.* Pſal. 115: 1. *Secundùm fragrantiam unguentorum tuorum bonorum ut oleum evacuaris nomine tuo.* Cant. 1: 3. *Omnes habitantes frugiferam & incolentes terram tanquam tolli ſignum montium videbitis, & tanquam clangi buccinâ audietis.* Eſai. 18: 3. *Ecce ego is, qui fundavit in Sione,* i. e. in medio Iſraële manifeſtavit, *lapidem*, rupem ſalutis, *lapidem explorationis, angulum pretioſiſſimi fundati fundatiſſimi.* Eſai. 28: 16. *Et revelabitur gloria Domini.* Eſai. 40: verſ. 5. *Et celebrabitis nomen Jehovæ Dei veſtri, qui fecit vobiſcum ad miraculum uſque; & non pudefient populus meus in ſæculum. Et cognoſcetis, quòd in medio Iſraëlis ſim ego, & ego Jehovah Deus veſter, & non ſit præterea, & non pudefient populus meus in ſæculum.* Jo. 2: 26. 27. *Accipiam te, Sorobabel, fili Salathielis, ſerve mi, ait Jehovah, & ponam te ut ſigillum.* q. d. inſigniam te, ſeu oſtendam Divinitatem tuam per omnes characteres. Hagg. 2: 23. *Ecce ego cœlo cœlaturam ejus,* lapidis poſiti coram Joſuâ. h. e. exarabo in ipſo nomen meum, demonſtrabo, eum eſſe Filium meum, omnibuſque ſignis eum manifeſtabo. Zach. 3: 9. *Et orietur,* h. e. plenè manifeſtabitur, *vobis, timentes nomen meum, Sol juſtitiæ, in cujus alis eſt Sanitas.* Mal. 4: 2. Et quæ ſunt alia ejuſdem generis.

§. 9. Aſcendit autem Chriſtus ex monte Oliveto; ſicut prædictum Ezech. 11: verſ. 2. 3. *Et aſcendit gloria Jehovæ de medio urbis, & ſtetit ſuper monte, qui erat ante civitatem.* Aſcendit quoque coram multis teſtibus, in conſpectu Apoſtolorum, diſcipulorum, & fratrum ſuorum, qui ipſum non tantùm viderunt ante paſſionem, ſed etiam poſtquam reſurrexit à mortuis, & cum eo ederunt ac biberunt; denique ipſum conſpexerunt aſcendentem in cœlum. Quod ita futurum non tantùm diſcimus ex Pſalm. 47: 6. ſuprà citato, verum etiam ex Pſalm. 110: 1. & Eſai. 16: 5. paulò poſt adducendis. Ita quoque factum eſt, quod legitur Pſalm. 111: 4. *Memoriam fecit mirabilibus ſuis.*

§. 10. Deo patri aſcenſio Chriſti ut auctori aſſignatur Pſalm. 8: 2. Pſal. 16: 11. 18: 17. 18: 44. 20: 2. 40: 3. 41: 13. 69: 30. 89: 3. Eſai. 53: 8. Jo. 3: verſ. 3. Am. 9: 11. Hagg. 2: 23. Apoc. 12: 5. &c. Chriſto autem ipſi, ut propriâ poteſtate, jure, & ope in domum ſuam intranti. Pſalm. 7: 8. 45: 4. 5. 47: 6. 57: 6. 68: 19. 93: 1. 102: 17. 104: 1. 111: 3. Ezech. 10: 18. Am. 9: 6. &c. Cui idcirco & jus atque competentia ad eam tribuitur, fundata nim. in perfectiſſimâ ipſius obedientiâ, Pſalm. 20: 2. 41: 3. 45: 5. 69: 30. quanquam & ad Deum datorem jus illud referatur, Pſalm. 40: 3. & 69: 30. Add. nunc, quæ ſuprà ad Artic. xx. & xxi. de jure Chriſti ex Scripturis comportata & explicata ſunt.

§. 11. Per aſcenſionem Chriſti in cœlum ſumma in eum dignitas, honor, majeſtas, & poteſtas omnis, collata eſt; quatenus per eam demonſtratum eſt, eum eſſe regem & ſacerdotem Eccleſiæ, caput & hæredem omnium, habentem nomen ſupra omne nomen, ut in nomine ejus ſe flectat omne genu, & omnis lingua confiteatur, quòd Jeſus ſit Dominus ad gloriam Patris; Sicuti eſt Phil. 2: 9. 10. Qualia Deus ponit inter ſibi reſervata Eſai. 45: 23. Itaque conſedit ad dextram Dei, & aſcendit in cœlum, ut ſolium ſuum, facturus ab hoc tempore, ea, quæ ſunt regis in regno Dei, pleno jure regnantis, & quæ ſunt Sacerdotis conſummati in æternum,

num, atque ita regnum novum exorſurus & continuaturus deinceps uſque ad finem ſeculorum, & in omnem æternitatem.

§ 12. Huic Chriſti honori, per quem factus ac demonſtratus eſt rex & Sacerdos Eccleſiæ in regno Dei, qui ſummus eſt, & verè Divinus, atteſtantur uno ore omnes Prophetæ. Moſes, Deut. 33: 5. *Et ô tu Jehovah, qui factus* i. e. comprobatus *eſt*, per evectionem nim. in cœlos, *in Jeſchurun*, h. e. Iſraële viſionis compote, *rex*. Cui loco Moſis (fortaſſe ſoli) debet originem phraſis prophetarum & & Chriſti atque Apoſtolorum, per *regnum Dei* intelligentium ſtatum Eccleſiæ ſub Chriſto exaltato.

§. 13. David Pſalm. 2: 4. *Sedens in cœlis*, tanquam judex, *ridet*. Et verſ. 6. *Et ego unxi*, per aſcenſionem in cœlum demonſtravi, eum eſſe *regem*, & dignum idcirco, cui homines, ut regi ſuo in fide ſe ſubjiciant, & quidem regem *meum*, per quem ſcil. ut imaginem & effigiem Dei in ipſum credant. Pſalm. cap. 8: verſ. 2. *Ejus rei cauſâ*, ut ſcilic. nominis Divini majeſtas clariùs innoteſcat, *eſt ponere*, ſ. ponis, ô Deus, *majeſtatem tuam ſupra cœlos*. Sicut factum eſt, Filio per aſcenſionem in cœlum rege ac capite Eccleſiæ declarato, ut non ampliùs thronus regis Eccleſiæ in terrâ, uti olim cùm habitaret inter Cherubim in propitiatorio ſuper arcâ; & deinde cùm fecit totam Hieroſolymam ſolium ſuum, ſed in cœlo quærendus ſit. Et verſ. 6. Ibid. *Honore coronas eum*. h. e. per aſcenſionem in cœlum ei das honorem, ut ſit rex & ſacerdos Eccleſiæ, & omnes ad eum reſpiciant, (quod eſt propriè הָדָר) caput & regem ſuum.

Pſalm. 9: 5. *Conſediſti in ſolium judex juſtus*. Et verſ. 8. *Sed Jehovah, qui in æternum ſedebit*, mundi & Eccleſiæ rector, *diſpoſuit ad judicium thronum ſuum*. ut nempe moderetur, frenet, vel laxet impetus hoſtium conſentaneè gloriæ ſuæ ac ſaluti piorum.

Pſalm. 16: 11. *Noſſe me facies iter ſatietatis lætitiarum apud faciem tuam*. quando facies, ut per ſanguinem meum, per velum carnis meæ, tranſeam in ſanctum ſanctorum, ut ibi perpetuò ἐμφανισθῶ, præſens aſſiſtam faciei tuæ; ut tu in meâ obedientiâ, & ego in tuâ gratiâ ſaturam lætitiam habeam; noſſe me facies quoque iter *amœnorum, quæ ſunt in dexterâ tuâ perpetuò*. quando facies me per mortem adire gloriam regni. nam me ſubvecto in cœlum demonſtrabitur, me eſſe regem & dominum, & judicem omnium conſtitutum; atque ita me eſſe ad dextram Dei, & compotem omnium donorum, quæ ex illâ dexterâ effundam ac diſtribuam inter homines. Ita per aſcenſionem in cœlum me demonſtrabis Sacerdotem & Regem conſummatum in ſecula.

Pſ. 20: 2. *Sublimet te*: h. e. evehat ad regnum, *nomen Dei Jacob*, is qui te nominavit Jacobo futurum principem & hæredem regni.

Pſalm. 22: 4. *Ponis in caput ejus coronam auream*. h. e. honorem maximum in eum confers ſupra angelos, & ſupra omnes principatus ac poteſtates, ut eſſet caput Eccleſiæ, habens nomen ſupra omne nomen, in cujus nomine ſe flectat omne genu, & omnis lingua confiteatur, ipſum eſſe Dominum ad gloriam Patris. Qui honor verè Divinus eſt.

Pſ. 22: 29. *Nam Jehovæ eſt regnum*. is regnum adiit, ſ. capeſſivit; *& princeps* ſ. poteſtatem habens, *inter gentes*. cui gentes ſunt traditæ, ut inter illas verbum ipſius ſonet, & per Spiritum ſit efficax.

Pſ. 41: 13. *Sed ego, in integritate meâ tenuiſti me*. ut erigeres ſcil. & aſſumeres; *& conſtituiſti coram te in perpetuum*. in cœlum aſſumtum, ut eſſem rex & Sacerdos in perpetuum.

Pſalm.

Pſalm. 45: 3. 4. *Accinge decorem tuum*, Chriſte *Heros*. progredere uſque ad ſummum decoris tui; *Et decus tuum pertranſi*, penetra cœlos; *ſuperinſide* cœlo, tanquam ſolio tuo. Competentia: *Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam*.

Pſalm. 47: 3. *Nam Jehovah Altiſſimus timendus eſt*. Solus timeri meretur Jehovah, qui ſedet in cœlo, ut throno ſuo, cui omnia ſubjecta ſunt.

Pſ. 57: 6. *Extolle te ſupra cœlos, Deus*. Inſide throno tuo judex, & cœlitùs oſtende, te non habere ſolium ampliùs in terrâ, in certo monte, urbe, loco, ſed in cœlo, ut caput & principem ſupra omnia elevatum.

Pſ. 65: 7. *Conſtabiliens montes vi ſua*. i. e. manifeſtans regnum in duplici œconomiâ. conf. Zach. 6: 1.

Pſ. 68: 6. *Pater pupillorum & patronus viduarum Deus in habitaculo ſancto ſuo*. Hoc ſcil. nomen Dei & officium, quod ſibi ſumſit, & ad quod gerendum thronum gratiæ occupavit.

§. 69: 30. *Salus tua*, i. e. redemtio per me parta, tuo dono & gratiâ, *ſublimet me*. i. e. faciat me compotem vitæ, gloriæ, regni, hæreditatis.

Pſalm. 78: 67 — 72. Commemoratur beneficium Dei in conſtitutione ſanctuarii & regis; quæ illuſtratur gratioſâ electione tribus Judæ, ad ſedem cultus & ad regnum, & judicioſâ reprobatione certarum tribuum: idque in figuram conſtabilitionis regni Chriſti in Eccleſiâ, quam ceu ſanctum ſanctorum in Sione Chriſtus rex effuſione Spiritus & filiationis inunxit, & pavit, & duxit, rejecto Ephraimo, id eſt Judæis refractariis. *Et reprobavit tentorium Joſephi, & tribum Ephraimi non elegit*. verſ. 67. *Elegit autem tribum Judæ, montem Tſijonis, quem diligebat*. ℣ſ. 68. *Et ædificavit inſtar collium ſanctuarium ſuum; inſtar terræ, quam fundavit in ſæculum*. verſ. 69. *Et elegit Davidem ſervum ſuum, & accepit eum à caulis ovium*. verſ. 70. *A ſequendis fœtis adduxit eum, ut paſtor eſſet in Jacobo populo ſuo, & in Iſraële hæreditate ſuâ*. verſ. 71. *Et is pavit ipſos juxta integritatem cordis ſui, & in prudentiis*, ſ. ſummâ prudentiâ, *palmarum ſuarum duxit ipſos*. verſ. 72.

Pſ. 89: 3. *Cœli! in eis conſtabilies* ſ. conſummabis, *veritatem tuam*, impletam in terris; quemadmodum hinc Chriſtus dicitur habere regnum ſupercœleſte, non de hoc mundo, & nos dicimur habere politiam in cœlis. &c.

Ibid. verſ. 29. 30. eſt commemoratio Divinæ declarationis de ſemine & regno Davidis perpetuando in ſœculum. *In ſœculum ſervabo ipſi gratiam meam, & fœdus meum firmum ipſi eſt*. verſ. 29. *Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus, ut dies cœli*. verſ. 30. Quæ declaratio ſi intelligatur de ſolio Chriſti, indicatur eâ τὸ ἀκίνητον καὶ ἀήττητον, quia invictum ſit in luctâ illâ inter medios hoſtes, quæ durat cum diebus cœli. Cœterùm & de omni æternitate ſine exceptione & propterea dicitur לעד / *in æternitatem*, quod omne principium vel finem excludit. Et ſic ℣ſ. 37. 38. *Semen ejus* (emphaticè, & in diſtinctione *filiorum ejus*, & in numero ſingulari; cùm non dicat Scriptura in plurali, *& ſeminibus* Gal. 3: 16. intelligitur certus aliquis è filiis Davidis, benedictionis auctor, & certum genus filiorum, benedictionum particeps futurum, nim. quod ex promiſſione.) *in ſœculum erit*. in perpetuum vivet, vel ejus propagatio erit perpetua ſecundùm omnes ætates mundi; *& thronus ejus, ut Sol, coram me*; verſ. 37. *Ut luna confirmabitur in ſæculum*. Intelligitur perpetua duratio regni Davidis, partim externi & politici, quale David tenuit; partim ſpiritualis & cœleſtis, quale Chriſtus: quod dicitur idem regnum propter analogiam utriuſque, Chriſti & Davidis. Vi hujus promiſſionis neceſſe eſt, ut Solium

Davidis politicum, id eſt politia Iſraëlitica, non planè aboleatur, ut nunc ita ſublata eſt, ut ejus in veteri formâ legali reſtituendæ nulla ſit ſpes, antequam Chriſtus regnum ſuum ſpirituale inchoaverit, ideoque Chriſtus venerit, ſtante adhuc rep. Judæorum. *Et teſtis eſt in cœlo verax*, ſ. *fidelis*. Sunt verba Dei, fidem ſuam allegantis, vel etiam ſignum fidei ſuæ in conſervatione curſus Solis & Lunæ in cœlo oſtendentis. verſ. 38.

Pſalm. 93: 1. *Jehovah rex factus eſt*; (ſ. *regnum capeſſivit.*) Ut quando ſervitute V. Teſt. ſublatâ, ſubjectisque ſibi conſequenter angelis, thronis, & poteſtatibus, homines ad libertatem vocavit, in iiſque efficax fuit, ut ſine imperio humano in Deum credant; *Erectionem induit: induit*, inquam, *Jehovah*. Ea opponitur demiſſioni, quæ antea fuit ſub V. T. quum apud unam gentem Iſraëliticam thronum terreſtrem habuit: & ſignificat erectionem throni, ejuſque collocationem ſupra cœlos, ſubjectionem omnis κυριότητος, dominationis, & vocationem omnium gentium.

Pſalm. 96: 9. *Magnus eſt Jehovah, & laudari dignus valde.* Hæc verò magnitudo indicatur, quòd ſit *timendus ſupra omnes Deos.* quos ſibi ſubjecit, ſuprà angelos & nominatos Deos exaltatus.

Pſalm. 97: 1. *Jehovah rex factus eſt.* h. e. thronum ſuum occupavit, dum evexit filium ſuum ad dexteram ſuam, ſupra omnem dominatum, poteſtatem, principatum; *gaudeat terra, lætentur inſulæ.*

Pſalm. 99: verſ. 1. *Jehovah rex factus eſt*; *ſedens* olim *inter Cherubinos* rex factus eſt.

Pſal. 104: 1. *Jehovah, Deus mi, magnus es valde; majeſtatem induiſti.* tum, quando aſcendiſti in cœlum, ut in ſolium regium.

Pſal. 110: 1. Deus Pater introducitur in proſopopœiâ loquens ad Filium, cumque in throno collocans: *Dixit Jehovah*, is qui ſit, quod eſt, *Domino meo*, cujus ego ſum peculium, Deus Pater Filio ſuo, poſt exinanitionem & ſervilitatem ejus: *Sede* (Poteſtatis id eſt.) *ad dextram meam.* (Honoris id eſt, quo ſummo ac Divino eum affectum velit. Quamvis n. collocatio ad dextram ejus, qui ſummus eſt, poſſit ſignificare honorem ſecundum; tamen nihil impedit, quin pro re natâ, ut quando qui caput eſt & Princeps, collocatur ad dextram Dei, ſignificet honorem æqualem.) h. e. regni adminiſtrationem capeſſe. Honor hic θεανθρώπῳ, Deo in carne manifeſtato datus eſt, cùm, poſt exinanitionem, ei in carne per aſcenſionem in cœlum ſumma dignitas & poteſtas omnis coram multis teſtibus, qui ſcil. agnoſcerent, Patrem hæc Filio dixiſſe, evidentiſſimiſque effectis, aſſignata, vindicata, & comprobata eſt.

Pſalm. 111: 3. *Majeſtas* regis noſtri, quâ effulſit, quum in cœlum adſcendit, & in ſolio conſedit, *& reverentia*, ſ. vis flexanima ejus, qui accepit Spiritum S., quem donat, quibus vult, *eſt opus ejus.*

Pſalm. 113: 4. *Excelſus ſupra omnes gentes eſt Jehovah; ſupra cœlum eſt gloria ejus.* Regnum Chriſti univerſale eſt evictum, quum adſcendit in cœlos, & conſtitit, Chriſtum conſediſſe ad dexteram Dei omnibus gentibus in fide adeundum.

Pſal. 122: 5. *Ibi* (Hieroſolymæ) *inſidentur throni ad judicandum, throni domus David.* h. e. Chriſtus filius Davidis ibi regnat, & judicium gratiæ exercet: & cum illo regnant, qui ſunt ejus.

Pſalm. 132: 17. *Ibi* (in Sione) *progerminare faciam cornu* ſalutis ex Pſalm. 18: 3. i. e. regem potentem & latiſſimi dominatus, *Davidi, diſpoſui lucernam*, ad illuſtran-

ſtrandum tenebras gentium, *uncto meo.* ne memoria Davidis intereat, ſed gloria illius amplificetur in ſemine ad lucem gentium. Nota ex hoc loco debuiſſe Chriſtum naſci, ſtante politiâ & Sacerdotio in Sione, & in urbe ac templo Hieroſolymitano dominatum incipere.

Pſal. 142: 8. *In me coronati triumphabunt omnes juſti.* Inprimis Chriſtus filius Davidis, qui in Davide patre coronatus eſt. Nam exaltatio Davidis erat pignus exaltationis filii ipſius.

Pſal. 145: 5. *Reverentiam gloriæ majeſtatis tuæ . . . . meditor.* h. e. meditar majeſtatem, ſ. virtutem omnem regio nomine dignam, ſupereminentem omnem majeſtatem, quatenùs ſupra cœlos evectus es rex, & declaratus rex regum, & princeps angelorum & hominum, cum reverentiâ, ſ. vi flexanimâ ad obedientiam fidei, ſcil. per effuſionem Sp. S.

Pſal. 148: 4. *Celebrate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ ſunt ſuper cœlos.* ſcil. nubes ipſi fuit inſtar currus, quum in cœlum aſcendit, ut conſideret ad dexteram majeſtatis: Et cœlum cœlorum, in quod invectus eſt, in quo tanquam in throno conſedit, teſtis ipſius gloriæ eſt. Et vers 13. *Quia ipſius ſolius nomen eſt ſublimatum, majeſtas ejus eſt ſuper terram & cœlos.* Ipſius nomini atteſtati ſunt cœli & terra, & quæ in eis ſunt.

Pſal. 149: 2. *Lætetur Iſraël in factore ſuo, filii Sionis gaudeant in rege ſuo.* quem unxit Deus ſuper Sione monte ſancto ſuo.

Pſal. 150: 1. *Celebrate eum in expanſo roboris ſui.* in quod intravit verus ſacerdos & ſanctum Domino, ut pro nobis appareret apud Patrem, & ad dextram ejus conſideret regnaturus in ſœculum. Et vers 2. *Celebrate eum in virtutibus ejus.* ſ. operibus præpotentiæ, ante & poſt aſcenſionem Chriſti in cœlum editis; *celebrate eum ſecundùm amplitudinem magnitudinis ejus.* quâ ſummè magnus eſt ratione perſonæ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν, & ratione potentiæ, & gloriæ, & regni, & gratiæ, & judicii.

§. 14. 2 Sam. 7: 11 — 16. promittitur ſemen, quod habeat regnum æternum, & ædificet Deo templum ſpirituale, & ſemper ſtet coram Deo in domo ipſius, quod eſt cœlum, & ſit rex in regno Dei. Abſque hoc enim ſemine ſi ſit, tota promiſſio carebit ἐμφάσει & ἀμεταμελήτῳ. Ipſe David vers 19. id explicat: *Et parum fuit etiam hoc in oculis tuis, Domine Jehovah, & locutus es de domo meâ in longinquum.*

§. 15. Cant. 1: 4. Sponſa Chriſtum jam in penetrale ſuum, quod eſt cœlum, ingreſſum, & conſidentem ad dexteram Patris, vocat *Regem.*

§. 16. Eſaias, cap. 6: 1. *Vidi Dominum* in formâ humanâ, *ſedentem in throno celſo & elato.* parantem ſcil. regnum ſuum manifeſtare altiùs & excelſiùs, quàm olim.

Eſ. 8: 14. *Et fiet . . . . in petram ruinæ*: Fiet magna rupes firma in loco ſuo, præbens quidem perfugium & ſalutem omnibus confugientibus ad ſe, ſed & incurrentes in ipſum repellens, comminuens & confundens. Significatur Chriſti tranſlatio in ſtatum glorioſum & regnum.

Eſ. 9: 5. *Nam puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & devolutum eſt imperium in humeros ejus.* ipſe ſolus conſtitutus eſt rex & Dominus, aliiſque omnibus, qui ante ipſum dominabantur in populo, abrogata eſt poteſtas. *& nuncupatum eſt nomen ejus*, ſ. argumento reſurrectionis ex mortuis, aſcenſionis in cœlum, & effuſionis Spiritus S. in credentes, dedit ipſi Pater hoc nomen, quod eſt nomen ſupra omne

nomen

nomen, *mirabilis, Conſiliarius, Deus potens, Victor, Pater æternitatis, Princeps*, i.e. rex & dominus Eccleſiæ & omnium, cum poteſtate omni in cœlo & in terrâ. & quidem *princeps pacis.* qui abſtulerit iram & maledictionem, & commemorationem peccati, & metum mortis, & diſcrimen gentium, & omnes hoſtes, putà Diabolum, carnem, mundum ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubjecerit.

Eſ. 11: 1. Sublimatio Chriſti in ſtatum regni ita ſignificatur: *Et ſurculus ex radicibus Jeſſe fructificabit.* Innuitur enim regnum & ſceptrum reſtituendum filio Davidis.

Eſ. 16: 5. *Et conſtabilitus eſt in gratiâ*, in amore Filii ſpectato in ὁ πατὴρ ſecundùm humanitatem, *thronus; & conſedit ſuper ipſo in veritate* i. e. vi ac merito obedientiæ, quæ nulla in re feſellit, *in tentorio Davidis*, h. e aliquis filiorum Davidis, qui paraverat ſibi & conſtituerat hoc ſolium, tranſlatus eſt ex ſtatu ſervitutis in ſtatum regni, in ejusque regni poſſeſſionem & exercitium immiſſus eſt, in medio eorum, qui erant præditi fide Davidis Apoſtolorum & diſcipulorum ex omnibus tribubus Iſraëlis. Conſedit, inquam, ſuper ipſo *judex, & curans judicium, & feſtinus juſtitiæ.*

Eſ. 55: 4. *Ecce teſtem nationum dedi ipſum; principem & præceptorem nationum.*

§. 57. Jeremias cap. 23: 5. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & excitabo Davidi germen juſtum, quod regnabit rex; & proſperabitur, & faciet judicium & juſtitiam in terrâ.*

Jer. 30: 9. *Et ſervient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi regi ſuo, quem excitabo ipſis.*

Jer. cap. 30: 21. *Et exiſtet dux ejus ex ipſo, & poteſtatem habens ipſius ex medio ejus exibit.*

Jer. 33: 17. *Nam ſic dixit Jehovah: non exſcindetur Davidi vir ſedens in throno domus Iſraël.* David habebit omninò filium, qui regnet in Iſraële toto, nempe germen illud juſtitiæ. Et rurſus Ibid verſ. 20: 21. *Sic dixit Jehovah: Si irritum facietis fœdus meum diei & fœdus meum noctis, ut non ſit dies & nox in tempore ſuo. Etiam fœdus meum irritum fiet cum Davide ſervo meo, ne ſit ipſi filius regnans in throno ipſius.*

§. 18. Ezechiel, cap. 1: 26. *Et ſupra expanſum, quod erat ſupra caput illorum* quatuor animalium, *tanquam aſpectus lapidis Sappir, ſpecie throni: & ſuper ſpecie throni ſpecies ut aſpectus hominis ſuper illo erat ſurſum.* Thronus gratiæ ſignificatur in ſanguine ædificatus, in eoque ſedens filius hominis. Atque ita rurſus Ezech. cap. 10: 18. *Et exiverat gloria Jehovæ de limine domus, & ſteterat ſuper Cherubinis.* quæ eſt aſcenſio filii Dei in thronum ſuum.

Ezech. 17: 22. *Sic dixit Dominus Jehovah: De capite ſtolonum ejus*, Jechoniæ, *molle aliquid decidam, & plantabo ego in monte alto & eminenti.* h. e. Chriſtum conſtituam regem, & faciam regem amplum in membris ſuis in toto mundo conſpicuis. Et vers 23. id ita explicat porrò: *In monte celſitatis Iſraëlis*, i. e. in monte Sion, *plantabo illud, & feret ramum & faciet fructum, & fiet cedrus ingens, & habitabunt ſub ipſâ omnis avis, omnis ala in umbrâ ramorum ejus habitabunt.* h. e. omnes gentes ad ipſum accedent tanquam unicum ſuum effugium, & pace tandem fruentur ſub protectione ipſius, regibus & principibus ipſi inſervientibus ad præſtandam pacem confugientibus ad ipſum.

Ezech. 21: 18. *Sceptrum ſpernentis* gladii Chriſto poſt factam humilitate ejus probationem datum indicat, quo ſceptro omne indignum ſecerneret.

Ezech. cap. 21: 32. annihilationi coronæ Haſmonæorum ſubordinat *adventum illius, cujus eſt judicium*, & cui Deus *daturus* erat *illud* judicium. collocando eum ſuper ſolio ad judicandum, atque ita judicandi poteſtatem ei faciendo.

Ezech.

Ezech. 29: 21. *Die illo faciam germinare cornu domui Iſraël.* Id tum maximè impletum eſt, cùm ex domo Davidis crevit cornu, quod fecit populum liberum ab omni ſervitute, quodque hoſtes contudit, & Iſraëli gentes ſubjecit.

Ezech. 34: 23. 24. *Et conſtituam ſuper ipſas paſtorem unum, & paſcet eas, ſervum meum Davidem,* i. e. Meſsiam filium Davidis, *ille paſcet eas, & ille erit ipſis paſtor. Et ita ego Jehovah ero ipſis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio illarum, ego Jehovah locutus ſum.* Scil. Chriſtus Iſraëlitis apparuit. 1. Ut paſtor docens. 2. Ut paſtor ponens animam ſuam pro ovibus ſuis. 3. Etiam illis manifeſtatus eſt, ut princeps. Hiſce rebus Deus factus eſt illis in Deum.

Ezech. 37: 22. *Et faciam eos gentem unam in terrâ in montibus Iſraël; &* poſtea *rex unus erit* vel *fiet ipſis rex, & non fient amplius duæ gentes, & non dividentur ampliùs in duo regna.* Scil. erit regnum unum ſub uno rege. Scil. Chriſto. Subjungit enim vers 24. *Et ſervus meus David rex ſuper ipſis, & paſtor unus erit omnibus.*

§. 19. Daniel cap. 2: 34. 35. *Videbas, dum deſectus eſt lapis, qui non erat in manibus, & percutiebat imaginem in pedibus ejus ferreis, & teſtaceis, & comminuit eos. . . Et lapis, qui percuſſerat imaginem, factus eſt mons prægmagnus, & implevit totam terram.* Quod ita interpretatur Daniel, vers 44. *Et in diebus regum illorum eriget Deus cœli regnum, quod in ſæcula non corrumpetur,* adeoque manebit, etiam aliis abolitis, *& regnum ejus populo alii non relinquetur,* & ſic faciem ſuam non mutabit, quemadmodum facies populi principum hujus ſœculi mutata eſt; *comminuet & conſumet omnia hæc regna, & ipſum ſtabit in ſæcula.*

Dan. cap. 9: 25. *Uſque ad unctum (ſ. Meſſiam,* ſubſtantivè*) Principem.* q. d. Donec Chriſtus fiat omnium ſummus & omnium primus, & prodromus in ſanctum ſanctorum. Ita innuitur, Chriſtum habiturum eſſe duplicem ſtatum; primò ſervitutis & ταπεινώσεως; deinde gloriæ & ὑψώσεως ſ. regni.

§. 20. Hoſeas, cap. 9: 8. *Qui ſpeculatur Ephraimum, eſt apud Deum meum.* h. e. rex Eccleſiæ, quemadmodum in initio fuit apud Deum, & quum viſitavit populum ſuum, venit à Deo, ita jam rediit ad Deum, & ſedet ut rex in cœlo tanquam throno gratiæ.

Amoſus cap. 9: 6. *Qui ædificat in cœlis gradus ſuos.* h. e. qui ſuâ virtute aſcendit in cœlum ad occupandum thronum, tanquam ſuum, & à ſe exædificatum. *Ex te mihi prodibit* Judex Iſraëlis *ut ſit dominator in Iſraële. Cujus egreſſiones ſunt ab initio, à diebus ſæculi.* Mich. 5: 1. coll. 4: 14. f. *Et ſtabit & paſcet in robore Jehovæ,* &c. Mich. 5: 3.

Habaccuc, cap. 3: 3. *Et operit cœlos majeſtas ejus.* q. d. poſuit gloriam ſuam ſupra cœlos, h. e. altior cœlis factus eſt. ſive aſcendit in cœlos ut Deus, & omnia, ipſos cœlos, & angelos Dei ſibi ſubjecit.

Zacharias, cap. 6. vers 13. *Et ipſe* per mortem ſuam *ædificabit templum Jehovæ, & ipſe accipiet majeſtatem.* definietur Filius Dei in potentiâ per reſurrectionem ex mortuis, *& conſidebit & dominabitur in throno ejus; & erit ſacerdos in throno ejus, & conſilium pacis erit inter utrumque.* Sic tribuitur Chriſto ſeſſio in throno Dei ad exercendum officium regium & ſacerdotale.

Apocalypſis denique Johannis, cap. 12. vers 5. *Et raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.* Reſuſcitatus ſcil. aſcendit in cœlum, & conſedit ad dextram Dei, regnaturus in gentibus.

§. 21. Dum autem ſic Chriſtus per aſcenſionem in cœlum demonſtratus eſt rex & caput Eccleſiæ, ita rurſus factus eſt *ſignum videndum in montibus.* Eſ. 18: 3. &

Ooo *fundatus.*

fundatus. h. e. manifeſtatus *eſt in Sione lapis* ſalutis, *angulus pretioſiſſimi fundati fundatiſſimi.* Eſ. 28: 16. Et *Sorobabel poſitus in ſigillum.* h. e. demonſtratus eſt eſſe character & imago patris ſui, & filius Dei *ἐν δυνάμει*; Hagg. 2: 23. Et *cælaturæ* lapidis Joſuæ propoſiti *cælatæ* ſunt. Zach. 3: 9. Et *Deus ultionum effulſit*; Pſal. 94: 1. Et *dedit Jehovah nomini ſuo gloriam*; Pſal. 115: 1. Et *ut oleum evacuatus eſt nomine ſuo*; Cant. 1: 3. Et *revelata eſt gloria Domini*; Eſ. 40: 5. Et *ortus*, h. e. plenè manifeſtatus, *eſt timentibus nomen Dei*. *Sol juſtitiæ*; Mal. 4: 2.

§. 22. Poſtulat hic locus, ut quoniam agit de Chriſto in regem evecto, & regnum ejus eſt regnum Dei, olim promiſſum, & jamnunc repræſentatum, de regno Dei, quale id in Chriſto debuerit manifeſtari, ex prophetiis paulò enucleatiùs hîc diſſeramus.

§. 22. *Regnum Dei* vel notat providentiam ipſius æternam, ſecundùm quam omnia geſta ſunt & geruntur in poſterum. Vel notat vim peculiarem atque efficaciam, quâ Deus, quos vult, trahit ad liberale & ingenuum obſequium.

Et quidem omni tempore, quo verbum Dei in mundo prædicatum eſt, fuerunt, in quibus illud verbum per Spiritum Dei eſſet efficax ad obedientiam, fidem, & amorem illius, ſicque regnum Dei ſemper in mundo fuit, & *firmus fuit thronus Dei pridem*, ſicut *à ſeculo ipſe eſt*, & ſemper manet idem; Pſal. 93: 2. Add. Pſ. 74: 12. Sed tamen, quemadmodum fieri potuit, ut Deus, poſtquam cum Abrahamo factus erat fœdus gratiæ & fidei, in ſimul per Moſen ferret legem, quæ multa externa *δικαιώματα λατρείας* contineret, quæ à ſemine Abrahami, tanquam populo peculiari in terrâ Canaan & in loco, ubi Deus memoriam nominis ſui conſtituerat, præſtari neceſſe erat; quibus præſtitis, juſti externè; contemptis, injuſti & improbi cenſebantur; ita fieri etiam potuit, ut populus hominibus quibuſdam ſubjiceretur, qui illum cogerent ad ea in literâ obſervandum, quæ lex præſcripſerat; qui actus quoslibet externos, etiam confeſſionem & opera charitatis imperarent ſub pœnâ ab hominibus infligendâ: qui ut eò meliùs omnia præſtarentur, quæ lex exigebat, poſſent in rebus indifferentibus legem ponere, quâ neceſſarium fieret hoc aut illud facere aut non facere; quibus vel indicantibus aliquid tanquam verbum Dei, vel jubentibus ea, quæ ad *παιδείαν* faciebant, homines credere & parere tenerentur, tanquam ipſi Deo; & qui ſecundùm hæc omnia populum judicarent, juſtum ab injuſto, purum ab impuro diſcriminarent, & ſecus quàm præceptum erat facientes, pro arbitrio ſuo caſtigarent. Quod cùm fieret, evenit, ut hominibus quibusdam ad ſocietatem imperandi cum Deo aſſumtis, & in throno Dei ſedere viſis, & populum loco Dei habentibus in poteſtate, de regno Dei, & ſubjectione voluntariâ Deo debitâ, multùm detraheretur. Quippe fiebat, ut ſub illis Præſidibus populi, quorum dominio omnes tanquam ſervi ſubjecti erant, ſiquidem boni erant, adigerentur imperio ipſorum humano ad obſervandam legem Moſis; ſi mali, aut negligentes, ad defectionem, item imperio, ſaltem auctoritate & valido exemplo, impellerentur. Ita dupliciter regnum Dei obſcurabatur. Et quamvis toto illo tempore multi proculdubio eſſent, qui per gratiam Dei ipſum colerent liberali obſequio, quia tamen propter conjunctum imperium humanum, & conſcientiam huic etiam obtemperandi, cultum illum præſtabant, & magis plerumque ex neceſſitate & coactione hominis, quàm ex fide & amore Dei cultus ille provenire videbatur, non ita in illis etiam, qui conſtanter perſeverabant in ſincero cultu veri Dei, conſpicuum erat regnum Dei. Ut ita regnum Dei, quemadmodum illud in Chriſto eſt manifeſtatum; & à nobis hîc conſiderandum nihil aliud ſit, quàm ſtatus ille, in

quo

quo Deus, ſervitute Veteris Teſtamenti ſublatâ, abrogatâ inquam lege cerimoniarum & forenſi, item ſublatâ accuſatione legis moralis, ſubjectiſque ſibi conſequenter Angelis, thronis, & poteſtatibus, & in ſervorum ordinem redactis, homines ad libertatem Euangelii vocat, inque iis efficax eſt, ut ſine imperio humano aut ullius creaturæ, in Deum credant, & hoſtes ſuos cujuscunque generis, qui fidei obſiſtunt, proſternit infra pedes fidelium ut electorum converſioni ad Deum & ſpontaneo atque ingenuo obſequio illorum poteſtas non obſtet: in quo idcirco ſicut non cultu externo, ſed charitate ex bonâ conſcientiâ, puro corde & fide non fictâ veri cultores cenſentur, habentes laudem non ab hominibus, ſed à Deo, ita ad cultum cordis nemo ab homine cogitur aut cogi poteſt, & Deus ipſe non cogit ad actus externos aut carnales, nec priùs imperat confeſſionem oris, quàm fidem cordis, nec ullos habet conſtitutos vicarios, qui in nomine ipſius exigant, quæ videri & audiri poſſunt etiam ſine fide, ſed ſolâ ſpiritus Dei gratiâ & efficaciâ efficitur, ut in lege Dei ambulemus. Hunc enim Statum intelligi per regnum Dei, docemur primò ex eo, quòd in V. T., etiamſi ſervitus eſſet in univerſum ejus propria, tamen ibi dicatur fuiſſe regnum Dei, comparativè loquendo ſcil., ubi major erat in populo libertas. Ita quum Samuëlem aſpernarentur, & Regem ſibi poſcerent, Deus id interpretatur, quòd *ſe ſpreverint, ne Rex ipſorum eſſet.* 1 Sam. 8: 7. quia ſcil. volebant habere regem cum abſolutâ poteſtate; quum antea Deus ipſis Judices dediſſet non cum abſolutâ poteſtate: ſed qui ſalvâ populi libertate colendi Deum liberali obſequio, ſecundùm menſuram doni ſui quiſque in commune conſulerent, ſeniorumque non eſſent exempti cenſuris, quibus tantùm præſidebant: ut, quantùm hoc poſtulato ſibi adimerent libertatis, aut imponerent ſervitutis, tantùm regno Dei decederet. Vid. ſup. Per. III. Art. XVIII. Cujus ſimile eſt, quòd cum Iſraëlitæ iidem Gideoni & filio ac nepoti regnum & ſummam poteſtatem deferrent, is non accepit, dicens: Non ego אֶמְשֹׁל poteſtatem & imperium exercebo in vos, ſed *Dominus* יִמְשֹׁל *poteſtatem exercebit in vos.* Jud. 8: 23. Ubi Chald. יִמְלֹךְ אִמְלֹךְ/ מְלֹךְ Secundò ex eo, quòd non ſine emphaſi dicatur Deus *rex factus eſſe*, vel *regnum occupâſſe*, nempe in oppoſitione prioris temporis, quaſi illo non regnâſſet. Ita Deut. 33: 5. *Deus* dicitur *factus eſſe Rex in Jeſchurum*, non tàm quum *ex myriadibus angelorum cum Igne apparuit populo, & per manum Moſis dedit ipſis legem*, quàm quum *pede ſuo ipſos perambulâſſet*, quumque *hæreditatem ipſis aſſignavit* &c. Et Pſ. 22: 29. *Jehovæ* dicitur *eſſe regnum*. i. e. Deus regnum capeſſiviſſe. Et Pſalm. 93: 1. *Jehovah Rex factus eſt.* ſ. regnum occupavit. Sicuti etiam eſt Pſalm. 97: 1. & 99: 1. Nec aliter Eſaias cap. 9: 5. *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & venit, ſ. devolutus eſt, principatus in humerum ipſius.* Vix enim aliter iſta intelligi poſſe, quàm quòd Deus ſolus, ſubditis ſibi idolis, & Diis nuncupatis, regnum adierit, atque ita regnum ejus magis conſpicuum fuerit factum, quàm olim, quo regnabat quidem, ſed cum ſociis, quorum imperium regnum ipſius obſcurabat, ex reipſâ evadit manifeſtum. Tertiò quòd Eſaias in denuntiatione regni Dei, ita illud declaret, quòd ſit futurus dies, quo Dominus ſit ſe elaturus ſupra omnes altos, idque ut ipſe *ſolus ſublimetur.* Eſ. 2: 10 — 22. quòdque cum devolutione principatus in humeros Filii conjungat abrogationem alienæ dominationis ad libertatem Eccleſiæ. Eſ. 9: 5. coll. 3. & 4.

§. 24. Perſona regnans in regno Dei eſt Deus ipſe. Nam *Jehovah factus eſt Rex in Jeſchurun*; Deut. 33: 5. *Jehovah diſpoſuit ad judicium thronum ſuum*; Pſal. 9: 8. *Jehovæ eſt regnum*; Pſal. 22: 29. *Deus* אֱלֹהִים *Judex ipſe eſt*; Pſalm. 50: 6. *Deus ſe*

 extulit

extulit ſupra cœlos, & inſedit ſolio ſuo judex; Pſalm. 57: 6. *Jehovah rex factus eſt*; Pſalm. 93: 1. 97: 1. 99: 1. *Jehovah ſolus ſublimandus erat in die illo.* Eſai. 2: 11. & 17. *Jehovah viſus eſt ſedens in throno celſo & elato*; Eſai. 6: 1. *Rex factus eſt Deus tuus.* Eſai. 52: 7. Diſtinctus tamen à Jehovâ; Nam *Jehovæ eſt regnum, & princeps ſ. poteſtatem habens inter gentes*; Pſalm. 22: 29. &, *Dixit Jehovah Domino meo*, cujus ego David ſum peculium, *Sede ad dexteram meam.* Et Filius quidem. Nam *Filius datus eſt nobis, & venit principatus in humerum ejus*; Eſai. 9: 5. Is nempe Filius, *cujus nomen nuncupatum eſt Mirabilis, conſiliarius, Deus potens, Victor, Pater æternitatis, Princeps pacis.* Ut Filium Dei, ſecundam perſonam Trinitatis, ab Eſaiâ intellectam conſtet: Quod etiam indicatur à Davide, ubi poſtquam *Jehovah, Dominus*, id eſt Deus Pater, atteſtatus fuiſſet Eccleſiæ, *Se unxiſſe regem ſuum ſuper Sionem montem ſanctum ſuum*; verſ. 6. Rex ipſe Sermonem Jehovæ apud Eccleſiam ita excipit: *Narrabo ad legem: Jehovah dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te*; verſ. 7. Unde clarum eſt, Regem à Deo conſtitutum eſſe Filium Dei. Quemadmodum & de *viro, cujus nomen eſt GERMEN, quodque deſubter ſe germinat*, h. e. de Filio Dei, dicitur, quòd *conſidebit & dominabitur in throno Jehovæ*; Zach. 6: 12. 13. Ac denique etiam eſt, ubi toti S. S. Trinitati, nempe Patri in Filio per Spir. Sanct., regnum Dei appropriatur, & adſtruitur eo, quod Pater in Filio per Spiritum S. omnia creaverit. Is locus exſtat Pſalm. 33: 5. 6. Poſtquam enim verſ. 5. ſignificaſſet Propheta, *Gratiâ* ſalutari *Jehovæ plenam eſſe terram*; verſ. 6. rationem gratiæ exercendæ in mundo ſumit à jure & amore creatoris, qui mundum non pro unâ gente fecerit, neque unam tantùm gentem conſervet, ſed omnibus, licèt diverſis modis, ſe præbeat cognoſcendum, & quærendum: *In verbo Jehovæ*, inquit, *facti ſunt cœli, & in ſpiritu oris ejus omnis exercitus illorum.* Quibus ſimul indicatur, cui honos regni debeatur in totâ terrâ, ei nempe, per quem & ad quem ſunt omnia facta, quique ſpiritu ſuo omnia adminiſtrat, nempe Filio; ut ſignificetur, regnum Patris in Filio per Spiritum S. mundo patefieri debere, abrogato ſervorum ac dæmonum imperio, quia mundus à Patre in Filio per Sp. S. factus eſt.

§. 25. Nec tantùm ſic Deo & diſtinctè Filio ejus, ſed & *Filio hominis* alicui, Pſalm. 8: 7. coll. 5. ſ. *viro*, Zach. 6: 12. 13. *Iſraëlitæ*, Jer. 30: 21. *puero nato*, Eſai. 9: 5. & in ſpecie *Davidi*, Pſalm. 78: 70. 71. Jer. 30: 9. Ezech. 34: 23 24. & 37: 24. Hoſ. 3: 5. & clariùs, *ſemini Davidis*, 2 Sam. 7: 11 — 16. Pſal. 89: 30. & 37. 132: 17. Eſai. 11: 1. 16: 5. Jer. 23: 5. Mich. 5: 1. per *Jechoniam* ſcil. Ezech. 17: 22. 23. & *Sorobabelem*, Hagg. 2: 23. regnum Dei adſcribitur in prophetiâ. Quo ipſo admonemur, filium Davidis, cui competit regem eſſe in regno Dei, eſſe filium Dei unigenitum, & Deum verum, æqualem Patri & unum cum ipſo. Cœteroquin enim non potuiſſet dici regnum ipſius regnum Dei; neque, ipſo rege facto, Deum aut Dominum regem factum eſſe. Nam dum filius Davidis expreſſiſſimè à Prophetis & Apoſtolis indigitatur Rex, & Dominus, & Judex, & Auctor ſalutis, & is qui habet nomen ſupra omne nomen, in cujus nomen credimus, qui ſedet in throno Patris ſui; eo ipſo verus & ſupremus Deus luculenter deſignatur. Nam 1. regnum Dei, quod contradiſtinguitur regimini humano, non geritur per legatos. 2. Legatus merus Regis & Domini non vocatur Rex, Dominus, non ſedet in throno, non adoratur, invocatur, non poſtulat in nomen ſuum credi, ſed in nomen tantùm mittentis ſeſe. Quare etiam conjunctim *Viro germini*, Zach. 6: 12. 13. & *puero Filio*, Eſai. 9: 5. atque ita verè θεανθρώπῳ, regnum Dei attribuitur; & Chriſtus non ſine emphaſi vocàtur *rex Dei*, h. e. is, qui Deo dignus

eſt,

eſt, ut in nomine Dei & cum ipſo regnet, & glorificet Deum apud Eccleſiam tanquam imago & effigies ipſius; ut per ipſum credant & confidant in Deum. Pſalm. 2:6. 18:51.

§. 25. Ipſum officium regium Chriſti filii Dei & Hominis deſignatur, quoties vocatur *Rex*; ut Pſalm. 2:6. 18:51. 21:2. 8. 72:1. 149:2. Jerem. 30: verſ. 9. Ezech. 37:24. Mich. 2:13. Zach. 9:9. *Princeps*; ut Pſalm. 22:29. Eſai. 9:5. 55:4. Ezech. 34:24. Dan. 9:25. *Dux & Poteſtatem habens*; ut Jerem. 30:21. Pſalm. 22:29. *Judex*; ut Eſai. 16:5. Mich. 4:14. *Dominator*; ut Mich. 5:1. *Sceptrum*; ut Num. 24:17. *Cornu*; ut Pſalm. 132:17. 148:14. Ezech. 29:21. 37:22. *Paſtor*; ut Pſalm. 23:1. Ezech. 34:23. 37:24. &c. Quibus nominibus ſignificatur is, qui dignus eſt, cui homines ſubjiciant ſeſe in fide & obedientiâ ob perſonæ dignitatem, meritum & dominium merito partum; ob juſtitiam adductam: quem timeant, ut judicem incorruptum, cui confidant ob potentiam & charitatem in ſuos; quem ament, ut omnis boni & vitæ æternæ auctorem ac datorem.

§. 26. Thronus regni eſt thronus Dei. Nam *Jehovah diſpoſuit ad judicium thronum ſuum*; Pſalm. 9:8. Et, *Vir Germen confidebit & dominabitur in throno Jehovæ*; Zach. 9:13. Et, *raptus eſt filius ejus ad Deum & thronum ejus*; Apoc. 12:5. Facilè autem intelligitur, eum qui ſedet & regnat in throno Dei, eſſe Deum. Eſt etiam thronus Davidis. Namque ita de illo prophetia: *Pepigi fœdus electo meo, juravi Davidi ſervo meo; Uſque in ſæculum conſtabiliam ſemen tuum*, Chriſtum nempe, & fideles, ut in ſæculum vivant; *& ædificabo in generationem & generationem ſolium tuum.* nim. regnum illud cœleſte, cui præficiendus ſuo tempore erat Chriſtus ex ſemine Davidis ſecundùm carnem natus. Cujus thronus hîc dicitur thronus Davidis, propter communionem ἀναλόγων. Pſalm. 89:4. 5. Et rurſus ibidem: *In ſæculum ſervabo ipſi*, Davidi ſervo meo, ex verſ. 21. *gratiam meam, & fœdus meum firmum ipſi eſt. Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus, ut dies cœli.* verſ. 29. 30. Et rurſus: *Semel juravi in ſanctitate meâ, Si Davidi mentiar! Semen ejus in ſæculum erit*, in perpetuum vivet, vel eorum propago erit perpetua ſecundùm omnes ætates totius mundi; *& thronus ejus, ut Sol, coram me. Ut Luna confirmabitur in ſæculum.* Intelligitur perpetua duratio regni Davidis, id eſt regni populi Dei, partim externi & politici, quale David tenuit; partim ſpiritualis & cœleſtis, quale Chriſtus: & dicitur utriuſque regni idem thronus; nempe Davidis; idque propter analogiam utriuſque, Chriſti & Davidis. Simul indicatur, continuatio utriuſque regni, ita ut non planè ceſſet unum, antequam alterum ſit inchoatum. verſ. 36. 37. 38. Clariſſimè idem docetur Eſai. 9:5. 6. ubi hæc leguntur: *Nam puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & venit principatus in humerum ipſius; (& nuncupatum eſt nomen ejus Mirabilis, Conſiliarius, Deus victor, Pater æternitatis, Princeps pacis.) Ad amplificationem principatus, & pacem ſine fine, ſuper throno Davidis, & ſuper throno regni ipſius; ad confirmandum illud & ad fulciendum illud per judicium & juſtitiam. à nunc & in ſæculum zelus Jehovæ Dei exercituum faciet hoc.* Scil. Principatus erat devolvendus in humerum Filii ſuper throno Davidis, & ſuper throno regni ipſius, ad id parandum & fulciendum judicio & juſtitiâ. Ita docetur expreſſè, Chriſtum ſedere & regnare in throno Davidis, h. e. ſuccedere Davidi, patri ſuo, in poteſtate, & ipſius imperium habere analogiam cum imperio Davidis, propter quam analogiam fiat, ut utriuſque imperii thronus idem thronus, nempe Davidis, dicatur. Ea analogia hîc explicanda eſt. 1. Ut David erat rex fratrum ſuorum; ita

Chriſtus regnat, ut *primogenitus* quidem ſecundùm Deitatem, ſed *inter multos fratres*, ſecundùm humanitatem. 2. Ut David electus à Domino, ita D. Jeſus à Deo πρωτογενέστατος τῶν κατὰ πόλεις κόσμων. 3. Ut David vir ſecundùm cor Dei; ita Chriſtus eſt is, ἐν ᾧ εὐδόκησα. 4. Ut David מֹשֵׁל יִרְאַת אֱלֹהִים / 2 Sam. 23. ita Chriſtus, ſuper quo Spiritus timoris Dei, obediens uſque ad mortem crucis. 5. Ut David rex *populi Dei*, & ſic quodammodo *in throno Dei* ſedit; 1 Chron. 28: 5. 29: 23. Ut & ſeniores populi, qui Dii dicebantur; ita Chriſtus, rex in Eccleſiâ, verè in throno Dei ſedet. 6. Ut David regnavit in duodecim tribus inter ſe junctas; ita Chriſtus. 7. Ut David regno ſuo adjecit gentes; ita Chriſtus. 8. Ut David rex & propheta; ita Chriſtus. 9. Ut David rex immediatus totius populi; ita Chriſtus. Et hoc præcipium eſt, quod per *ſedere in throno Davidis* ſignificatur. His addatur Jerem. 33: 17. *Non exſcindetur Davidi vir ſedens in throno domus Iſrael.* Et verſ. 21. Item Mich. 4: 8. Ubi regnum Chriſti dicitur *dominatus priſtinus*, *regnum filiæ Hieroſolymorum.*

§. 27. Thronus iſte eſt diverſus à cathedrâ Moſis, in quâ ſcil. homines peccatores conſidebant ad tenendum populum in ſervitute, quæque non erat idonea ad populum ſalvandum, ſanctificandum, juſtificandum. Non igitur eſt in terrâ, ſed in cœlo, imò eſt ipſum cœlum, interprete Eſaiâ, cap. 66: 1. *Sic dixit Jehovah, cœlum eſt thronus meus & terra ſcabellum pedum meorum.* Unde manifeſtum eſt, non poſſe aliter hunc thronum, quàm per aſcenſionem in cœlum, occupari; imò aſcenſionem illam ipſammet occupationem hujus throni eſſe.

§. 28. Hic thronus eſt *diſpoſitus*; Pſalm. 9: 8. *conſtabilitus*; Pſalm. 65: verſ. 7. Eſai. 19: 5. Pſalm. 65: eſt, *conſtabiliens montes vi ſuâ.* h. e. regnum Dei, quod eſt הַר נָכוֹן *mons firmus* & *exaptatus*, Eſ. 2: 1. in duplici œconomiâ. *ædificatus*; Pſ. 89: verſ. 5.

§. 29. Auctor ſ. fundator Deus eſt. Nam *Jehovah diſpoſuit ad judicium thronum ſuum*; Pſalm. 9: 8. *ô Deus juſtitiæ noſter, Conſtabiliens montes vi ſuâ, accinctus præpotentiâ.* Pſalm. 65: 6. 7. *Uſque in ſæculum conſtabiliam ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem ſolium tuum.* Sunt verba Dei, Pſalm. 89: 5.

§. 30. Baſis. ſ. fundamentum throni eſt *gratia*, ἡ χάρις, τὸ ἵλεος, ἡ εὐδοκία. In quâ continetur & amor Filii, Joh. 3: 35. h. e. voluntas glorificandi Filii, & ſe in Filio; & Regis ipſius gratioſa voluntas ſpectata in Sponſione & interceſſione ante apparitionem in carne, ſecundùm ſpiritum æternum; & in ἐνσάρκῳ ſecundùm humanitatem. Ita Pſalmiſta: *Juſtitia & judicium eſt locamentum throni ejus.* Pſ. 97: 2. Eſaias: *Ad confirmandum illud, & ad fulciendum illud* ſcil. regnum Chriſti filii Davidis, *per judicium*, quo condemnatum eſt peccatum, *& juſtitiam*, ſ. perfectiſſimam obedientiam, Eſai. 9: 6. *Et conſtabilitus eſt in gratiâ thronus.* Eſai. cap. 16: verſ. 5.

Ecce ego pono in ſtibio ſ. vitro, lapides tuos, ut tota lucens confeſſione verbi, *& fundo te in rubinis.* ſ. *pyropis*, h. e. Chriſto crucifixo. Nam ספיר eſt gemma rubri coloris. Thren. 4: 7. Eſai. 54: 1. Atque Eſai. 54: 11. Item Ezechiel: *Super expanſum capiti animalium ſuper poſitum viſus eſt tanquam thronus eſt Sapphiro*: Thronus gratiæ in ſanguine ædificatus ſignificatur. Ez. 1: 26.

§. 31. Finis ad quem fundationis throni, indicatur hiſce: *Sed Jehovah, qui in æternum ſedebit, diſpoſuit ad judicium thronum ſuum.* Ut nimirum nutu & providentiâ ſuâ regat, moderetur, frænet vel laxet impetus hoſtium, conſentaneè gloriæ ſuæ, & ad ſalutem ſuorum; Pſalm 9: 8. *Det tibi ſecundùm cor tuum.* Ea eſt voluntas propitiæ intentionis, in quâ ei placet, ut manifeſtetur Dei nomen, fides propagetur,

& cre-

& credentibus bene ſit; *omne conſilium tuum impleat.* Id eſt conſilium juſti propoſiti, quo hoſtium violentiam dirigit ad bonum Eccleſiæ, ipſorumque exitium & pudorem; Pſalm. 20: verſ. 5. Sic Pſalmiſta, ubi agit de fine exaltationis Chriſti: *Et docebit te terribilia dextera tua.* i. e. Experimento ipſo cognoſcenda dabit tibi tremenda opera. Qualia ſunt omnia opera Chriſti regis à prophetis deſcripta. Pſalm. 45: 5. f. Quod autem Deus regnum ſuum eô fine occupaverit, ut ſuos conſervet, id etiam ita indicatur, Pſalm. 68: 6. *Pater pupillorum & judex (ſ. patronus) viduarum Deus in habitaculo ſancto ſuo.* Idemque Eſaias in exemplo oſtendit, cap. 28: 17. Ubi agens de ultimo ſupplicio Judæorum, oſtendit, in illo judicio obſervatum diſcrimen. Nempe ut ſuos conſervet, hoſtes puniat. Fore enim judicium ſecundùm *lineam & perpendiculum.* Ubi quod eſt ſecundùm perpendiculum; ſtat, quòd ab eo diſſidet, diruitur. Et porrò à verſ. 23. ad f. cap. id parabolâ deſumtâ ab agriculturâ illuſtrat; cujus ἐπιμύθιον nobis relinquitur cogitandum. Nempe Deus Iſraëlem habebat pro agro: Aravit, occavit, ſemen ſevit. Nata eſt herba varia, bona & mala. Non conveniebat Deo meſſem negligere, & vel totam ſine reperire, vel totam in horreum colligere. Omnia facit agricola, ut conſervet frumentum; non etiam Deus conſervet oves ſuas? Igitur certum eſt, Deum & ſuos conſervaturum, & identidem à malarum herbarum luxurie liberaturum, & in trituratione piorum eſſe habiturum rationem, ut non frangat triticum.

§. 32. Præparatio Chriſti in regem eſt. 1. in Unctione ejus, h. e. deſtinatione, quâ ante jacta mundi fundamenta προεγνώσθη & deſignatus ac conſtitutus eſt divino decreto rex & dominus ſalvandorum: quemadmodum ſic reges & ſacerdotes unctione ad regnum vel ſacerdotium deſtinabantur. De hâc unctione Chriſti eſt Proverb. 8: 23. Ubi dicit Sapientia. i. e. Chriſtus, qui eſt ſapientia: *A ſæculo uncta ſum, ab initio, à primis terræ.* h. e. Regnum mihi deſtinatum eſt ab æterno, & datum eſt à primo tempore mundi. Et de eâdem intelligi quoque poteſt, quod eſt Pſal. 2: 6. *Et vel ſed ego unxi regem meum in Sionem montem ſanctum meum.* Et Eſ. 61: 1. *Spiritus Domini eſt ſuper me, quia unxit me Jehovah.* h. e. æterno conſilio me deſignavit, ſ. definivit; quemadmodum per unctionem reges ſolent definiri ac deſignari. 2. in ſanctificatione naturæ ipſius humanæ, quâ Deus illam exornavit atque inſtruxit ad officium regium rectè adminiſtrandum. Quæ ſanctificatio ac præparatio naturæ Chriſti humanæ ad hoc officium, etiam videri poteſt ſignificata per *unctionem*, de quâ loquuntur David, Pſal. 2: 6. & Eſaias, cap. 61: 1. Et peculiariùs Pſalmiſta, Pſal. 45: 8. *Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo alacritatis ultra conſortes tuos.* Agitur enim ibi de Chriſto homine. De hâc verò unctione egimus ſuprà ad Art. 1. ubi de triplici Chriſti officio agebamus. 3. Præparatio Chriſti ad regnum ſpectata eſt in conſummatione ejus, tanquam Principis ſalutis ſuorum, per paſſiones, h. e. repræſentatione ac impletione omnium illorum, quæ neceſſaria erant ad ſtatum regni & gloriæ conſequendum. Quò referri poteſt illud Eſaiæ: *Et conſtabilitus eſt in gratiâ* Filii, ſpectatâ in obedientiâ & paſſionibus ipſius, *thronus.* Eſ. 16: 5. Add. Ezech. 1: 26.

§. 33. Sic itaque præparato Chriſto in regem, Rex conſtitutus, in throno collocatus, atque coronatus eſt. De quâ Chriſti conſtitutione, & quaſi inauguratione in regem, ita loquuntur Prophetæ. David: *Gloriâ*, per reſurrectionem ex mortuis, *& honore*, per aſcenſionem in cœlos, *coronas eum.* quatenùs nim. per hanc aſcenſionem ei das honorem, ut ſit rex & ſacerdos Eccleſiæ, & omnes ad eum reſpiciant, ut caput & regem ſuum; Pſal. 8: 6. *Et elegit Davidem ſervum ſuum, & accepit*

cepit eum à caulis ovium. à ſequendis fœtis adduxit eum, ut paſtor eſſet in Jacobo populo ſuo, & in Iſraële hæreditate ſuâ. Pſal. 78: 70. 71. ubi loquitur Propheta de ſemetipſo, ut typo Chriſti. *Dixit Jehovah Domino meo: Sede ad dexteram meam.* & regnum capeſſe; Pſal. 110: 1. Eſaias: *Et devolutus eſt principatus in humerum ipſius, & nuncupatum eſt nomen ejus ... Princeps pacis.* Eſ. 9: 5. Jeremias: *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & excitabo Davidi germen juſtum, quod regnabit rex.* h. e. quod ſolum, abrogatis paſtoribus, ſine ſociis, erit rex, quippe dominus ovium, quas mercatus erit ſanguine ſuo; Jerem. 23: 5. Daniel: *Uſque ad unctum, ſ. Chriſtum, Principem.* q. d. uſque ad illud tempus, quo Chriſtus ſtatu ſervitutis depoſito, fiet omnium ſupremus & omnium primus, rex & dominus Eccleſiæ ſuæ; Dan. 9: 25. Johannes: *Et raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.* collocatus in eo, & regnaturus in gentibus, Apoc. 12: 5.

§. 34. Et in his quidem Pſal. 8: 6. 78: 70. 71. 110: 1. Jerem. 23: 5. collocatio Chriſti in throno, Deo auctori aſſignatur. Modus verò collocationis indicatur Pſal. 110: 1. verbis: *Dixit Jehovah ad Dominum meum, Sede.* Quibus notatur 1. collocatio facta palàm, coram multis teſtibus, qui ſcil. agnoſcerent, Patrem hoc Filio dixiſſe. 2. facta unâ operatione Patris & Filii. Ideo proponitur per Patris juſſionem ſ. verbum, & filii ſeſſionem. In quâ filius non egit nihil; imò hoc, quod jubebatur, poteſtate ſuâ egit. Eſt enim *ſedere* verbum poteſtatis. Ita Chriſtus & ſuâ virtute & Patris voluntate ac efficaciâ aſcendit. 3. Facta in Domino Davidis & Eccleſiæ exinanito.

§. 35. Conſtitutus autem eſt Rex ſuper gentes, & omnes tribus Iſraëlis. Ita enim eſt Pſal. 2. vers 8. *Poſtula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & proprietatem tuam extrema terræ.* Et ita quoque loquuntur aliæ prophetiæ. Jacob in extremis de Schiloh: *Et illi erit obedientia populorum*; Gen. 49: 10. David iterum *Jehovæ eſt regnum, & princeps ſ. poteſtatem habens inter gentes.* cui gentes ſunt traditæ, ut inter illas verbum ipſius ſonet, & per ſpiritum ſit efficax; Pſal. 22: 29. *Populi ſubter regem cadunt; filiæ regum in pretioſis tuis.* Pſal. 45: 10. Et, *Jehovah Altiſſimus timendus eſt, Rex magnus ſuper totam terram.* vel Iſraëlis, ubi omnem aliam poteſtatem abolevit, vel totum mundum; Pſal. 47: 3. Et, *Extolle te ſupra cœlos, Deus, inſide ſolio tuo judex; ſuper totam terram ſit gloria tua.* Fiat manifeſtum, quòd in te ſit ſalus omnibus, qui invocant te; Pſal. 57: 6. Hinc Deus *Auditor precum, ad te omnis caro accedent* ſine diſcrimine; Pſ. 65: 3. Et, *Deus juſtitiæ noſter, fiducia omnium terminorum terræ & maris longinquorum*; Ibid. vers 6. Diciturque 1. in terrâ, *dominaturus à mari* rubro uſque *ad mare* Philiſtæorum, (Exod. 23: 31.) *& à fluvio* (Euphrate, Exod. l. Cit. & Deut. 11: 24. & conf. Gen. 15: 17.) *uſque ad terminos terræ.* Quibus ſignificatur, Chriſtum per omnes tribus terram ſorte patribus datam & Imperio eorum aſſignatum habitantes & implentes, regnum ſuum Evangelii prædicatione eſſe extenſurum. Pſal. 72: 8. 2. Extra terram, *fore ut coram ipſo* ut rege, *ſe incurvent*, ipſum adorantes, *deſerticolæ, & inimici ejus*, primò Judæi, deinde reliqui, *pulverem lingant.* in eum proſtrati. Ibid. vers. 9. Et in ſpecie, *Reges Tarſis & Inſularum munus referant*, ſ. identidem dent, *reges Scheba & Seba munus offerant.* Ibid. vers 10. *Et denique adorent eum omnes reges, omnes gentes ſerviant ipſi.* vers 11. Ita Eſaias, quando *vidit Dominum ſedentem in throno celſo & elato*; ſimul vidit, *fimbrias ejus impleviſſe templum*, & *gloriam ejus impleviſſe totam terram.* Quo ſignificabatur, Chriſti regis gloriam manifeſtandam fuiſſe in omnem carnem, inprimis in omnes filios Iſraëlis ſine diſcrimine, ut non tantùm Levitæ,

quorum

ſtatio erat in templo, ſed & totus Iſraël, ſint Dei habitatio, & quaſi indumentum glorioſum ejus; Eſ. 6: 1. & 3. ſ. Hinc etiam eſt, quòd ſub regno Chriſti Deus per Apoſtolos alloquatnr & *gentes*, & *nationes*, h. e. tribus Iſraël, efficiatque ut *gentes accedant ad audiendum*; Eſ. 34: 1. quodque dicatur *cœlum thronus Dei*, & *terra ſcabellum pedum ejus*. Ita ut homines in toto mundo ſine diſtinctione ſtent ad pedes ipſius, neque habeant locum proprium, ad quem Deus velit venire. Eſ. 66: 1. Itemque fore ut *molle illud*, deciſum de capite ſtolonum Jechoniæ, i. e. Chriſtus filius Jechoniæ, *plantatum in monte celſitatis Iſraëlis ferat ramum & faciat fructum*, & *fiat cedrus ingens*, & *habitent ſub ipſâ omnis avis*, *omnis ala in umbrâ ramorum ejus habitet*, i. e. omnes gentes ad ipſum accedant tanquam unicum ſuum effugium, utque tandem ſub protectione ipſius, pace fruantur ipſis regibus & principibus ipſi inſervientibus ad præſtandam pacem confugientibus ad ipſum Ezech. 17: 23. Et *lapis* ille *exciſus à monte*, *qui comminuerat* omnia alia imperia per imaginem Nebucadnezaris adumbrata, *factus mons præmagnus*, & *impleviſſe totam terram*. Notatur enim, Chriſtum habiturum fuiſſe regnum in omnibus gentibus; Dan. 2: 35. Ac denique *futurum, ut loquatur pacem gentibus*, & *dominatio ipſius ſit à mari ad mare & à fluvio ad terminos terræ*. Ubi per gentes intelligitur reliquus mundus totus; per terminos terræ Palæſtinæ gens Judaica. Zach. 9: 10.

§. 36. Nec tantùm ſic Chriſtus rex factus eſt ſuper omnes gentes, ſed etiam abſolutè ſuper omnes creaturas, etiam illas, quæ ſuâ naturâ minus videntur Deo obſecundare. Quod ita dicitur Pſal. 8: 7. 8. 9. *Facis ipſum poteſtatem habere in omnia opera manuum tuarum*. nempe, ut ex vers 4. liquet, Solem, Lunam, Sidera, & omnes denique res creatas, ut ipſi & Eccleſiæ ſuæ ſerviant, & omnia amantibus ipſum cooperentur in bonum: *omnia poſuiſti ſub pedes ejus*. ita ut nihil ſit, quòd ei non ſubjecerit, Hebr. 2: 8. Etiam ipſos Angelos ei ſubjecit ut eſt 1 Pet. 3: 22. Eò ſcil., ut populus ejus cum ipſo regnet ac triumphet ſuper omnia; & præterea, Apoſtolus 1 Cor. 15: 26. 27. ex his verbis concludit, omnes principatus & hoſtes tandem aboleantur; & cùm à ſubjectione tantùm excipiat eum, qui ſubjecit, oſtendit hujus ſubjectionis finem, nempe ut Deus ſit omnia in omnibus, id eſt, ut Deus tandem in omnibus ſubjectis, æque ac in Chriſto, omnem beatitudinem conſummet. Hæc vers 7. Pergit jam ſpecificare quædam, illuſtrandi gratiâ, illorum, quæ ſubjecerit: *Oves & boves*, *univerſa iſta*; *atque etiam beſtias agri*: vers 8. *Volucres cœli*, & *piſces maris*: *tranſiens itinera marium*. Ut monſtra marina, cete, dracones, & ſim. vers 9. Quibus ſignificatur 1. omnium rerum dominium per regnum Chriſti reſtitutum, uſumque earum ſanctificari, ut ad gloriam Dei tendat, cùm in V. T. etiam ſanctificatis ex Iſraële non liceret omnibus veſci cibis. quo ſignificabatur omnium rerum uſus impurus factus per peccatum; quo expiato omnia ſunt pura puris. 2. Suo tempore bona mundi fore ſubdita Chriſto, gentium regnis ſervientibus Eccleſiæ. Hæc gloria Chriſti, ut capitis & regis, cum fratribus ſuis, tùm beatis, tùm militantibus, & ſervis ſuis ac conſervis fratrum ſuorum, beatis Angelis, Ezechieli monſtrata eſt in viſione, quæ legitur. Ezech. cap. 1: 5 — 28.

§. 37. Caput regni ſ. metropolis eſt mons Sion. Hoc enim docetur Pſalm. 2: 6. *Et ego unxi regem meum ſuper Sionem*. Et prædictum erat: *Virgam roboris tuam Jehovah emittet ex Sione*; Pſal. 110: 2. Item: *Et erit*, ſ. *fiet in extremo dierum*, decurrente ad finem tempore V. T: & viſionis; *exaptatus erit mons domus Jehovæ*, id eſt mons Morijah, qui appendix montis Sion, *in capite montium*, & *ſublatus præ collibus*, q. d. exornatior, glorioſior, & celebrior erit omnibus montibus, & colli-

Ppp bus,

bus, etiam iis, in quibus Deus ſe revelavit, ut Sinai. Sicuti factum eſt, cùm Deus ipſe Sionem viſitavit, in eoque ſe manifeſtavit ad ſenſum; *& fluent ad illum omnes populi. Et ibunt populi multi, & dicent: Agite adſcendamus montem Jehovæ, domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis ſuis, & ambulemus in itineribus ejus. Nam ex Sijone egredietur lex, & verbum Jehovæ ex Hieroſolymâ.* Eſ. 2: 2. 3. & Mich. 4: 1. 2. Atque ita Ezechiel: *In monte celſitatis Iſraëlis*, i. e. in monte Sion, *plantabo illud* molle deciſum ex capite ſtolonum Jechoniæ, Chriſtum filium Jechoniæ. Ezech. 17: 23. In hiſce *mons Sion* non tam propriè & literaliter eſt accipiendus, quàm ſpiritualiter & impropriè; ſicut nec *accedere ad montem* templi ſignificat localem motum, quod & innuit Eſaias: *nam exibit ex Sione Lex*, &c. Scil. mons Sion erat habitatio Dei delecta ad manifeſtandum verbum gratiæ, quod Deus in carne deſtinaverat loqui; ubi Spiritus debebat effundi; unde prædicatio Evangelii debebat egredi ad Iſraëlem & totum mundum. Vid. Pſal. 78: 68. & 132: 13 — 17. Ungi igitur ſuper Sionem eſt conſtitui, exhiberi ſ. declarari regem, qui in Sione debeat loqui, & ex Sione per Spiritum ſuum emittere verbum, tanquam ſceptrum roboris ad Iſraëlem & ad gentes. Et accedere ad illum montem eſt accedere ad regem in Sione manifeſtatum, qui acceſſus eſt communionis per fidem. Porrò cum monte, ut arce regni, templum, urbs, tribus, & populus intelligenda ſunt. Ita ungi ſuper Sionem erit conſtitui regem ſuper illum populum, qui colligitur ad Sionem, h. e. qui regi in Sione manifeſtato ſubjicitur, ſive is populus in cœlo, ſ. in terrâ, ſ. in quâcunque gente, ſit: Et accedere ad Sionem erit huic populo per communionem fidei adjungi. Sed & montis hieroglyphico paſſim in Scripturâ intelligitur populus in unum coactus. Vid. Cantic. 2: 8. 17. Apocal. 8: 18. Zach. 4: 7. Jerem 51: 25. Dan. 2: 35. 44. Quare & Eccleſia *mons* quidam eſt. Sub allegoriâ verò *montis Sion* ea intelligitur ſuaviſſimè: non tantùm quia accedit ad Regem in Sione manifeſtatum, & colligitur ad eum populum, qui regi in Sione manifeſtato ſe ſubjecit; verùm etiam, quia ut olim Sion, eſt delecta Dei habitatio, civitas fundata, civitas regis, & quidem ejus, qui eſt genus & radix Davidis. Commodiſſimè autem Eccleſia N. T. ſic appellatur; quia, ut Sion habuit aliquando arcam ſine tabernaculi Moſaici apparatu, ut potuerit ſine ſacerdotii Aharonici ſervitute adiri, & canticis ſolennibus celebrari; ita ipſa habet ἱλαστήριον, *propitiatorium*, propoſitum publicè quaſi in medio, cum poteſtate accedendi illud in fiduciâ.

§. 38. Hunc populum Chriſtus ipſe ſibi acquiſivit ſanguine ſuo, & porrò potentiâ & merito illum ſuſtinet. Ita enim Eſaias: *Sion cum judicio redimetur, & reſipiſcentes ejus in juſtitiâ.* Eſ. 1: 27. Atque hæc eſt *fundatio Sionis*, de quâ loquitur idem Eſaias cap. 28: 32. Et *ædificatio ſanctuarii*, de quâ eſt 2 Sam. 7: 11 — 16. & Pſ. 78: 69. & *Confirmatio frugiferæ*, de quâ Pſal. 93: 1. Quare & Chriſtus vocatur *lapis*, rupes ſalutis, *in Sione fundatus*, in medio Iſraële manifeſtatus, *angulus fundati*, omnia ſibi inædificata conjungens & vivens in omnibus, & quidem *fundati*, Eccleſiæ fundatæ, *fundatiſſimi*, utpote in ipſo fundati, qui potentiâ & merito illud ſuſtinet. Scil. populus regis ſimilitudinem habet urbis & civitatis: Urbis quidem, propter inhabitationem Dei, & quia eſt inexpugnabilis receptus confugientibus ad eam; civitatis autem, propter communionem ſanctorum ſub uno capite. Sion autem vocatur, quia ex quo Deus habuit templum Hieroſolymis in Sionis quâdam parte, & D. Jeſus filius Dei ad templum ſuum venit, omnes accedentes ad Deum fiunt cives illius civitatis, in quâ Deus ſe revelavit & habitavit. Hæc civitas habet fundamentum, ut nullâ vi ſubrui aut everti poſſit, ſed maneat in æternum.

Fundat

Fundat eam Jehovah, h. e. Deus ipſe eſt ea rupes, in quâ hæc civitas fundatur; & Jehovah fundator eſt. Fundamentum autem, quod Deus ponit, eſt Chriſtus, lapis ille, quem rejecerunt ædificantes. Idem quoque angulus eſt ædificii.

§. 39. Cauſa proëgumena fundationis Sionis, & conſtitutionis Chriſti regis ſuper eam, eſt gratia. Ita Eſaias cap. 16: 5. *Et conſtabilitus eſt per gratiam thronus.* quia à gratiâ erga eos, qui Chriſti ſunt, eſt ut Chriſti exinanitio, ita & exaltatio. Add. Pſal. 36: 6. 57: 11. Nempe Jehovah ſolus fundat Sionem per gratiam & potentiam communem tribus perſonis; Pater ſcil. dando Filium, & faciendo Teſtamentum de hæredibus vitæ in Chriſto; Filius, ſpondendo & intercedendo, & tempore ſuo lytron ſolvendo; Pater & Filius, dando Spir. S.; Spiritus Sanctus, ſanctificando, & in unum corpus conjungendo, & nos obſignando in diem liberationis. Huc etiam pertinet, quod eſt Pſal. 111: 5. ubi poſtquam egiſſet de Majeſtatis Dei demonſtratione, & mirabilia ipſius in memoriam revocaſſet, agnoſcit, quòd *recordatur in ſæculum fœderis ſui.* h. e. memor eſt promiſſionis, quâ ſe ad iſta omnia obligavit timentibus ſe. Cauſa verò conſtituendi regis ſuper Sion, indicatur Pſal. 2: 6. verbis: *Ego unxi regem meum ſuper Sionem montem ſanctum meum.* Quaſi dicat: Ideo unxi regem meum ſuper Sionem: quia is eſt mons meus ſanctus. h. e. quia eum dilexi, ut non tantùm apud eum eſſet tabernaculum meum manu factum, abundans figuris & documentis rerum futuri temporis, ubi velim me quæri, adorari, & invocari, ubi præſtò ſim futurus quærentibus me, ſed etiam, ut ſalutem & pacem repræſentem, ut ibi verba mea audiantur, ut ibi me videant Iſraëlitæ in Filio meo, ut ibi effundam ſpiritum meum, ut inde egrediatur verbum meum in toto Iſraële & in gentibus prædicandum. Hæc enim in totâ Hieroſolymâ, & præcipuè in Sione, tanquam urbe Davidis, per filium Davidis facta ſunt, & fieri debebant. De hâc dilectione & electione montis Sion Vid. Pſalm. 78: verſ. 68. Pſalm. 132: verſ. 13 — 17.

§. 40. Chriſto etiam id regnum competebat cum poteſtate & jure ad illud. De quâ competentiâ eſt Pſalm. 24: 1. 2. Ubi Deo, i. e. filio Dei aſſeritur proprietas terræ & jus regni in mundo; quia creavit terram. Et Pſalm. 45: 5. *Decus tuum pertranſi, ſuperinſide*, penetra cœlos, & occupa ſolium, *propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Veritatem*, tùm quia veram viam ad ſalutem clariſſimè juxta teſtimonia legis & prophetarum annunciavit; tùm quia omnem juſtitiam implevit, quòdque adeo lex Dei in ipſo eſt vera, h. e. habet in ipſo verum ὑποχείμενον; tùm quia ea omnia præſtitit, quæ de ipſo prædicta erant, & promiſſiones patris verificavit: *Manſuetudinem*, quæ tùm in humilitate & paupertate; tùm in clementiâ & tolerantiâ circa peccatores; tùm in obedientiâ ad patiendum ſpectata eſt: *Juſtitiam*, quæ in eo ſpectata fuit, quòd tribueret unicuique ſua citra proſopolepſiam, triſtibus ob peccata conſolationem Euangelicam, ſecuris & ſcientiæ opinione turgidis terrorem & indurationem. Hæ ſunt virtutes, propter quas Chriſtus exaltandus erat, quarum 1. veritas tribuitur Chriſto, tanquam teſti & prophetæ verba Dei loquenti; ſecunda manſuetudo, ut ſacerdoti ſeipſum offerenti; tertia juſtitia, tanquam regi. Tale etiam poteſt videri illud ejuſdem. Pſalm. verſ. 8. *Dilexiſti juſtitiam & odiſti improbitatem. Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus.* &c. Sumendo nempe unctionem illam de exaltatione Chriſti, quâ exaltatus dexterâ Dei, acceptâ à Patre promiſſione Spiritus Sancti, effudit illum viſibiliter in Apoſtolos; atque eâ re eum Deus fecit Dominum & Chriſtum, h. e. publicè compellavit, & auctoravit. Actor. 2: 33: 36. Et huc quoque pertinet iſtud Pſalm. 110: 7. *Ex torrente,*

rente, afflictionum & paſſionum, *in viâ*, in ipſo curſu juſtitiæ, & progreſſu ad regnum, *bibit*, illum torrentem ingreſſus, & tantùm non ab eo ſuffocatus; *ideo extollit caput*. Indicatur ſcil. exaltatio Chriſti & cauſa ejus, tùm in ipſo, tùm in membris ejus. Et ſic quoque dicitur *conſediſſe ſuper throno in veritate in tentorio Davidis Judex*. Ubi *in veritate* notat cauſam ſeſſionis in throno. q. d. ob veritatem, nim. obedientiæ, quæ nullâ in re fefellit, ſicque merito veritatis, Chriſtus hoc regnum eſt conſecutus. Quibus concinit rurſus idem Eſaias, cap. 53: 12. ubi eſt: *Propterea impertiar ipſi* ſ. dabo ipſi partem, *in multis*, *& cum robuſtis*, vel *numeroſos*, *partietur ſpolium*. Tandem ſcil. πλέρωμα τ̃ ἱδρῶν ad Chriſtum accedet, *proeo quod in mortem effudit animam ſuam*, *& cum deſectoribus numeratus eſt*, *cùm ipſe peccata multorum ferret*, *& pro deſectoribus intercederet*. Cauſa nim. regni Chriſti attribuitur amori & obedientiæ ipſius. Conjunguntur hæc duo, gratia Dei, & meritum Chriſti, in hâc Chriſti oratione: *Salus tua*, *ô Deus*, *ſublimet me*. h. e. Redemtio per me facta, tuo dono & tuâ gratiâ, faciat me compotem vitæ, gloriæ, regni, hæreditatis. Pſ. 69: verſ. 30. Et hinc quoque eſt, quòd Chriſtus dicatur *poteſtatem habens Iſraelis*, is nim. qui dignus eſt accipere regnum, gratiarum actionem, gloriam, & poteſtatem in cœlo & in terrâ. Jerem. 30: 21. Idque vi pacti, quòd ipſi intercedebat cum Patre, quo *ſi poneret anima ejus ſatisfactionis precium*, *viſurus erat ſemen*; Eſai. 53: 10. Et *à labore animæ ejus viſurus erat*, *unde ſatietur*, *& in agnitione ſui juſtus ſervus Dei erat juſtificaturus multos*. Ibid. verſ. 11. Quare & ab hoc jure ipſe *juſtus*; Eſai. 53: verſ. 11. & *germen juſtum*; Jerem. 23: 5. & Deus quoque *Deus ipſius*; Pſal. 22: 3. 45: 8. & *Deus juſtitiæ ipſius*; Pſalm. 4: 2. & *Deus gloriationis ipſius*; Pſal. 22: 26. 109: 1. cum quo nim. fœdus de juſtitiâ, regno, & hæreditate, & à quo jus de iſtis omnibus gloriandi, habebat.

§. 41. Haud abſque cauſâ igitur eſt, quòd competentiæ hujus atque poteſtatis origo referatur ad poſtulationem Filii & donationem Patris, Pſalm. 2: 8. Ubi Filius: *Jehovah dixit ad me*: *Poſtula à me*, *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, *& proprietatem tuam extrema terræ*. Scil. obedientia Chriſti dat ipſi jus poſtulandi regnum, & hæreditatem, & Patri facultatem illam citra diſpendium gloriæ ſuæ dandi. In eâque tùm poſtulatione Filii, tùm datione Patris eſt origo poteſtatis Filii in regno. Quare nec ſine emphaſi dicitur Pater Filio *dare*, nim. petenti, hæreditatem, & regnum; Ezech. 37: verſ. 26. Et *dare judicium ei*, cujus eſt illud; Ezech. 21: verſ. 32.

§. 42. Sic itaque Chriſto, tùm merito, tùm juſſione ac voluntate Patris, poteſtate factâ regnum adeundi, jure ſuo *ſedit ad dextram Dei* Patris ſui; Pſalm. 110: 1. *conſedit in throno*; Eſai. 16: 5. & quidem *in throno Dei*; Zach. 6: 13. Cumque nemo poſſit pleno jure ſedere in throno Dei, & regnare ut Deus, niſi Deus, ſic *Deus* ipſe *viſus eſt* ſub formâ humanâ *ſedens in throno*; Eſai. 6: 1. Et *in throno viſus eſt tanquam homo*; Ezech. 1: 26. Sub illâ ſcil. formâ *gloria Domini ſtetit ſuper Cherubinis*; Ezech. cap. 10: 18. Atque ita denique *Jehovah factus eſt rex in Jeſchurun*; Deut. 33: 5. & *Jehovæ factum eſt regnum*; Pſal. 22: 29. Et *Jehovah rex factus eſt*, h. e. regnum occupavit & capeſſivit; Pſalm. 93: 1. 97: 1. 99: 1. & *Regnum Dei venit*; h. e. adductum, repræſentatum ac manifeſtatum eſt. in orat. Domin.

§. 43. Temporis circumſtantiæ, quæ hanc Regni Dei manifeſtationem comitantur, & ex quibus debuit agnoſci, ſunt plurimæ; imò tot, quot rerum gerendarum articuli jam præceſſerunt; qui idcirco ex antecedentibus repeti poſſunt. Hic ſolummodò notetur debuiſſe regnum Chriſti ſpirituale inchoari, ſolio Davidis politico,

politico,

litico, ideſt politiâ Iſraëliticâ, nondum plane abolitâ, ut nunc ita ſublata eſt, ut ejus in veteri formâ reſtituendæ nulla ſit ſpes, adeoque ſtante adhuc rep. Judæorum; idque vi promiſſionum, quæ exſtant Gen. 49: 10. Pſ. 89: 5. & 30. & 37. 38. Jer. 30: 15. 17.

§. 44. Accepto regno Chriſtus deinceps illud adminiſtrat, actuque *dominatur*; Num. 24: 19. Pſal. 8: 7. 110: 2. Zach. 6: 13.

§. 45. Dominatur autem dupliciter: 1. quando non tantùm præcipit illa, per quæ homo juſtus & beatus efficitur, ſed etiam efficax eſt in iis, qui ipſi dati ſunt, & ab ipſo redimuntur in populum, ut voluntariam & libertimum obſequium ei præſtent; ſimulque exornat ipſos, concinnat, perficit, & conſummat, efficitque ne in ipſis ullum, bonum, ſive temporale, ſ. inprimis ſpirituale, deſideretur. 2. quando hoſtes ſuos cujuſcunque generis, qui fidei obſiſtunt, proſternit infra pedes fidelium, ut electorum converſioni illorum poteſtas non obſtet. De priori parte dominii agit Scriptura, ubi effectum potentiæ Regis ponit in *ædificatione ſanctuarii*, ſ. Eccleſiæ; Pſal. 78: 69. & 2 Sam. 7: 13. in *paſcendo*, & *ducendo* Iſraële; Pſalm. 78: 69. Eſai. 40: 11. Ezech. 34: 23. Mich. 5: 3. Zach. 11: 4. in *confirmatione frugiferæ*, h. e. Eccleſiæ; Pſal. 93: 2. in *reverentiâ* ſ. vi flexanimâ ejus, qui accepit Sp. S., quem donat, quibus vult, Pſalm. 111: 3. in *confirmatione* & *fulturâ regni Davidis*; Eſai. 9: 6. in *fundatione Sionis*; Eſai. 14: 32. & 28: 16. &c. De poſteriori, ubi dicitur Deus *poſiturus inimicos ejus ſcabellum pedum ipſius*; Pſal. 110: 1. Et *induturus inimicos ejus pudore*; Pſal. 132: 18. & ipſe *dominaturus in medio hoſtium ſuorum* Pſal. 110: 2. &c. Conjungit utramque dominii partem Pſalmiſta, ubi Chriſti poteſtatem in regni adminiſtratione & vindicatione, verbis Patris ita explicat: *Conquaſſabis eos*, & corda eorum dura emollies, ut ſe regi ſinant, *virgâ ferreâ*, vi verbi & Spiritus Dei; *Ut vas figlinum diſſipabis illos*, qui ita quaſſari & regi nolunt. Pſalm. 2: 9.

§. 46. Sceptrum regis, quo dominatur, pro ratione duarum partium dominii, eſt duplex. 1. enim, reſpectu credentium, eſt *Elatio nominis Domini Dei noſtri*, ſ. *nomen D. D. n. ſe efferens*. h. e. nominatio & prædicatio Domini Dei noſtri, quâ plenè & clarè explicatur, quis ſit Dominus, ſ. quæ ſit ipſius gloria, & non tantùm quæ ſit, ſed etiam, quòd ea gloria ſit à Patre per Filium in re & facto ipſo manifeſtata. Mich. 5: 3. Id eſt verbum Euangelii; *δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ πιστεύοντι. potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Rom. 1: 16. h. e. Organon, per quod Deus potenter efficax eſt ad fidem & ſalutem. Ideo appellatur *ſceptrum oris* Chriſti; Eſai. 11: 4. *gladius anceps acutus exiens ex ore ipſius*; Ap. 1: 16. coll. Heb. 4: 12. *Virga ferrea*; Pſalm. 2: 9. efficax nempe, vi Spiritus, ad conterendam ſuperbiam, & molliendam duritiem. & *virga roboris*, virga nim. ſ. ſceptrum robuſtum, h. e. irreſtibile, omnia ſibi ſubjiciens. Pſalm. 110: 2. & *robur*, Pſalm. 8: 3. & 93: 2. Probatur autem in locis citatis per virgam, ſ. ſceptrum regni intelligi verbum Euangelii, non tantùm ex Eſai. 1: 4. itemque Apoc. 1: 16. coll. Heb. 4: 12. Sed etiam ex collatione, Pſalm. 110: 2. cum Eſai. 2: 3. Mich. 4: 2. Cùm enim utrobique agatur de regni Dei propagatione, quod in Pſalmo dicitur, *Jehovah emittet virgam roboris tuam ex Sione*; id Eſaias & Michæas ita interpretantur: *Ex Sione egredietur Lex, & verbum Domini ex Hieroſolymâ.* Huc reſpicit Zacharias, cap. 9: 10. *Et loquetur pacem gentibus.* 2. reſpectu hoſtium, eſt idem verbum Euangelii, quatenus illo Chriſtus damnat & pœnis addicit infideles, & plagas per efficaciam ſuam, qui verbum illud loquitur, imponit. Unde dicitur Chriſtus *ſceptro oris ſui percutere*

terram; Eſai. 11: 4. & *virgâ* illâ *ferreâ*, de quâ paulo ante, *ut vas figlinum diſſipare illos*, qui emolliri & quaſſari nolunt. Pſalm. 2: 9. Tùm etiam pro re natâ, eſt gens aliqua, vel magnum aliquod imperium, hoc vel illud, quo Deus utitur ad puniendum vel comprimendum hoſtes ſeſe opponentes veritati, & veritatem per injuſtitiam detinentes. Ita Ezech. 21: 14. 15. populus Romanus, cujus imperium illîc deſcribitur ſub emblemate *gladii* cujuſdam *valde acuti*, *atque etiam perpoliti*, ita ut *coruſcet*, & ſit terribilis in toto mundo; quo nim. populo Deus uſurus erat ad exſcindendum Judæos refractarios; is inquam populus vocatur *ſceptrum filii Dei*.

§. 47. Locus regni eſt inter hoſtes. Ita enim eſt Pſal. 110: 2. *Dominare in medio hoſtium tuorum*. h. e. 1. Collige Eccleſiam tuam inter hoſtes, ſ. illi repugnent, ſ. non. 2. noli pati, ut hoſtes tui ſceptro tuo reſiſtant, ſed partim frena illos per potentiam tuam, ne impediant curſum Euangelii, partim comprime per ipſorum pœnam & deſtructionem.

§. 48. Fuerat hactenùs regnum Dei in mundo, ſed partim cum בזעם irâ & excandeſcentiâ Dei erga peccatum, quod adhuc exſtabat, & nondum erat expiatum; cujus iræ effectus erant tùm judicia ingentia, quibus Deus modò totum mundum, modò hunc illumve populum, regnum, imperium viſitabat; tùm exprobatio peccati, & impoſitio legis operantis iram, facta populo Iſraëlitico, atque etiam ſanctis in eo, & conſecutæ plagæ, caſtigationes, & judicia erga transgreſſores iſtius legis: Partim cum ἀνοχῇ tolerantiâ peccatorum, tùm in toto mundo, tùm inprimis in populo, & multiplici erga illos beneficentiâ. Jamnunc autem peccato expiato, & cauſâ juſtitiæ æternæ repræſentatâ, cùm non amplius Deum deceret vel iraſci generi humano ob peccatum quaſi adhuc extans, vel benefacere aut tolerare eos, qui tantam ſalutem negligerent, quique veritatem in injuſtitiâ detinerent, conſtituit in poſterum regnare cum demonſtratione, gratiæ quidem, loco iræ, erga populum & gentes; iræ autem, loco tolerantiæ, erga omnem impietatem & injuſtitiam hominum detinentium & impedientium veritatem revelatam in injuſtitiâ; Rom. 1: 18. Judæi primùm & Græci; Rom. 2: 10.

I. inquam regnare conſtituit cum demonſtratione Gratiæ. Ita enim Eſaias: *Et conſtabilitus eſt in gratiâ thronus*. Quo ſignificatur inter alia modus regni: nim. cum plenitudine gratiæ. Eſai. 16: 5. Atque hinc tempus ſub regno Dei, appellatur *tempus gratiæ*; Pſalm. 69: 14. *diluculum deſiderii Dei*; Eſai. 11: 4. *annus acceptationis Domino*; Eſai. 61: 2. *annus aſſertorum Dei*; Eſai. 63: 4. Significatur quoque hæc gratia, ubi de judiciorum Dei ſub N. T. moderatione ſic loquitur Pſalmiſta: *Judicia tua abyſſus magna, hominem & pecus ſervas Jehovah*. q. d. Ita judicas, ut non deſinas eſſe ſervator hominum & pecudum, etiam brutorum hominum, &c. Pſal. 36: verſ. 7. Item Hab. 3: 2. *In irâ miſerari recordaris*. Itaque ſublatis iræ ut cauſis, ita & effectis, cùm 1. olim gentes dimiſiſſet à facie ſuâ, & ſiviſſet eas ambulare in viis quaſque ſuis, apud unam verò gentem Iſraëliticam thronum terreſtrem habuiſſet; thronum regni ſui erexit, eumque collocavit ſupra cœlos, ubi promiſcuè ab omnibus hominibus & poteſt & vult adiri. Quod ita exprimit Pſalmiſta: *Mons Dei Baſan. mons gibborum, mons Baſan. Quare invidetis, montes, gibbi? Montem, in quo concupiverit Deus habitare, etiam habitabit in perpetuum. Currus Dei myriades; millia iterata: Dominus eſt in ipſis: Sinai in ſancto eſt*. Senſus: Deus non adſtringet ſe in poſterum certo populo & loco. Regnum habet latiſſimè patens. Pomœria ejus ipſum Sinai montem in medio deſerto poſitum amplectuntur. Pſalm. 68: 16. 17. 18. Item: *Jehovah rex factus eſt: Erectionem induit, induit, inquam,*

Jeho-

Jehovah. Scil. pro demiſſione regni & throni ad unam gentem, quæ antea fuit ſub Veteri œconomiâ. Pſ. 93: 1. Et huc jam refer ex ſupp. Pſal. 2: 4. 8: 2. 57: 6. 98: 3. 113: 4. 148: 4. 150: 1. Eſ. 6: 1. Ez. 1: 26. Am. 9: 6. Hab. 3: 3.

2. Cùm populum Iſraëliticum ſubjeciſſet oneri legis, & poteſtati coërcitivæ Seniorum, quâ non tantùm poterant ipſos caſtigare pro beneplacito, ſed etiam illos ſubjicere ſuis mandatis & legibus, etiam iniquioribus; Chriſtus per regnum ſuum ab utraque ſervitute Eccleſiam ſuam liberavit. Ita enim Eſaias: *Nam jugum bajulationis ejus, & baculum humeri ejus, & virgam exactoris ejus ab ipſo conſternaſti, ut in die Midian. Nam puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & venit principatus in humerum ipſius.* Eſ. 9: 3. 5. In quibus per *jugum bajulationis* intelligitur reatus peccati adhuc exſtantis, qui ſatis validus erat ad homines oneri ſubjiciendum; per *baculum humeri* poteſtas patrum carnis. παιδευόντων κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς; & per *virgam ſceptrum exactoris* auctoritas imponendi populo mandata humana cum neceſſitate illis obtemperandi.

Ad utrumque pertinet, quòd dicatur inter alia nuncupatum nomen filii, *Princeps pacis.* qui nim abſtulit iram & maledictionem, & commemorationem peccati, & metum mortis, & diſcrimen gentium, & omnes hoſtes, putà Diabolum, carnem, mundum, ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubjecerit. Eſ. 9: 15.

3. Pro eo, quòd Lex eſſet admodum debilis, & gratia reſtricta ſub V. T., jamnunc *Jehovah, rex factus, robur accinxit.* & quidem irreſiſtibile & vincens. Pſ. 93: 1. Id ſignificat claritatem Evangelii & efficaciam Spiritus Sancti ad expugnanda omnia ὑψώματα & convertendos plurimos Deo.

4. Pro formâ Eccleſiæ, quæ per promiſſiones corporales, tanquam pignora cœleſtium, erat affixa terræ, in quâ erant non tantùm verè juſti, ſed & injuſti, per quorum communionem juſti implicabantur judiciis, ita ut non ſemel ſacramentis Divinæ unionis privarentur; hâc formâ externâ Eccleſiæ abrogatâ, aliam conſtituit rationem Eccleſiæ merè ſpiritualem, quæ nunquam abrogatur, cui per vinculum, quod illam colligat, nempe Spiritum fidei, nulla ſit communio cum improbis, quæ nec ſeductioni obnoxia eſt, neque ullis afflictionibus opprimitur, ſed potiùs glorificatur. Ita rurſus Pſalmiſta, Pſal. 93: 1. *Jehovah rex factus eſt: Etiam confirmatur frugifera.* h. e. Eccleſia. per abrogationem antiquæ formæ Eccleſiæ ſcil. quâ ſepenumero fiebat, ut terra concuteretur, h. e. populus ille, in quo cœtus fidelium, ut frugifera, comprehendebatur, commoveretur ſub V. T.

§. 49. Atque hinc etiam eſt, quod ſub perſonâ Davidis regimen Eccleſiæ, quod Chriſtus rex in eâ, tanquam domo & urbe ſuâ, & circa eam exercet; Pſal. 101. ejuſmodi proponatur, & in hanc ſententiam: *Pietatem.* i. e. enixum ſtudium erga Deum, & qui ejus ſunt, *& judicium*, ad diſcretionem bonorum à malis, *canam. Tibi, Jehovah, pſallam.* i. e. carmine & cantico explicabo, imò Deo promittam, qui me miſit ad regendam domum & urbem ſuam. vers 1. Hæc propoſitio ſummatim officium regium promittens. Sequitur explicatio rei promiſſæ, & quidem (1.) ſtudii; quod explicatur (*a.*) affirmatè: *Conſiderabo in viâ integritatis, quando venies ad me: verſabor cum integritate cordis mei in medio domus meæ.* q. d. Ego, cui Deus domum ſuam commiſit quæ ex eo eſt domus mea, *ambulabo* ſ. verſabor *in medio ejus*, h. e. ei adero & eam regam, eam ornabo, eique me communicabo, *in viâ integritatis*, h. e. in ea viâ, formâ, ac ratione agendi, quæ rectiſſimè ſine ambagibus vel anfractibus; ideoque & breviſſimè & certiſſimè ad finem ducit, in eamque viam ita inſiſtens *conſiderabo, quando venturus ſis ad me*, & regnum occupaturus, ut

ſis

ſis omnia in omnibus. Porrò in via illâ integritatis ambulabo *cum integritate cordis mei*, cum ſerio propoſito, ſine ullâ hypocriſi. vers 2. (*b*) negatè; ratione finis & viæ. *Non ponam ob oculos meos verbum Belial:* i. e. verbum Diaboli, vel nequitiæ, *ποιεῖας*; *facere declinationes*, id eſt fornicationem adverſam veritati & puritati fidei & ſanctitati cordis ac morum *odi*, *non adhæreſcet mihi.* verſ. 3. Ratione animi & virtutis, dirigentis: *Cor perverſum.* tortuoſum, duplex, *recedet*, longè aberit, *à me: Malum non agnoſcam.* non reſpiciam, non affectabo id, quod extra regnum Dei eſt, & ad viam, quâ pervenitur ad Deum, non facit. verſ. 4. (2.) Judicii, quod exerciturus (*a.*) in hoſtium adverſantium regno profligatione: *Qui obtrectat in occulto proximo ſuo, illum exſcindam. Altum oculis & latum corde non poſſum ferre.* Qui magna affectant, & ad cupiditatem, crudelitatem, & avaritiam patent. verſ. 5. *b.*) in familiæ conſtitutione, & expurgatione. Conſtitutione: *Oculi mei erunt in fideles terræ ad habitandum mecum: ambulans in viâ integritatis, is miniſtrabit mihi.* verſ. 6. Expurgatione, ab hypocritis: *Non habitabit in domo meâ, qui facit dolum.* & non eſt fidelis. *Loquens mendacium*, deſertâ viâ integritatis, *non ſtabilietur coram oculis meis.* ut miniſtret mihi. verſ. 7. *c.*) in regni oppugnati & oppreſſi vindicatione: *Matutinis* (Manè ſolebant judicia exerceri.) *abolebo Improbos terræ, ad exſcindendum ex civitate Jehovæ omnes operarios vanitatis.* v. 8. Quibus conſentanea ſunt, quæ de qualitate civium regni Dei habentur. Pſal. 24: 3—6.

§. 50. Simile eſt, quod legitur Eſ. 11: 3. 4. de judicio Chriſti: *Et odorabitur timorem Jehovæ.* cultu animi delectabitur, externum autem reprobabit: *& non ſecundùm viſum oculorum ſuorum judicabit*, defendendo, vindicando ab hoſtibus, ſuum aſſerendo, vivificando, juſtificando, glorificando; *& non ſecundùm auditum aurium ſuarum redarguet*, conſolando v. 3. *Et* vel *ſed judicabit in juſtitiâ*, id eſt vi juſtitiæ, quam ipſe impetravit, *tenues*, h. e. ſubmiſſos, viles, abjectos, exhauſtos, *& redargutionem faciet in æquitate*, fundatâ in conſtantiâ & fidelitate Dei & merito Servatoris, *manſuetis terræ.* iis ex populo, qui ſe componunt ad abnegandam hæreditatem terrenam, adeoque lubenter injuriis & damnis cedunt. Quibus addi poteſt Eſ. 16: 5. Ubi de modo regni gerendi ſic Propheta: *Et conſedit ſuper throno in veritate in tentorio Davidis judex.* Scil. modus regni eſt *in veritate.* quæ non tantùm in veritate opinionis & ſermonis, ſed etiam in rectitudine voluntatis, & ejus exſecutione promtâ per actus partim elicitos, partim imperatos verſatur; qualis veritas ſpectata ſuit inprimis in obedientiâ Chriſti, quæ nullâ in re fefellit: cujus merito is in throno conſedit. Deinde etiam ex parte in membris ejus. Deſcribitur quoque Ibidem Judex, quod ſit *requirens judicium* ab hominibus, quo ſe & juſtitiam ſuam abnegent, Deum verò & Chriſtum juſtificent, ſeque incontaminatos à mundo cuſtodiant; *& feſtinus juſtitiæ.* ſcil. exercendæ, tùm erga injuſtos, quatenus ipſorum vindictam non diu eſt dilaturus; tùm erga reſipiſcentes, quatenus ab ipſis excluſurus omnem ſervitutem & accuſationem. Itaque ſub regno Chriſti judicium erat futurum ſecundùm *lineam* & *perpendiculum.* uti nim. quod eſt ſecundùm perpendiculum, ſtet, quod ab eo diſſidet, deſtruatur; & pro lineâ ponendum erat *judicium*, factum ſcil. in morte Chriſti, quo peccatum & falſam juſtitiam condemnavit; pro perpendiculo autem *juſtitia*; i. e. meritum redemtoris, quod electis dat ſalutem, infideles relinquit in damnatione. Eſ. 28: 17. Hic valet illud Jeremiæ: *Ego Jehovah ſcrutor cor, & exploro renes; idque ad dandum unicuique ſecundùm vias ſuas.* Jer. 17: 10. Itemque illud: *Excitabo Davidi germen juſtum, quod regnabit rex, & proſperabitur, & faciet judicium & juſtitiam in terrâ. Judicium* nim. per ſeparationem incredulo-

rum

rum à cætu ſuorum; *& juſtitiam*, ſuum cuique tribuendo, juſtificatis ἀνοις, injuſtis, & altercantibus cum ipſo θλίψιν. Jer. 23: 5.

§. 51. Nec tantùm ſic conſtituit Deus regnare cum demonſtratione multiplici gratiæ, loco iræ, erga populum & gentes; ſed etiam

II. Regnare conſtituit cum demonſtratione Iræ, pro tolerantiâ, exercendæ in omnes eos, qui tantam ſalutem negligerent, & veritatem revelatam in injuſtitiâ detinerent, ſ. Judæos, ſ. gentes. Quod ita proditum eſt, Deut. 18: 19. *Vir, qui non auſcultabit verbis ejus, quæ loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo.* In Pſalmis: *Exoſculamini Filium*, ut auctorem juſtitiæ & ſalutis; *ne iraſcatur, & pereatis quoad viam*, permisſi veſtris conſiliis & ratiocinationibus, in quibus corruatis, frangamini, illaqueemini & capiamini. *Quia exardeſcet brevi ira ejus*, & ſequetur ſupplicium in rejectione, induratione, & exciſione veſtri. Pſal. 2: 12. *Judicia tua abyſſus magna.* imperſcrutabilia ſcil. Pſal. 36: 7. *Sagittæ regis acutæ infixæ ſunt cordi inimicorum regis.* Intelliguntur horrendæ pœnæ corporales & ſpirituales eorum, qui ipſum regem agnoſcere nolunt. Pſal. 45: 6. *Veniet Deus noſter* ad judicium habendum, *& minimè ſilebit.* non ſe continebit ampliùs, quemadmodum hactenus ſe continuit. *Ignis coram ipſo vorat, & circa ipſum horret valde.* Pœnæ prænunciæ ultimi ſupplicii infidelibus Judæis infligendi ſic indicantur. Pſal. 50: 3. *Et indicârunt cœli juſtitiam ejus.* i.e. Spiritus Sanctus ex cœlo teſtis factus eſt coram populo Iſraëlitico & omnibus gentibus *juſtitiæ Dei*, per quam ille juſtus eſt, & juſtificat impium, qui credit in Chriſtum. Indicarunt autem, *quia Deus judicat.* Scil. in Evangelio revelatur juſtitia Dei, quia revelatur de cœlo ira Dei in omnem impietatem & injuſtitiam hominum detinentium veritatem in injuſtitiâ. Ibid. vers 6. *Deus gloriationis meæ, ne ſileas.* h. e. conniveas, diſſimules, contineas te. Significatur, tempus ἀνοχῆς, *tolerantiæ*, præteriiſſe. Pſal. 109: 1. *Dominus ad dextram tuam deflixit in die iræ ſuæ reges.* Pſal. 110: 3. Ubi *dies iræ* opponitur tempori tolerantiæ. Apud Eſaiam: *Nam omnis fremitus tumultuantis cum commotione terræ, & ſagum volutatum in ſanguine erit in combuſtionem cibus ignis. Nam puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & principatus venit in humerum ipſius.* Scil. quia Chriſtus regnum capeſſivit, neceſſe eſt, omnem potentiam ſe opponentem Chriſto exſcindi. Eſ. 9: 4. 5. *Dilucidum deſideratum mihi*, i. e. tempus illud lucis ſ. requietis adductæ per Chriſtum, *poſuit mihi in trepidationem.* Nam populus Judaicus & urbs erant magno cum terrore & tumultu diſſipanda. Eſ 21: 4. *Appropinquate gentes ad audiendum, & nationes attendite: Audiat terra & plenitudo ejus frugifera & omnia germina ejus.* Deus locutus eſt ad gentes, & nationes, ſ. tribus Iſraël, per Apoſtolos, effecitque ut gentes accederent ad audiendum. Eſ. 34: 1. *Nam fervor eſt Domino in omnes gentes.* Nempe eodem tempore gentes vocantur ad audiendum, & in eodem præconio, ſignificatur ipſis, Deum habere iram in gentes, i. e. omnes non credentes Evangelio; *& æſtus in omnem exercitum cœlorum, ipſumque cœlum.* Quod generaliſſimè accipere poſſumus de omni cœlo abolendo, h. e. de omni auctoritate abolendâ, quæ juxta Deum in populo ipſius habetur. Ib. verſ. 2. *Et cadavera illorum projicientur, & corpora illorum, aſcendet putor illorum, & liqueſcent montes à ſanguine ipſorum.* vers 3. *Et contabeſcent omnes exercitus cœlorum, & convolventur tanquam volumen cœli, & omnis exercitus illorum marceſcet, quemadmodum marcens defluit pampinus à vitæ, & ut marcida de ficu.* vers 4. Et ſic Ibidem vers 7. *Dominus habet diem ultionis, annum retributionis.* Talia ſunt & iſta: *Ad prædicandum annum acceptionis Domino, & diem ultionis Deo noſtro.* Nempe prioris temporis fuit quidem ira, quam opera-

batur Lex, cui jam opponitur רצון ſ. acceptatio; ſed & ejuſdem fuit ἀνοχὴ, ſ. tolerantia, non modò gentium, ſed & populi, utut carnalis. Jam verò aperitur dies iræ & ultionis omnibus non obedientibus Chriſto, tùm Judæis, tùm gentibus. Eſ. 61: 2 *Nam dies ultionis erat in corde meo.* h. e. cogitabam abruptâ tolerantiâ populi ſecundùm carnem ſ. literam, qui tamdiu vocatus in impœnitentiâ ſuâ perſeveraverat, exercere vindictam, Primò in illum, deinde in omnes juſtitiæ reſiſtentes; *& annus aſſertorum meorum*, prioribus diebus, qui erant dies jugi & ſervitutis, finitis, *advenerat.* Eſ. 63: 4. Ibidemque verſu 6. Chriſtus loquens de hoſtibus, qui ipſum rejiciunt, & tantam ſalutem negligunt: *Et conculcabam*, inquit, ut pulverem platearum, *populos in irâ meâ, & inebriabam* multo ſanguine *illos æſtu meo, & feci deſcendere in terram vim illorum.* Scil. in paſſione ſuâ Chriſtus non tantùm habuit voluntatem ſalvandi, ſed etiam puniendi.

Apud Jeremiam: *Et ſi non audient*, nempe cùm venerit Propheta ille, loquens verba Dei, *avellam gentem illam penitùs, & perdam, ait Jehovah.* Jerem. 12: 17. *Excitabo Davidi germen juſtum; quod regnabit rex, & proſperabitur, & faciet judicium & juſtitiam in terrâ.* Quod dictum paulò ante illuſtravimus. Jer. 23: 5. *Et exiſtet dux ejus ex ipſo, & poteſtatem habens ejus ex medio ejus exibit. & faciam eum accedere* ad me, ut Sacerdotem. *Et* ſic *fietis mihi populus*, abrogatis principibus & patribus carnis, *& ego fiam vobis Deus*, in Chriſto per gratiam & veritatem. Ab alterâ autem parte, *Ecce* revelatur de cœlo *procella Jehovæ, ardor, exivit procella ſe protrahens, quæ ſuper capite improborum manebit. Non avertetur fervor iræ Jehovæ, quoad fecerit, & quoad exſtare fecerit decreta cordis ſui.* Jer. 30: 21. 22. 23. 24. Apud Ezechielem: *Sic dixit Dominus Jehovah: Terræ Iſraël finis eſt; venit finis in quatuor oras terræ. Nunc finis ſuper te eſt; & mittam iram meam in te, & judicabo te ſecundùm vias tuas, & dabo ſuper te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus tibi, & non utar clementiâ: nam vias tuas ſuper te dabo, & abominationes tuæ in medio tui exiſtent.* Intelligitur, finem in his dici, inter alia ratione longanimitatis ac tolerantiæ, per quam adhuc pepercerat. Ezech. 7: 2. 3. 4. *Quapropter ſecundùm vias veſtras judicabo vos*, & juſtos ab injuſtis ſeparabo, *domus Iſraël, ait Jehovah.* Ezech. 18: 30. Atque hinc eſt, quod idem propheta tempus Novi Teſtamenti vocet *tempus pravitatis finis.* quo nim. deducto ad finem tempore tolerantiæ peccant profani improborum, & non reſipiſcunt ad avertendum exitium ſuum. Ezech. 21: 34. & 35: 5. *Ecce Jehovah exit è loco ſuo, & deſcendet, & calcabit celſa terræ. Et liquefient montes ſub ipſo, & valles diffindentur, ut cera ab igne: ut aquæ profuſæ per declive.* Significatur ſine dubio ingens mutatio omnis ſtatus in mundo futura & abolitio quarundam monarchiarum ſive regnorum principatuum & rerum-publicarum, manifeſtationem Dei in carne conſequens, hoc fine, ut Dei regnum in omnia dilatetur. Mich. 1: 3. 4. *Deus zelotes & ultor eſt Jehovah, ultor eſt Jehovah & præditus excandeſcentiâ: Ulciſcitur Jehovah in hoſtes ſuos, retinet iram in inimicos. Jehovah*, fateor, eſt quidem *longanimis, & magnus vi*, ad refrenandum iram, ſed *& omnino non habet impunitum. Jehovah: in procellâ & turbine eſt via ejus, & nues pulvis pedum ejus. Qui increpat mare, & exareſacit illud, & omnia fluenta exſiccat. Langüit Baſan & Carmel, & germen Libani langüit. Montes moverunt coram ipſo & colles diffluxerunt. & ſuſtulit ſe terra coram ipſo; habitabilis & omnes habitantes in eâ. Coram rigore ejus quis ſtabit? & quis conſiſtet in æſtu iræ ejus? Excandeſcentia ipſius effunditur ut ignis, & petræ rumpuntur ab ipſo.* Nah. 1: 2 — 6. *In irâ miſerari recordaris.* Hab. 3: 2. *Quapropter præſtolamini me, ait Jehovah, ad diem, quo ſurgam in perpetuitatem*

petuitatem. Nam judicium meum eſt ad congregandum gentes, & ad ſociandum regna, ad effundendum in illos ſeveritatem meam, omnem æſtum iræ meæ. Nam igne zeli mei comedetur tota terra. Zeph. 3: verſ. 8. His add. Zeph. 1: 2. 3. Zach. 12: 9. Mal. 4: verſ. 1: 5. 6.

§. 52. Utraque jam dicta facies regni Dei ſub N. Teſt. repræſentatur ſub emblemate Chaſmal, Ezech. 1:4. Dicitur enim *ex medio ignis prodiiſſe velut Chaſmal.* Quid ſit Chaſmal, explicatur verſ. 28. per Iridem. Eſt autem in iride mixtura colorum ignei, rubri, & viridis: quâ aptè mixtura iræ & gratiæ, juſtitiæ & miſericordiæ, qualis eſt in regno Chriſti, figuratur. Quod autem hîc fuerit reſpectum ad regnum Chriſti, quod gerit ſub N. Teſt., probatur ex verſ. 26. & 27. Ubi *Speciei hominis, viſæ in throno*, i. e. Chriſto in throno regni ſedenti idem *aſpectus Chaſmal* aſſignatur.

§. 53. Fuit ſanè, ut conſtat è ſuperioribus, eadem forma regni Dei in mundo & Eccleſiâ etiam olim. Namque & ibi fuit ira in populum & gentes, fuit & gratia erga populum, & tolerantia communis populi & gentium. Sed tamen quanquam hîc aliqua convenientia ſpectetur, notabilis inter utramque relinquitur diverſitas. quæ non tantùm conſiſtit in eo, quòd cùm in Vet. Veſt. iram operaretur peccatum adhuc extans, necdum expiatum; in Novo, peccato jam expiato, non poſſit eadem iræ cauſa videri. Sed inprimis in eo, quòd ſub Vet. Teſt. reſtrictior quidem fuit gratia, attamen major iræ cohibitio in refractarios; ſub Novo autem major ſit iræ effuſio, ſed cum magnâ luce, & cum magnâ gratia. Hoc ſignificare videtur Ezechiel in emblemate, *ſpeciei hominis viſi in throno*; cui ſpeciei fuerit *aſpectus Chaſmal*; quem aſpectum porrò ita deſcribit quòd, fuerit *ut ignis introrſum undiquaque plenus à lumbis ſurſum, & rurſus à lumbis deorſum ſpecies ignis cum ſplendore:* Ita ut *ſplendor ille fuerit inſtar iridis in die pluvio.* Ezech. 1: 26. 27. 28. In quibus poſito, Chaſmal & Iridem idem eſſe, eſt aliqua differentia in parte ſupernâ & in parte inferiori à lumbis. Superior eſt ut iris habens ignem incluſum; inferior eſt ut ignis cum ſplendore inſtar iridis. Hæc differentia ſi ſit, ſuperiora magis iridi, quàm igni aſſimilata fuerunt; inferiora ignis inſtar habuerunt; ſed tamen ſimilitudine arcus in colore externo. Miſtura iræ & gratiæ utrobique notatur, ſed ita ut in ſuperioribus partibus ſignificetur iræ cohibitio, in inferiori major iræ effuſio. Porrò quemadmodum in imagine, quam vidit Nebucadnezar, caput ſignificat regnorum initium: ita in hâc viſione ſuperior pars humanæ ſpeciei viſæ in throno poteſt ſignificare regni Chriſti primas partes ſive quaſi medietatem. Quâ exhibuit mundo gratiam, & iram exercuit in refractarios, ſed parcè. Poſteriora regni Chriſti in mundo habent quidem magnam demonſtrationem iræ, ſed cum magnâ luce, & cum magnâ gratiâ. Ita ſe rem habere, intelligi poteſt ex comparatione antiquorum cum novis. Hactenus quidem enim Deus thronos everterat, Hag. 2: 22. ſed etiam pacem fecerat, monteſque juſſerat deſcendere & valles elevari, Eſai. 40: 4. Ita ut fieret unum q. æquor tota οἰκουμένη, cùm Chriſtus in carne debuit apparere. Ex illo fecit fœdus & pacem populis, atque illud ſervavit integrum; Dan. 9: 27. donec illud irritum fecerit, confracto baculo clementiæ; Zach. 11: 10. 11. Irritum id factum eſt, quando bellum Judaicum coortum eſt. Ex illo igitur tempore gentes interire, imperia diſſolvi, barbari invehi in Romanam terram, & qualia etiamnum fiunt, fieri: qualia etiam in poſterum exſpectanda ſunt. Conferri poteſt Ezech. cap. 8. verſ. 2. Ubi eadem ſpecies prophetæ repræſentatur hunc in modum: *Et vidi, & ecce ſpecies tanquam ignis*, ſed ſub formâ humanâ, quia illi lumbos, & quaſi ſuperiores & infe-

riores partes adſcribit, q. d. igneus homo; *ab eo quod apparebat tanquam lumbi ejus deorſum erat ignis, & à lumbis ſurſum, ut ſpecies luminis, ut apparet Chaſmal.* Scil. ignis ille in inferioribus partibus erat merus, in ſuperioribus temperatus candore & colore Chaſmal.

§. 54. Nec tamen idcirco ita Deus iram exercet ſub N. Teſt., ut non eandem multâ longanimitate & tolerantiâ peccatorum moderetur. Nam, ut canit propheta, *Judicia tua abyſſus magna: Hominem & pecus ſervas, Jehovah.* Ita Deus judicat, ut non deſinat eſſe ſervator hominum, & pecudum, etiam brutorum hominum, quos ad pœnitentiam vocat. Pſalm. 36: 7. Et *Longanimis eſt Jehovah.* ex eo, quòd homines impios tolerat diu & vocat ad pœnitentiam, antequam puniat. Exod. 34: verſ. 7. Pſalm. 103: 8. Nah. 1: 3. Et *Non in perpetuum contendit, nec in ſæculum ſervat iram.* Pſ. 103: 9. conf. Ex. 20: 4. & 34: 7. Et, *Ulciſcitur Jehova in hoſtes ſuos, & retinet iram in inimicos ſuos.* Nah. 1: 2. Eſtque *magnus vi.* ad refrenandam iram. Ib. verſ. 3.

§. 55. Quod autem non ſemel, ſed bis, in duplici ſcil. œconomiâ, debuerit ira Dei de cœlo in genus humanum manifeſtari, etiam indicat Eſaias cap. 2: 10 — 22. Ubi agit de terrore, quo Deus prænunciatur perculſurus eſſe terram, ut omne quod contra ipſum erigitur, coram ipſo humilietur. Bis enim in illâ pericopâ dicitur, *fore, ut Jehovah ſolus ſublimetur die illo.* Vid. verſ. 11. & 17. Non aliam proculdubio ob cauſam, quàm quòd non una manifeſtatio altitudinis Dei ſupra omnia, quæ celſa habentur in mundo, erat futura. Quod etiam indicat Zacharias, qui idcirco *duos montes*, i. e. duas manifeſtationes regni Dei in mundo, in emblemate diſtinguit. Zach. 6: 1.

§. 56. Diſcimus quoque ex eodem loco Eſaiæ, iræ Dei, quanquam diverſo regimine, & diverſas quodammodo ob cauſas, in mundo exercitæ, tamen communem quandam ſemper cauſam, & finem, fuiſſe: Cauſam; quòd homo quâcunque ratione ſe contra Deum & regnum ejus efferret. Finem; ut Deus ſolus ſit ſublimis, tàm in mundo, quàm in Eccleſiâ. Sublimitas autem illa in hiſce rebus ſita eſt: 1. Ut nullus ſit Doctor, niſi Deus. 2. Ut nullus ſit Sacerdos, & Redemtor, & Interceſſor, niſi Deus. 3. Ut nulla juſtitia valeat, niſi Dei. 4. Ut in nullo ſit gloriatio, niſi in Deo. 5. Ut nulli obedientia religioſa ſubjiciatur, niſi Deo, ut vero Domino, & Regi; adeoque nullus ſit caput & rex & Judex Eccleſiæ, niſi Deus.

§. 57. Finis huic ſubordinatus indicatur Pſalm. 53: 3. *Deus à cœlo proſpectavit ſuper filios hominum, ad videndum; an eſſet animadvertens, quærens* (vel *curans*) *Deum?* Cùm n. hæc verba, ut & totus Pſalmus, ſint repetita ex Pſalm. 14. ubi de manifeſtatione iræ & clementiæ Dei ſub Veteri œconomiâ accipiebantur; nihil proclivius eſt, quàm ut de manifeſtatione iræ & gratiæ Divinæ ſub Novo fœdere hic intelligantur, atque ita finis iræ ſub N. Teſt. exercendæ ex l. c. hic conſtituatur; ut ſic quoque demonſtrato & evicto, nullam eſſe potentiam carnis ad animadvertendum, quod animadvertendum eſt, vel quærendum Deum, abſolutum Dei regnum ac dominium in converſione & ſanctificatione hominis peccatoris manifeſtum fieret in mundo & Eccleſiâ.

§. 58. Cœterùm cauſa iræ, in populum & gentes tantâ cum ſeveritate in poſterum exercendæ, aperitur Eſai. 35: 5. *Quia ſe inebriavit in cœlo gladius Dei.* h. e. quia illi, qui ex cœlo ſunt & ad cœlum pertinent, h. e. Chriſtus & diſcipuli ejus, gladio interfecti ſunt. Et verſ. 7. Ibid. *Propter litem Sionis.* Nam Deus judicat, ſe omninò

omninò dolere, cùm filium Dei interfecerint, & Apoſtolos illum prædicantes, & juſtitiam ejus offerentes perſecuti ſint, & mactaverint, tam gentes, quàm Judæi, id minimè dimittere impunitum.

§. 59. In munere regio adminiſtrando Chriſtus verſatur, ut David pater ipſius fecerat ante, *juxta integritatem cordis ſui.* i. e. cum ſerio propoſito, ſine ullâ hypocriſi atque claudicatione, non aliud oſtentans verbis, aliud agens; non proponens ſibi vanam gloriam aut alium finem; nunquam ſibi diſſimilis, aut à verâ viâ diſcedens. Pſalm. 78: 72. & 101: 2. & *in prudentiis*, h. e. ſummâ prudentiâ; *palmarum ſuarum.* i. e. omnium actionum rectitudine & utilitate. Pſalm. 78: verſ. 72. Porrò, *ut paſtor gregem ſuum* paſcit, & omnem menſuram boni paſtoris implet, ita *paſcit*, h. e. oves ſuas colligit, alit, conſervat, ſalvat; *in brachium ſuum colligit agnos*, debiliores, *& in ſinum ſuum accipit; fœtas* autem, i. e. gravidas ſ. parturientes exſpectatione & labore, *clementer agit, ne abortiantur.* Eſai. cap. 40: verſ. 11. *Paſcit quoque in robore Jehovæ.* h. e. Divinâ potentiâ, eâque victrice & irreſiſtibili, quâ ſubjicit ſibi omnia. Mich. 5: 3. Itaque *venit* iterùm, qui modò apparuerat in *ἀσθενείᾳ*, *cum fortitudine*, h. e. re validâ, Sp. S. ex cœlo miſſo, & *brachium ipſius*, ſ. potentia, *poteſtatem exercuit ipſi.* conſpicitur in operibus miraculoſis Apoſtolorum, inprimis in converſione hominum ad Deum per fidem in ſe. Eſai. 40: verſ. 10.

§. 60. Amplitudo hujus regni dupliciter eniteſcit: 1. Extenſivè, quatenus ad omnes gentes ſe extendit; de quo jam diximus ſuprà. 2. Intenſivè, ac reſpectu ſubjectionis omnium, ſ. obedientiæ; & Graduum in dominio. Subjectionem omnium. ſ. obedientiam illuſtrant iſta Jacobi: *Donec veniat Silo, & ei erit obedientia populorum.* Gen. 49: 10. Itemque iſta regii vatis: *Omnia poſuiſti ſub pedes ejus. Oves & boves, univerſa iſta: atque etiam beſtias agri: Volucres cœli, & piſces maris: tranſiens itinera marium.* Pſalm. 8: 7. 8. 9. Scil. hæc omnia ſ. propriè, ſ. metaphoricè intelligantur, ſunt ſubjecta Chriſto regnanti, & obediunt atque inſerviunt ipſi. Inprimis autem hæc obedientia ſpectatur in iis, qui ſunt de populo ipſius; de cujus ingenio ita cecinit idem propheta: *Populus tuus*, tibi ut Imperatori ac Regi ſuo ſacramento dicatus militiæ cauſâ, *voluntariæ oblationes ſunt*, munera nim., quibus oblatis coleris, te amantes ex liberrimo & ſuaviſſimo impulſu intùs excitato à Spiritu Sancto, adeo ut ſe tibi ſacraverint totos, & animam ſuam libentes pro honore nominis tui effundant, *in die ſtrenuitatis tuæ.* cùm tibi res eſt cum hoſte. Pſal. 110: verſ. 3.

§. 61. Gradus in dominio Chriſti diſtinguuntur Pſalm. 2: 8. *Dabo gentes* 1.) *hæreditatem tuam*, quas nim. voces & adducas ad pœnitentiam & fidem, & quarum tibi, ut Filio & hæredi omnium, obedientia ſit reſervata; & 2.) *proprietatem tuam fines terræ.* Scilic. regnum Chriſti non interrumpitur, nec traditur alii; & per ipſum, ut ſuum, nec per alium, cujus id regnum proprium non eſt, curatur & regitur.

§. 62. Nec tamen ſimul & unico pedatu regnum Chriſti omnem habet amplitudinem, quam habere poteſt, vel aliquando habebit. Paulatim enim & per gradus pomœria ipſius extenduntur. Quod innuit clauſula Pſalm. 8: concepta his verbis: *Jehovah, Domine noſter: quàm ingens eſt nomen tuum in totâ terrâ!* Quæ clauſula ſic nullo modo diſcrepans à principio ſignificat, notitiam Dei, quanquam initio regni Chriſti ſtatim diffundatur per totam terram, ita ut terminis Judææ non contineatur; tamen paulatim non extendi ita ad omnem terram, ut nulla tandem reſtet, in

 quâ

quâ per prædicationem Euangelii Deus ſe non manifeſtet. Et clariùs idem docetur Pſalm. 72: 8 — 11. quem locum vid. ſuprà, ubi de objectis regni. Hæc amplificatio regni Chriſti expreſſè inter bona iſtius regni promittitur Eſai. 9: 6. Ubi dicitur veniſſe principatus in humerum Filii, *ad amplificationem principatus.* Ea conſiſtit in tribus: 1. In liberaliori communicatione Spiritus, ut Deo præſtetur obedientia major, quàm olim ſolebat fieri, cum cognitione ſcil. pleniori & majore παῤῥησίᾳ & lætitiâ, cum eo, quod Deus ſolus pro præceptore agnoſcatur. 2. in regni dilatatione & extenſione ad plures, ſcil. familias gentium. 3. in ſubjectione omnium hoſtium, ut ſoli fideles fiant reges & hæredes gentium. Itemque Eſ. 11: 1. Cùm dicitur *ſurculus ex radicibus Jeſſe fructificaturus.* h. e. in arborem ingentem & frugiferam creturus, & habiturus multos filios. Tale eſt & illud Jeremiæ: *Excitabo Davidi germen juſtum, quod regnabit rex, & proſperabitur.* ut habeat nim. populum amplum, non tantùm ex Judæis, ſed etiam in gentibus. Jer. 23: 5. Itemque Ezechielis: *De capite ſtolonum ejus* (Jechoniæ) *molle decidam, & plantabo ego in monte alto & eminenti.* i. e. Chriſtus rex fiet, & rex amplus erit in membris ſuis in toto mundo conſpicuis. Id porrò explicat: *In monte celſitatis Iſraëlis plantabo illud, & feret ramum, & faciet fructum, & fiet cedrus ingens, & habitabunt ſub ipſâ omnis avis, omnis ala in umbrâ ramorum ejus habitabunt.* h. e. omnes gentes accedent ad ipſum tanquam unicum ſuum effugium, & tandem pace fruentur ſub protectione ipſius ſolius, regibus & principibus ipſi inſervientibus ad præſtandum pacem confugientibus ad ipſum, Ezech. 17: 22. 23. Huc quoque pertinet prophetia Daniëlis cap. 2. verſ. 35. de *lapide facto in montem magnum, qui impleverit totam terram.*

§. 63. Supereſt, ut de adjunctis hujus regni, cœleſti nim. ejus conditione, celſitudine, felicitate & gloriâ, ſtatu invicto, immutabili, & æterno, dicamus. Cœleſtis itaque conditio hujus regni inde demonſtratur, quòd thronus & rex ejus, ut ſuprà oſtenſum, ſit in cœlo. Quare etiam Dan. 2: 44. ita introducitur, ut concurrens cum regnis hujus mundi, & non faciens diviſionem in illis regnis, neque illa abolens, niſi quatenus ſibi adverſantur. Neceſſe eſt enim, regnum illud, quod ejuſmodi eſt, non eſſe de hoc mundo, atque ita diverſæ à reliquis regnis conditionis, nim. cœleſtis, eſſe.

§. 64. Celſitudo regni præterquam quòd ex eo intelligatur, quòd, qui in eo rex eſt, ſedeat ad dexteram Dei, & in throno ejus, qui honor ſoli Deo competit; quòdque amplitudo ejus, & efficacia ſceptri ejus in ſubjectione omnium, ſit maxima; Etiam innuitur eo, quòd Rex inde vocari mereatur *Altiſſimus.* utpote διαβεβηκὼς τοὺς οὐρανοὺς, tranſitis cœlis, & majeſtate ſupra cœlos collocatâ: Itemque *Rex magnus.* nim. abſolutè. quo nemo major eſt. Rex ſummus. Cujus jus & potentia eſt independens; qui habet id, quo ſalvare poſſit populum ſuum, & omnes confugientes ad ſe; nempe juſtitiam & brachium potentiæ: & quo omnes ſibi adhærentes poſſit facere divites & beatos; nempe vitam & regnum æternum, in quo ſatietas gaudiorum: ut neminem pœniteat ſe ei ſubjeciſſe, ipſius familiam aut caſtra ſecutum, aut militiæ ipſius participem factum eſſe. Pſalm. 47: 3. Ideo hic rex appellatur *Rex gloriæ*; Pſalm. 24: 6. Eique tribuitur *Majeſtas*, tanquam opus ejus; Pſalm. 111: 3. & *magnitudo*, quæ habeat *amplitudinem*: utpote qui ſit ſummè magnus, ratione perſonæ, ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν, ratione potentiæ, ratione gloriæ ſuæ manifeſtatæ, ratione regni, ratione gratiæ; ratione judicii. Pſ. 150: 2. Et hinc quoque *thronus* hujus regni, cùm videret Eſaias Dominum in eo ſedentem, dicitur *celſus & elatus.* Eſ. 6: 1.

§. 65. Feli-

§. 65. Felicitas & gloria regni ſpectari poteſt in populi huic ſubditi abundantiâ & excellentiâ. De quâ ita eſt in Pſalmis: *In ornamentis ſanctitatis*, id eſt, ornati & induti iis ornamentis ſanctitatis, ſive iis chariſmâſin Spiritus Sancti & fructibus Spiritus, quibus probatur, Deum habitare in illis, *præ rore uteri auroræ tibi eſt ros juventutis tuæ*, vel *partus tui*, Pſal. 110: 3. De ſtatu invicto hujus regni agitur Pſ. 89: 30 *Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus, ut dies cœli.* Quatenus enim hæc prophetia eſt intelligenda de Solio Chriſti, indicatur τὸ ἀκίνητον ϗ ἀήττητον, quia invictum ſit in luctâ illâ inter medios hoſtes, quæ durat cum diebus cœli. Add. Ibid vers 5. & 37. 38. Inprimis huc facit, quod eſt Pſal. 132: 18. *Inimicos ipſius induam pudore. Et ſuper ipſo florebit corona ejus.* i. e. immarceſcibile erit regnum ejus, & minimè obſcurabile: & magis magisque illuſtrabitur, donec reges videant & ſurgant & obſtupeſcant ſuper ipſo, & omnis injuſtitia claudat os ſuum.

§. 66. Immutabilitas regni conſiſtit tùm in eo, quod non ſit deſtruendum, ſicut alia omnia regna, quæ ſunt hujus mundi, deſtruuntur; tùm in eo, quòd facies ſeu conditio hujus regni non mutabitur, ità ut alio atque alio tempore populus hujus regni ſit alius atque alius. Utrumque docetur Dan. 2: 44. *Et in diebus regum illorum eriget Deus cœli regnum, quod in ſæcula non corrumpetur*, (Hoc primum eſt.) *& regnum ejus populo alii non relinquetur.* quemadmodum regnum & populus Chriſti ſucceſſit regno & populo Seniorum. Manebit igitur hoc regnum, quantum attinet χίμα populi, & genuinam ejus indolem, unum & invariabile: Licèt aliter atque aliter ſe habere videatur, dum ſtant regna mundi, & poſtquam illa diſſipata ſunt.

§. 67. Æternitatem hujus regni multa ſunt loca Scripturæ, quæ adſtruunt. Ut Pſal. 9: 8. *Sed Jehovah, qui in æternum ſedebit, diſpoſuit ad judicium thronum ſuum.* Pſal. 89: 5. *Usque in ſæculum conſtabiliam ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem ſolium tuum.* Et vers 30. *Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus, ut dies cœli.* Ubi לָעַד dicitur de omni æternitate ſine exceptione, quæ nim. omne principium vel finem excludat. Et vers 37. 38. *Semen ejus in ſæculum erit, & thronus ejus, ut Sol coram me, ut Luna confirmabitur in ſæculum.* Quibus intelligitur perpetua duratio regni Davidis, id eſt regni populi Dei partim externi & politici, quale David tenuit, partim ſpiritualis & cœleſtis, quale Chriſtus filius Davidis. Et ſic 2 Sam. 7: 11 — 16. ubi promittitur ſemen, quod ἀμεταμελήτως habeat regnum æternum, & ædificet Deo templum ſpirituale. & ſemper ſtet coram Deo in domo ipſius, id eſt cœlo. Ezechielis quoque in hanc ſententiam eſt illud: *Et David ſervus meus princeps ipſis in ſæculum.* Ezech. 37: 25. Atque ita Daniel: *Eriget Deus cœli regnum, quod in ſæcula non corrumpetur.* Item: *Comminuet & conſumet omnia hæc regna, & ipſum ſtabit in ſæcula.* Dan. 2: 44.

Eo fine *dedit Deus* Chriſto *regi poſtulanti vitam in longitudinem dierum, ſæculum, & æternitatem.* Pſal. 21: 5. Et *Evangelizari* debet *de die in diem ſalus Dei*; Pſ. 96: 2. Diciturque *in ſæculum durare gratia Dei*; Pſal. 107: 1. & *Juſtitia ejus manere in æternum*; Pſ. 111: 3. & *Recordari in ſæculum fœderis ſui.* Ib. v. 5.

§. 68. Sedit Chriſtus in throno non tantùm ut Rex, verùm etiam, ut Sacerdos. Quod non tantùm in genere Pſalm. 8: 6. 21: 4. 41: 13. 110: 1. 150: 1. 2 Sam. 7: 11 — 16. verùm etiam ſpeciatim, & expreſſè, Pſal. 16: 11. Zach. 6: 13. locis jam ante citatis, docetur. Quibus cùm maximè addatur. Pſal. 148: 14. *Etiam extuli cornu populo ſuo, (gloriationem omnibus piis ſuis) filiis Iſraëlis, populo propinqui ſui.* i. e. Eius, qui ad ipſum accedit, ut Sacerdos, & ſedet ad dextram ipſius. Item Jerem. 33: 18. *Et ſacerdotibus Levitis non exſcindetur vir à conſpectu meo, qui*

offerat

offerat holocauſtum, & adoleat munus, & faciat ſacrificium omnibus diebus. Et inprimis Jerem. 30:21. ubi prædicto, *Ducem & Principem Iſraëlis ex ipſo extiturum,* mox ſubjicitur: *Et faciam eum appropinquare*, nim. ut Sacerdotem, *& accedet ad me.* Item Pſal. 110:3. quo loco Propheta, poſt commemoratam collocationem Chriſti ad dexteram Dei, promiſſionem de ſacerdotio ejus ita repetit: *Juravit Jehovah, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in ſæculum, ſecundùm ordinem Melchiſedek.* Quia enim ſacerdotium perpetuum illi eidem tribuitur, cui & dictum, *Sede ad dexteram meam*; colligitur, ſedere Chriſtum ad dexteram Dei, ut Sacerdotem. Scil. πρὸς τὸ ἐμφανισθῆναι τῷ Πατρὶ, ut appareat & ſiſtat ſe Patri; Hebr. 9:24. Poſtquam ſcil. unum pro peccatis ſacrificium obtulit. Hebr. 1:3. 10:12. & cap. 9:12.

§. 69. De interceſſione Chriſti pro corpore ſuo, id eſt Eccleſiâ in terris militante, loquitur Scriptura Pſal. 72:2. *Judicabit*, i. e. defendet tanquam advocatus, interceſſione ſuâ, fundatâ *in juſtitia*, ſ. δικαιώματι τοῦ νόμου à ſe impleto: quia poterit dicere, Redime illos è foveâ: inveni enim lytron, *populum tuum*, i. e. electos; *& inopes tuos*, exhauſtos famè & ſiti juſtitiæ, deſtitutos viribus, iiſque non fretos, ſed eas abnegantes; *cum judicio.* Ut faciat eos potiri eo ſtatu, qui ipſis conveniat, nim. quiete *poſt* longam exſpectationem. Tale *judicium.* i. e. defenſio, aſſertio, vindicatio, *inopum ac tenuium*, Chriſto, ut advocato ac patrono pro iis intercedenti, tribuitur. Ib. Pſal. 72:4 Eſ. 11:4 & alibi. Huc reſpiciens David inquit in oratione ad Deum: *Latebra mea & clypeus meus es tu.* q. d. Tu me defendis ab omni accuſatione & condemnatione, cùm apud Te ſit Angelus Teſtamenti, non tantùm ut Sponſor, ſed etiam ut Sacerdos oblatione ſuâ perfunctus, & advocatus, ſ. interceſſor. Pſ. 119:114. conf. Rom. 8:32—39. Et de hac interceſſione quoque intelligendus Eſ. 53:11. ubi modum, quo juſtus ſervus Dei juſtificaturus ſit multos, ita explicat: *Et pravitates eorum ipſe bajulabit.* nim. intercedendo pro peccatis Eccleſiæ.

§. 70. Typum interceſſionis hujuſce videre eſt Pſal. 4:2. *Quum voco, reſponde mihi*, fac & da petitionem meam, *Deus juſtitiæ meus*, cum quo tanquam Sponſor & Mediator Teſtamenti, æternum fœdus de juſtitiâ habeo. *In arcto dilatâſti mihi*, ſolutis doloribus mortis, argumento, quòd me pro fideli ſervo habeas. *Gratioſus igitur eſto mihi.* Scil. gratiam Dei, ceu unicam cauſam redemtionis ſuæ & fidelium commemorare potuit, quatenus cauſam & perſonam noſtram ſuſtinuit; *& audi orationem meam*; quum ſeriò & ardenter te, ceu פלל/ juris & æqui arbitrum invoco, & peto, ut qui mihi dati ſunt, reos licet, agnoſcentes delictum, & ad arcem ſalutis confugientes, gratioſè non tantùm dimittas, nec punias, ſed etiam aſſumas. Et in loco præclaro Pſal. 40:6—18. Ubi Chriſtus, poſtquam ab initio Pſalmi hortatus fuiſſet fideles exemplo ſuo ad certamen, pro iiſdem apud Patrem ita intercedit, ut 1. Præſtruat petitioni ſuæ argumenta ducta *a.*) à magnitudine & multitudine beneficiorum jam præſtitorum; quæ ſanè Deus non fruſtrà fecerit: *Ampla feciſti, ô tu Jehovah, Deus mi, mirabilia tua, & cogitationes tuas erga nos.* Loquitur pro ſe & corpore ſuo myſtico. *Non eſt te æquiparare. Indicem & eloquar? Numeroſiora ſunt, præut enarrentur.* Reſpicit ad ſuperiora omnia Dei magnalia: Ut Incarnationem filii Dei, &c. vers 6. *b.*) à Voluntate Patris, quâ ipſum Mediatorem fecit: *ſacrificio & munere non oblectabaris.* tanquam cultu te digno, nedum tanquam medio ſanctificandi te & juſtificandi, dum juſtificas damnatum, ideo maximè, quia homo in ſe fœdus & ſordidus eſt. *Aures* igitur *perforâſti mihi.* h. e. me

volentem

volentem tibi ſervum mancipâſti, qui facerem omnem voluntatem tuam. & juſtos efficerem homines, quod non ſacrificia pecudum & irrationalia ipſorum tibi placerent. *Holocauſtum & peccatum*, ad expiandum hominem & gratum faciendum, *non poſtulâſti.* vers 7. Tùm etiam ſuâ, quâ tempore abolendi holocauſta, & pro peccato munera, *Tunc*, inquit, *dixi*, *ecce veni*, & quidem ita veni, ut doctrinâ, factis, paſſionibus, & regno meo, probarem, me eum eſſe, *de quo in volumine libri*, Moſis & Prophetarum, *ſcriptum eſt.* vers 8. Quâque voluntate, pergit, *Facere voluntatem tuam volupe mihi fuit, & lex tua erat in medio viſcerum meorum.* Tibi ſcil. obedivi, & omnem juſtitiam implevi. vers 9. *c.)* à prædicatione juſtitiæ factâ per ipſum: *Annunciavi juſtitiam tuam*, obedientiam ſcil. perfectam à me præſtitam, & jus filiorum ad vitam ipſis impetratum *in congregatione amplâ* omnium gentium. *Ecce labia mea non cohibeo. Jehovah, tu noſti.* vers 10. *Juſtitiam tuam non texi in corde meo; veritatem tuam & ſalvationem tuam dixi: non negavi gratiam & veritatem tuam apud congregationem amplam.* vers 11. Atque his præmiſſis, 2. petat *a.)* Continuationem gratiæ: *Tu, Jehovah, ne contineas miſericordiam tuam à me.* quatenùs adhuc miſer ſum in membris meis: *gratia & veritas tua ſemper me cuſtodiant*, ſive amplectantur. vers 12. Cauſa impulſiva petendi: *Nam ingruerunt in me mala, uſque adeò, ut non ſit numerus; attigerunt me pravitates meæ; & non poſſum cernere; numeroſiores ſunt pilis capitis mei, & cor meum reliquit me*, ſive deliquit. Scil. quia in malis erat corpus Chriſti, petit continuari miſericordiam; quia peccata ſua, i. e. membrorum ſuorum, pro quibus ſpoponderat, & ſatisfecerat ipſum aſſecuta ſunt, gratiam & veritatem. Aſſequuntur autem ipſum peccata, & vim ſuam exſerunt, quum mala tanta infeſtant Eccleſiam, quæ animum luce ſuâ privent, & triſtitiâ obnubilent, faciantque cor delinquere. Quamvis enim Chriſtus peccato vim ademit, quoad maledictionem; vim tamen, quoad diſciplinam & caſtigationem, & deſtructionem corporis peccati, non ſtatim ademit. Igitur à peccatis, quatenùs ſic vim ſuam exſerunt, liberari petit. vers 13. *b.)* Liberationem celerem: *Gratum ſit tibi, Jehovah, eripere me: Jehovah, ad opem meam feſtina.* ut à malis iſtis liberer, & cum gaudio ac bono animo tibi ſerviant membra mea. vers 14. Urget hoc 1. à fine, quem ſimul petit, eoque duplici: *a.) Pudefiant, & quidem vehementer, pariter quærentes animam meam ad conficiendam eam: retrocedant, & confundantur. qui delectantur malo meo*; vers 15. *Stupeant, ob mercedem pudendam ſuam, qui dicunt mihi: Euge, euge.* vers 16. *β.) Hilareſcant & lætentur in te omnes quærentes te: dicant ſemper Magnificetur Jehovah*, i. e. prædicent Evangelium liberè, *amantes ſalutem tuam.* vers 17. à ſtatu ſuo: *Et ego inops & egenus.* ſine ope ad reſiſtendum malo, & nihil habens boni. Robur argumenti ab imputatione Dei: *Dominus imputabit mihi.* Scil. hoc, quod ego ita patior, & ita deficior. Illud non obliviſcetur. III. à fiduciâ ſuâ: *Auxilium meum & liberator tu es.* à nemine alio opem & ſalutem exſpecto. IIII. à fœdere: Deus mi. Tandem repetitâ petitione finit: *Ne tardes.* ne differas in poſterius tempus, ſed, ut ſup. v. 14. dixerat, *feſtina.* v. 18.

§. 71. Propter hanc interceſſionem porrò eſt, quòd Eccleſia N. Teſtamenti, quamdiu ſalutem Judæorum & Gentium nondum videt tam plenam, nec tam latam, quàm quidem exſpectaverat, illis induratis & abjectis, hiſce omni modo repugnantibus, rem ſuam Chriſto, ut patrono ſuo atque advocato apud Patrem, ita commendet: *In fidem tuam ſuſcipe ſervum tuum in bonum, ne me opprimant protervi.* i.e. Tu, qui in cœlum aſcendiſti, ut apud Patrem pro me interc[e]deres, Tu, inquam, ſiſte te patronum meum, & afferas cauſam meam; apud thronum Patris hoc poſtula, ut

Diabolus privetur regno ſuo, quod habet in mundo. Pſal. 119: 122. Ac denique hinc eſt, quòd eadem Eccleſia ſibi petat omnia bona à Deo in Rege ſuo, charo apud Deum, & intercedente pro eâ, verbis, quæ Spiritus præivit. Pſal. 84: 10. *Clypeum noſtrum*, id eſt regem noſtrum, qui nos defendit, *vide, ô Deus, & adſpice faciem Uncti tui.* In quibus proculdubio eſt myſtica ſignificatio orationis fidelium ſub N. T. apertiùs in nomine Chriſti orantium.

§. 72. Cæterùm fore Chriſtum Sacerdotem, docemur Pſal. 16: 1. ubi eſt acceptatio ſacrificii Chriſti. Et vers 11. Ibid. Ubi innuitur Chriſti ἐμφανισμὸς ſ. apparitio apud Patrem, ut is in obedientiâ illius, & ille in gratiâ Patris ſaturam lætitiam habeant. Sic Pſal. 40: 7. 8. Chriſtus ſacerdos conſtituitur. Et Pſal 110: 4. expreſſè *Sacerdos* nominatur; ſicut & Zach. 6: 13. Idemque etiam probatur ex Eſ. 53: 10. ubi אָשָׁם *ſacrificium pro reatu, quod anima ipſius dabit.* Et Jerem. 30: 21. ubi eſt: *Et faciam eum appropinquare*, ut Sacerdotem, *& accedet ad me.* Ac denique Jerem. 33: 15. 17. 18. Ubi dationem Meſſiæ hâc ratione munit, quia nec Davidi debeat exſcindi vir ſedens in throno Iſraëlis, neque Levitis vir offerens ſacrificium. Nam ſi Chriſtus non veniret, exſcinderetur Levitis vir offerens ſacrificium. Unde neceſſariò conficitur, debere Chriſtum ſacerdotem eſſe.

§. 73. Quid verò ſit *Sacerdotem eſſe*, ex ſignificatione vocis Hebreæ כֹּהֵן / quæ redditur per *Sacerdos*, explicandum eſt. Nimirùm per כֹּהֵן *cohén* ſignificantur in genere intimæ admiſſionis principes, qui ſummo principi adhærent, ſive in politiâ, ſ. ἐν τοῖς πρὸς Θεόν. *Sic filii Davidis* כֹּהֲנִים *erant*; 2 Sam. 8: 18. h. e. רִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ *primi juxta regem*; 1 Chron. 18: 17. Hinc eſt, quod Sacerdotes dicantur שָׂרֵי קֹדֶשׁ Eſ. 43: 28. רוֹזְנִים Pſal. 2: 2. Ipſum verbum כֹּהֵן / unde כִּהֵן / Eſ. 61: 10. eſt *applicare*, προσάπτειν, προσαρμόζειν. Ut ita כִּהֵן / quatenùs ſignificat *ſacerdotio fungi*, nihil aliud videatur notare, quàm accedere ad Deum, προσέρχεσθαι, προσεγγίζειν τῷ Θεῷ. quæ ſunt æquipollentia. Jerem. 30: 21. (ubi eſt נִגַּשׁ / quod eſt intercedentis Gen. 18: 23.) Num. 16: 5. Vel certè *adducere*, *admovere*, προσάγειν, προσφέρειν. Ex quibus patet, כְּהֻנָּה *Sacerdotium* Chriſti nihil aliud vi vocis notare, quam הַקְרָבָה *acceſſum* ejus, ſ. *admiſſionem* ad Deum; & idcirco hoc continere, quòd ille ſit conſtitutus Mediator inter Deum & homines, ad Deum propitiandum, ad expiandum peccata, & juſtitiam æternam adducendam. Dan. 9: 24.

§. 74. Hoc ſacerdotium Chriſto ſoli competit, cum excluſione omnis alterius. Quod indicat promiſſio Pſal. 110: 4. *Tu es ſacerdos.* Si enim ex eo, quòd Chriſto dictum ſit in Pſalmis, *Tu es filius meus*, rectè colligat Apoſtolus, Chriſto ſoli id dictum eſſe, quia ſcil. id nulli unquam Angelorum dictum eſt: Etiam ex hoc loco colligendum eſt, Chriſto ſoli dictum eſſe, *Tu es Sacerdos*, quia id nulli unquam Angelorum vel hominum dictum eſt. Scil. multi ſunt & vocantur *filii*: Sed inter multos filios uni dicere, *Tu es filius*, eſt filiationem uni peculiariter & propriè aſſignare. Ita erant *ſacerdotes* Levitæ, & omnes fideles ſunt *ſacerdotes*: At uni inter omnes vindicatur Sacerdotium, ut oſtendatur, in illis fuiſſe umbratile, in his per participationem eſſe; Chriſto autem ſoli propriè, ac principaliter convenire. Ita Jeremias: *Et faciam eum appropinquare, & accedet ad me. Nam quis eſt, qui in fidem ſuam recepit cor ſuum, ut accedat ad me? ait Jehovah.* Jerem 30: 21. Ex quibus omninò claret, Sacerdotium Chriſti ipſi ſoli attribui, & cum excluſione omnis alterius.

§. 75. Porrò

§. 75. Porrò Sacerdotium Chriſto competit *ſecundùm ordinem Melchiſedek.* i. e. ita ut typum Melchiſedeci impleret. Apoſtolus dicit, κατὰ τάξιν, καθ' ὁμοιότητα. Ita enim Pſalmiſta: *Juravit Jehovah, & non pœnitebit eum; Tu es Sacerdos in ſœculum; ſecundum ordinem Melchiſedek.* Pſal. 110: 4. Fuit autem Melchiſedek typus Chriſti, tùm ſecundùm ea, quæ de ipſo dicuntur, tùm ſecundùm ea, quæ non dicuntur. Ita ut non dici de Melchiſedeco ſignificet in Chriſto, dici de ipſo non poſſe. Ea ſimilitudo ſpectatur 1. quoad perſonam, in eo, quod ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, *ſine patre, ſine matre.* Chriſtus ex virgine ἀπάτωρ, Eſai. 7: 14. ἀμήτωρ, quia æternus Deus: Mich. 5: 1. Pſalm. 2: 7. Quòd ἀγενεαλόγητος. i. e. *ſine ſucceſſione filiorum*: quia nemo poſt ipſum accipit Sacerdotium ipſius, ut Aharonidæ. *Neque principium dierum, neque finem habens.* A καὶ Ω. Apoc. 1: 8. 11. Joh. 1: 1. Eſai. 41: 4. 2. Quoad officium, in eo, quòd *Rex juſtitiæ & Pacis. Sacerdos Dei Altiſſimi. Per quem benedictio ad ipſum Abrahamum venit, à quo & decimas accepit.* Referri huc etiam poteſt, quòd panem & vinum verum & vivum nobis dat, ad vitam æternam, ut ille Abrahamo ad refectionem carnis. 3. quoad vocationem. Non legitur, quomodo Melchiſedek conſtitutus ſit Sacerdos. Aharon eſt ſacerdos κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς. Sed Chriſtus κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. Heb. 7: 16. Quia æternus Deus eſt, habuit poteſtatem ſumendi ſacerdotium. Ideo צֶמַח *germen* quia *deſubter ſe germinat*, h. e. *ex ſeipſo*, ut Ab. Eſra interpretatur.

§. 76. Sacerdotium Chriſti eſt μετὰ ὁρκωμοσίας *cum jurejurando*; Heb. 7: 20. 21. non *ſecundùm legem præcepti carnalis*; ut Aharonicum. Ibid. verſ. 16. Atque ita eſt Pſalm. 110: 4. *Juravit Jehovah, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos.* Significatur τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς, conſilii & propoſiti immutabilitas; Heb. 6: 17. Nulla enim ſubeſt conditio huic juramento. Ideo additur *& non pœnitebit eum.*

§. 77. Obſervat præterea Apoſtolus, Chriſti Sacerdotium non tantùm eſſe *cum jurejurando*; Heb. 7: 20: 21. Sed etiam *cum jurejurando poſt legem.* Ibid. verſ. 28. Quæ eſt manifeſta demonſtratio amotionis ſacerdotii debilioris.

§. 78. Denique Sacerdotium Chriſti, non minùs, quàm regnum ejus, eſt ſempiternum. Heb. 7: 16. κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. 24. ἀπαράβατον ἔχει ἱερωσύνην & 25. Id ita dictum in Pſalmo: *Tu es ſacerdos in ſœculum.*

§. 79. Hactenùs de naturâ & modo regni Dei, quatenùs id regnum in perfectiſſimâ Chriſti obedientiâ & morte fundatum, & per aſcenſionem Chriſti in cœlum, atque occupationem throni gloriæ manifeſtatum eſt in mundo, cognovimus teſtimonia Prophetiarum. Supereſt, ut de bonis hujus Regni, & quæ maxima inde commoda, privilegia, ac jura, in ſubditos ac cives hujus regni redundent, id eſt de beneficiis Novi Teſtamti, tam abſolutè, quàm in comparatione Veteris Teſtamenti, quæ ſunt ad manum, hîc comportemus.

§. 80. Scilicet, ut ab ipſo capite ac fonte omnium beneficiorum ordiamur, Chriſtus poſito per perfectiſſimam obedientiam & mortem ſatisfactionis pretio, peccatum expiavit, & juſtitiam ſœculorum, repræſentatâ ac conſummatâ ejus cauſâ, adduxit. De expiatione peccati occurrunt iſta: *Verba pravitatum ſuperabant me. defectiones noſtræ: tu illas expias.* Pſalm. 65: 4. *Ego, ego is ſum, qui delet defectiones tuas propter me.* Eſai. 43: 25. *Et purificabo eos ab omni pravitate, quâ peccarunt mihi.* Jerem. 33: 8. Non enim hîc intelligi purgationem, quæ eſt emendatio, ſed quæ eſt expiatio, patet, tùm ex adjuncto, *quâ peccârunt mihi*; tùm quia ſequitur, *& condonabo omnes pravitates ipſorum.* Ut purificatio talis ſignificetur, quæ ſit cauſa condonationis peccatorum. *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populo tuo . . . ad*

expian-

expiandum pravitatem. Daniel. 9: 24. *Et delebo*, obliterabo dato λύτρῳ, expiabo, *pravitatem terræ illius* (διηνεκῶς. i. e. totius mundi.) *uno die.* Zach. 3: verſ. 9. Et hinc à deterſione peccati *populus deterſus* denominatur. Eſ. 18: 7.

§. 81. Juſtitiæ æternæ adductionem priori beneficio ſic annectit Daniel: *Et ad adducendum juſtitiam æternam.* Dan. 9: 24. Et huc pertinent ſequentia: *Juſtitia tua*, quam facto repræſentas, *ut montes Dei.* propter dignitatem perſonæ. Pſ. 36: verſ. 7. *Annunciavi juſtitiam*, jam primùm adductam, *in cœtu amplo.* Pſ. 40: 10. *Et indicarunt cœli*, Sp. S. ex cœlo, *juſtitiam ejus.* nuper rebus ipſis impletam. Pſal. 50: 6. 97: 6. *Deus, judicia tua Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.* Chriſto nim. filio Dei veri Regis, ut eam juſtitiam præſtet & adducat. Pſalm. 72: 1. *Judicabit populum ſuum* h. e. defendet, ut patronus, interceſſione ſuâ, quæ ſit fundata *in juſtitiâ.* quam adducet. Pſalm. 72: 2. *Et juſtitia ejus*, quam affert Chriſtus, *manet in æternum.* Pſalm. 111: 3. 112: 3. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ.* quâ, antequam Chriſtus appareret, Sacerdotes erant nudi, ut, præterito altari, ad Deum accedere non poſſent. Pſalm. 132: 9. *In veritate tuâ*, quia promiſiſti, *reſponde mihi in juſtitiâ tuâ.* da mihi, quod à juſtitiâ tuâ, quam filio tuo dediſti afferendam, exſpectari poteſt. Pſalm. 143: 1. *Poſt illa appellaberis urbs juſtitiæ.* apud quam nim. juſtitia verum implementum habeat. Eſai. 1: 26. *Sion cum judicio redimetur, & reſipiſcentes ejus in juſtitiâ.* quam Chriſtus præſtabit. Ibid. verſ. 27. *Ad confirmandum illud* regnum, *& adſulciendum, illud per judicium & juſtitiam.* Eſai. 9: 6. *Ecce Dominus Jehovah cum fortitudine veniet .... ecce merces ipſius*, donum juſtitiæ, quod adducit, *penes ipſum eſt.* Eſai. 40: 10. *Ego Jehovah vocavi te cum juſtitiâ.* ut veniens eam adducas. Eſai. 42: 6. *Stillate cœli supernè & montes manent juſtitiâ.* per deſcenſum ejus, qui juſtitiam adducat. Eſai. 45: 8. *Tantùm in Jehovah (de me dixit,) juſtitiæ.* i. e. conſummatio juſtitiæ, ſuo tempore præſtanda. Eſai. 45: 24. *Utinam attendiſſes ad præcepta mea! exſtitiſſet utique tanquam fluvius, pax tua, & juſtitia tua, ut fluctus maris.* quæ juſtitia hoc pacto adducenda ſignificatur. Eſai. 48: 18. *In agnitione ſui juſtitiam conciliabit juſtus ſervus meus multis.* Eſai. 53: 11. *In juſtitiâ conſtabilieris.* Eſai. 54: 14. *Sic dixit Jehovah: Servate judicium & facite juſtitiam: nam propinqua eſt ſalus mea ut veniat, & juſtitia mea ut reveletur.* Eſai. 56: 1. *Et ut appellentur quercus juſtitiæ.* Eſai. 61: 3. *Donec exeat tanquam ſplendor juſtitia ejus.* Eſai. 63: 1. *Et videbunt gentes juſtitiam tuam.* Ibid. verſ. 2. *Et hoc nomen ejus*, Iſraëlis, *quo appellabit eum* unusquiſque, *Jehovah juſtitia noſtra.* Jerem. 23: 6. 33: 16. Hæc verò juſtitia eſt obedientia, quæ ſit δικαίωμα, h. e. cauſa juris petendi atque exſpectandi vitam æternam: quod jus in Scripturis juſtitia vocatur.

§. 82. Et quoniam obedientia, quæ ſit meritum vitæ, poſt multos lapſus, & cauſa juris eam petendi, à ſolo Deo præſtari poteſt; hinc paſſim juſtitia, cui adducendæ Chriſtus ſervi conditionem ſubiit, vocatur *juſtitia Dei.* Ut Pſalm. 36: 7. 40: 11. 50: 6. 72: 1. ubi *juſtitia Dei filio dari* dicitur. 143: 1. 11. Eſai. 56: 1.

§. 83. Diximus paulò ante, Expiationem peccati, & Adductionem juſtitiæ, eſſe principium & quaſi fontem omnium reliquorum bonorum. Id danda nunc opera, ut per enarrationem omnium, ac deductionem ex dicto capite, ad ubertatem & claritatem cognitionis, demonſtremus. Incipiemus autem ab iis, quæ magis abſoluta ſunt, & nulli peculiari temporum aut ſtatuum œconomiæ alligata, nullum ab hâc vel illâ temporum ratione peculiarum affectum, conſtitutionem, reſpectum, aut denominationem habent, quæque idcircò, ut ſimpliciora reliquis, & faciliora cognitu, ſic digna viſa ſunt, quæ ante alia memorentur.

§. 84. Pri-

§. 84. Primò quidem igitur, quia Chriſtus unico ſacrificio corporis ſui, peccatum expiavit, liberavit nos ab irâ Dei, à maledictione, ab accuſatione & condemnatione legis, æternis pœnis addicentis hominem peccatorem, & nullam ſpem gratiæ ei reliquam facientis, à reatu ac merito condemnationis, à poteſtate Satanæ, à poteſtate peccati & mortis, à triſtitiâ, deſperatione & morte æternâ: liberavit, inquam, ac redemit in peculium ſibi. De liberatione ab hiſce omnibus, vel conjunctim, vel in aliquâ parte, intelligenda ea, quæ ſequuntur: *Ipſum* ſemen *conteret tibi caput.* deſtruet imperium tuum. Gen. 3: 15. *Extrahebat me ab aquis multis. Eripiebat me ab Inimico meo robuſto.* Pſ. 18: 17. 18. *Servâſti nos ab hoſtibus noſtris, & oſores noſtros pudore affeciſti.* Pſ. 44: 8. *Aſcendiſti in altum captivam duxiſti captivitatem.* Vi ſatisfactionis tuæ innexos vinculis Exſecrationis, & ſic deditos Hoſti, liberaſti. Pſ. 68: 19. *Ferent montes pacem populo, & colles cum juſtitiâ. Pacem*, ſcil. cum Deo, ablatâ irâ. Pſal. 72: 3. *Quia gratia tua magna eſt circa me, & eripuiſti animam meam ex orco infimo.* Pſalm. 86: 13. *Nam ipſe eripiet te à laqueo Aucupis.* ab inſidiis ac poteſtate Satanæ. Pſalm. 91: 3. *Nam me dilexit*, ſ. *appetivit, & faciam ipſum evadere.* Pſalm. 91: 14 *Qui redimit ex corruptione*, i. e. morte æternâ, *vitam tuam.* Pſalm. 103: 4. *Dicant aſſerti Jehovæ, quos aſſeruit* ſive *vendicavit ex manu Hoſtis.* Pſalm. 107: 2. *Latebra mea & clypeus meus es Tu.* Tu me defendes ab omni accuſatione & condemnatione, ut Advocatus & Interceſſor apud Deum pro me. Pſal. 119: 114. *Vide*, veni de cœlo & experire, *afflictionem meam, & libera me.* Pſalm. 119: 153. *Et præpotentias* ſive *victorias tuas*, qualis eſt inprimis victoria peccati & mortis, & ejus, qui mortis poteſtatem habet, Diaboli. Pſalm. 145: 4. *Nam puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & venit principatus in humerum ipſius, & nuncupatum eſt nomen ejus... Deus victor*, (conf. Pſalm. 145: 4. & add. Eſai. 10: 21.) *Princeps pacis.* qui abſtulerit iram & maledictionem, & omnes hoſtes, putà Diabolum, carnem, mundum ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubjecerit. Eſai. 9: 5. *Ad amplificationem principatus, & pacem ſine fine.* Ibid. verſ. 6. *Et conſedit ſuper throno curans judicium & feſtinus juſtitiæ.* exercendæ tum erga injuſtos, tum erga reſipiſcentes, ab ipſis auferendo accuſationem & condemnationem legis &c. Eſai. 16: 5. Qui hinc *Populus deterſus.* i. e. liberatus à poteſtate peccati & mortis. Eſai. 18: 7. *Ecce ſervus meus, teneo illum; electus meus*, in cujus obedientiâ *acquieſcit anima mea.* i. e. reconciliatio, pax, & amicitia Dei, ablatâ irâ, eſt inventa. Eſai. 42: 1. *Utinam attendiſſes ad præcepta mea! Extitiſſet utique tanquam fluvius* perennis, *pax tua, & juſtitia tua, ut fluctus maris.* abſorbens omne peccatum. Eſai. 48: 18. *Dicite, Aſſeruit Jehovah ſervum ſuum Jacobum.* Ibid. verſ. 20. *An accipietur à forti captura, & nunquid captivitas juſti evadet? Nam ſic ait Jehovah, ſimul captivitas fortis accipietur*, ſpoliandus eſt Diabolus robore ſuo, & ligandus, ut captiva ejus capiantur, abolendus eſt, & de cœlo dejiciendus in terram, *& captura violenti evadet.* Eſ. 49: 24. 25. *Et non argento aſſeremini.* Eſ. 52: 3. *Exemplaris pœna* cauſa *pacis noſtræ* & incolumitatis, *ſuper ipſo erat.* Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum & exemplum iræ Divinæ, ut nos eſſemus incolumes & maledictionis expertes. Eſai. 53: 5. *Et Jehovah volentem enervare ipſum*, Diabolum, *infirmavit* ad impotentiam redigit. Eſai. 53: 10. *Nam aquæ Noachi hoc mihi: quemadmodum juravi non tranſituras aquas Noachi terram, ſic juravi, ne efferveſcam in te & increpem te.* Eſai. 54: 9. *Et fœdus pacis meæ non nutabit.* Ibid. verſ. 10. *Omne inſtrumentum, quod formabitur contra te, non proſperabitur, & omnem linguam, quæ ſurget contra te in judicium, condemnabis. Hæc eſt hæreditas ſervorum Jehovæ, & juſtitia illorum à me, ait Jehovah.* Eſai. 54: 17. *Miſit me*

ad obligandum confractos corde. ad lætificandum eos, qui lugent & cor quaſi vulneratum gerunt propter peccata, *ad prædicandum abductis in captivitatem libertatem* ad exeundum ex captivitate & carcere. i. e. abolitionem imperii mortis, quod habebat Diabolus. Eſai. 61: 1. *Et ſalutem mihi fecit brachium meum.* Potentiâ meâ hoſtes meos & Eccleſiæ meæ confeci. Eſai. 63: 5. *Nam redemit Jehovah Jacobum, & aſſeruit eum ex manu ejus qui validior ipſo erat.* i. e. Diaboli. Jer. 31: 11. *Finita eſt pravitas tua*, poſt liberationem ex captivitate Babylonicâ, & conſequentia beneficia, liberata es à vi peccati & legis, *filia Sion.* Thren. 4: 22. *Die illo faciam germinare cornu domui Iſraël.* regem faciam ex Iſraële exoriri, qui hoſtes ejus, inprimis Diabolum & mortem contundat. Ezech. 29: 21. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas.* i. e. obedientiam, quæ vim habet tollendi reatum ſive meritum condemnationis, *& purificabimini ab omnibus fœditatibus veſtris.* liberamini à reatu communi omnibus incumbente. Ezech. 36: 25. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum*, ablatâ triſtitiâ, & conſcientiâ malâ, ſ. reformidante, datâ autem lætitiâ, *in medio veſtri.* Ezech. 36: 26. *Et ſalvabo eos ex omnibus ſedibus ſuis, in quibus peccarunt.* Ezech. 37: 23. Hinc eſt, quod Chriſto *clavis abyſſi & catena magna eſt data.* nempe ad liberandos eos, qui ipſi dati erant, ex poteſtate peccati & mortis, & maledictione æternâ, & ad conſtringendum Diabolum, ne quid calumniæ intentare fidelibus poſſit. Apoc. 20: 1.

§. 85. In liberatione iſtâ pars eſt *Salutis*, aut *Salvationis*; quatenùs nimirum hæc Salvatio deſignat juſtam ac decoram Deo ablationem iræ & pœnarum peccatori vi legis & juſtitiæ Divinæ incumbentium. Alterâ enim parte & largitionem vitæ ac beatitudinis amplectitur. De ſalvatione iſtâ loquitur Jacobus: *Salutem tuam exſpecto, Jehovah.* Gen. 49: 18. *Nam tu populum inopem ſalvas.* Pſal. 18: 28. *Qui accepit benedictionem à Jehovah, & juſtitiam in Deo ſalutis ſuo.* Pſal. 24: 5. *Jehovah eſt lux mea & ſalus mea; à quo metuam?* Pſalm. 27: 1. *Hominem & pecus ſalvas, Jehovah.* Pſalm. 36: 7. *Quia ſervaſti nos ab hoſtibus noſtris, & oſores noſtros pudore affeciſti.* Pſal. 44: 8. *Nam Deus ſalvabit Sionem, & ædificabit urbes Jehudæ.* Pſ. 69: verſ. 36. *Et veni ad ſalutem nobis.* Pſal. 80: 3. *Deus, reduc* (vel *converte*) *nos, & illumina faciem tuam, ut ſalvemur.* Ibid. verſ. 4. *Deus exercituum, converte nos, & illuſtra faciem tuam, & ſalvabimur.* Ibid. verſ. 8. *Jehovah, Deus exercituum, converte nos; illumina faciem tuam, & ſalvabimur.* Ibid. verſ. 20. Ubi non ſine emphaſi additur vox *Jehovah.* Ut ita *Salus* ternâ, i. e. perpetuâ petitione exorata à fidelibus Vet. Teſtamenti, tandem cum pleniſſimâ demonſtratione gratiæ & veritatis exhibita intelligatur. *Canite Jehovæ, benedicite nomini ipſius; evangelizate de die in diem ſalutem ejus.* Pſalm. 96: 2. *Agglutinata eſt pulveri anima mea: Serva me ſecundùm verbum tuum.* Pſalm. 119: 25. *Et veniant mihi gratiæ tuæ, Jehovah, ſalvatio tua, ſecundùm dictum tuum.* Pſalm. 119: 41. *Deficit ad ſalvationem tuam anima mea: ad verbum tuum ſpero.* Pſalm. 119: 81. *Sacerdotes ejus induam ſalute.* Pſal. 132: verſ. 16. *Quia benevolentiam habet Jehovah in populo ſuo, ornat modeſtos ſalute.* Pſal. 149: 4. *Urbs roboris nobis eſt, ſalutem ponit muros & antemurale.* vi partæ ſalutis fideles cuſtodit, ut à nullo hoſte poſſint vinci, aut ab amore ejus ſeparari. Eſai. 26: verſ. 1. *Iſraël ſalvatus eſt in Domino ſalvatione ſæculorum; non pudefietis, non confundemini, uſque in ſæcula æternitatis.* Eſai. 45: 17. *Reſpicite ad me, & ſalvamini, omnes fines terræ. Nam ego ſum Deus, & non eſt ampliùs.* Eſai. 45: 22. *Sic ait Jehovah: tempore gratiæ reſpondi tibi, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi.* Eſ. 49: 8. *Quàm decori ſunt in montibus pedes nunciantis Evangelium, qui facit audiri pacem, qui nunciat*

bonum,

bonum, qui facit audiri ſalutem! Eſai. 52: 7. *Nudavit Jehovah brachium ſanctum ſuum ad oculos omnium gentium, & viderunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri.* Eſai. 52: verſ. 10. *Nam propinqua eſt ſalus mea ut veniat, & juſtitia mea ut reveletur.* Eſai. 56: verſ 1. *In diebus ejus ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit ſecurè.* Jerem. 23: 6. *In diebus illis ſalvabitur Juda, & Hieroſolyma habitabit ſecurè.* Jer. 33: 16. *Et ſalutem faciam ovibus meis, & non erunt amplius direptioni.* Ezech. 34: 22. *Et ſalvabo eos ex omnibus ſedibus ſuis, in quibus peccarunt.* Ez. 37: 22. *Et domum Judæ miſerabor, & ſalvabo ipſos in Jehovah Deo ipſorum: & non ſalvabo ipſos arcu, & gladio, & bello, cum equis & equitibus.* Hoſ. 1: 7.

§. 86. Hæc ſalvatio eſt ſalvatio veri nominis, per quam homo ab omni miſeriâ ad veram beatitudinem transfertur. Eſt enim *ſalvatio ſæculorum*, ſive *æterna*; & quæ participem ſui fruſtrari non poteſt. Eſai. 45: 17. Et non eſt ſalvatio, quæ fiat per arma bellica, ab hoſtibus nimirum ac neceſſitatibus temporalibus; cui opponitur Hoſ. 1; 7. Et fluit à gratiâ & miſericordiâ Dei. Pſal, 80: 4. 8. 20. Pſal. 119: 41. 149: 4. Hoſ. 1: 7. Ideo Deo auctori paſſim aſſignatur. Vid. Pſal. 18: 28. 36: 7. 69: 36. 119: 25. 132: 16. 149: 4. Eſai. 26: 1. Ezech. 34: 22. 37: 22. Hoſ. 1: 7. Diciturque *Salus Dei.* Gen. 44: 18. Pſal. 24: 5. 27: 1. 96: 2. 119: 41. 81. Eſ. 52: 10. 56: 1. & *in Deo* Eſ. 45: 17. Hoſ. 1: 7.

§. 87. Quatenus verò hæc liberatio & ſalvatio facta eſt vi pretii à Chriſto dati, *Redemtio*, & quatenus eſt eorum, quos Chriſtus, tanquam à ſe alienatos, ſic quaſi injectâ manu repetiit ac ſuos dixit, ſibique acquiſivit, *Aſſertio*, ſive *Vindicatio*, in Scripturis appellatur. De hiſce ita agit Scriptura: *Angelus ille, qui vindicavit me ab omni malo.* Gen. 48: 16. *Annon ipſe eſt Pater tuus, qui emit te?* Deut. 32: 6. *Frater non redimendo redimet quenquam, non dabit Deo precium ejus. (Nam precioſum eſt lytron animarum ipſorum, & deficiet in ſæculum.) At Deus redimet animam meam* (ſcil. dando lytron ex vers 8.) *ex manu inferni, quum aſſumet me. Selah.* Pſal. 49: 8. 9. 16. *Memento cœtus tui, quem emiſti olim* ſanguine tuo ex captivitate Satanæ & legis, *quem vindicaſti virgam hæreditatis tuæ.* Pſal. 74; 2. *Qui redimit ex corruptione vitam tuam.* Pſal. 103: 4. *Dicant aſſerti Jehovæ, quos aſſeruit (ſive vindicavit) ex manu hoſtis.* Pſal. 107: 2. *Et ipſe redimet Iſraëlem ex omnibus pravitatibus ſuis.* Pſal. 130: 8. *Sion cum judicio redimetur, & reſipiſcentes ejus in juſtitiâ.* Eſ. 1: 27. *Ecce ego, & pueri, quos donavit mihi Jehovah.* redimendos & ſanctificandos in communione mei. Eſ. 8: 18. *Redemti Jehovæ.* Eſ. 35: 10. *Aſſertor tuus ſanctus Iſraëlis.* Eſ. 41: 14. *Sic ait Jehovah rex Iſraëlis & vindex ejus, Jehovah Deus exercituum.* Eſ. 44: 6. *Proferte hoc ad finem terræ; dicite, Aſſeruit Jehovah ſervum ſuum Jacobum.* Eſ. 48: 20. *Non argento aſſeremini.* Eſai. 52; 3. Quo precio igitur? *Cum poſuerit anima ejus ſatisfactionis precium.* Eſ. 53: 11 *Non auro &c, ſed pretioſo ſanguine.* 1 Pet. 1: 18 *Frangorem facite, cantate pariter, deſolata Hieroſolymæ, quia conſolatus eſt Jehovah populum ſuum, vindicavit Hieroſolymam.* Eſ. 52: 9. *Cognoſces, quòd Ego Dominus Servator tuus, & aſſertor tuus heros Jacobi.* Eſ. 60: 16. *Annus aſſertorum meorum.* Eſ. 63: 4. *Nam redemit Jehovah Jacobum, & aſſeruit eum ex manu ejus, qui validior ipſo erat.* ſuo ſanguine ſibi paravit Eccleſiam, & illam apprehendit tanquam peculium ſuum, & eduxit ex manu Diaboli, Jerem. 31: 11. Hunc גואל *redemtorem* & *vindicem* notat & Jobus, & quidem *Deum videndum ex carne ſuâ, ſtaturum ſupra pulverem.* Job. 19: 25. 26. Norat Elihu eundem *Angelum Advocatum unum ex mille, qui intercedat pro homine, qui dicat, Redime eum ne deſcendat in foveam. Juveni enim lytron.* Job. 33: 23. 24. *Dominus* Eccleſiæ, à ſe redemptæ;

Pſal.

Pſal. 45: 12. & *Rex*; Jerem. 30: 9. Eccleſia *pars* Chriſti; Deut. 32: 9. Pſal 16: 5. *hæreditas*; Pſal. 2: 8. 16: 6. 33: 11. 68: 10. *Funiculus hæreditatis*; Deut. 32: 9. Pſ. 16: 6. *peculium*; Pſalm. 135: 4. & *Populus*; Pſal. 33: 11. & paſſim alibi, nuncupatur.

§. 88. Hic primus fructus expiationis peccati & adductionis juſtitiæ, Liberatio ac Redemtio Eccleſiæ. Huic proximus eſt Juſtificatio. Quia enim Chriſtus obedientiâ ac merito ſuo peccatum expiavit, fecit ut nobis remittantur omnia noſtra peccata, atque adeò immunes declaremur à merito condemnationis; & quia juſtitiam adduxit, donatâ atque imputatâ eâ nobis, jus nobis dedit exſpectandi & petendi vitam æternam, omniaque ad eam neceſſaria; quibus duabus partibus Juſtificatio noſtra abſolvitur. Remiſſionem peccatorum ſic laudat Prophetia: *Beatus, cujus defectio ablata eſt; cujus peccatum tectum eſt. Beatus homo, cui Jehovah non imputat pravitatem.* Pſal. 32: 1. 2. Ubi *auferre, tegere, non imputare*, in re idem ſunt. Sed unum explicat alterum. *Aufertur* enim peccatum ferendo: *Tegitur*, induto Chriſto & ejus δικαιώματι: *Non imputatur*, quando in judicio Dei habetur peccator ac ſi peccatum nullum commiſiſſet, atque ita tollitur obligatio ad pœnam. *Purificabis me hyſſopo, & purus ero.* ab omni peccato. Pſal. 51: 9. *Defectiones noſtræ: Tu illas expias.* Pſal. 65: 4. Ubi verbum כִּפֵּר de Deo dictum ſignificat, quod pretio ordinato, acceptato, atque imputato peccata remittat. *Condonâſti pravitatem populi tui, texiſti omnia peccata ipſorum.* Pſal. 85: 3. *Qui condonat omnem pravitatem tuam.* Pſal. 103: 3. *Agite, diſceptemus unà; dicit Jehovah: ſi fuerint peccata veſtra inſtar dibaphi ut nix dealbabuntur; ſi rubuerint inſtar coccini, ut lana fient* Eſ. 1: 18. Ubi duo diſtinctè in juſtificatione conſideranda, 1. puritas, tanquam lanæ non infectæ, ſ. remiſſio peccati. 2. Candor tanquam nivis, h. e. donatio juſtitiæ. *Derelinquat improbus viam ſuam, & vir vanitatis cogitationes ſuas, & convertatur ad Jehovam; & miſerebitur ipſius; & ad Deum noſtrum, quia multiplicabit condonare.* ſive *multùm condonabit.* Eſ. 55: 9. *Nam condonabo pravitatem eorum, & ipſum peccatum eorum non recordabor amplius.* Jerem. 31: 34. *Et purificabo eos ab omni pravitate, quâ peccarunt mihi, & condonabo omnes pravitates ipſorum, quibus peccarunt mihi, & quibus defecerunt à me.* Ubi *purificatio.* i. e. expiatio, & *condonatio* peccatorum, conjunguntur. Jerem. 33: 8. *In diebus illis & in tempore illo, ait Jehovah, quæretur pravitas Iſraëlis, & non erit, & peccata Judæ, & non invenientur; quia condonabo ei, quem reliquum faciam.* Jerem. 50: 20. *Finita eſt pravitas tua, filia Sion.* Thren. 4: 20.

§. 89. Remiſſio peccatorum præſtat immunitatem à pœnâ, & abſolutionem à merito condemnationis. De hâc abſolutione & immunitate diſertè Eſaias qui & hæreditatem ſervorum Dei, & juſtitiam appellat. cap. 48: 18. *Et juſtitia tua ut fluctus maris.* abſorbens omne peccatum. Et cap. 54: 17. *Omne inſtrumentum, quod formabitur contra te non proſperabitur, & omnem linguam, quæ ſurget tecum in judicium, condemnabis. Hæc eſt hæreditas ſervorum Jehovæ, & juſtitia illorum à me, ait Jehovah.* Abſolutio verò iſta eſt pars judicii Chriſto dati, de quo judicio eſt Pſalm. 72: 1. *Deus, judicia tua regi da.* & vers 2. *Judicabit populum ſuum in juſtitiâ.* Item Eſai. 16: 5. *Et conſedit ſuper ipſo* (throno in gratiâ conſtabilito) *judicans.* Et Eſai. 42: 3. *Cannam quaſſatam non confringet, & linum hebeſcens non exſtinguet; juxta veritatem proferet judicium.* Et Ezech. 21: 32. *Donec veniat, cujus eſt judicium, & dem illud.* Partes enim hujus judicii duæ ſunt. 1. Abſolutio eorum, qui in ipſo ſunt. 2. Condemnatio eorum, qui tantam ſalutem negligunt. His add. Pſ. 91: 1. 2. 109: 31. 115: 9. 10. 11. 119: 114.

§. 90. Con-

§. 90. Conſequens abſolutionis atque immunitatis à pœnâ eſt hoc, quod mala fidelibus inflicta non ſint ab irâ, quodque tandem ab omnibus malis liberentur. De priori eſt Pſal. 34:23. *Redimit Jehovah animam ſervorum ſuorum*, gratiâ & potentiâ ita illos circumſepit, ut vitæ aut beatitudini illorum nulla noxa inferatur; *& non fiunt* ſ. demonſtrantur *rei omnes recipientes ſe ad illum.* Hæc eſt maxima conſolatio in omnibus malis, quòd fideles ſciunt, ea non eſſe ab irâ. Item Pſal. 37:33. *Jehovah non relinquet juſtum in manu improbi; & non damnabit eum, cùm judicabitur.* Et Pſ. 49:16. *Sed Deus redimet animam ex manu inferni*, vi pretii ſolvet vincula mortis & non patietur me venire in manum inferni; *quum aſſumet me.* i. e. transferet per mortem in vitam. Ut ita ipſa mors fidelium ſit tranſitus ad vitam, neque adeò ab irâ. Tale eſt & illud: *Deus noſter eſt; Deus ad ſalvandum: Et Jehovah Dominus habet exitus mortis.* Pſal. 68:21. Huc refer. Pſal. 69:34. *Attendit ad pauperes Jehovah; & vinctos ſuos*, h. e. ſuâ cauſâ vinctos, *non ſpernit.* Item Pſal. 93:1. *Jehovah rex factus eſt, . . . Etiam confirmatur frugifera, non nutabit.* i. e. conſtituitur ratio Eccleſiæ talis, ut afflictiones eam non opprimant, ſed glorificent. Et quod eſt Eſ. 54:9. *Juravi ne efferveſcam in te & increpem te.*

§. 91. De liberatione fidelium à malis. Pſal. 34. ita canit Propheta: *Oculi Jehovæ ad juſtos, & aures ejus ad implorationem eorum.* vers 16. *Clamarunt, & Jehovah audivit, & ex omnibus anguſtiis illorum eripuit illos.* vers 18. *Propinquus eſt Jehovah fractis corde, & contritos ſpiritu ſalvat.* vers 19. *Multa ſunt mala juſti, & ex omnibus illis eripit ipſum Jehovah.* vers 20. *Servat omnia oſſa ejus; unum ex illis non frangitur* quamvis nim. in oculis hominum videantur frangi, tamen apud Dominum non ſunt fracta; qui reconcinnabit illa, & nos integros ſuſcitabit ultimo die. v. 21. Et Pſal. 91. *Non incidet in te malum, & plaga non appropinquabit ad tentorium tuum.* vers 10. *Nam me dilexit, & faciam ipſum evadere.* vers 14. Huc facit, quod eſt Eſ. 21:2. *Omnem gemitum ejus ceſſare feci.* Et in hâc liberatione ab omnibus malis ac difficultatibus, ſpectatur inter alia *exuberantia gratiæ*, de quâ Pſal. 117:2. & veritas nominis *Immanuel, Nobiſcum Deus.* Eſai. 7:14. & quòd vocatur *Deus Pater pupillorum & judex viduarum in habitaculo ſancto ſuo.* Pſal. 68:6.

§. 92. Quod ſi afflictiones fidelium non ſint ab irâ, & ab iis omnibus, ipſâque adeo morte, tandem liberentur, non eſt, quare eas nimis metuant, imò eſt, cur metum earum excutiant, & alacriter eas ſubeant, in iisque glorientur. Hujus ceſſationem metus, & alacritatem ac lætitiam in ipſis afflictionibus quia præſenſerunt Prophetæ, idcirco multis vicibus ac modis expreſſerunt. Abrahamo hinc dictum eſt: *Ne metuas: Ego ſum Clypeus tuus, merces tua magna valde.* Gen. 15:1. Et Davidis ſunt iſta: *Non timeo à myriadibus populi, quæ circumquaque metantur me.* Pſ. 3:7. *Sed lætentur omnes, qui ſe recipiunt ad te; in ſæculum canant*, ne intercidat illorum jubilatio ullâ cruce, afflictione, & perſecutione, *& protegas ipſos; & exſultent in te diligentes nomen tuum.* Pſal. 5:12. *Recordetur* (tanquam fragrantiam perſeverantem) *omnia munera tua; & holocauſtum tuum* igne cœlitùs demiſſo *incineret.* in ſignum acceptationis. Intelliguntur ſpiritualia & rationalia ſacrificia fidelium, qui bonorum ſuorum direptionem cum gaudio excipiunt, & animas ſuas non diligunt uſque ad mortem. Pſ. 20:4 *Celebrent Jehovam, qui quærunt eum: vivat cor veſtrum in perpetuum.* licèt in anguſtiâ & metu, tamen eſtote bono animo. Pſ. 22:27. *Comederunt gentes, (& adorarunt) omnia opima terræ. Coram ipſo curvantur omnes deſcendentes pulverem, & qui animã ſuam non vivificavit.* Ita alacritas credentium ad ſubeundam mortem & ſundendum ſanguinem deſcribitur. Pſ. 22:30. *Interdiu jubebat Dominus extare*

gratiam ſuam, & de nocte carmen ejus erat mecum. Tempore noctis & preſſuræ etiam lætus gratiam Domini decantabam. Pſal. 42: 9. *Canite Deo, pſallite nomen ejus,* cum lætitiâ illud prædicate, ... *& exultate coram ipſo.* quantum poteſtis, deponite omnem pavorem ac formidinem. Pſal. 68: 5. *Viderunt manſueti* deſcribitur. Pſ. 22: 30. Exaltationem Chriſti; *lætentur: curantes Deum, & vivat cor veſtrum.* Eo, quod Chriſtus aſcendit in cœlum, adverſus omnem triſtitiam & tentationem afflictionis fiduciâ & alacritate omni confirmamini. Pſal. 69: 33. *Nam tu es ſecuritas mea à juventute meâ.* propter quem non metuo Pſal. 71: 5. *Non timebis à pavore noctis; à telo, quod volat die.* Pſal. 91: 5. *A peſtilentiâ, quæ in caligine graſſatur; à veneno, quod vaſtat in meridie.* Pſal. 91: 5. 6. *Jehovah eſt meus. Non timebo. Quid faciet mihi homo?* Pſal. 118: 6. *Hæc eſt conſolatio mea in debilitate* & afflictione *meâ, quod dictum tuum vivificavit me.* Pſal. 119: 50. *Vide afflictionem meam, & libera me.* Pſal. 119: 153. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ, & amantes te jubilent.* Pſal 123: 9. *Sacerdotes ejus induam ſalute, pii ejus jubilando jubilabunt.* Ibid. vers 16. *Hallelujah. Celebrate Jehovam ex cœlis; celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes angeli ejus; celebrate eum, omnes exercitus ejus. Celebrate eum, Sol & Luna; celebrate eum, omnes ſtellæ lucidæ Celebrate eum, cœli cœlorum, & aquæ quæ ſunt ſuper cœlos. Celebrent nomen Jehovæ.* Scil. cœli & ſtellæ, quaſi indignatæ propter lucem ſuam nomen Dei blaſphemari, lucidiores ac jucundiores credentibus in filium Dei, exſtiterunt. Nam ut triſtibus videtur cœlum convolvi & obnubilari, ita lætis videtur meridies ipſe clarior. Læti autem agunt in mundo, qui ſciunt, Jehovam eſſe Deum ſuum. Quam lætitiam etiam in mortem animam ſuam tradendo teſtati ſunt. Pſal. 148: 1--5. *Lætetur Iſraël in factore ſuo: filii Sionis gaudeant in rege ſuo. Celebrent nomen ejus in choreâ, cum tympano & citharâ canant ipſi.* Pſal. 149: 2. 3. *Celebrate ipſum nablio & citharâ.* i. e. ſubactione voluptatum corporis, ut quicquid eſt ipſis, conſpiret ad lætitiam, animum lætitiâ perfuſum, in ipſis afflictionibus, demonſtrent. Pſ. 150: 3. Conf. Apoc. 14: 2. Huc pertinet iſta Eſaiæ: *Lætantur coram te; velut lætitiâ in meſſe, quemadmodum gaudebant, quum dividerent ſpolia.* Eſ. 9: 2. *Et addent manſueti in Domino lætitiam, & egeni hominum in ſancto Iſraëlis gaudebunt.* Eſ. 29: 19. *Ne metuas, quia non pudefies; & ne confundaris, quia non compungeris; ſed pudorem adoleſcentiæ oblivisceris,* &c. Hîc ſubinnuitur, non ſine labore arduo ac certamine Eccleſiam perventuram ad regnum. Igitur munit eam adverſus timorem. Eſ. 54: 4. *Inclinate aurem veſtram & venite ad me: audite & vivet anima veſtra.* h. e. compos erit veræ lucis, & veræ lætitiæ. Eſ. 55: 3. *Introducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meâ: holocauſta illorum & ſacrificia illorum in acceptationem erunt ſuper altari meo.* Ubi *ſacrificia* ſignificant omnia opera, quibus glorificatur Deus & nominatim obitionem mortis pro nomine ejus. Eſ. 56: 7. *Miſit me ... Ad ponendum lugentibus Sionis, ad dandum ipſis ornamentum,* cœlitùs demiſſa chariſmata, quibus conſpicui in mundo evadant; *oleum hilaritatis*, ſpiritum patientiæ, fortitudinis, ad alacriter ſubeundum omnes paſſiones; *operimentum gloriationis*, gloriationem in ſalute, in ſpe gloriæ Dei, in afflictionibus, in Deo, *pro ſpiritu hebeti.* animo demiſſo. Eſ. 61: 3. *Audite verbum Jehovæ, qui trepidatis ad verbum ejus. Dixerunt fratres oſores veſtri, qui anathematizant vos: propter nomen meum glorificabitur Jehovah. Et aſpiciemus lætitiam veſtram, & illi pudefient.* Eſ. 66: 5. *Lætamini cum Hieroſolymâ & gaudete propter illam, omnes diligentes illam: hilareſcite cum ipſâ hilaritate omnes qui lugetis propter illam. Ut ſugatis & ſatiemini ex ubere conſolationum ejus.* Eſ. 66: 10. 11. Neque aliter Jeremias: *Et conſtituam*

ſtituam ſuper eos paſtores, qui paſcent eos: & non timebunt, & non conſternabuntur; q. d. nulla crux, nulla perſecutio, nullus terror percellet eos; quippe tantum amorem Dei ſentientes, ut pro gloriâ ducant aliquid pati pro nomine ipſius, *& non deſiderabuntur.* nunquam deficient. Jerem. 23: 4. *In diebus ejus ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit ſecurè.* nihil in mundo habebit metuendum verus Iſraël, nihil de rebus terreſtribus ſollicitus. Jer. 23: 6. 33: 16. *Et tu ne timeas, ſerve mi Jacob, & ne conſterneris, Iſraël. Nam ecce, ego ſalvo te ex longinquo, & ſemen tuum ex terrâ captivitatis ipſorum; & revertetur Jacob & requieſcet, & tranquillus erit, & non erit turbans.* A metu enim afflictionum erunt immunes. Jerem. 30: 10. *Et erit mihi in nomen alacritatis* vel *hilaritatis.* quod audientes exhilaret & alacres faciat, ut currant ad me, ac etiam per ipſam mortem ad me nitantur. Jerem. 33: 9. *Et ſacerdotibus Levitis non exſcindetur vir à conſpectu meo, qui offerat holocauſtum, & adoleat munus, & faciat ſacrificium omnibus diebus.* Jer. 33: 18. Ezechieli animus magnus & intrepidus Eccleſiæ ſub *facie Leonis* ſpectatâ in *quatuor animalibus*, i. e. Eccleſiâ redemtorum ex quatuor plagis mundi; Ezech. 1: 10. Spiritus quoque inhabitans in Eccleſiâ, eamque faciens ardere charitate & zelo, & lucere verbo veritatis, & actione virtutis, & patientiâ afflictionis, ſub ſpecie *ignis* ambulantis inter animalia, Ibid. verſ. 13. repræſentatur. Quibus addendum, quod eſt apud eundem: *Et ſpiritum novum*, ſpiritum nempe alacritatis & lætitiæ, loco ſpiritus formidinis, *dabo in medium ipſorum.* Ez. 36: 26.

§. 93. In remiſſione peccatorum, atque abſolutione à merito condemnationis, primam partem Juſtificationis noſtræ habemus. Quod jam didicimus ex Eſai. 48: 18. & 54: 17. Alteram partem conſtituit addictio juris vitæ ac beatitudinis æternæ, ſ. declaratio, quòd is, qui eſt in Chriſto, jus habeat petendi atque exſpectandi vitam æternam, & donatio iſtius juris. De hâc parte juſtificationis inprimis intelligenda ſunt loca, quæ ſequuntur: *Qui accipit benedictionem à Jehovah, & juſtitiam à Deo ſalutis ſuo.* Juſtitia enim, quæ eſt à benedictione Dei ſalutis, eſt jus vitæ, & acceptio talis juſtitiæ involvit ejus donationem. Pal. 24: 5. *Euangelizavi juſtitiam in cœtu magno.* h. e. jus meum Redemtoris, & juſtitiam ſive jus vitæ paratum credentibus in me. Pſalm. 40: 10. *Juſtitiam tuam* da *filio Regis.* h. e. Donum juſtitiæ dandum electis tuis da erogandum filio tuo. Pſalm. 72: 1. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ.* h. e. jure accedendi ad Deum, & petendi vitam æternam. Pſalm. 132: 9. *In veritate tuâ reſponde mihi in juſtitiâ tuâ, & ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur coram te omnis vivens.* Juſtitiam ſuam abnegans, ad juſtitiam Dei, h. e. jus vitæ, quod donat Deus, confugit. Pſalm. 143: 1. 2. *Poſt illa appellaberis urbs juſtitiæ.* In quâ habitent juſti, h. e. jus vitæ habentes, poſt *redemptionem* nim. factam *in juſtitiâ.* ſive obedientiâ filii Dei. Eſai. 1: 26. 27. *Ecce Dominus Jehovah cum fortitudine veniet, & merces ipſius penes ipſum eſt, & operæ pretium ejus coram ipſo.* Ubi ſuadetur fides ex promtitudine mercedis & operæ pretii, quod Deus credentibus in ſe repræſentet. Jam verò quid majus eſſe poteſt remiſſione peccatorum, & dono juſtiæ? Eſai. 40: 10. *Utinam attendiſſes ad præcepta mea. Extitiſſet utique tanquam fluvius pax tua, & juſtitia tua,* jus filiorum tibi datum, *ut fluctus maris.* abſorbens omne peccatum. Eſai. 48: 18. *In agnitione ſui juſtitiam parabit juſtus ſervus meus multis. ſ. juſtificabit multos.* Eſai. 53: 1. *In juſtitiâ confirmaberis*, vel, *confirmate.* h. e. in jure filiorum fundato in juſtitiâ, ſ. obedientiâ ac merito Chriſti; te tutum & ſecurum præſtabis. Eſai. 54: 14. *Et appellabuntur quercus juſtitiæ.* Eſai. 61: 3. *Et videbunt gentes juſtitiam tuam.* Eſai. 62: 2. Quod enim per *juſtitiam* in his

locis jus ad vitam, & per *juſtificationem*, ſ. *conciliationem juſtitiæ*, Eſai. 53. & *τὸ indui juſtitiâ*, Pſalm. 132. addictio & donatio hujus juris, ſignificetur, patet tùm ex vi atque uſu vocis, *juſtitia*, quæ juri ad aliquod bonum denotando eſt apta, & tali quoque ſenſu in Scripturis frequentatur. Vid. modò Pſalm. 85: 14. 97: 2. Eſ. 11: 5. 41: 2. in quibus jus ad regnandum, & regnum occupandum deſignat; tùm ex eo, quod hinc *Beatus* prædicetur is, cui remiſſa ſunt peccata; Pſalm. 32: 1. & *Juſto*, ſ. Juſtitiam habenti, *Vita* adſcribatur; Hab. 2: 4. Nec temerè aliàs beneficium illud, quo fit, ut fideles omnem linguam accuſantem condemnent, & nullum telum, factum in necem eorum, ipſos lædat; *juſtitia* ſ. *jus* ipſorum à Domino, & *hæreditas* ipſorum vocaretur, niſi juſtitia iſta, tàm jus ad vitam & hæreditatem, quàm impunitatem, deſignaret. Eſ. 54: 17.

§. 94. Ut remiſſio peccatorum ab eorum expiatione, & morte Salvatoris, ita addictio juris vitæ æternæ à juſtitiâ Chriſti, i. e. perfectiſſimâ obedientiâ, de cujus adductione ſupra actum eſt, ut cauſâ ac merito, pendet. Utraque verò per imputationem obedientiæ & Satisfactionis Chriſti peragitur. Remiſſio quidem peccatorum. Quod docemur Pſalm. 51: 8. 9. *Sapientiam in occulto notificas mihi*: nim. *Purificabis me hyſſopo, & purus ero.* Significat enim Propheta, ſe à reatu, à quo per legalem adſperſionem mundari non poterat, divinâ aſperſione aquæ puræ & ſanguinis, id-eſt imputatione obedientiæ & ſatisfactionis Chriſti, in quo typus legalis explendus eſſet, eſſe purgandum. Hanc Dei ſapientiam eſſe. Item Ezech. 36: 25. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas*, i. e. obedientiam juſtos facientem, quæ & res ſit munda in ſe, & vim habeat tollendi reatum & ſordes, vobis imputabo, *& purificabimini ab omnibus fœditatibus veſtris, & ab omnibus ſtercoribus veſtris purificabo vos.* h. e. non imputabuntur, condonabuntur vobis peccata veſtra; auferetur reatus, ut is accuſari ampliùs non poſſit. *Eo die erit fons apertus domui Davidis & habitanti Hieroſolymam pro peccato & menſtruo.* Ubi fons notat ſanguinem fœderis, cujus aſperſione fit ablutio à peccato & menſtruo. Zach. 13: 1. Addictio autem juris ad vitam: Quod idcirco dicitur nobis donari; Pſalm. 24: 5. *Qui accipit*, Deo nim. offerente ac donante, *juſtitiam à Deo ſalutis ſuo.* Et proponitur ut veſtis, quâ oportet nos *indui*, quia ſcil. omni juſtitiâ reperiremur nudi, niſi donaretur nobis; atque ita per imputationem. Pſal. 132: 9. Eſai. 61: 3. Ubi *operimentum gloriationis* appellatur. Hinc *Juſtus ſervus Dei*, vocatus nim. cum juſtitiâ, ad eam adducendam, *juſtitiam facere*, ſ. *procurare*, aut *conciliare*, dicitur *multis*. Eſai. 53: 11. Quomodo autem? *Ubi poſuerit anima ejus ſatisfactionis pretium.* Atque ita per obedientiæ ac ſatisfactionis ſuæ applicationem. Neque aliter quam per donationem fieri eſt compotes juſtitiæ ejus, qui ipſe non niſi donatione factus eſt noſter, ſecundùm illud: *Nam puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis*, &c. Eſai. 9: 5. Add. Pſalm. 47: 5. 148: 14. Et quia hanc imputationem ſignificabant omnes *ῥαντισμοὶ* legales, hinc Eſaias ad eos alludens, cap. 52: 15. *Sic aſperget gentes multas.* Atque ita Hebr. 10: 22. 2 Petr. 1: 2. Quoniam verò, ut ſuprà notatum, juſtitia Chriſti, quæ nobis imputatur, eſt juſtitia Dei, data filio, ut eam nobis erogaret, hinc dicitur. *Juſtitia noſtra à Deo*; Eſai. 54: 17. & *Deus juſtitiæ noſter*; Pſal. 4: 2. Et, *Deum eſſe juſtitiam noſtram*; Jer. 23: 6. 33: 16. Et, *nos juſtificari in ipſo.* Eſai. 45: 25.

§. 95. Juſtitia donata, atque imputata nobis, accipitur per fidem, quâ fide fit, ut dum ad Chriſtum confugimus, ut arcem ſalutis, eumque & juſtitiam ac ſatisfactionem ejus apprehendimus, nobiſque applicamus, quod eſt *ignominiam* (ὄνειδος Chriſti) *cantare partem ſuam.* Eſai. 61: 7. fit inquam, ut Sententia Dei de juſtitiâ,

ſ. jure,

ſ. jure, quòd Deus vult eſſe illorum, qui Chriſto dati ſunt, pronuncietur ad animam hominis peccatoris, eique inſinuetur, quaſi audiret Deum dicentem: Ego ſum Deus tuus; atque ita tandem Juſtificatio, quæ ſubſtiterat hactenus intra mentem Dei, quæque nihil aliud fuerat, quàm gratioſum judicium Dei, quo vult, ut ii qui Chriſto dati ſunt & in tempore conjungendi, propter juſtitiam ac meritum Chriſti, & immunes ſint à merito condemnationis, & vitam æternam tam certò conſequantur, tanquam ſi ipſi eam obedientiam patráſſent, & nullum peccatum commiſiſſent, fiat Sententia abſolutionis, & addictionis vitæ ac hæreditatis, pronunciata in animo ac conſcientiâ peccatoris. Atque hinc eſt quod fidei juſtificatio aſſignatur, Gen. 15: 6. *Credidit Abraham Deo, & reputavit hoc ei juſtitiam.* Eſai. 53: 11. *In agnitione* h. e. fide, fiduciâ & cultu, *ſui juſtus ſervus meus juſtificabit multos.* Et Beatitudo, Pſalm. 2: 12. *Beati omnes, qui confugiunt ad ipſum.* Pſalm. 5: 12. *Lætentur omnes, qui ſe recipiunt ad te.* Eſai. 28: 16. *Ecce ego is, qui fundat in Sione lapidem, lapidem probationis, anguli pretioſiſſimi fundati fundatiſſimi. Quia crediderit, non præcipitabit.* Eſai. 55: 2. *Audite audiendo ad me, & comedite bonum*, credendo ſc. quòd in Deo per Chriſtum ipſis ſit parata juſtitia & vita, *& delitiabitur in opimitate anima veſtra.* Eſai. 56: 1. 2. *Sic dixit Jehovah; Servate judicium, & facite juſtitiam.* i. e. tùm omnia bona opera, ut fructus juſtitiæ, tùm fidem, quâ juſtificatur Deus juſtificans improbos. *Beatus homo, qui faciet hoc, & filius hominis, qui id retinebit.* Et vita, Eſai. cap. 55: verſ. 3. *Inclinate autem veſtram & venite ad me. audite & vivet anima veſtra.* Ubi promiſſione vitæ homines inſtigantur ad obedientiam fidei. Hab. 2: 4. *Juſtus in fide illius* (teſtis veracis) *vivit.* Quare & *Juſtitia* atque *Fides* conjunguntur. Pſalm. 119: 138. *Præcepiſti juſtitiam teſtimoniorum tuorum & fidem valde.* h. e. Edixiſti omnibus hominibus, ut operam dent; ut habeant juſtitiam, quæ apud te valeat; quæ verè juſtos conſtituit eos, qui injuſti ſunt. Et, quum id edixiſti, oſtendiſti, eam juſtitiam in teſtificationibus tuis contineri, alibi verò non reperiri. Et quoniam, hiſce poſitis, primum juſtum, rectum, & bonum opus peccatoris eſt eam juſtitiam credere, eamque ſeriò velle habere, ſ. ſitire atque eſurire, cum juſtitiâ præcepiſti & fidem valde. Item Eſai. 26: 2. *Aperite portas, & intret* ſine diſcrimine ad communionem & fraternitatem *gens juſta* ex novâ nativitate, nim. *ſervans fidem.* Et καταλλαγὴ, reconciliatio. Eſ. 27: 5. *Aut apprehendet arcem meam*, rupem ſalutis, ad quam qui confugit, beatus eſt, *faciet pacem mihi; pacem faciet mihi.*

§ 96. Fidei autem Juſtificatio aſſignatur, non ut operi bono aut merito, ſed r. ut medio communionis Chriſti, quo fit, ut accedamus ad Chriſtum, apprehendamus arcem ſalutis, Eſai. 27: 5. & in Chriſto, ut capite, Pſal. 33: 2. ſimus. Quò pertinet illud Pſalmiſtæ: *Evenit, ut ſtarent pedes noſtri in portis tuis, Hieroſolyma.* i. e. credidimus in Chriſtum, portam illam, per quam ſolam cœleſtis Hieroſolyma intratur, quæque omnibus hominibus ab omni plagâ mundi aperta, tanquam omnium tribuum porta eſt, ſicque corpori ipſius inſerti ſumus, & habemus communionem cum cœleſtibus. Pſalm. 122: 2. De hâc etiam portâ eſt Eſai. 54: 12. *Et ponam Cadcod ſpecularia tua, portas tuas in lapidem carbunculi* ſive gemmam ardentem. Nam in Chriſto, qui eſt via, eſt lux & amor.

De jure autem & lege civitatis, quæ fundat & dirigit hunc acceſſum, Ibidem eſt. Pſalm. 133: verſ. 4. *Quò adſcenderunt tribus, tribus Jehovæ, (teſtimonium id Iſraëli) ad confitendum nomini Jehovæ.* Deus ſcil. hoc jus dedit Iſraëli, ut accedant domum ſuam & confiteantur nomini ſuo. Deus item conteſtificatus eſt Iſraëlem,

ut hoc faceret. 2. quatenus eſt ὁμολογία ſive adſtipulatio ad Dei ſtipulationem, quâ fœdus & amicitia contrahitur, & Deo deſponſamur, & ipſe fit Deus noſter, & nos ipſi ſimus populus. De hoc fœdere, quod per fidem contrahitur cum Deo, reperiuntur iſta: *Colligite mihi pios meos, facientes fœdus mecum*, i. e. qui Deo juſtitiam in Chriſto oſtendenti, & fidem in ipſum cum promiſſione gratiæ ſtipulanti, aſtipulantur, h. e. Deo & Chriſto animam ſuam committunt, ſicque acquirunt jus Deum interrogandi in bonâ conſcientiâ, ac hæreditatem ab eo petendi, *per ſacrificium* illud verum & unicum Chriſti, qui ſe ipſum hoſtiam immaculatam Deo obtulit pro peccatis mundi. Itaque per illud ſacrificium eſt aditus ad gratiam. Nam propter illud offertur ipſis fœdus. Et per fidem ſacrificii & ἱλασμοῦ pii illud accipiunt & quodammodo ratificant. Pſalm. 50: 5. *Ego Jehovah vocavi te cum juſtitia, ... & dabo te in fœdus populi*. i. e. ut populo impetres hæreditatem teſtamento aſſignatam, & ut tibi bona à te præſtita proponenti, per gratiarum actionem reſponderent, atque ita te Dominum nuncupantes populus meus fierent. Eſai. 42: 6. *Et dabo te in fœdus populi*, ut quiſquis in te credit, fiat populus Dei; *ad erigendam terram*, h. e. regnum, ſ. Eccleſiam, in quâ regnes, *ad diſtribuendas hæredibus* ſanctis *hæreditates deſolatas*. mundum nempe, ſive gentes oblitas Dei. Eſai. 49: 8. *Et pangam vobiſcum fœdus æternum, gratias Davidis fideles*. q. pacto vobis addicam ſtudia æterna, quæ Davidi promiſi, quæque in Davidis filio fundantur; inprimis vitam æternam. Eſai. 55: 3. *Qui retinent fœdus meum*. Eſai. 56: 3. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & pangam cum domo Iſraël & cum domo Judæ fœdus novum*. offeram ipſis nova bona, & invitabo eos ad ea accipienda. *Non ut fœdus, quod pepigeram cum parentibus ipſorum die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto ... Sed hoc fœdus, quod pangam domui Iſraël poſt dies illos*, &c. Jer. 31: 31. 32. 33. *Et paciſcar ipſis fœdus æternum, quòd non averſurus me ſim ab ipſis, ut benefaciam ipſis*. Jer. 32: 40. *Et deducam vos in deſertum populorum, & diſceptabo vobiſcum ibi à facie ad faciem. Quemadmodum diſceptavi cum patribus veſtris in deſerto Ægypti, ſic diſceptabo vobiſcum, ait Dominus Jehovah*. Diſceptatio illa non tantùm eſt redargutio errorum, ſed etiam à parte Dei eſt conteſtatio & interrogatio, an non ipſe dignus ſit amari à peccatore, ut cauſa ſalutis; & à parte hominis eſt interrogatio Dei, an non poſſit ab ipſo petere remiſſionem peccatorum, & hæreditatem ac jus vitæ, cum ea petat in veritate. *Et traducam vos ſub virgâ*, quemadmodum paſtor oves traducit, ut eas numeret & diſcernat, & ita numeratos ac diſcretos *introducam vos in vinculum fœderis*. i. e. per fidem uniam mihi, ut habeatis fœdus & amicitiam cum Deo, & ipſius populus ſitis. Ezech. 20: 35. 36. 37. *Et pangam ipſis fœdus pacis, fœdus ſæculi erit cum ipſis*. h. e. amicitiam & gratiam perpetuam. Ezech. 37: 26. Quatenus verò hoc fœdere Eccleſia Deo quaſi deſponſatur, exſtant loca, in quibus tranſlatione à re matrimoniali petita id figuratur. Ut Eſai. 54: 5. *Nam qui crearunt te, habent te in matrimonio: Jehovah Deus exercituum nomen ejus eſt*. Hoſ. 2: 21. 22. *Et deſponſabo te mihi in ſæculum, & deſponſabo te mihi in juſtitiâ, & in judicio, & in gratiâ & miſericordiâ. Et deſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Jehovam*. Ubi bona à parte Dei oblata, & in communione ejus conferenda notantur *Juſtitia*, h. e. jus filiorum cum remiſſione peccatorum; *Judicium*, quo damnatum eſt peccatum in Chriſto; *Gratia*, ſ. propoſitum non tantùm juſtificandi, ſed etiam ſanctificandi & glorificandi; & *Miſericordia*, ſ. voluntas conſolandi in afflictionibus, & remunerandi omnem paſſionem & laborem pro nomine ipſius. A parte Eccleſiæ notatur *Fides*, quâ hæc bona recognoſcuntur, & per ὁμολογίαν Deo conjugium cum oblatione

tione illarum dotium poſtulanti reſpondetur. Itaque ut per *fidem* conjugium cum Deo, ſponſo Eccleſiæ, contrahimus, ita per fidem participes ſimus dotis *juſtitiæ*, ut hæredes vitæ æternæ conſtituamur ex gratiâ. Denique hoc fœdere Deus fit Deus noſter, & nos ipſi ſimus populus, juxta promiſſionem: *Et*, poſtquam Iſraëlitis dedero totam terram, *ero* (vel *fiam*) *ipſis in Deum.* Gen. 17: 7. Lev. 26: 12. Quam ſæpè repetunt Prophetæ. Nominatim Jeremias, cap. 30: 22. *Et fietis mihi in populum, & ego fiam vobis in Deum.* Sic & cap. 31: 33. *Sed hoc fœdus meum, quod pangem domui Iſraël poſt dies illos, ait Jehovah: … Et fiam ipſis Deus, & illi fient mihi populus.* & cap. 32: 38. *Et fient mihi populus, & ego fiam ipſis Deus.* Item Ezechiel, cap. 36: 28. *Et fietis mihi populus, & ego fiam vobis Deus.* & cap. 37: 23. *Et fient mihi populus, & ego ero ipſis Deus.* & verſ. 27. *Et ero ipſis Deus, & illi erunt mihi populus.* Alludit & Hoſeas cap. 2: 3. *Dicite fratribus veſtris, populus meus.* & verſ. 25. *Dicam non populo meo, tu es populus meus.* Add. Zach. cap. 13: 9. *Ille nuncupabit nomen meum, & ego reſpondebo ipſi. Dicam; Populus meus ille eſt, & ille dicet, Jehovah eſt Deus meus.*

In hoc fœdere Chriſtus proponitur, ut ἱλαστήριον, & ut Ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, ut quicunque credunt in eum, eique reſpondet per תודה & confeſſionem eorum, quæ ipſis annunciat, quod reverâ ſint ab eo illa præſtita, & quod ei debeatur gratiarum actio, ut ſacerdoti, & gloria ut filio Dei; quique eum reverâ Dominum nuncupant, fiant populus Dei, & fœdus cum eo faciant. Ita enim Eſaias: *Et dabo te in fœdus populi.* Eſ. 42: 6. & 49: 8.

§. 97. Sic itaque donatâ, & per fidem acceptâ juſtitiâ Chriſti, qui credunt, habent jus ac poteſtatem accedendi ad Deum, adeundi thronum gratiæ, petendi atque exſpectandi omnia ſalutaria, exſpectandi vitam ac hæreditatem cœleſtem, atque ita ſe gerendi, ut filios Dei, hæredes vitæ, ac Sacerdotes. De hoc jure ac poteſtate filiorum, & acceſſu ad Deum, ut Sacerdotum, intelligenda ea, quæ ſequuntur: *Filii ejus labes ipſorum.* Deut. 32: 5. *Ob ægritudinem filiorum meorum.* Ibid. vers 19. *Gloriâ & honore coronas eum.* Chriſtus ſcil. per reſurrectionem ex mortuis gloriâ ac præſtantiâ filii Dei, & per aſcenſionem in cœlum honore regis ac capitis Eccleſiæ coronatus eſt. Sed & fideles, quatenus in Chriſto fiunt filii Dei, reges & ſacerdotes, gloriâ & honore coronantur. Pſal. 8: 6. *Lavo in innocentiâ palmas meas; & circa altare tuum verſor.* adorandi gratiâ. Altare Dei eſt Chriſtus, per quem habemus προσαγωγὴν *acceſſum*, per quem ſanctificantur preces & omnis cultus noſter. Pſal. 26: 6. *Auguſta*, Sponſa tua, Eccleſia electorum, quam conſtituiſti dominam & hæredem totius mundi, ut honoris tui participes, *ſtat ad dexteram tuam*, tecum evecta in cœlum, ex vers 5. *in optimo auro.* induta ſcil. ipſius regis Chriſti juſtitiâ & ſpiritu, & coronæ ipſius particeps. Pſal. 45: 10. *Eliget*, ſive deliget & attribuet *nobis* cum delectu ex omnibus bonis id quod eſt optimum, *hæreditatem noſtram*, nempe *elationem Jacobi, quam diligit.* i. e. 1. Chriſtum. Deinde & omnia, quæ Chriſtus habet, quæque patribus promiſſa ſunt, donanda per Chriſtum. Pſ[illegible]: 5. *Veniat ſupplicatio mea coram te.* Coram Deo ſupplicat, qui accedit ad Deum, eique appropinquat, ut ſacerdos. *O auditor precum ad te omnis caro accedens* Pſal. 65: 3. Pſ. 119: 170. *Qui confidunt Jehovæ*, ex quacunque gente ſint, *ſunt ut mons Sion &c.* eo loco habentur, & eodem jure & conditione aliquo modo ſunt, quo illi qui quondam ad Sionem acceſſerunt quatenus nempe communem cum illis juſtitiam & libertatem habent. Pſ. 125: 1. *Et extulit cornu populo ſuo (gloriationem omnibus piis ſuis) filiis Iſraël populo propinquo ſuo.* i. e. ei populo, qui

ad

ad ipſum accedit, ut Sacerdos. Pſal. 148: 14. *Introduxit me Rex in penetralia ſua.* In domum Patris ſui, prope ad Deum me adduxit, unum fecit ea, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris ſunt. Cant. 1: 4. *Vidi Dominum ſedentem in throno celſo; & fimbriæ ejus implebant templum.* Significatur ἀνακεφαλαίωσις tùm cœleſtium, tùm terreſtrium, rupto velo carnis Chriſti. Eſai. 6: 1. *Venite, diſceptemus unà, dicet Jehovah.* Eſt verbum Dei, quo conceditur παῤῥησία accedendi ad Deum, & cum ipſo diſceptandi in bonâ conſcientiâ. Eſai. 1: 18. *Congregamini & venite, accedite unà, effugientes gentium.* *Congregari* dicitur propter multitudinem; *accedere* propter communionem cum Iſraele; *appropinquare*, nempe ad Deum, propter libertatem & juſtitiam. Eſai. 45: 20. *Et ne dicat peregrinus, qui agglutinatur Jehovæ.* ad miniſtrandum ipſi, qui neminem recognoſcit Salvatorem & doctorem, præter ipſum, & cum fiduciâ propè ad illum accedit. Eſai. 56: 3. *Ad ponendum lugentibus Sionis .... operimentum gloriationis pro ſpiritu hebeti.* animo demiſſo, non audenţe accedere ad Deum. Eſai. 61: 3. *Et vos ſacerdotes Jehovæ vocabimini, miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis.* Eſai. 61: 6. *Atque etiam ex illis capiam ſacerdotes & Levitas, dixit Jehovah.* Eſai. 66: 21. *Et ego dixeram: Quomodo*, quàm illuſtri in loco, *ponam te in filiis!* inter Spiritu adoptionis præditos. *Et dabo tibi terram deſiderii, hæreditatem decoris, exercitus gentium. Et dicebam: Pater mi, nomines me*, abjice illa, quæ ſunt ſervitutis, & aſſume perfectionem & libertatem filiorum Dei. *& à me ſequendo ne avertaris* Jerem. 3: 19. *Et ſacerdotibus Levitis non exſcindetur vir à conſpectu meo, qui offerat holocauſtum, & adoleat munus, & faciat ſacrificium omnibus diebus.* In juſtitiâ ſervient mihi, & eum cultum mihi præſtabunt, qui per vetera ſacrificia fuit ſignificatus. Jerem. 33: 18. *Et pedes illorum* quatuor animalium; *pes rectus.* notatur erectio fiduciæ. Ezech. 1: 7. *Et manus hominis infra alas illorum. Alæ* notant vim ſe elevantem, & alacritatem ac celeritatem. Ibid. vers 8. *Juncta una alteri alæ illorum.* Alarum binæ junctæ ſupernè tanquam volantium & ſurſum tendentium. Ibid. vers 9. *Et vultus illorum & alæ illorum erant paſſæ ſurſum.* verſus thronum, ceu columnæ quædam. Ibid. vers 11. *Et ſpecies ſupra capita animalis, expanſum tanquam glacies magna, extenſum ſupra capita ſupernè.* Per *cælum* illud intelligit ſpiritus juſtorum conſummatorum. *Et ſub expanſo alæ eorum rectæ una ad alteram.* Alæ arrectæ ad hoc cœlum ſignificant Eccleſiæ militantis, maximè in motu, aſpirationem & affectationem ad ſuperna. Ibid: vers 22: 23. Conf. cap. 10: 19. & vers 20 — 22. *Et ad ungendum Sanctum Sanctorum.* i. e. effundendum Spiritum in Eccleſiam, quæ quatenus utitur libertate filiorum in Chriſto, & nullâ velo prohibetur ad Deum accedere prope, & Deum videre in Chriſto, inſtar habet atque implementum Sancti Sanctorum, quod fuit olim in templo Domini, quodque non licebat niſi ſacerdoti ſummo intrare. Dan. 9: 24. *Et fiet, loco ejus, quod dicebatur ipſis, Non populus meus eſtis vos, dicetur illis, Filii Dei vivi.* Oſtendit propheta, Iſraelitas verè futuros *filios*, ita ut in Chriſto habeant acceſſum ad Deum, & communionem cum beatis in juſtitiâ & libertate. & quidem *filios Dei vivi*, ita ut jus habeant Deum, ut patrem compellandi, ab eoque exſpectandi vitam, tùm è ſpirituali, tùm è corporali morte. Hoſ. 2: 1. *Illo die erit in tintinnabulis equorum* titulus, qui olim erat in fronte ſummi Sacerdotis, Exod. 28: 36. *Sanctum Domino.* Quo ſignificatur, quòd quemadmodum olim hâc inſcriptione ſignificabatur, ſoli Sacerdoti ſummo eſſe datum accedere ad Deum, ita hodie omnibus, etiam iis, qui fuerant equi, h. e. quibus alii ut rectores inſederant, ſit futurus liber acceſſus ad Deum in Chriſto. Zach. 14: 20. Hinc *civitas Dei nova Jeruſalem* dicitur *deſcendere ex cœlo à Deo.*

à Deo. i. e. Eccleſia, quæ communionem habet cum cœleſtibus in terrâ ſecundùm eandem ſalutis cauſam, juſtitiam & libertatem, ex cœlo in terram extendi, ita ut David, Prophetæ, Sancti Veteris Teſtamenti, & ii qui in terrâ ſunt, ſint una civitas ratione communis cujusdam conſummationis in juſtitiâ, libertate & lætitiâ. Apoc. 3: 12. Conf. Apoc. 21: 2. Ubi *Johannes vidit ſanctam illam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem à Deo de cœlo paratam tanquam ſponſam ornatam viro ſuo.* quemadmodum urbs aliqua, cujus arx eſt ſita in faſtigio montis, domus autem civium in ſubjectâ valle, rectè dicitur deſcendere de monte in vallem. Huc quoque pertinet, quod eſt Apoc. 15: 5. *Et poſt hæc vidi, & ecce apieriebatur templum tabernaculi teſtimonii in cœlo.* Templum enim tabernaculi eſt adytum, quod Sanctum Sanctorum vocatur. Id autem, quod in terrâ erat ſanctuarium penitiſſimum, reſpondet Eccleſiæ beatorum in cœlis. Et hoc adytum apertum eſt, quando initiata eſt via recens iis, qui in terrâ ſunt, ad illud adeundum per carnem nempe & ſanguinem Chriſti. Heb. 10: 19 20.

§. 98. Fidelibus hoc pacto aperto cœlo, & conceſſo jure illud adeundi, Deus *conſtabilit*, ſ. conſummat, *veritatem ſuam in cœlis.* Pſal. 89: 3. & *juſti*, i. e. fideles, *plantati ſunt in domo Dei.* i. e. in cœlo, & pœnetralibus Dei radices agunt, quibus per fidem inſerti ſunt, πολίτευμα ipſorum exiſtente in cœlo. Pſal. 92: 14 Et eorundem eſt *celebrare Deum omnipotentem in ſanctuario ſuo.* i. e. agnoſcere, quòd Jehovah ſe manifeſtaverit in ſanctuario. i. e. Filio ſuo, idque aperuerit ſanctis ſervis ſuis, & honorare eum ut ibi ſedentem, & quærere ea, quæ ibi ſunt, relinquendo ea, quæ inferiùs ſunt, & ambulando, ut decet eos, qui ad ſanctuarium cœleſte admiſſi ſunt. Pſal. 150: 1. Et competit eisdem *ſibi benedicere.* h. e. magnum bonum quale eſt remiſſio peccatorum & juſtitia, ſ. jus vitæ, de ſe prædicare. Geneſ. 22: 18. 26: 4. Eſ. 65: 16. Jerem. 4: 2. *Gloriari in Deo.* i. e. de ſe hoc bonum dicere. quòd Deus verus ſit noſter Deus, & nobis factus ſit Deus ſecundùm promiſſionem. Eſ. 45: 25. Ubi eſt: *In Jehovah juſtificabuntur & gloriabuntur omne ſemen Iſraëlis.* Add. Jerem. 4: 2. Denique accedere omni tempore *ad fontem ſalutis, & ex illo haurire aquas cum lætitiâ & hilaritate.* Eſ. 12: 3. Quod eſt *ſatiatæ.* Deut. 29: 19. Pſal. 22: 27. 23: 1. 2. 36: 9. 68: 10. 81: 11. 17. 111: 5. Eſ. 49: 10. 55: 1. 2. 66: 11. Jerem. 31: 25. Ezech. 34: 13. 14. & *conſummatorum* Eſ. 42: 19. h. e. quibus nihil deeſt, quod ad vitam ac beatitudinem æternam deſiderare poſſint. Quinimò quatenus fideles jus habent ad petendum & certò exſpectandum vitam æternam, & omnia ſalutaria, & Deus adorantes ſe in nomine Chriſti certò exaudit, & omnia nobis cum ipſo donat, dummodò nos illa à gratiâ ipſius humiliter petamus atque exſpectemus: hinc dicitur vita æterna, & quicquid ei conjunctum eſt, jam in hâc vitâ, promiſſum ſanè Deut. 30: 6. *Propter vitam veſtram.* propter certitudinem, jam fidelium eſſe. Pſal. 133: 4. *Nam ibi*, in conſeſſu fratrum, *juſſit Jehovah eſſe Benedictionem*, i. e. affluentiam omnium eorum, quæ ad pietatem & vitam faciunt, *vitam in ſæculum.* Quæ jam incipit in iis, qui tanquam fratres ſedent coram Domino. Huc faciunt ſequentia: *Et nuncupatum eſt nomen ejus* (pueri nobis nati) *Pater æternitatis.* qui nim. vitam æternam nobis peperit. Eſ. 9: 5. *Et venit principatus in humerùm ipſius, ... ad pacem ſine fine.* ad conſequendam nobis beatam & tranquillam æternitatem. Eſ. 9: 5. 6. *Extitiſſet tanquam fluvius* perennis *pax tua.* Hoc ſcil, bonum Iſraël per obedientiam præceptorum Divinorum aſſecuturus fuiſſet, & hoc conſequuntur omnes pii. Eſ. 48: 18 *Videbit ſemen, quod prolongabit dies.* Eſ. 53: 10. *Inclinate aurem veſtram & venite ad me: audite & vivet anima veſtra: & pangam vobiſcum*

fœdus æternum; gratias Davidis fideles. Significat, quòd credentibus in ſe parata ſit vita, & quòd tanquam ex pacto ipſis daturus ſit quod dederat Chriſto, nim. omnes benedictiones, & ipſam quoque reſuſcitationem ad vitam æternam. Eſ. 55: 3. Dicitur quoque Deus exaudire preces eorum, qui ipſum invocant in Chriſto. Ita enim eſt Pſal. 65: 3. *O auditor precum, ad te omnis caro accedent.* Et Pſal. 116: 1. 2. *Amo*, q. d. plenus ſum amore, *quia audit Jehovah vocem meam, ſupplicationem meam; Quia attendit aurem ſuam mihi.* Pſal. 116: 1. 2.

§. 99. Poſitâ Juſtificatione, veluti apertâ in fonte bonorum, quem ſuprà indicavimus, novâ venâ, ex eodem fonte & Sanctificatio promanat. Quia enim Chriſtus morte ſuâ peccatum expiavit, & obedientiâ exactiſſimâ juſtitiam, ſive jus ad vitam, attulit, & vita æterna eſt cognitio atque amor Dei, juſtos declaratos liberat à regno peccati, & ad ſtudium cognitionis atque amoris Dei, id eſt initia vitæ æternæ, traducit. Idque opus Dei *Sanctificatio*, ejuſque initium *Regeneratio*, & *Converſio*, quia nim. per ſanctificationem homo à malo ad bonum, à tenebris ad lucem, à ſervitute Satanæ ad Deum convertitur, in Scripturis appellatur. De hoc Sanctificationis beneficio veniunt intelligenda, quæ ſequuntur: *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter ſemen tuum & inter ſemen illius.* Geneſ. 3: 15. *Ego Jehovah ſanctifico vos.* Exod. 31: 13. Ubi notandum, latiùs ſumi vocabulum ſanctificationis, ita ut & Redemtionem, & juſtificationem, verbo ſummam beneficiorum Divinorum, comprehendat. *Et circumcidet Jehovah Deus cor tuum & cor ſeminis tui ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, propter vitam tuam.* ſ. ut in æternum vivas, ac benè tibi ſit. Plus quidem ibi ſignificat circumciſio, quàm regenerationem, ſed tamen eam ſignificat. Deut. 30: 6. *Annon ipſe eſt pater tuus, qui mercatus eſt te? Ipſe fecit te &* omnibus bonis *inſtruxit te.* quod non modò in figurâ & externo beneficio; ſed de beneficio redemtionis, novæ creationis, & donationis omnium, quæ ad vitam & pietatem faciunt, quibus in veritate oſtenditur pater illius populi, intelligendum eſt. Deut. 32: 6. *Deus exercituum, reduc* (vel *converte*) nos, & fratres noſtros, à viâ malâ ad cognitionem & amorem tui, ſana nos à ſcandalis noſtris, à peccatis noſtris, *& lucere fac faciem tuam* i. e. te placatum & non memorem peccatorum noſtrorum velis oſtendere, *& ſalvabimur.* Pſ. 80: 4 8. 20. *Nam ipſe eripiet te*, jam captum, jam intoxicatum, & poſtea ereptum cuſtodiet, *à laqueo Aucupis*, hoſtis illius infenſiſſimi Diaboli, qui tanquam Leo rugiens circumambulat, quærens quem devoret, *à peſtilentiâ nequitiarum:* i. e. à veneno nequitiarum, quo tanquam lue epidemiâ totum genus humanum intoxicavit. Illud autem maximum malum eſt, à quo liberandi primò ſumus. Pſal. 91: 3. *Venite, adoremus, & incurvemur & ingeniculemus coram Jehovah factore noſtro. (Nam ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſtus ejus, & oves manus ejus)* Pſal. 95: 6. 7. *Cognoſcite, quòd Jehovah ipſe eſt Deus. Ipſe fecit nos (& non nos) populum ſuum, oves paſturæ ſuæ.* Pſal. 100: 3. *Revela oculos meos*, aufer nebulas cordis, falſam ſapientiam & concupiſcentiam, *ut cernam mirabilia legis tuæ.* Pſal. 119: 18. *Qui mutat petram* i. e. cor lapideum *in ſtagnum aquarum; ſilicem in rivum aquarum.* ut ex eo fluant fluvii aquæ vivæ. Significatur datio fidei per Spiritum Sanctum, & converſio gentium patribus promiſſa, per Chriſtum præſtanda. Pſal. 114: 8. *Et erit in ſanctuarium.* In aſſumtâ humanitate, à quâ denominetur homo & frater, fiet templum Iſraëli, h. e. & auctor ſanctificationis & medium. Eſ. 8: 14. *Et erit in die illo, non addet ampliùs reliquum Iſraëlis & evaſio domus Jacobi niti percutiente ipſum, ſed nitetur Jehovah, ſancto Iſraëlis in veritate.* h. e. quæret cognoſcere voluntatem ipſius,

ipſius, ut ipſi placeat, & ſecundùm verbum ipſius omnia & vera bona ab ipſo exſpectet nihil metuens, quod ipſius contrarium videri poſſit. *Reliquum convertetur, reliquum Jacobi ad Deum victorem. Nam licet futurus ſit populus tuus, Iſraël, ut ſabulum maris, reliquum convertetur in eo.* Eſai. 10:20.21.22. *In tempore illo offeretur munus Jehovæ Deo exercituum populus tractus* ex capt. Bab: & ſervitute externorum, *& deterſus*. h. e. redemtus ad amovendum peccatum, illuminatus ad detergendos errores & ignorantiam, donatus fide, & liberatus à ſervitute & accuſatione peccati. Eſai. 18:7. *Cùm videbit natos ſuos, opus manuum mearum.* Eſai. 29:23. *Omnem nuncupatum de nomine meo: & quem ad gloriam meam creavi, formavi, etiam feci.* Eſ. cap. 43:7. *Populus, quem formavi mihi, gloriationem meam narrabunt.* Eſai. 43:21. *Stillate cœli superne, & nubes manent juſtitiâ*, per deſcenſum ejus, quem Deus vocavit cum juſtitiâ; *aperiat ſe terra*, hactenus clauſa, *fructificent* homines *ſalute*, fructus ſalutis ferant, *& juſtitia germinet pariter.* ad plures propagetur. *Ego Jehovah creavi illud.* Eſai. 45:8. *Nam tu es pater noſter . . . Tu Jehovah pater noſter es.* Eſai. 63:16. *An ego faciam parere, & non gignam, dicit Jehovah? Numquid ego ſum is qui gignit, & continebo me*, quo minùs pariam, *dixit Deus tuus.* Eſai. 66:9. *Sana me, Jehovah, & ſanabor; ſalvum me fac & ſalvus ero. Nam gloriatio mea es tu.* Jer. 17:14. *Sed hoc fœdus, quod pangam domui Iſraël, poſt dies illos, ait Jehovah: do legem meam in medium ipſorum*, publico legem meam, ita ut à nemine poſſit ignorari, *& ſuper corde eorum ſcribam eam.* faciam ut eam recipiant, eâ delectentur, & ejus non obliviſcantur. Jerem. 31:33. *Et dabo illis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum, & auferam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo ipſis cor carneum.* Hoc fit per dationem fidei in Chriſtum, à quâ incipit noſtri Sanctificatio. *Ut in ſtatutis meis ambulent, & judicia mea obſervent, & ea faciant, & erunt mihi in populum, & ego ero ipſis in Deum.* ſ. beneficium Sanctificationis conſummabo. Ezech. 11: verſ. 19. 20. *Et ſanctificabor in vobis coram oculis gentium.* Sanctificatus quidem eſt Deus in Iſraëlitis, quando ſanctificatus eſt in aliquo Iſraëlitâ, nempe Chriſto. Sed & ſanctificatus eſt Deus in Iſraëlitis, quando ſibi populum ſanctum ex medio illius ſeparavit, & in illo, per ſinceram illius ad Deum converſionem, demonſtravit, ſe Deum ſanctum eſſe. Ezech. 20:41. *Perditam quæram*, iis, qui me non quærunt me exhibebo, *& depulſam reducam*, averſos à viâ bonâ reducam in viam, peccatores ſalvabo. Ezech. 34:16. *Cùm ſanctificabor in vobis coram oculis veſtris.* Ezech. 36:23. Ubi diſtinguitur Iſraël in eum, in quo ſanctificatur Deus, & eum, qui id videt. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas*, obedientiam, Chriſti (Hoc primum principium generationis) vobis imputabo, *& purificabimini ab omnibus fœditatibus veſtris*, auferetur à vobis reatus communis omnibus incumbens, ut is ampliùs accuſari non poſſit, *& ab omnibus ſtercoribus veſtris*, i. e. propriis de juſtitiâ conſiliis, *purificabo vos.* Ibid. verſ. 25. *Et dabo vobis*, jam purificatis, *cor novum*, novas cogitationes, *& ſpiritum novum*, i. e. novos affectus, *dabo in medio veſtri: & auferam cor illud lapideum ex carne veſtrâ, & dabo vobis cor carneum* verſ. 26. *Et ſpiritum meum* (Alterum principium regenerationis & mutationis cordis) *dabo in medio veſtri, & faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* v. 27. Intelligit primò præceptum fidei. Deinde ea præcepta, quæ qui facit, vivit in eis. Nam in illis ambulare eſt ȣ ἀχατρῶ. *Et fietis mihi populus, & ego fiam vobis Deus.* verſ. 28. *Et fiet loco ejus, quod dicebatur ipſis, Non populus meus eſtis vos, dicetur illis, Filii Dei vivi.* ex novâ ſcil. generatione. Hoſ. 2:1. *Et erit poſt illas effundam ſpiritum meum in omnem carnem.* Quod quidem præcipuè de miraculoſâ effuſione

 ſpiritus

ſpiritus chariſmatum; ſed & de Spiritu filiationis, gratiæ & precum accipiendum eſt, Jo. 3: 1. *Et effundam in domum Davidis & habitantem Hieroſolymis Spiritum gratiæ*, gradum fidei convenientem gratiæ, non iræ, *& ſupplicationis*, per quem clamemus, Abba, pater. Zach. 12: 10. Et hiſce quidem exemplis beneficium Sanctificationis ita laudatur, ut ſimul tum in Auctorem Deum, tum etiam Ezech. 36: 25. 26. 27. in duplex principium, à quo pendet, obedientiam nempe ac juſtitiam Chriſti puriſſimam & purgantem, & Spiritum Dei, poſitum in medio noſtri, id conferatur.

§. 100. Partes Sanctificationis pro ratione duarum principum facultatum animæ, quæ ei ſubjiciuntur, ſunt duæ; Illuminatio Intellectus, quæ id præſtat, ut Deum in verbo lucentem ut amabilem, agnoſcamus; & Inclinatio Voluntatis, quæ facit, ut Deum amemus, & quæ ei ſunt grata, faciamus. Illuminationis gratiam ſibi evenire nomine fidelium obſecrat David, *Illuſtret Deus faciem ſuam apud ſe.* i. e. Exſplendeſcat & benevolentiam ſuam oſtendat in corde noſtro ad radiationem cognitionis gloriæ Dei, quæ eſt in facie Jeſu Chriſti. Hoc autem fit per Spiritum Sanctum, qui velum cordis removet, & id circumcidit à præputio ſuo, ut Deum cognoſcamus. Fructus gratiæ exhibitæ: *Ut cognoſcatur in terrâ*, i. e. in populo Iſraëlitico, *via tua*, id eſt via à te demonſtrata, quâ peccator poteſt accedere ad te, deinde ſapientia tua, quæ in operibus tuis elucet, quibus regnum tuum paras, & gloriam tuam illuſtras; *in omnibus gentibus ſalus tua.* ut eam quærant & ad juſtitiam perveniant. Pſalm. 67: 2. 3. *Revelet oculos ſuos, ut cernat mirabilia ex lege Dei.* i. e. Oculos mentis revelet & liberet à præjudicio & opinione propriæ ſapientiæ ac juſtitiæ, ad videndum legem juſtitiæ fidei, & ad cognoſcendum ea mirabilia, ſine quibus ea juſtitia conſiſtere non poteſt, qualia ſunt incarnatio filii Dei, obedientia ad mortem, reſurrectio è morte, &c. quæ olim in ænigmatibus fuerunt propoſita, & figuris adumbrata. Præterea Spiritu Sancto ſuo omnia ſtercora removeat ex corde, idque aperiat, ut attendat ad ea, quæ Deus dicit, & cognoſcat in iis Dei ſolius ſufficientiam ad juſtitiam & ſalutem, & ut factus ſit peccatori in Deum, &c. Pſalm. 119: 18. *Præ inimicis meis ſapientem me faciunt præceptiones tuæ. Nam hoc*, nempe ductus tuus aſſiduus, & perpetua compellatio atque præceptio, *mihi ſemper obtingit.* verſ. 98. *Appropinquet clamor meus ante te, Jehovah: Secundùm verbum promiſſionis tuum fac me prudentem.* viſita me, & viam veritatis ac juſtitiæ doce me. verſ. 169. Ab eâdem cauſâ eſt, quod Eccleſia vocetur *Populus deterſus.* i. e. illuminatus ad detergendos errores & ignorantiam. Eſ. 18: 7. Quodque Deum prædicet *Lucem ſuam* id eſt auctorem factum lucis, ſive ſapientiæ. Pſ. 27: 1. Quò & pertinent ſequentia: *Te lucente videmus lucem.* i. e. Tu affulges animabus noſtris, & nos ſentimus pacem, juſtitiam, & gaudium initia vitæ æternæ. Pſ. 36: 10. *Deus, reduc nos* à viâ malâ ad cognitionem & amorem tui, *& lucere fac faciem tuam; & ſalvabimur.* Pſal. 80: 4. 8. 20. *Ibi progerminare faciam cornu Davidi, lucernam*, ad illuſtrandum tenebras, *uncto meo.* Pſalm. 132: 17. *Fac me audire matutino*, dum diluceſcit, *gratiam tuam.* Pſalm. 143: 8. *Et audient in illo die ſurdi verba libri, & ex caligine atque ex tenebris oculi cœcorum videbunt.* Eſai. 29: 18. *Ego Jehovah vocavi te cum juſtitiâ, & apprehendo manum tuam, & retinebo te, & dabo te in fœdus populi, in lucem gentium.* Ut gentes in te cognoſcant, quis ſit verus Deus. *Ut acuantur oculi cœci, ad educendum ex clauſtro vinctum, ex carcere ſedentes in tenebris.* Eſai. 42: 6. 7. *Sic dixit Jehovah aſſertor tuus, ſanctus Iſraëlis; Ego Jehovah Deus tuus, qui te condocefacio ad utilitatem.* Eſai. 48: 17. *Ad dicendum vinctis, exite, iis qui in tenebris ſunt, revelamini.*

Eſai.

Eſai. 49: 9. *Et ponam Cadcod ſpecularia tua.* Gemmam nempe lucidam, vel pellucidam. Ut notetur, vel quod Eccleſia habeat domi lucem, vel quod verſetur in clarâ luce. Eſai. 54: 12. *Propterea ecce ego facio ipſas cognoſcere vice hâc, cognoſcere faciam eas manum meam . . . & cognoſcent quòd nomen meum ſit Jehovah.* Jer. 16: 21. *Et ſpecies animalium*, i. e. Eccleſiæ redemptæ ex quatuor plagis mundi; *aſpectus eorum erat, ut prunarum ignis ardentium, ut aſpectus flammarum.* Propter lucem verbi veritatis habitantem in eis. *Hoc ambulabat inter animalia.* Ez. 1: 13.

§. 101. Non parum ad eum effectum confert plenitudo & claritas doctrinæ, quâ viâ ſalutis demonſtratur. Hæ virtutes celebrantur his modis: *Aperiam in parabola os meum*, quanquam in parabolis, tamen plenè, de ſalute hominis & voluntate Patris eloquar; *eructabo*, ſcaturiginis more, in apertum producam & ſolvam, *ænigmata ab antiquo.* Ut poſſit narrari, & audiri, ut factum, quod olim erat prædictum. Pſalm. 78: 2. *Jehovah rex factus eſt, . . . robur accinxit* & quidem irreſiſtibile & vincens. Claritatem nempe Euangelii & efficaciam Spiritus S. ad expugnandum omnia ὑψώματα, & convertendum quam plurimos Deo. Pſ. 93: 1. *Exuberavit ſuper nos gratia ipſius.* Tùm in aliis, tùm in claritate revelationis. Pſal. 117: 2. *Quàm diligo legem tuam! Toto die illa eſt meditatio mea. Præ inimicis meis ſapientem me faciunt præceptiones tuæ. Nam hoc mihi ſemper contingit. Quia teſtificationes tuæ mihi ſunt meditatio, præ omnibus docentibus me proficio* cognitione. Pſal. 119: 97. 98. 99. *Verbum tuum* eſt ut *lucerna pedi meo*, dum ex tenebris enitor. *lux viæ meæ compendiariæ.* dum in verâ viâ ambulo, conſcientiam meam tranquillans, ut ſciam, me in viâ bonâ eſſe, & quò eam, & quò perventurus ſim. Pſalm. 119: 105. Ibidem porrò ſic laudatur *claritas verborum Dei*, ut etiam *fatui* ea intelligant, & vera eſſe agnoſcant & credant. verſ. 130. *Magnificaſti ſuper omne nomen tuum dictum tuum.* Ea quæ tu; fili Dei, nobis dicis, exſuperant omne nomen tuum, quod hactenus nobis innotuit, auditum & pronunciatum ab hominibus. Ut te jam clarius cognoſcendi ſit facultas, quàm olim. Pſalm. 138: 2. *Et verba mirabilium tua meditor.* Euangelium nempe, in quo clarè prædicantur & explicantur ea, quæ mentem omnem & cogitationem cordis humani excedunt. Pſalm. 145: 5. *Dominus volens propter juſtitiam ſuam magnificabat inſtitutionem, & ingentem faciebat.* Eſai. 42: 21. *Et tibi dabo apertionem oris in medio illorum: & cognoſcent, quòd ego Jehovah.* Ezech. 29: 21. *Et paſcam oves meas in montibus Iſraël, in cavis, & in omnibus habitatoribus terræ. Paſtu bono paſcam eas, & in montibus celſitatis Iſraël erit manſio illarum, ibi recubabunt in manſione bonâ, & paſtu pingui paſcentur ad montes Iſraël.* Ezech. 34: 13. 14. *Et fietis mihi populus, & ego fiam vobis Deus.* Significatur clara prædicatio verbi, ut Deo doctore, neglectis Diis nuncupatitiis, veritatem diſcant. Ezech. 36: 28. *Et vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non dabo ſuper vos venire famem.* Quo plenitudo doctrinæ ſignificari poteſt. Ib. verſ. 29.

§. 102. Pulſis tenebris, & luce novâ illatâ intellectui, inclinat Deus ac pellicit voluntatem ad amorem ſui; efficitque, ut in viâ monſtratâ ambulemus, & voluntatem ejus faciamus. Ita enim Sponſa ad Sponſum: *Trahe me; poſt te curremus.* q. d. Sentimus nos trahi, cupimus nos trahi, petimus nos trahi, quia & reluctationem in nobis ſentimus, & infirmitatem carnis; & te ſequemur in omnibus viis tuis. Cant. 1: 4. Huc pertinent quæ ſequuntur apud Eſaiam: *Sic dixit Jehovah: Ego Jehovah Deus tuus, qui te condocefacio ad utilitatem, qui te facio incedere in viâ, in quâ ibis.* Eſai. 48: 17. *Ubi poſuerit anima ejus ſatisfactionis pretium, videbit ſemen, quod prolongabit dies, & beneplacitum Jehovæ in manu ejus proſperabitur.* Chriſtus ſcil. fi-

lios ſuos faciet facere voluntatem Dei, & labor eorum in Domino non erit fruſtra. Eſ. 53: 10. Itemque apud Jeremiam: *Et dabo ipſis cor unum, & viam unam ad timendum me omnibus diebus, in bonum ipſis & filiis ipſorum poſt ipſos. Et paciſcar ipſis fœdus æternum, quod non averſurus ſim me ab ipſis, ut benefaciam ipſis: & timorem mei dabo in cor ipſorum, & non recedent à me.* Jerem. 32: 39. 40. Et Ezechielem: *Et dabo illis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum, & auferam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo ipſis cor carneum. Ut in ſtatutis meis ambulent & judicia mea obſervent, & ea faciant, & erunt mihi in populum, & ego ero ipſis in Deum.* Ezech. 11: 19. 20. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in medio veſtri: & auferam cor illud lapideum ex carne veſtrâ, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum dabo in medio veſtri, & faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Ezech. 36: 26. 27. *Et ſervus meus David rex ſuper ipſis, & paſtor unus erit omnibus, & in judiciis meis ibunt, & ſtatuta mea obſervabunt, & facient ea.* Ezech. 37: verſ. 27.

§. 103. Typum hujus noſtræ regenerationis contemplemur licet in Prophetâ Ezechiele, Ezech. cap. 1: 28. & cap. 2: 1. 2. ubi ſe, cum concidiſſet, erectum narrat hoc modo: *Et cecidi in faciem meam; & audivi vocem loquentis. Et dixit ad me: Fili hominis, ſta in pedes tuos, & loquar tecum. Et venit in me ſpiritus, cùm loqueretur ad me, & fecit me ſtare in pedes meos.* Quemadmodum enim vox audita eſt Prophetæ, quâ jubebatur ſtare in pedes; Et cum dicto intravit in ipſum Spiritus, qui ipſum erexit, & confirmavit: Ita Deus nos jubet ſurgere ex morte, in quâ jacemus; ſimulque Spiritum in nos mittit, qui vivificat nos, & facit erectos ſtare. Jubemur facere officium, & Deus efficit, ut faciamus. Illuſtris porrò in eandem rem eſt typus, ſ. parabola, petita à reſurrectione mortuorum, quæ exſtat Ez. 37: 1—14. Cùm enim Deus in fine cap. 36. inde à verſ. 24. locutus eſſet de Iſraëlis reſtitutione in integrum, id eſt de reductione in terram ſuam, & de ſanctificatione Dei procurandâ in ipſis, & eorum converſione, & circumciſione cordis, & quidem per Spiritum filiationis, eam rem mox à principio cap. 37. Deus typo reſurrectionis mortuorum confirmat. Nec abſque ratione. Quemadmodum enim Abrahamus ſe credidit patrem fore multitudinis gentium, coram Deo, qui reſuſcitat mortuos, ita fides promiſſionis de reſtitutione & ſanctificatione Iſraëlis habetur coram Deo reſuſcitante mortuos: 1. Quia reſuſcitatio mortuorum in illâ promiſſione continetur. Nam vita promiſſa reſurrectionem mortuorum continet. 2. Quia opus iſtud Reductionis, & Sanctificationis Iſraëlis per Divinam potentiam effici debet, non humanâ ope, ſed Spiritu Dei. 3. Quia hæc beneficia ſunt conferenda ita inhabilibus & ita inidoneis, quemadmodum mortui ſunt ad vitam; & tanta ab iis exiſtit novitas, quanta eſt mortui reviviſcentis.

§. 104. Primum effectum Sanctificationis, & Reſipiſcentiæ prima pars, eſt Fides, quam Deus dat per Spiritum ſuum. Dum enim Deus hominem renovat, inprimis infundit ei amorem ſui, ut homo, animadverſâ Dei erga Eccleſiam maximâ & admirabili φιλανθρωπίᾳ καὶ χρηστότητι, dilectione & bonitate erga homines, doleat propter violationem nominis Dei, ſe abneget, & ad Dei communionem & ejus ſenſum ac certitudinem habendam anhelet, & animadverſo in verbo Dei, quæ ſit poteſtas eorum, qui ſic cupiunt eſſe digni Deo redemptore & ſanctificatore, de ſe hoc magnum bonum prædicet, quòd ſit Deus ſuus, & in poſterum Deo animam ſuam in bonis factis committat. Hanc partem Sanctificationis docemur hiſce: *Qui mutat petram*, cor lapideum, *in ſtagnum aquarum.* ut ex eo fluant fluvii aquæ vivæ.

Signi-

Significatur enim datio fidei per Spiritum Sanctum. Pſal. 114: 8. *Præcepiſti juſtitiam teſtificationum tuarum*, nempe veram juſtitiam, quæ juſtos conſtituit peccatores apud Deum, in teſtificationibus tuis contineri, alibi verò non reperiri; *&*, hiſce poſitis, ut primum opus peccatoris juſtum & rectum, *fidem valde* eam nempe juſtitiam credere, eamque ſeriò velle habere, ſive ſitire ac eſurire. Pſal. 119: 138. *Evenit, ut ſtarent pedes noſtri in portis tuis, Hieroſolyma.* i. e. Credidimus in Chriſtum, & ſic corpori ejus inſerti ſumus, & communionem habemus cum Deo. Pſal. 122:2. *Reverentiam*, ſ. vim flexanimam ad obedientiam fidei, per effuſionem Spiritus Sancti, *gloriæ majeſtatis tuæ meditor.* Pſal. 145: 5. *Populum deterſum*, h. e. illuminatum ad detergendos errores, & fide donatum. Eſ. 18: 7. *Aperite portas, & intret*, ad communionem & fraternitatem, *gens juſta, ſervans fidem.* in Deum. Eſ 26: 2. *Qui crediderit, non præcipitabit.* Eſ. 28: 16. *Non dixi ſemini Jacobi, incaſſum quærite me, ego Jehovah loquor juſtitiam*, i. e. præceptum fidei ad juſtitiam, *indicans recta*, vel *æqua.* i. e. Indicans bonum, quod Deo gratum eſt, & certiſſimam viam vitæ. Non poteſt peccator, ubi hoc audivit, exiſtimare factum ſuum juſtitiam. Eſ. 45: 19. *In agnitione*, h. e. fide, fiduciâ, & cultu, *ſui juſtus ſervus meus juſtificabit multos.* Eſ. 53: 11. *Heus omnis ſitiens*; i. e. omnes exſpectantes & deſiderantes videre complementum promiſſionis, *venite ad aquas, etiam cui non eſt argentum*, qui non habent meritum vel cauſam juſtitiæ in ſe, *Venite & emite & edite, & venite emite ſine argento & ſine pretio vinum & lac.* i. e. judicate & credite, vos in Chriſto adeptos eſſe ſublationem doloris malæ conſcientiæ, ſed etiam cauſam lætitiæ in ſpe cum omni exultatione & abundantiam conſortium in communione Chriſti, & omnium ſanctorum. Eſ. 55: 1. *Audite audiendo ad me, & comedite bonum*, credendo, quod in Deo per Chriſtum vobis ſit parata juſtitia & vita, *& delitiabitur in opimitate anima veſtra.* Ibid. vers 2. *Inclinate autem veſtram & venite ad me: audite, & vivet anima veſtra.* Ib. vers 3. In quibus præceptum fidei, ut primi operis ſanctificati, continetur. *Et dixit Jehovah ad ipſum*, nempe ad virum illum indutum talari, id eſt Spiritum Sanctum. *Tranſi in medio urbis, in medio Hieroſolymæ, & ſigna ſignum ſuper frontibus virorum ſuſpirantium & gementium propter omnes abominationes, quæ fiunt in medio ejus.* Signum illud eſt nomen agni publicè per confeſſionem prælatum, Fides in Chriſtum. Ezech. 9: 4. *Et traducam vos ſub virga, & introducam vos in vinculum fœderis.* i. e. per fidem vos uniam mihi, & inter vos. Ez. 20: 37. *Et dabo vobis cor novum .... Et*, i. e. nempe, *auferam cor illud lapideum ex carne veſtrâ, & dabo vobis, cor carneum.* Hæc eſt prima hominis novitas, cùm is primò convertitur ad Deum, in eumque credit. Ez. 36: 26. *Et faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Ib. vers 27. Et ſimiliter Ez. 37: 24. *Et in judiciis meis ibunt, & ſtatuta mea obſervabunt, & facient ea.* In quibus intelligitur. Primò præceptum fidei: Deinde præcepta ea, quæ qui facit, in eis vivit. Denique præcepta de ſignis. Non quod ſub regno Chriſti ſigna illa ſint uſurpanda, ſed quod quæ docentur per iſta ſigna fideles in veritate ſint exerciturі.

§. 105. De cætero tribuuntur Eccleſiæ ſanctificatæ, 1. *Pes rectus*, i. e. Erectio fiduciæ; 2. *Planta vitulina*, Gradus fixus & non vacillans. Fiſſio enim ungularum gradum fixum notat. 3. *Scintillantes pedes inſtar æris candentis.* i. e. ambulatio lucens ſ. manifeſtans ſe ad conſcientias. 4. *Manus humanæ.* i. e. operatio, quæ decet imaginem Dei, quæ eſt in homine; eæque conſpicuæ *ad quatuor latera*, i. e. ubique in toto mundo. 5. *Alæ* i. e. vis ſe elevans & alacritas ac celeritas. Ibid. v. 8. & 6. 6. *Conjunctio alarum inter ſe.* i. e. intentio ſine claudicatione. Ibid. vers 9. 11.

7. *Motus*

7. *Motus rectus ſine retrogradatione & circumgyratione*. h.e. in viis Dei nullâ retroceſſio vel deflexio intentionis. Ibid. vers 9. & 12. 8. *Vultus hominis*, i.e. ratio, veri cognitio & amor. 9. *Vultus Leonis*. i.e. animus magnus & intrepidus. 10. *Vultus tauri*. i.e. laborioſitas & patientia, fortitudo quoque ad debellandum hoſtes. 11. *Vultus aquilæ*. i.e. pernicitas, & perſpicacitas ad inveniendum cibum, quod eſt πτῶμα, ſ. Chriſtus mortuus. Matth. 24:28. Ibid. vers 10. & cap. 10: 14. 12. *Expanſio & erectio vultuum & alarum ſurſum*, verſus thronum: i.e. Aſpiratio & affectatio ſuperiorum. vers 11. & 23. 13. Ingenuitas *tegentium corpora ſua alis ſuis*, i.e. ſeſe abnegantium. vers 11. 14 Promptitudo ad in unum *eundum ante ſe*, *quo eſt ventus ut eant*. i.e. ad obſequendum impulſui ac gubernationi Spiritus Sancti, Ib. v. 12. 15. *Facies ignis cum ſplendore ambulantis in Eccleſiâ*. i.e. ardor charitatis & zeli,& lux verbi veritatis, actionis virtutis & patientiæ afflictionis, prodiens à Spiritu, qui verſatur in Eccleſiâ. Ib. v. 13.

§. 106. Itaque vi meriti & obedientiæ Chriſti Redemtos, Juſtificatos, & Sanctificatos, Deus tandem, expleto hujus vitæ curriculo, ad ſe aſſumit, & conſummatâ ipſorum ſalute, liberatos ab omni miſeriâ, in gloriam ac beatitudinem æternam introducit. De hâc piorum plenâ redemtione & aſſumtione ad Deum ita eſt Pſal. 49: 16. *At Deus redimet animam meam ex manu inferni*, *quum aſſumet me*. Item Pſal. 69: 34. *Quia attendit ad pauperes Jehovah*, ut ipſis ſufficiant omnia neceſſaria, *& vinctos ſuos*, i.e. ſuâ cauſâ, *non adſpernatur*, ſed animam eorum à morte liberat. Et huc jam refer ea omnia, quæ ſuprà de Redemtione, & Salvatione noſtri; & de vitâ æternâ, ut fructu juſtitiæ fidelium, collecta atque explicata ſunt. Vid. quoque Ezech. 1: 22. ubi in Emblemate *cœli expanſi ſupra capita quatuor animalium*, Eccleſia ſpirituum juſtorum conſummatorum repræſentatur.

§. 107. Hactenus nullum Beneficium poſuimus, quod non, abſolutè ſpectatum & ſine reſpectu ad ſpecialem aliquam œconomiam, ſit commune iis, qui fuerunt ab Adamo uſque ad Chriſtum, ſub Promiſſione, & qui à Chriſto, ſub Evangelio. Quamvis enim ab obedientiâ & morte Salvatoris omnia Eccleſiæ bona pendeant, hæcque obedientia non niſi in tempore præſtita fuerit, quia tamen Salvator exiſtebat apud Deum, & ſponſione æternâ ſe ſtiterat Deo ad implendum poſtulatum Legis, & juſtitiam ſuo tempore adducendam; vi hujus ſponſionis, & ſatisfactionis, quæ quanquam nondum exiſtebat, ob certitudinem tamen rei futuræ, ut fieri poteſt ac ſolet in moralibus, pro jam præſenti ac præſtitâ habebatur, hæc omnia beneficia ex æquo Veteribus, ac nobis, obtingebant.

§. 108. Præter hæc verò communia ac perpetua beneficia Eccleſiæ, ſunt & alia haud pauca, quæ Eccleſiæ Novi Teſtamenti propria, & à peculiari ejus œconomiâ pendentia, non niſi per apparitionem Salvatoris, & cauſâ ſalutis ac juſtitiæ jam exſtante, poterant exhiberi. Ea nunc oportet perluſtremus, & quoniam non minùs, quam præcedentia, cum capite bonorum, ſuprà indicato, connexa ſunt, quomodo ab eo, ordine quæque ſuo, oriantur, eâdem operâ demonſtremus.

§. 109. Scilicet expiato per ſanguinem Chriſti peccato, & exſtincto reatu, factum eſt. Primò, ut peccatum, quod, quanquam remiſſum iis, qui dati erant Chriſto, tamen, antequam reipſâ expiatum eſſet, exſtiterat hactenus in mundo, jam actu ac reipſâ *Expiatum*; Pſal. 65:4. Ezech. 16: 63. Dan. 9: 25. *Deletum*; Eſai. 43: 25. Zach. 3: 9. ac *Finitum*; Thren. 4: 22. *non ampliùs exſtaret*. Jerem. 50: 20. Dan. 9: 24.

§. 110. Secundò factum, ut poſſet expiatio peccati, & adductio juſtitiæ, ut jam

jam facta, annunciari. Itaque ſacrificio jam actu juxta ſponſionem præſtito, Pſal. 40: 7. 8. 9. hæc Chriſto adſcribitur oratio: *Annunciavi in cœtu amplo* omnium gentium *juſtitiam* obedientiam ſcil. perfectam à me præſtitam, & jus filiorum ad vitam ipſis impetratum, &c. Ibid. vers 10: 11. In eâque annunciatione conſiſtit propriè Εὐαγγέλιον; quod ſcil. nihil aliud eſt, quam rei bonæ, laudabilis, amabilis, & ad lætitiam efficiendam comparatæ annunciatio. Hoc Εὐαγγέλιον vocatur דָּבָר טוֹב καλὸν ῥῆμα, *verbum bonum.* Pſal. 45: 2. Et ante promittitur his locis: *Dominus dat dictum: Evangelizantes catervæ exercitus magnus.* Simulatque Dominus locutus eſt, euangelium præconiatur à turmarum exercitu magno. Pſal. 68: 12. *Canite Jehovæ carmen novum*, i. e. gloriamini & gratias agite ipſi cum lætitiâ & concentu virtutum & charitatis inter plures, ob novum & magnum ſupra omnia vetera bonum, ut eſt bonum filiationis cum revelatione rerum à ſæculis tacitarum; *Canite Jehovæ, omnis terra. Canite Jehovæ, benedicite nomini ipſius; Evangelizate de die in diem ſalutem ejus. Narrate in gentibus gloriam ejus, mirabilia ejus.* Pſ. 96: 1. 2. 3. *Indicavit Jehovah ſalutem ſuam coram oculis gentium, revelavit juſtitiam ſuam.* Pſal. 98: 2. *Indicarunt cœli,* Deus ex cœlo miſſis Apoſtolis, & poſtea aliis Euangelii præconibus, *juſtitiam ejus:* quæ in Euangelio prædicatur, quâ ipſe juſtus juſtificat eos, qui ſunt ex fide Chriſti, eiſque jus vitæ æternæ donat. Pſal. 97: 6. *Fac me audire matutino,* tempore novæ lucis, *gratiam tuam.* Euangelium nempe boni, ſalutis, pacis, juſtitiæ, quod promiſiſti. Pſal. 143: 8. *Et verba mirabilium tuorum*, i. e. Euangelium, in quo clarè prædicantur & explicantur ea, quæ omnem montem & cogitationem cordis humani excedunt, *meditor.* Pſal. 145: 5. *In montem altum aſcende tibi Evangelizatrix Sionis; extolle cum viribus vocem tuam, Evangelizatrix Hieroſolymæ: extolle, ne metuas: dic oppidis Judæ, ecce Deus veſter.* Eſ. 40: 9. *Populus, quem formavero mihi, laudem meam narrabunt.* quippe qui videbunt, quæ ego fecero ad gloriam meam & nomen meum & virtutes meas oſtendendas. Eſ. 43: 21. *Proferte hoc ad fines terræ; dicite: Aſſeruit Jehovah ſervum ſuum Jacobum.* Eſ. 48: 20. *Quàm decori ſunt ſuper montibus pedes Evangelium nunciantis, qui promulgat pacem* cum Deo & inter gentes, *evangelizat bonum*, ὢ ἂ ἐνδεικνῦ ὁ Θεὸς, quodque homini exoptatiſſimum; nempe juſtitiam adductam, *qui facit ut audiatur ſalus* ab omni reatu, à captivitate, à jugo, ab accuſatione: *qui dicit Sioni; Ecce Deus veſter.* Eſ. 52: 7. *Spiritus Domini Jehovæ ſuper me eſt: quia unxit me, ad evangelizandum*, i. e. bonum diu exſpectatum annunciandum, *manſuetis: miſit me ad obligandum contractos corde, ad prædicandum captivis libertatem & vinctis acutum viſum ad prædicandum annum acceptationis Jehovæ, & diem vindictæ Dei noſtri, ad conſolandum omnes lugentes.* Eſai. 61: 1. 2. *In diebus ejus ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit ſecurè: & hoc nomen ejus,* Iſraëlis, *quo vocabit eum* unusquiſque *Jehovah juſtitia noſtra.* Quo ſignificatur, eos, qui ſalvantur, juſtitiam habituros promptam, atque eam ipſis prædicatum iri. Jerem. 23: 6. 33: 16. Et huc quoque pertinet, quod eſt Ezech. cap. 1: 24. *Et audiebam vocem alarum ipſorum, ut vocem aquarum multarum, ut vocem omnipotentis, cùm irent; vocem loquelæ, ut vocem exercitus.* Eccleſia enim ſine ſermone, rumore, famâ, tumultu in mundo non eſt, narrantium ſcil. & ſermocinantium inter ſe de iis, quæ mirabilia Deus fecit, & regi ſuo acclamantium, ipſiuſque laudibus perſonantium. Et quod Dan. 9: 24. *Ad obſignandum viſionem.* Quo ſignificatur rerum prædictarum in ipſis rebus repræſentatio, & commutatio prædictionis in annunciationem, promiſſionis in Euangelium: *Adhuc erit viſio ad ſtatum tempus, & præco,* qui rem & veritatem publicàvit, *erit in fine.* Hab. 2: 3. Add. Mich. 5: 3. Hab. 3: 2. & Hab. 3: 3.

§. 111. Tertiò. Hinc factum, corpore ipſo exſtante rerum, & Promiſſioni ſuccedente Evangelio, ut umbræ, Spes, deſiderium, ſitis, metus, ac dolor, futurorum & abſentium, abiret in veritatem, fidem, aſpectum, fruitionem, ſatietatem, ac lætitiam præſentium. Id diſcrimen ita indicatur. *Ad addendum Irriguum (ſive Satiatum) Sitienti.* i. e. ad redigendum eos, qui vident implementa Promiſſionum, in conditionem eorum, qui ea adhuc exſpectant. Deut. 29: 19. *Comedent manſueti & ſaturabuntur: Celebrabunt Dominum quærentes eum. Vivat cor veſtrum in perpetuum.* Pſal. 22: 27. *Jehovah eſt paſtor meus; non deſtituar.* Novi Teſtamenti id eſt, ubi eſt irrigatio & ſatietas ſitientium. Id porrò ita explicatur: *In manſionibus graminoſis facit me recubare. Ad aquas amæniſſimas agit me.* cibo copioſo me ſaginat, potu jucundo reficit. Indicatur autem plena & clara indicatio, oblatioque larga & prolixa gratiæ Dei in Chriſto mediatore ad lætitiam animæ. Pſal. 23: 1. 2 *Irrigantur de opimitate domus tuæ, & torrente deliciarum potas illos.* Pſal. 36: 9. *Pluviam liberalem agitas, ô Deus. Hæreditatem tuam* etiam *defeſſam* quod attinet, *tu reficis illam.* Pſal. 68: 10. *Eructabo*, i. e. in lucem producam. *Pande os tuum, & implebo illud.* Pſal. 81: 11. *Sed ex rupe* Chriſto *melle ſatiabo te.* Ibid. vers 17. *Nam lætificâſti me, ô Jehovah, molitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo.* Pſal 92: 5. *Cibum dedit timentibus ſe.* nempe conſolationem Spiritus Sancti; *recordatur in ſæculum fœderis* & juramenti *ſui.* Pſal. 111: 5. *Populus ille, ille ambulantes in tenebris* ignorantiæ & errorum, itemque famis & ſitis, & *exſpectationis* Chriſti, ex Eſ. 8: 17. *Viderunt lucem magnam*, diem, ſ. apparitionem Chriſti, *ſedentes in terrâ umbræ mortis*, viventes in peccatis ſuis, & ſpiritum regenerationis non habentes: *Lux exſplenduit ſuper illis.* Apparitionis ejus effectus: *Lætantur coram te, velut lætitiâ in meſſe, quemadmodum gaudebant, quum dividerent ſpolia.* Eſ. 9: 1. 2. *Sic dixit Jehovah ad me: Quieſcam & intuebor, in ſtatione meâ; ut calor ſereni circa lucem, ut nubes roſcida in calore meſſis erit.* Refrigerans ſcil. ab æſtu, & irrigans ſitientes animas per dationem juſtitiæ & libertatis. Eſ. 18: 4. *Diluculum deſiderii meum.* i. e. tempus illud lucis, ſ. requietis adductæ per Chriſtum, diu deſideratum, *poſuit mihi in trepidationem.* Eſ. 21: 4. *Et audient in illo die ſurdi verba libri, & ex caligine, atque ex tenebris oculi cæcorum videbunt.* Gentes ſcil. rejectis Judæis, illuminabuntur, ut verba Dei intelligant. *Et addent manſueti in Domino lætitiam, & egeni hominum in ſancto Iſraëlis gaudebunt.* Eſ. 29: 18. 19. *Dicite, aſſeruit Jehovah ſervum ſuum Jacobum. Et non ſitiverunt* amplius aſſerti. Ut qui habeant verbum Dei, quo ſe conſolentur ubertim. Id eſt bonum conſequens redemptionem. Eſ. 48: 20. 21. *Ad dicendum vinctis, exite, iis, qui in tenebris ſunt, revelamini... Non eſurient & non ſitient*, non deſiderabunt quicquam ad conſolationem ſuam. Eſ. 49: 9. 10. *Heus omnis ſitiens*, i. e. omnes exſpectantes ac deſiderantes videre complementum promiſſionis, *venite ad aquas*, quæ vobis proponuntur ad reſtinguendam ſitim; *etiam cui non eſt argentum*, meritum juſtitiæ, *venite & edite & venite, emite ſine argento & ſine pretio vinum & lac.* Cum abnegatione omnis meriti proprii, judicate & credite, vos in Chriſto adeptos eſſe non tantùm ſublationem doloris malæ conſcientiæ, ſed etiam cauſam lætitiæ in ſpe cum omni exultatione. *Quare appenditis argentum pro non pane, & laborem veſtrum pro eo, quod non eſt ad ſatietatem?* Ut pro habitatione terræ Canaan, communione populi carnalis, admiſſione ad atrium domus Dei, pro quibus rebus Judæi multa cogebantur facere, & de opibus ſuis multa dare. *Audite audiendo ad me, & comedite bonum*, credite quòd in Chriſto vobis ſit parata juſtitia & vita, *& deliciabitur in opimitate anima veſtra.* Spiritus veſter omni alacritate, promptitudi-

ne & vitulatione efferetur, uſque ad contemtum omnium periculorum atque ipſius mortis. *Inclinate aurem veſtram & venite ad me: audite & vivet anima veſtra.* Ita veræ lucis ac lætitiæ compotes eritis. Eſai. 55: 1. 2. 3. *Lætamini cum Hieroſolymâ & gaudete propter illam.... Ut ſugatis & ſatiemini ex ubere conſolationum ejus.* Eſai. 66: 10. 11. *Cùm irrigavero* vel *Quia irrigavi animam defeſſam, & omnem animam, quæ tabuerat, implevero.* vel *implevi.* Ut intelligatur anima laſſa eorum, qui deſiderabant Chriſtum in carne videre. Jerem. 31: 25. *Et manifeſtabo illis abundantiam pacis & veritatis.* Sublatis omnibus umbris & figuris. Jerem. 33: 6. *Et paſcam eas in montibus Iſraël... Paſtu bono paſcam eas, & paſtu pingui paſcentur ad montes Iſraël.* Ezech. 34: 13. 14. *Et comedetis & ſaturabimini.* Jo. 2: 20. *Et vocabitur Hieroſolyma urbs illa veritatis.* exhibito corpore, quod per umbras ſignificabatur. Zach 8: 3. *Loquimini veritatem quiſque cum proximo ſuo, veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris.* Zach. 8: 16. *At veritatem & pacem diligite.* In oppoſitione falſitatis & umbrarum. Zach. 8: 19. *Etiam dimiſi vinctos exſpectationis, tuos è foveâ, in quâ non eſt aqua.* ad reſtinguendam ſitim, & ſpem ac deſiderium τ̃ ἀπολαμβάνειν complendam. Zach. 9: 11.

§. 112. Quartò Factum, ut pro eo, quod Sermo Promiſſionis vel brevitate ſuâ obſcurus, vel figuris & ænigmatis rerum & verborum, vel velo Legis, id eſt duabus ſententiis legalibus ſpeciem legis operum illi induentibus, obumbratus, quaſi à facie & conſpectu hominum iſtius temporis amoveretur, Deo modum & circumſtantias rerum futurarum in propriâ poteſtate reſervante; Sermo Euangelii, id eſt annunciationis rerum geſtarum, ſit clarus, facilis, expeditus, & in omnium corde, ore, ac manu expoſitus, ita ut à nemine poſſit ignorari. Hæc Euangelii claritas prædicta intelligitur in hiſce: *Quæ abſcondita fuerant Jehovæ Deo noſtro, & quæ revelatæ ſunt nobis & filiis noſtris uſque in ſæculum ad faciendum omnia verba legis hujus.* Quibus verbis gentes glorificant Deum ob beneficium ſibi indignis præſtitum, quòd ſibi ea, quæ veteribus abſcondita, & nominatim judicium Dei de Judæis, & gratiâ erga gentes exercendâ, (de his enim hîc loquitur Moſes) fuerint revelata ad colendum Deum; abſcondita, inquam, non quidem ſimpliciter, ſed tamen non ita clarè indicata. Deut. 29: 29. *Nam præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non mirabile erit præ te, & non longinquum erit. Non in cœlis erit ad dicendum: Quis aſcendet nobis in cœlum, & accipiet illud nobis, & faciet nos illud audire. Ut faciamus illud? Et non ultra mare erit, ad dicendum: Quis tranſibit nobis ultra mare, & accipiet illud nobis, & faciet nos illud audire, ut faciamus illud? Sed propinquum tibi verbum illud valde erit in ore tuo & in corde tuo, ad faciendum illud.* Deut. 30: 11. 12. 13. 14. *Dominus dat dictum.* Sermonem reconciliationis, tacitum à ſæculo, quatenùs nemo reconciliationem factam annunciare potuit, publicæ omnium notitiæ exponit. Pſal. 68: 12. *Aperiam in parabolâ os meum,* quanquam in parabolis, tamen plenè de ſalute hominis & voluntate patris eloquar; *eructabo,* i. e. ſcaturiginis more, in apertum producam & ſolvam, *ænigmata ab antiquo.* ut poſſit narrari, & audiri, ut factum, quod olim erat prædictum. Pſalm. 78: verſ. 2. *Jehovah rex factus eſt, ... robur accinxit.* irreſtibile & vincens: Claritatem nempe Euangelii & efficaciam Spiritus Sancti ad expugnandum omnia ὑψώματα, & convertendum quamplurimos Deo. Pſalm. 93: verſ. 1. *Canite Jehovæ carmen novum.* gloriamini & gratias agite ipſi cum lætitiâ ob novum ſupra vetera bonum, quale eſt bonum revelationis rerum à ſœculis tacitarum. Pſalm. 96: 1. & 98: 1. *Indicavit Jehovah ſalutem ſuam coram gentibus, revelavit juſtitiam ſuam:* Pſal. 98: 2. *Medens omnibus*

bus morbis tuis. Intelligit eam ſanationem morborum, quæ conjuncta eſt cum condonatione peccatorum, & nuncio Euangelii, de expiatione peccati factâ, i. e. illuſtrationem doctrinæ, ut in locum iſtius doctrinæ, quæ vigebat in populo, quæque non erat lux, ſed nox, ſuccederet clara prædicatio Euangelii. Pſalm. 103: 3. *Exuberavit ſuper nos gratia ipſius.* Tùm in aliis, tùm etiam in claritate revelationis. Pſal. 117: 2. *Revela oculos meos, ut cernam mirabilia ex lege tuâ.* Perfectis iis omnibus mirabilibus, ſine quibus ſalus & juſtitia conſiſtere non poteſt, & ſublato velo, per quod difficile eſt homini ad veram juſtitiam adſpirare, fac, lex tua, quæ eſt lex juſtitiæ fidei, ſit nuda, clara, ita ut ad intelligentiam mirabilium ejus nihil amplius reſtet revelandum. Pſalm. 119: 18. *Præ inimicis meis ſapientem me faciunt præceptiones tuæ.* Et: *Quia teſtificationes tuæ mihi ſunt meditatio, præ omnibus docentibus me,* i. e. pædagogis, ſub quibus hactenus in pueritiâ fui quique ipſi quotidie legem *νομικῶς* ſine magnâ efficaciâ occinebant, *proficio* cognitione, lætitiâ, & incremento doctrinæ. Pſalm. 119: 98. 99. *Verbum tuum eſt ut lucerna pedi meo,* dum è tenebris enitor, *lux viæ meæ compendiariæ.* dum in verâ viâ ambulo, ut ſciam, me in viâ bonâ eſſe. Pſalm. 119: 105. *Apertio verborum tuorum lucet, erudiens fatuos.* Tanta eſt claritas verbi tui, ut etiam ii, qui ante idolorum ſacerdotibus & philoſophis crediderant, ea intelligant, & vera eſſe agnoſcant & credant. Pſal. 119: 130. *Magnificaſti ſuper omne nomen tuum dictum tuum.* i. e. Ea, quæ tu, fili Dei, nobis dicis, exſuperant omne nomen tuum, quod hactenùs nobis innotuit. ut te jam clariùs ſit cognoſcendi facultas, quàm olim. Pſalm. 138: 2. *Notifica mihi viam, quâ ambulem. Nam ad te ſuſtuli animam meam.* Umbræ fuerunt ſub V. Teſt. & ſpiritus ſervitutis. Petit igitur doctrinam clariorem, & ſpiritum filiationis ducentem in omnem veritatem. Pſalm. 143: 8. *Et verba mirabilium tua,* Euangelium nempe, in quo clarè prædicantur & explicantur ea, quæ mentem omnem & cogitationem cordis humani excedunt, *meditor.* Pſalm. 145: 5. *Ad amplificationem principatus.* Quæ etiam conſiſtit in claritate & plenitudine cognitionis majore, quàm fuit olim. Eſai. 9: 6. *Dominus volens propter juſtitiam ſuam magnificabat inſtitutionem, & ingentem faciebat.* Quod non tantùm de prophetiâ, ſed etiam de Euangelicâ doctrinâ accipiendum eſt, maximè illâ, quæ ſecuta eſt juſtitiæ adductionem. Eſai. 42: 21. *Ego Jehovah* ſum is, *qui loquitur juſtitiam,* præceptum fidei ad juſtitiam, & promiſſionem juſtitiæ donandæ, *indicans recta.* bonum, quod Deo gratum eſt, & certiſſimam viam juſtitiæ. Eſ. 45: 21. *Propterea cognoſcet populus meus nomen meum: propterea in illo die, quod ego is ſum, qui loquitur, Ecce me.* Eſai. 52: 6. *Et ſi non audient.* nempe cùm veniet Propheta ille loquens verba Dei. Jer. 12: 17. *Propterea ecce ego facio ipſas cognoſcere vice hâc, . . & cognoſcent, quòd nomen meum ſit Jehovah.* manifeſtabo illis nomen meum in Chriſto, ut cognoſcant, me eſſe Jehovam, qui ſit quod eſt, & extra quem nulla ſalus & juſtitia eſt. Hæc ſunt illa prius occulta & Judæis incognita, nunc autem gentibus notificata. Jerem. 16: 21. *Et hoc nomen ejus Iſraëlis, quo vocabit eum* unusquiſque, *Jehovah juſtitia noſtra.* Quia nimirum apud eos, qui ſalvantur, juſtitia, & prædicatio ejus, erit promta & expoſita cuivis. Jer. 23: 6. 33: 16. *Sed hoc fœdus meum, quod pangam domui Iſraël poſt dies illos, ait Jehovah: Do legem meam in medium ipſorum.* Faciam, ut lex juſtitiæ ſit in propatulo, tùm ita ut verbum quo ea continetur, perveniat ad omnes, & facilè ab omnibus poſſit haberi, legi, cognoſci; tùm etiam, ut ſumma hujus legis omnibus nota fiat, & vix poſſit à quoquam ignorari. Jer. 31: 33. *Et ſpecies animalium; aſpectus eorum erat ut prunarum ignis ardentium, ut aſpectus flammarum. Hoc ambulabat inter ani-*

animalia: & ſplendor erat igni. Intelligitur ſpiritus inhabitans in Eccleſiâ, faciens eam lucere verbo veritatis. Ezech. 1: 13. *Et audiebam vocem alarum ipſorum.* Nam Eccleſia ſine ſermone, rumore, famâ, in mundo non eſt. Ibid. verſ. 24. *Et tibi dabo apertionem oris in medio illorum, & cognoſcent, quod ego Jehovah.* Prophetiis ſcil. adimpletis, Ezechiel, & cæteri omnes prophetæ, habent apertionem oris, i. e. loquuntur omnibus in nomine Dei in libris ſuis, & recognoſcuntur verba Dei loqui. Ezech. 29: 21. *Paſtu bono paſcam eas, . . . & paſtu pingui paſcentur ad montes Iſraël.* Quibus clara prædicatio verbi ſignificatur. Ezech. 34: 13. 14. *Et ægram confirmabo.* Languentes propter defectum cibi recreantis animam reſocillabo per verbum vitæ. Ezech. 34: 16. *Ad obſignandum viſionem & prophetam.* ut poſtquam viſio mentalis inceperit rebus ipſis exhiberi, & venerit propheta ille, cui verba Dei ſupererant dicenda, vigeat in poſterum ſermo Euangelii in Eccleſiâ, & narratio viſorum atque auditorum. Dan. 9: 24. *Tu autem Daniel, abſconde verba illa, & obſigna librum uſque ad tempus finis: quo luſtrabunt multi, & major fiet cognitio.* Rerum ſcil. evidentiâ conjunctâ cum teſtimoniis Scripturarum. Hæc enim rerum evidentia eſt, quæ affert iſtam majorem lucem & claritatem. Dan. cap. 12: 4. Hinc tempus N. Teſt. vocatur *Dies*; Eſai. 4: 5. *Lux* Pſalm. 36: 10. Eſai. 5: 20. *Diluculum deſiderii*; Eſai. 21: 4. *Matutinum*; Pſalm. 143: 8. Per *novilunii* feſtum quondam adumbratum; Pſalm. 81: 4. Propter claritatem ſcil. & puritatem Euangelii, prædicati in Eccleſiâ.

§. 113. Quintò Factum, ſic illuſtrato atque publicato omni ſermone Dei, ut nec filii Dei ſubjiciantur Prophetis ampliùs, h. e. nulla novi & inauditi verbi revelatio ſit exſpectanda in poſterum, quæ cum fratribus auctoritate propheticâ communicetur; nec clavem cognitionis & interpretationis Scripturarum à certis hominibus petere neceſſe habeamus, quibus ea clavis præ cæteris ſit commiſſa, quique veritatem, quibus valeant, verbis explicent: quemadmodum ſub Vet. Teſt. Moſes, & qui eum pari poteſtate exceperunt, dati erant populo in prophetas, qui nomine Dei ad ipſos loquerentur, & gravia ſtatuta ipſis imponerent; & doctrina veritatis erat alligata certæ cathedræ ac ſedi ſ. collegio hominum, quos Deus juſſerat in rebus difficilioribus adiri; Deut. 17: 8. 9. 10. 11. 12. quoſque promiſerat ſe populo daturum & conſervaturum uſque ad adventum Chriſti; Gen. 49: 10. Mal. 2: 7. His autem è contrario valere juſſis, qui vices Dei hâc in parte olim gerebant, & myſterio Dei omnibus revelato, & clavi cognitionis in hiſtoriâ vitæ, mortis, & exaltationis Chriſti publicatâ, ſolus Deus ſit Deus, & Doctor, & Legiſlator populi ſui, & fideles verbum Dei non per & propter auctoritatem ullius hominis, ſed immediatè à ſolo Deo, & propter rerum ipſarum divinitatem, accipiant, & per voces, non ænigmaticas, quarum clavis ſit hominibus commendata, ſed ipſius Dei, earumque claram expoſitionem Divinitus factam, doceantur. Ad hoc beneficium alludit Propheta, ubi *Deum* prædicat *lucem ſuam*, i. e. auctorem factum lucis, ſive ſapientiæ. Pſalm. 27: 1. Et de eodem in emphaſi accipienda ſunt, quæ ſequuntur: *Nam tecum eſt fons vitæ, te lucente videmus lucem.* Pſalm. 36: verſ. 10. *Deus benedicat nobis; illuſtret faciem ſuam apud nos.* i. e. Exſplendeſcat & benevolentiam ſuam oſtendat in corde noſtro ad radiationem cognitionis gloriæ Dei, quæ eſt in facie Jeſu Chriſti. *Ut cognoſcatur in terrâ via tua, in omnibus gentibus ſalus tua.* Pſalm. 67: 2 3. *Deus, reduc nos, & lucere fac faciem tuam, & ſalvabimur.* Pſal. 80: 4. 8 20. *Bonitatem judicii & ſcientiam doce me.* Pſalm. 119: 66. *Fac me prudentem, & diſcam præcepta tua.* Ibid. verſ. 73. *Præ inimicis meis ſapientem me faciunt præce-*

ptiones tuæ. Nam hoc, nempe ductus tuus aſſiduus, & perpetua compellatio ac præceptio, *mihi ſemper obtingit. Præ omnibus docentibus me*, pædagogis, ſub quibus hactenus fui in pueritiâ meâ, *proficio*, cognitione, *quia teſtificationes tuæ ſunt mihi meditatio.* Pſalm. 119: 98. 99. *Appropinquet clamor meus ante te, Jehovah: ſecundùm verbum* promiſſionis *tuum fac me prudentem.* Tu, ô Deus, docens ad juſtitiam, viſita nos tandem, & viam veritatis & juſtitiæ doce nos. Ibid. verſ. 169. *Labia mea ſcaturient laude, quia docebis me ſtatuta tua.* à nullo homine accipiam vel verbum, per quod credam, vel clavim cognitionis, ſed omnem profectum, quem ex verbo tuo hauriam, fundamento in Scripturis clarè expoſito, & in Chriſto verificato inædificabo, adeò ut omnia, quæ diſcam, te Doctore diſcere videar. Pſal. 119: 171. *Ibi progerminare faciam cornu* ſalutis *Davidi, diſpoſui lucernam uncto meo.* ad illuſtrandum tenebras, & oculos cœcorum illuminandum. Pſalm. 132: ℣ſ. 17. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, fratres habitare unà.* in congregatione coram Domino, ad auſcultandum Deo in verbo ſuo loquenti, ut ita ſit unus omnibus doctor, unus præceptor. Pſalm. 133: 1. *Jehovah eſt judex noſter, Jehovah legiſlator noſter, Jehovah rex noſter.* Eſai. 33: 22. Ubi Deus legiſlator populi ſui vocatur in oppoſitione *Scribæ* ſive *Librarii*, i. e. Doctoris, à cujus nomine & auctoritate Eccleſia pendeat, de quo eſt Ibid. verſ. 18. *Ego Jehovah ſum is, qui loquitur juſtitiam, indicans recta.* Eſai. 45: 21. *Sic dixit Jehovah aſſertor tuus, ſanctus Iſraëlis: Ego Jehovah Deus tuus, qui te condocefacio ad utilitatem.* Eſai. 48: 17. *Et omnes filii tui diſcipuli Jehovæ.* Eſai. 54: 13. quod citatur à Johanne, cap. 6: 45. *Ecce teſtem nationum dedi ipſum, principem & præceptorem nationum.* Hæc cum principum ac doctorum prioris ſœculi auctoritate & nomine conſiſtere non poſſunt. Eſai 55: 4. *Et ero ipſis in Deum*, h. e. docebo ipſos teſtimonium meum, ut credant mihi, *& illi erunt MIHI in populum.* Jerem. 31: 33. *Non docebunt ampliùs quiſque proximum ſuum, & quiſque fratrem ſuum, dicendo, Cognoſcite Jehovam. Nam omnes ipſi cognoſcent me à parvo eorum ad magnum eorum.* i. e. Nemo in poſterum veniet ad ipſos miſſu meo, qui afferet ad illos verbum, quod non pervenerit ad omnes; nec ullus habebit illius verbi, quod ad omnes pervenerit, privatam expoſitionem. Jer. 31: verſ. 34. Quo teſtimonio nullum exſtat illuſtrius. *Sic dixit Dominus Jehovah: Ecce Ego in paſtores, & requiram oves meas ex manu illorum, & faciam eos ut ceſſent paſcere oves, & non paſcent ampliùs paſtores ſe, & eripiam oves meas ex ore ipſorum, & non erunt ipſis cibus. Nam ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce me, me, inquam, qui curabo oves meas & luſtrabo eas. Ut luſtrat paſtor gregem ſuum, quo die eſt in medio ovium ſuarum ſegregatarum; ſic luſtrabo oves meas.... Et paſcam eas in montibus Iſraël, in cavis, & in omnibus habitatoribus terræ. Paſtu bono paſcam eas, & in montibus celſitatis Iſraël erit manſio illarum, ibi recubabunt in manſione bonâ, & paſtu pingui paſcentur ad montes Iſraël. Ego paſcam oves meas, & Ego faciam eas recubare, ait Dominus Jehovah.* Ezech. 34: 10. 11. 12. 13. 14 15. Et rurſus Ibidem: *Et ſalutem faciam ovibus meis, & non erunt ampliùs direptio: & judicabo inter ovem & ovem. Et conſtituam ſuper ipſas paſtorem unum, & paſcet eas, ſervum meum Davidem; Ille paſcet eas, & Ille erit ipſis paſtor. Et ego Jehovah ero ipſis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio earum, ego Jehovah locutus ſum.* verſ. 22. 23. 24. Quibus promittitur abrogatio principum ſæculi & ereptio gregis ex manu paſtorum; ſcilicet ut ſolus Deus ſit paſtor illorum in Chriſto. *Et fietis mihi populus, & ego fiam vobis Deus.* Quo ſignificatur clara prædicatio verbi, ut Deo doctore, neglectis Diis nuncupatitiis, veritatem diſcant. Ezech. 36: 38. ut ſup. Jer. 31: 33. *Et rex unus erit* (ſive *fiet*) *ipſis rex.*

rex... Et fient mihi populus, & ego ero ipſis Deus. Et ſervus meus David rex ſuper ipſis, & paſtor unus erit omnibus, & in judiciis meis ibunt. &c. Et David ſervus meus princeps ipſis in ſæculum. Quæ promiſſio pertinet ad Novum Teſtamentum, & impleri non potuit, niſi Diis nuncupatis abolitis. Ezech. 37: 22. 23. 24. 25. *Ad obſignandum viſionem & prophetiam.* quatenus per prærogativam in V. T. paucis fuit data; dum omnes viſiones videbunt. Dan. 9: 24. *Et cognoſces Jehovam.* Hoſ. 2: 19. *Dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam.* Jo. 2: 23. *Et erit poſt illa, effundam ſpiritum meum in omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: Senes veſtri ſomniabunt; Juvenes veſtri viſiones videbunt. Atque etiam in ſervos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* i. e. Quod olim pauci viderunt in ſpiritu, miſſi à Deo, ut loquerentur ad populum, atque ita populo vice Dei eſſent, id jam videbunt omnes in fide verbi, neque habebunt opus, ut quis eos ampliùs doceat, niſi ut unctio in verbo omnes docet. Ubi verò ſic omnis fidelis legens & intelligens verbum Dei prophetat ibi non poteſt fieri, ut ſit cathedra, cui fideles in rebus ad doctrinam pertinentibus, vel domini, quibus ad actus externos & ſerviles, ſubjiciantur. Jo. 3: 1. 2. *Illo die vocabitis unus alterum ſub vitem & ficum.* non vocabitis amplius unus alterum ad cathedram Moſis, ſed ubivis ſine ſervitute quemvis vocabitis ad communem cultum Dei. Zach. 3: 10.

§. 114. Sextò. Factum, ut pro eo, quod olim propter obſcuritatem Sermonis redditâ difficili viâ juſtitiæ, & gratiâ Dei illuminante & ſanctificante reſtrictâ, plurimi cœſpitabant, &, quærentes viam juſtitiæ, hanc viam non inveniebant; ſecundùm illud: *Et non dedit vobis Dominus cor ad intelligendum, & oculos ad videndum & aures ad audiendum uſque ad diem hunc.* Deut. 29: 4. Jamnunc per claram lucem Evangelii patefactâ omnibus, etiam pueris in Chriſto, viâ juſtitiæ, comitante gratiâ uberiore Spiritus Sancti, quamplurimi convertantur, & populo Dei ex omnibus gentibus adjungantur, laudem habentes non ex hominibus, ſed ex Deo. Hæc gratiæ ſanctificantis ubertas atque efficacia in quamplurimis, ſignificata intelligitur in ſequentibus locis, quatenus ad Novum Teſtamentum ſpectant. *Et duxit eum foras, & dixit, aſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi poſſis numerum illarum inire: Et dixit ei, ſic erit ſemen tuum.* Gen. 25: 5. *Et circumcidet Jehovah Deus cor tuum, & cor ſeminis tui ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, propter vitam tuam.* Scil. poſtquam reduxerit eos ex captivitate in terram, ut ex antecedentibus liquet. Deut. 30: 6. *Annon ipſe eſt pater tuus, qui mercatus eſt te? Ipſe fecit te &* omnibus bonis *inſtruxit te.* Deut. 32: 6. *Aſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem*, inimico ademiſti ſua ſpolia, acquiſiviſti hæreditatem, *accepiſti dona* à patre *in hominibus* quia tu es caput illorum, & illi hæreditas tua, *atque etiam* accepiſti *refractarios* Judæos defectores ab utero, *ut habitent decentiam Dei.* Pſal. 68: 19. *Deus... Deus exercituum,... Jehovah, reduc* vel *converte nos* & fratres noſtros à viâ malâ, à ſcandalis & peccatis noſtris, ad cognitionem & amorem tui, *& lucere fac faciem tuam; & ſalvabimur.* Pſal. 80: 4. 8. 20. *Nam ipſe eripiet te à laqueo Aucupis*, Diaboli, *à peſtilentiâ nequitiarum*, quâ tanquam veneno totum genus humanum intoxicavit liberabit te. Pſal. 91: 3. *Juſtus ut palma florebit, ut cedrus in Libano creſcet.* fides ipſius quotidie fiet major tùm multâ ſpirituali ſobole augebitur. Cauſa victoris: *Plantati ſunt in domo Dei.* per fidem inſerti ſunt cœlo. Pſal 92: 13. 14. *Jehovah rex factus eſt*, ſ. regnum capeſſivit, *erectionem induit, robur accinxit*, irreſiſtibile & vincens. Claritatem Evangelii & efficaciam Spiritus Sancti, ad expugnandum omnia ὀχυρώματα, & convertendos plurimos Deo. Pſ. 93: 1. *Venite, adoremus,*

& incur-

& incurvemur & ingeniculemus coram Jehovah factore noſtro. (*Nam ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſtus ejus & oves manus ejus.*) Pſal. 95: 6. 7. *Cognoſcite, quod Jehovah ipſe eſt Deus. Ipſe fecit nos (& non nos) populum ſuum, oves paſturæ ſuæ.* Pſal. 100: 3. *Jehovah emittet virgam roboris tuam.* i. e. verbum Evangelii, quod eſt ſceptrum irreſiſtibile & vincens, per miſſos in toto mundo prædicabit, & per vim atque efficaciam Spiritus Sancti illud verbum comitantem faciet illud magis magisque proficere Pſal. 110: 2. *In ornamentis ſanctitatis*, i. e. Chariſmaſin Spiritus Sancti *præ rore uteri auroræ tibi eſt ros juventutis tuæ.* vel *partus tui.* Pſal. 110: 3. *Qui mutat petram*, cor durum inſtar petræ, *in ſtagnum aquarum; ſilicem in rivum aquarum*, ut ex eo fluant fluvii aquæ vivæ. Pſal. 114: 8. *Timentes te videbunt me*, & opus tuum in me, *& lætabuntur, quia ad verbum tuum ſperavi.* Pſalm. 119: 74. *Præ inimicis meis ſapientem me faciunt præceptiones tuæ. Nam hoc*, nempe ductus tuus aſſiduus, & perpetua compellatio atque præceptio, *mihi ſemper obtingit. Præ omnibus docentibus me proficio* cognitione, lætitiâ, ac felicitate, ſive incremento & propagatione doctrinæ, idque propter majorem Spiritus comitantis efficaciam & perſuaſionem, *quia teſtificationes tuæ mihi ſunt meditatio.* Pſal. 119: 98. 99. *Quò*, nempe in urbem ſanctam, ſive potius civitatem ſanctorum, *aſcendunt tribus, tribus Jehovæ.* cives & frequentiſſimi & nobiliſſimi. Pſal. 122: 3. *Ut ros Hermonis, qui deſcendit in montes*, i. e. juga montis, *Sionis.* Ita ſcil. ros cœleſtis irrigat fratres ſedentes unà. Innuitur multiplicatio Eccleſiæ. Pſal. 133: 3. *Et erit* Jehovah Deus exercituum *in ſanctuarium.* auctor & medium ſanctificationis. Eſ. 8: 14. *Ad amplificationem principatus*, quæ inter alia conſiſtit in liberaliori communicatione Spiritus, ut Deo præſtetur obedientia major, quàm olim ſolebat fieri, cum cognitione ſcil. pleniori & majori παῤῥησίᾳ & lætitiâ, cum eo, quod Deus ſolus pro præceptore agnoſcatur; Itemque in regni dilatatione & extenſione ad plures. Eſai. 9: 6. *Et erit in die illo, non addet ampliùs reliquum Iſraëlis, & evaſio domus Jacobi niti percutiente ipſum, ſed nitetur Jehovah ſancto Iſraëlis, in veritate. Reliquum convertetur, reliquum Jacobi ad Deum victorem. Nam licet futurus ſit populus tuus, Iſraël, ut ſabulum maris, reliquum convertetur in eo.* Eſ. 10: 20. 21. 22. *In tempore illo offeretur munus Jehovæ Deo exercituum populus tractus* ex captivitate Babylonicâ & ſervitute gentium, *& deterſus.* h. e. redemtus, illuminatus, & liberatus à ſervitute & accuſatione peccati. Eſ. 18: 7. *Cùm videbit natos ſuos, opus manuum mearum.* Eſai 29: 23. *Omnem nuncupatum de nomine meo: & quem ad gloriam meam creavi, formavi, etiam feci.* Eſ. 43: 7. *Populus, quem formavi mihi, gloriationem meam narrabunt.* Eſ. 43: 21. *Stillate cœli ſupernè, & nubes manent juſtitiâ*, per deſcenſum ejus, quem Deus vocavit cum juſtitiâ; *aperiat ſe terra*, hactenùs clauſa, *& fructificent* homines *ſalute*, fructus ſalutis ferant, *& juſtitia germinet pariter.* ad plures propagetur. *Ego Jehovah creavi illud.* Eſai. 45: 8. *Congregamini*, propter multitudinem, *accedite*, propter communionem cum Iſraële, *appropinquate.* propter libertatem & juſtitiam. Eſai. 45: 19. *Sic dixit Jehovah: Ego Jehovah Deus tuus, qui te condocefacio ad utilitatem, qui te facio incedere in viâ, in quâ ibis.* Eſ. 48: 17. *Et extitiſſet tanquam ſabulum ſemen tuum, & proles viſcerum tuorum, ut lapilli ejus: non exſcinderetur, neque profligaretur nomen ejus à conſpectu meo.* Quibus promittitur ſemen innumerabile & æternum nomen habens. Eſ. 48: 19. *At dixit Sion, deſeruit me Jehovah, & Dominus mei oblitus eſt.* Habuit Eccleſia Novi Teſtam. poſt initia ſua ſpeciem derelictæ, propter paucitatem credentium ex Judæis, Eſai. 53: 1. Hanc Deus ita conſolatur: *An oblivisceretur mulier parvuli ſui, ne miſereat illam filii ventris ſui? Etiam hæ obliviſcuntur*,

tur,

tur, at ego non obliviſcar tui. Ut regnum in te inchoatum per filios tuos non perpetuetur uſque in ſæculum. *Feſtinarunt filii tui.* ex quibus minimè putabas, celeriter nati. *Attolle circumquaque oculos tuos & vide; omnes illi congregati ſunt, venerunt tibi, vivo ego, dicit Jehovah: Omnes illos tanquam ornamentum indues, & alligabis, tanquam ſponſa.* Eſ. 49: 14. 15. 17. 18. *Videbit ſemen, quod prolongabit dies; & beneplacitum Jehovæ in manu ejus proſperabitur.* Chriſtus habebit filios facientes voluntatem Dei, & labor eorum in Domino non erit fruſtra. Eſ. 53: 10. *Canta, ſterilis, quæ non peperis; fragorem fac cantu, & hinni, quæ non doluit.* Patres, qui per fidem promiſſionis juſtificati ſunt ante legem, nomine matris hic indicantur, & quidem ſterilis, ad inſtar Saræ, quia nullus ex filiis ipſorum fuit ſimilis ipſorum durante Veteri Teſtamento. Hæc mater nunc jubetur cantare. Ratio: *Nam multi ſunt filii deſolatæ præ filiis maritatæ. Deſolatam* vocat eandem matrem, quia nunquam habuerunt hi patres faciem populi, nec maritos habuerunt in terrâ, h. e. principes, legi latores, nuncupatos Deos, ut *Maritata*, quæ accepit Vetus Teſtamentum ſub monte Sinai, & cathedram principum, qui Dii dicti ſunt. *Dilata locum tentorii tui, & cortinas tabernaculorum tuorum extendant, ne parcas, prolonga funes tuos, & paxillos firma.* Animo complectere totum mundum convertendum, & verba veritatis inculca, & fidis teſtibus commenda, ut nomen & verbum Chriſti radices in mundo agat. *Nam ad dexteram & lævam erumpes. & ſemen tuum gentes hæreditabunt; & civitates deſolatas faciens habitari. Ne metuas, quia non pudefies: & ne confundaris, quia non confunderis; ſed pudorem adoleſcentiæ obliviſceris, & probrum viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* illam nempe ſpeciem ſolitudinis & infœcunditatis, quam Eccleſia primis temporibus habuit. *Nam qui crearunt te, habent te in matrimonio: Jehovah Deus exercituum nomen ejus eſt: & vindex tuus ſanctus Iſraëlis, Deus totius terræ vocabitur. Nam ut uxorem deſertam, & cruciatam ſpiritu vocavit te Jehovah, & uxorem juventutis, cùm ſpreta fueris: dixit Deus tuus.* Conveniens igitur eſt, ut pro priſtinâ derelictione accipiat magnam conſolationem. Eſ. 54: 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Et ne dicat Eunuchus, ecce ego arbor arida. Nam ſic ait Jehovah Eunuchis, qui ſervant ſabbata mea, & elegerunt id, quo ego delector, & retinent fœdus meum. Dabo ipſis in domo meâ & in muris meis manum* ſive *ſpacium, & nomen melius nomine filiorum & filiarum. Nomen æternum dabo ipſis, quod non exſcindetur.* Significat, eos, qui in populo veteri nullo erant loco, ſublato diſcrimine gentium & perſonarum, poſſe in populo Novi Teſtamenti eſſe ſummo loco, & habere nomen & filios, etſi naturâ ſteriles ſint, & filios habere naturalibus filiis digniores; quippe filios Dei. Eſ. 56: 3. 4. 5. *Ad prædicandum annum acceptationis Domino, & diem ultionis Deo noſtro; ad conſolandum lugentes.* ſuper jacturis Iſraëlis, & imminutâ gloriâ Dei. Conſolatio hæc fit per incrementum regni Dei. Eſ. 61: 2. *Nam tu es pater noſter.. Tu Jehovah pater noſter es.* Eſ. 63: 16. *An ego faciam parere, & non gignam, dicit Jehovah? Num quid ego ſum is, qui gignit, & continebo me,* quo minus pariam, *dixit Deus tuus.* Eſ. 66: 9. *Sed hoc fœdus meum, quod pangam domui Iſraël poſt dies illos, ait Jehovah: Do legem meam in medium ipſorum, & ſuper corde eorum ſcribam eam.* non amplius, ut olim, ſuper tabulis lapideis ſcilicet, ita ut plerique ſint infideles & refractarii, ſed ita ut plurimi Deo credant, & lex Dei non ampliùs ut litera tantùm, ſed ut ductus Spiritus conſideretur. Jerem. 31: 33. *Et dabo ipſis cor unum, & viam unam ad timendum me omnibus diebus in bonum ipſis & filiis ipſorum poſt ipſos. Et paciſcar ipſis fœdus æternum, quod non averſurus ſim me ab ipſis, ut benefaciam ipſis: & timorem mei dabo in cor ipſorum, & non recedent à me.* Jerem. 32: 39. 40. *Quemadmodum non numerabitur exerci-*

tus cœlorum, & non menſurabitur ſabulum maris; ſic multiplicabo ſemen Davidis ſervi mei, i. e. Chriſtianos, *& Levitas miniſtrantes mihi.* h. e. colentes me, qui jus habent accedendi ad me, & præparantes oblationem fratrum ſuorum, ut ſit ſanctificata in Spiritu Sancto. Jerem. 33: 19. *Et ſpecies animalium; aſpectus eorum erat, ut prunarum ignis, ardentium, ut aſpectus flammarum. Hoc ambulabat inter animalia; & ſplendor erat igni.* Hic ignis eſt ſpiritus habitans in Eccleſiâ, eamque faciens & ardere charitate ac zelo, & lucere verbo veritatis, & actione virtutis, & patientiâ afflictionis. Ezech. 1: 13. *Et animalia currebant & revertebantur inſtar ſcintillæ.* Significatur vis Eccleſiæ & motus perpetuus in mundo ſe effundere conantis, & ſi ei reſiſtatur, eo violentiùs βιαζομένης, & omnia proruentis obſtacula, inſtar ſcintillæ per ſtramen combuſtum aut fomitem incenſum diſcurſitantis. Ezech. 1: 14. *Et exſtitit vox ſupra expanſum, quod erat ſupra caput animalium.* Vox nempe Chriſti de cœlo ſonans in cordibus hominum, ut Eccleſiæ detur locus ad ſubſiſtendum. Notatur efficacia Spiritus Sancti comitantis prædicationem Evangelii. Ezech. 1: 25. *Et dabo illis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum, & auferam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo ipſis cor carneum.* Hoc κατ' ἐξοχὴν impletum eſt per dationem fidei in Chriſtum. *Ut in ſtatutis meis ambulent, & judicia mea obſervent, & ea faciant, & erunt mihi in populum, & ego ero ipſis in Deum.* h. e. beneficium ſanctificationis in ipſis conſummabo. Ezech. 11: 19. 20. *Et ſanctificabor in vobis coram oculis gentium.* Ezech. 20: 41. *Cùm ſanctificabor in vobis coram oculis veſtris. Perditam quæram*, non curatis à paſtoribus me exhibebo, *& depulſam reducam*, averſos à viâ bonâ reducam in viam peccatores ſalvabo, *& fractam obligabo*, contritos corde & lugentes conſolabor, *& ægram confirmabo.* Languentes propter defectum cibi recreatis animam refocillabo per verbum vitæ. Ez. 34: 16. Ez. 36:23. Sanctificavit ſe Deus in populo, quando populum ſanctum ex medio illius ſeparavit, & in illo per ſinceram illius ad Deum converſionem demonſtravit, ſe Deum ſanctum eſſe. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas*, puriſſimam obedientiam Chriſti vobis imputabo, *& purificabimini ab omnibus fœditatibus veſtris*, remittetur vobis reatus communis, omnibus incumbens, ut is ampliùs accuſari non poſſit, *& ab omnibus ſtercoribus veſtris*, i. e. propriis de juſtitiâ conſiliis, *purificabo vos.* Ezech. 36: 25. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in medio veſtri: & auferam cor illud lapideum ex carne veſtrâ, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum dabo in medio veſtri, & faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Ezech. 36: 26. 27. *Et eritis mihi populus, & ego ſiam vobis Deus.* Quibus verbis redemptio ac ſanctificatio, quanquam non ſola, ſignificatur quoque. Ezech. 36: 28. *Et ſalvabo vos ab omnibus fœditatibus veſtris*, id etiam licet intelligere de beneficio ſanctificationis, *& vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non dabo ſuper vos venire famem.* Significatur, fideles habituros copiam fratrum ex gentibus. Ezech. 36: 29. *Et non pollaent ſe ampliùs ſtercoribus ſuis & abominationibus & omnibus defectionibus, & ſalvabo eos ex omnibus ſedibus ſuis, in quibus peccarunt, & purificabo eos, & fient mihi populus, & ego ero ipſis Deus. Et ſervus meus David rex ſuper ipſis, & paſtor unus erit omnibus, & in judiciis meis ibunt, & ſtatuta mea obſervabunt, & facient ea.* Ez. 37: 23. 24. *Et dabo ipſos*, Chriſto petenti hæreditatem, *& multiplicabo eos, & dabo ſanctuarium meum in medio eorum in ſæculum.* Ezech. 37: 26. *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populo tuo, & ſuper urbe ſanctâ tuâ, ad coercendum defectionem* illius populi, qui populi Dei appellationem, & legem carnalem, ob cujus externam obſervationem populus vocabatur, à Deo habebat, etiamſi magnâ ex parte

defector

defector eſſet, & Chriſtum, qualis promiſſus erat, & regnum cœlorum, non confiteretur, vel etiam abnegaret; ut ita in poſterum neque hic populus, neque ullus alius in Novo Teſtamento ei ſimilis, hoc nomine dignus habeatur, ſed ii tantùm, qui regem Chriſtum & fœdus Dei ſe agnoſcere profitentur, qui eo ipſo, quo illi dicuntur coërcendi, magno numero adducendi ſignificantur; *& ad conſummandum* (ſecundùm literas, *ad obſignandum*) *peccata.* ut incipiant gentes, hactenus à Deo derelictæ, & nil niſi ἁμαρτωλοὶ, converti ad Deum. Dan. 9: 24. *Et erit numerus filiorum Iſraël ut arenæ maris, quæ non poteſt menſurari neque numerari; Et fiet loco ejus, quòd dicebatur ipſis. Non-populus meus eſtis vos, dicetur illis, Filii Dei vivi.* Hoſ. 2: 1. *Et erit poſt illa, effundam ſpiritum meum in omnem carnem.* Jo. 3: verſ. 1. *Et effundam in domum Davidis & habitantem Hieroſolymis Spiritum gratiæ & precum.* Zach. 12: 10.

§. 115. Septimò Factum, abolito peccato, ut animi fidelium abſolverentur à conſcientiâ peccati adhuc exſtantis, & dolore ac triſtitiâ, quæ inde poterat ſuboriri; ſubintrante in locum conſcientiæ hujus malæ ſive contriſtantis, conſcientiâ peccati, ut jam deleti, & conſolatione ac lætitiâ ei conveniente. De his conjunctim ſic prophetat Eſaias: *Heus omnis ſitiens, venite ad aquas; etiam cui non eſt argentum, venite & edite, & venite, emite ſine argento & ſine pretio vinum & lac.* i. e. Judicate & credite, vos in Chriſto adeptos eſſe ſublationem doloris malæ conſcientiæ, & cauſam lætitiæ in ſpe cum omni exultatione. Eſai. 55: 1. Itemque Ezechiel: *Et dabo vobis cor novum,* quæ eſt prima hominis novitas, per quam homo convertitur ad Deum; *& ſpiritum novum dabo in medio veſtri.* quæ ſecunda novitas eſt, conſiſtitque in ablatione triſtitiæ & malæ conſcientiæ ſive formidantis, & datione lætitiæ. Ezech. 36: 26. & 11: 19. Et Zacharias, cap. 12: 10. *Et effundam in domum Davidis Spiritum gratiæ.* qui in fidelibus operetur lætitiam & gratiarum actionem meram, ſine trepidatione, in Chriſto. Quibus de lætitiâ addantur ſequentia. *Sed lætentur omnes, qui ſe recipiunt ad te .... & exſultent in te diligentes nomen tuum.* Pſalm. 5: 12. *Celebrent Jehovam, qui quærunt eum: vivat cor veſtrum in perpetuum.* Pſal. 22: 27. *Nam tecum eſt fons vitæ: Te lucente videmus lucem.* Tu affulges animabus noſtris, & nos ſentimus pacem, juſtitiam, & gaudium, initia vitæ æternæ. Pſalm. 36: 10. *Canite Deo, pſallite nomen ejus,* cum lætitiâ illud prædicate, *& exultate coram ipſo,* quantùm poteſtis, deponite omnem luctum & triſtitiam, abjicite malam conſcientiam, exuite pavorem & formidinem. Pſal. 68: 5. *Pluviam liberalem agitas ô Deus.* ſpiritum tuum largiter effundis, qui eſt ſpiritus lætitiæ. *Hæreditatem tuam, etiam defeſſam, tu reficis illam.* Pſalm. 68: 10. *Viderunt manſueti* opus Dei in Chriſto, *lætentur; curantes Deum, & vivat cor veſtrum.* adverſus omnem triſtitiam confirmamini, & eſtote bono animo. Pſalm. 69: 33. *Benefac plenè ſervo tuo, vivam* vitâ æternâ, quâ amem te in lætitiâ, *& cuſtodiam verbum tuum.* Pſalm. 119: 17. *Anima mea eſt agglutinata pulveri, vivifica me ſecundùm verbum tuum.* Pſalm. 119: 25. *Hæc eſt conſolatio mea in debilitate meâ, quòd dictum tuum vivificavit me.* Pſalm. 119: 50. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ, & amantes te jubilent.* Pſal. 132: 9. *Sacerdotes ejus induam ſalute, pii ejus jubilando jubilabunt.* Ibid. verſ. 16. *Lætetur Iſraël in factore ſuo: Filii Sionis gaudeant in rege ſuo.* Pſal. 149: 2. *Lætantur coram te, velut lætitiâ in meſſe, quemadmodum gaudebant, quum dividerent ſpolia.* Eſai. 9: 2. *Ad amplificationem principatus.* ut Deo præſtetur obedientia major, cum majori ſcil. lætitiâ, quàm olim. Eſai. 9: 6. *Et addent manſueti in Domino lætitiam, & egeni hominum in ſancto Iſraëlis gaudebunt.* Eſai. 29: 19. *Nunc autem*

me miſit, & Spiritum ſuum. Eſai. 48: 16. *Fragorem facite, cantate pariter, deſolata Hieroſolymæ, quia conſolatus eſt Jehovah populum ſuum, vindicavit Hieroſolymam.* Eſai. 52: 9 *Inclinate aurem veſtram & venite ad me: audite & vivet anima veſtra.* compos erit veræ lucis, & veræ lætitiæ. Eſai. 55: 3. *Introducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meâ.* Eſai. 56: 7. *Miſit me ad conſolandum omnes lugentes, . . ad ponendum lugentibus Sionis, ad dandum ipſis ornamentum,* cœlitùs demiſſa chariſmata, *oleum* i. e. ſpiritum *hilaritatis, operimentum gloriationis pro ſpiritu hebeti.* Eſ. 61: 2. 3. *Et aſpiciemus lætitiam veſtram.* Eſai. 66: 5. *Lætamini cum Hieroſolymâ & gaudete propter illam, omnes diligentes illam: hilareſcite cum ipſâ hilaritate omnes, qui lugetis propter illam. Ut ſugatis & ſatiemini ex ubere conſolationum ejus.* Eſai. 66: 10. 11. *Et non timebunt & non conſternabuntur.* Jer. 23: 4. *Et tu, ne timeas, ſerve mi Jacob, ait Jehovah, & ne conſterneris, Iſraël.* Jer. 30: 10. *Et erit in nomen hilaritatis.* Jer. 33: 9.

§. 116. Octavò Factum, ut, gratioſum judicium Dei, quod habebantur ii, qui dati erant Chriſto, ac ſi peccatum nullum commiſiſſent, quanquam ſic abſolutè & in ſe ſpectatum vera remiſſio peccatorum eſſet, quatenus tamen, antequam ſatisfactio pro peccato præſtita eſſet, reſpectu peccati ſic adhuc exſtantis & nondum expiati, quodque poterat imputari, & reverâ, per legem etiam ſanctis, imputatum, hoc eſt commemoratum atque exprobratum eſt, non tàm Ἄφεσις, Remiſſio, quàm Πάρεσις, Transmiſſio, præteritio, diſſimulatio, non-punitio, non-imputatio peccatorum erat; Factum, inquam, abolito peccato, & reſignato jure illud imputandi, ut non tantùm ſimpliciter & abſolutè, verum etiam comparatè & peccati reſpectu non ampliùs exſtantis, & ſic plenè, & omni modo, nil niſi Ἄφεσις, Remiſſio, peccatorum eſſet. Hic gradus Remiſſionis peccatorum, quatenus hæc Remiſſio in futurum promittitur, Subintelligitur in hiſce: *Beatus, cujus defectio ablata eſt; cujus peccatum tectum eſt. Beatus homo, cui Jehovah non imputat pravitatem.* Pſalm. 32: 1. 2. *Purificabis me hyſſopo, & purus ero.* ab omni peccato. Pſalm. 50: 9. *Defectiones noſtræ: Tu illas expias.* pretio ordinato, acceptato, atque imputato, eas remittis. Pſalm. 65: 4. *Condonâſti pravitatem populi tui, texiſti omnia peccata ipſorum.* Pſalm. 85: 3. *Qui condonat omnem pravitatem tuam.* Pſalm. 103: 3. *Agite, diſceptemus unà, dicit Jehovah: Si fuerint peccata veſtra inſtar dibaphi, ut nix dealbabuntur: Si rubuerint inſtar coccini, ut lana fient.* Ubi puritas, tanquam lanæ non infectæ, ſignificat remiſſionem peccatorum, candor tanquam nivis, donationem juſtitiæ. Eſai. 1: 18. *Convertatur* improbus *ad Jehovam; & miſerebitur ipſius; & ad Deum noſtrum, quia multiplicabit condonare* ſive *multùm condonabit.* Eſai. 55: 9. *Nam condonabo pravitatem eorum, & ipſum peccatum eorum* reatum contractum ipſâ nativitate, & ſtatum impurum, in quo homo eſt ante regenerationem, *non recordabor ampliùs.* Jerem. 31: 34. *Et purificabo* i. e. expiabo *eos ab omni pravitate, quâ peccarunt mihi, & condonabo omnes pravitates ipſorum, quibus peccarunt mihi, & quibus defecerunt à me.* Jerem. 33: 8. *In diebus illis & in tempore illo, ait Jehovah, quæretur pravitas Iſraëlis, & non erit, & peccata Judæ, & non invenientur; quia condonabo ei, quem reliquum faciam.* Jerem. 50: 20. *Finita eſt pravitas tua, filia Sion.* Thren. 4: 20. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas, & purificabimini ab omnibus fœditatibus veſtris, & ab omnibus ſtercoribus veſtris purificabo vos.* h. e. non imputabuntur, condonabuntur vobis veſtra peccata. Ezech. 36: 25. *Eo die erit fons apertus domui Davidis & habitanti Hieroſolymam pro peccato & pro menſtruo.* Sanguis Chriſti, cujus aſperſione fit ablutio à peccato, & à menſtruo. Zach. 13: 1.

§. 117. Nonò

§. 117. Nonò Factum, ut quatenus, peccato adhuc exſtante, & juſtitiâ, per quam ſanctificatur Deus juſtificans peccatorem, nondum adductâ, fideles, quanquam aliàs vi perfectiſſimæ obedientiæ Chriſti ſuo tempore præſtandæ, & jam olim imputatæ, jus haberent petendi atque exſpectandi à Deo omnia ad ſalutem neceſſaria, non poterant tamen, nec audebant, tam propè accedere ad Deum, ut ab eo peterent aliquid fiduciâ hujus obedientiæ & ſacrificii, ut jam peracti; Jamnunc hâc quoque parte aperto cœlo, & viâ ad thronum gratiæ patefactâ, ad id jure audendum ac faciendum acciperent plenam poteſtatem: Et ſic ratione hujus quoque juris ac poteſtatis Juſtificati, plenè ac perfectè, fierent filii Dei, reges, ac ſacerdotes, & cœleſtia cum terreſtribus conſummarentur. Cum hoc gradu & complemento juſtitiæ intelligenda ſunt ea omnia loca, quæ Juſtitiam, ut bonum Novi Teſtamenti, promittunt aut celebrant; quorum locorum hoc ſpecimen eſto: *Deus juſtitiæ noſter.* Pſalm. 4: 2. *Qui accipit benedictionem à Jehovah, & juſtitiam à Dio ſalutis ſuo.* Pſalm. 24: 5. *Juſtitia tua*, quam nobis donas, *ut montes Dei.* Pſ. 30: verſ. 7. *Evangelizavi juſtitiam in cœtu magno.* Pſalm. 40: 10. *Auguſta ſtat ad dexteram tuam, in optimo auro.* induta ſcil. juſtitiâ & Spiritu tuo. Pſalm. 45: verſ. 10. *Ut concupiſcat rex pulchritudinem tuam.* i. e. juſtitiam, quam tibi dat, quamque accipis per fidem. Ibid. verſ. 12. *Et indicarunt cœli juſtitiam ejus.* Pſalm. 50: verſ. 6. *Deus, judicia tua Regi da, & juſtitiam tuam Filio regis.* Pſalm. 72: 1. *Judicabit populum tuum in juſtitiâ, & inopes tuos in judicio.* Pſalm. 72: 2. *Ferent montes pacem populo, & colles in juſtitiâ.* Ibid. verſ. 3. *Opes & divitiæ ſunt in domo ejus, etiam juſtitia ipſius ſtat in æternum.* Pſal. 112: 5. *Præcepiſti juſtitiam teſtimoniorum tuorum, & fidem valde.* Pſalm. 119: 138. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ.* Pſalm. 132: 9. *In veritate tuâ reſponde mihi in juſtitiâ tuâ, & ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur coram te omnis vivens.* Pſalm. 143: 1. 2. *Poſt illa appellaberis urbs juſtitiæ.* Eſai. 1: 26. *Sion cum judicio redimetur, & reſipiſcentes ejus in juſtitiâ.* Ib. verſ. 27. *Prædicate juſtum, quod bonus beatusque eſt.* Eſai. 3: 10. *Aperite portas & intret gens juſta, ſervans fidem.* Eſai. 26: 2. *Cum judicia tua in terram eſſent, juſtitiam didicerunt habitantes frugiferam.* Eſai. 26: 9. *Ecce Dominus Jehovah cum fortitudine veniet, & merces ipſius penes ipſum eſt, & operæ pretium ejus coram ipſo.* Donum juſtitiæ ſcilicet. Eſai. 40: 10. *Ego Jehovah vocavi te cum juſtitiâ.* Eſai. 42: 6. *Stillate cœli supernè, & nubes manent juſtitiâ.* Eſai. 45: 8. *Ego Jehovah loquor juſtitiam, indico rectitudines.* Eſai. 45: 20. *Tantum in J:hovah (de me dixit) juſtitia & robur, ad illum accedet quivis.* Eſai. 45: 24. *Extitiſſet tanquam fluvius pax tua, & juſtitia tua, ut fluctus maris.* Eſai. 48: 18. *Quia conſolatus eſt Jehovah populum ſuum.* quæ conſolatio eſt plena juſtificatio. Eſai. 52: 9. *In agnitione ſui juſtitiam parabit juſtus ſervus meus multis.* Eſai. 53: 11. *In juſtitiâ confirmaberis.* vel *confirmator.* Eſ. 54: 14. *Omne inſtrumentum, quod formabitur contra te non proſperabitur, & omnem linguam, quæ ſurget tecum in judicium, condemnabis. Hæc eſt hæreditas ſervorum Jehovæ, & juſtitia sllorum à me, ait Jehovah.* Eſai 54: 17. *Et comedite bonum.* credite, quòd in Deo per Chriſtum ſit vobis parata juſtitia & vita. Eſai. 55: 2. *Sic dixit Jehovah: Servate judicium & facite juſtitiam: nam propinqua eſt ſalus mea ue veniat, & juſtitia mea ut reveletur.* Eſai. 56: 1. *Et appellabuntur quercus juſtitiæ.* Eſ. 61: 3. *Propter Sionem non ſilebo, & propter Hieroſolymam nou quieſcam, donec exeat tanquam ſplendor juſtitia ejus.* Eſai. 62: 1. *Et videbunt gentes juſtitiam tuam.* Eſai. 62: 2. *Et hoc nomen Iſraëlis, quo vocabit eum* unusquiſque, *Jehovah juſtitia noſtra.* Jer. 23: 6. 33: 16. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas.* Juſtitiam Chriſti, vobis imputabo.

Ezech. 36: 25. *Ad adducendum juſtitiam ſæculorum.* i. e. obedientiam, quæ dat jus ad petendum vitam æternam. Dan. 9: 24. *Et deſponſabo te mihi in ſæculum, & deſponſabo te mihi in juſtitiâ, & in judicio, & in gratiâ & miſericordiâ. Et deſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Jehovam.* Hoſ. 2: 21. 22. *Juſtus in fide illius* (teſtis veracis) *vivet.* Hab. 2: 4.

In ſpecie autem de eâ parte juſtitiæ, quâ fideles jus habent quàmproximè accedendi ad Deum, & fiduciâ ſatisfactionis Chriſti, ut jam præſtitæ, petendi omnia ſalutaria, ſeſeque gerendi pro filiis Dei, regibus, & Sacerdotibus in regno Dei, quatenùs hâc parte juſtitiæ juſtificatio noſtra perficitur, & cœleſtia cum terreſtribus conſummantur; agitur in his locis: *Filii ejus labes ipſorum.* Deuter 32: 5. *Ob ægritudinem filiorum meorum.* Ibid. verſ. 19. *Ego ero ipſi in Patrem & ipſe erit mihi in Filium.* quo non tantùm compellatio capitis ut filii proprii & unigeniti, ſed & membrorum in filios receptio propter ipſum indigitatur. 2 Sam. 7: 14. *Gloriâ & honore coronas eum.* filium hominis, Chriſtum, & in eo fideles, quatenus fiunt in eo filii Dei, reges, & Sacerdotes. Pſalm. 8: verſ. 6. *Lavo in innocentiâ palmas meas; & circa altare tuum verſor.* Per Chriſtum, altare tuum, per quem habeo *προσαγωγήν*, preces meas & omnem cultum tibi offero. Pſalm. 26: 6. *Auguſta*, Eccleſia electorum, ex omnibus gentibus, *ſtat ad dexteram tuam*, tecum evecta in cœlum, & honoris ac coronæ tuæ particeps, *in optimo auro.* induta juſtitiâ tuâ. Pſal. 45: 10. *Eliget nobis hæreditatem noſtram*, nempe *elationem Jacobi*, Chriſtum, & omnia quæ ſunt Chriſti, & à Chriſto donanda, *quam diligit.* Pſalm. 47: 5. *O auditor precum, ad te omnis caro accedent.* Pſalm. 65: 3. *Beatus, quem eligis, & facis propè accedere, ut habitet atria tua!* Ibid. verſ. 5. *Cœli! in eis conſtabilies veritatem tuam.* fidelibus aperto cœlo, & conceſſo jure illud adeundi. Pſalm. 89: 3. *Juſti, plantati ſunt in domo Dei.* i. e. in cœlo, & penetralibus Dei radices agunt, quibus per fidem inſerti ſunt, *πολιτεύματι* ipſorum exiſtente in cœlo. Pſalm. 92: verſ. 14. *Veniat ſupplicatio mea coram te.* Coram Deo ſupplicat, qui accedit ad Deum, eique appropinquat ut Sacerdos. Pſalm. 119: 170. *Evenit, ut ſtarent pedes noſtri in portis tuis, Hieroſolyma.* Pſalm. 122: 2. *Qui confidunt Jehovæ, ſunt ut mons Sion.* communionem habent cum iis, qui quondam ad montem Sionem acceſſerunt, quatenus pari juſtitiâ & libertate gaudent. Pſalm. 125: 1. *Et extulit cornu populo ſuo (gloriationem omnibus piis ſuis) filiis Iſraël populo propinquo ſuo.* i. e. ei populo, qui jus accedendi habet ad Deum, ut Sacerdos. Pſalm. 148: 14. *Celebrate Deum omnipotentem in ſancto ſuo.* i. e. cœlo, quod aperuit ſanctis ſervis ſuis, ut ibi eum quærant, & ambulent ut decet eos, qui ad ſanctuarium cœleſte admiſſi ſunt. Pſal. 50: 1. *Introduxit me Rex in penetralia ſua.* in cœlum, propè ad Deum me adduxit, unum fecit ea, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris. Cant. 1: 4. *Venite, diſceptemus unà, ait Jehovah.* Eſt verbum Dei, quo conceditur *παῤῥησία* accedendi ad Deum, & cum ipſo diſceptandi in bonâ conſcientiâ. Eſai. 1: 18. *Vidi Dominum ſedentem in throno celſo, & fimbriæ ejus implebant templum.* Significatur *ἀνακεφαλαίωσις* tùm cœleſtium, tùm terreſtrium, rupto velo carnis Chriſti. Eſai. 6: 1. *Congregamini, & venite, accedite unà, effugientes gentium.* Dicuntur gentes *venire*, propter communionem cum Iſraële; *accedere*, nempe ad Deum, propter libertatem & juſtitiam. Eſ. 45: verſ. 20. *Et ne dicat peregrinus, qui agglutinatur Jehovæ.* ut Sacerdos ad miniſtrandum ipſi, & cum fiduciâ propè ad illum accedit. Eſai. 56: 3. *Dabo ipſis*, Eunuchis ſervantibus Sabbata mea, *in domo meâ & in muris meis manum* ſ. *ſpacium, & nomen melius nomine filiorum & filiarum.* habebunt filios naturalibus filiis meliores. quippe

filios

filios Dei. Eſai. 65: 5. *Ad ponendum lugentibus Sionis operimentum gloriationis pro ſpiritu hebeti.* pro animo demiſſo, non audente accedere ad Deum. Eſai. 61: 3. *Et vos ſacerdotes Jehovæ vocabimini, miniſtri Dei noſtri dicetur vobis.* Eſ. 61: 6. *Atque etiam ex illis capiam ſacerdotes & Levitas, dixit Jehovah.* Eſai. 66: 21. *Et ego dixeram: Quomodo,* quàm illuſtri in loco, *ponam te in filiis!* præditis ſpiritu adoptionis.... *Et dicebam: Pater mi, nominès me.* Abjice illa, quæ ſunt ſervitutis, & aſſume perfectionem & libertatem filiorum Dei. *& à me ſequendo ne avertaris.* Jer. 3: verſ. 19. *Et ſacerdotibus Levitis non abſcindetur vir à conſpectu meo, qui offerat holocauſtum, & adoleat munus, & faciat ſacrificium omnibus diebus.* Sacerdotes, induti juſtitiâ & ſalute, mihi ſervient in ſpiritu & veritate. Jerem. 33: 18. *Et pedes illorum, pes rectus.* Notatur erectio fiduciæ. Ezech. 1: 7. *Et alæ illorum, quatuor illis erant.* Alæ notant vim ſe elevantem. Ezech. 1: 8. *Juncta una alteri alæ illorum.* Alarum binæ junctæ ſupernè, tanquam volantium, & ſurſum tendentium. Ibid. verſ. 9. *Et vultus illorum & alæ illorum erant paſſæ ſurſum.* verſus thronum. Ibid. verſ. 11. *Et ſpecies ſupra capita animalis, expanſum tanquam glaciei magna, extenſum ſupra capita ſupernè.* Per expanſum, ſ. cœlum, intelligit ſpiritus juſtorum conſummatorum. *Et ſub expanſo alæ eorum rectæ una ad alteram.* Alæ arrectæ ad hoc cœlum ſignificant Eccleſiæ militantis, aſpirationem & affectum ad ſuperna. Ezech. 1: 22. 23. & cap. 10: 19. & verſ. 20. 21. 22. *Et ad ungendum Sanctum ſanctorum:* i. e. ad effundendum Spiritum in Eccleſiam, quæ quatenus utitur libertate filiorum in Chriſto, & nullo velo prohibetur ad Deum accedere prope, inſtar habet atque implementum Sancti ſanctorum, quod fuit olim in templo, quodque non licebat niſi ſemel quotannis intrare Sacerdoti ſummo. Dan. 9: 24. *Et fiet, loco ejus, quod dicebatur ipſis, Non-populus meus eſtis vos, dicetur illis, Filii Dei vivi.* ita ut in Chriſto habeant acceſſum ad Deum, & communionem cum beatis in juſtitiâ & libertate, & jus compellandi Deum, ut patrem, ab eoque exſpectandi vitam æternam Hoſ. 2: 1. *Et vocabitur Hieroſolyma Urbs illa veritatis, & mons Jehovæ Dei exercituum Mons ille ſanctitatis.* inprimis effuſo Spiritu S. ad ungendum ſanctum ſanctorum. Zach. 8: 3. *Illo die erit in tintinnabulis equorum* titulus, qui olim erat in fronte ſummi ſacerdotis, *Sanctum Domino.* Ut, quemadmodum olim hâc inſcriptione ſignificabatur, ſoli Sacerdoti ſummo eſſe datum accedere ad Deum, ita omnibus, etiam equis, hoc eſt iis, quibus alii ut rectores inſederant, fit liber acceſſus ad Deum in Chriſto. Zach. 14: 20. Hinc *civitas Dei nova Jeruſalem* dicitur *deſcendere de cœlo à Deo,* pomœriis ſcil. juſtitiæ, libertatis & lætitiæ in terram porrectis. Apoc. 3: 12. & 21: 2. *Et vidit Johannes, & ecce aperiebatur templum tabernaculi teſtimonii in cœlo.* i. e. rupto velo carnis Chriſti, apertum eſt ſanctum ſanctorum & cœlum beatorum, & via eſt initiata iis, qui ſunt in terrâ, ad illud adeundum. Apoc. 15: verſ. 5.

§. 118. Decimò Factum, quoniam, peccato jam abſterſo, & exſtinctâ maledictione ac reatu, non poteſt ampliùs peccatum commemorari aut probari, ut Lex, per quam id fiebat, & omnis poteſtas ei inſerviens, ut jam inutilis, atque ita omnis ſervitus, ſub quâ fideles Vet. Teſtamenti per omnem vitam cum ærumnabili tùm animi tùm corporis labore, defatigatione, ac dolore, ſine ullo refrigerio, quiete, pace, tranquillitate conſcientiæ, æſtuabant, ſervitus, inquam, elementorum hujus mundi, ſervitus Angelorum & Hominum, Deorum nuncupatitiorum, abrogaretur, tranſlatis fidelibus ad legem regiam libertatis, & regno Hominum atque Angelorum mutato in regnum ſolius Dei. De his omnibus ita agitur in Prophetiâ:

Et

Et primo quidem de peccato non ampliùs commemorando atque exprobrando: *Verba pravitatum*, eas commemorantia ſcilicet, *ſuperabant me. Defectiones noſtræ: Tu illas expias.* Pſal. 65: 4. *Deus, reduc nos*, converte nos, *& lucere fac faciem tuam*, id eſt, te placatum, & non memorem peccatorum noſtrorum velis oſtendere, oblatione ſacrificii pro peccato peractâ: *Et ſalvabimur.* Pſal. 80: 4. 8. 20. *Qui condonat omnem pravitatem tuam* tollendo accuſationem & commemorationem peccati, ut in reatu fideles retinentis, necdum oblato digno ſacrificio. quæ condonatio eſt propria Novi Teſtamenti. Pſal. 103: 3. *Quemadmodum juravi, non tranſituras aquas Noachi terram, ſic juravi, ne efferveſcam in te & increpem te.* iteratâ increpatione, ſive accuſatione peccati. Eſai. 54: 8. *In diebus illis & in tempore illo, ait Jehovah, quæretur pravitas Iſraëlis, & non erit, & peccata Judæ, & non invenientur; quia condonabo ei, quem reliquum faciam.* Jer. 50: 20. *Finita eſt pravitas tua, filia Sion.* Thren. 4: 22.

§. 119. De libertate ab accuſatione legis, & à ſervitute elementorum mundi, hæc occurrunt notatu digna: *Et circumcidet Jehovah Deus cor tuum & cor ſeminis tui ad diligendum Jehovam Deum tuum.* Nam conſcientia reâtus nondum expiati, quæ fuit in fidelibus Veteris Teſtamenti, & neceſſitas proferendi chirographum, & ſe accuſandi, fuit aliquid carnale, & tanquam præputium aliquod. A quo circumciduntur corda per libertatem à ſervitute legis. Deut. 30: 6. *Jehovæ* ſcil. ſoli Deo vivo *ſervite.* Et vos à ſervitute elementorum mundi & exſecrationis abſolvite, ut tanquam mancipati juſtitiæ agatis in fiduciâ filiali. Pſal. 2: 11. *Extrahebat me ab aquis multis.* nimirùm à poteſtate Satanæ, peccati, & mortis, maledictione & irâ Dei, & ſervitute cerimoniarum legis ſine pacatione conſcientiæ. Pſal. 18: 17. *Servâſti nos ab hoſtibus noſtris.* expuncto reatu, & ſublatâ accuſatione legis. Pſal. 44: 8. *Nam ipſe eſt Dominus tuus.* qui te redemit à ſervitute Diaboli, tùm à ſervitute legis, adeoque te fecit ſuum. Pſal. 45: 12. *Aſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem.* i. e. innexos vinculis maledictionis, & ſic deditos hoſti, liberâſti. Pſ. 68: 19. *Ferent montes pacem populo, & colles, cum juſtitiâ.* Pacem ſcil. cum Deo, ne ſit amplius ulla accuſatio peccati, vel ira. Pſal. 72: 3. *Clangite in novilunio*, in tempore hoc lætitiæ per novilunii feſtum quondam adumbrato, *buccinâ*, ſigno libertatis, adhiberi ſolito in die Kippurim anni Jubilæi; Lev. 25: 9. Pſal 81: 4. *Gratia tua magna eſt circa me, & eripuiſti animam meam ex orco infimo.* i. e. ex reatu, & dominatu atque accuſatione peccati, triſtitiâ, deſperatione, & morte æternâ. Pſ. 86: 13. *Nam ipſe eripiet te à laqueo Aucupis.* i. e. à poteſtate hoſtis infenſiſſimi, Diaboli, per legem nos accuſantis. Pſal. 91: 3. *Nam me dilexit*, ſive *appetivit, & faciam ipſum evadere.* Pſal. 91: 14. *Qui condonat omnem pravitatem tuam, medens omnibus morbis tuis.* etiam ægritudini à jugo legis. Pſal. 103: 3. *Dicant aſſerti Jehovæ, quos aſſeruit ex manu hoſtis.* Pſal. 107: 2. *Benefac planè ſervo tuo*, vindicando ſcil. per gratiæ effuſionem in libertatem ſerviendi non egenis elementis mundi; Diis non Diis, ſed Deo viventi: *vivam* vitâ æternâ, quâ amem te in lætitiâ, neque occuper ampliùs in elementis mundi, quæ miſeria quædam & mors erat; *& cuſtodiam verbum tuum.* non hominum, principum, vel poteſtatum hujus ſœculi, quibus ſubjectus ſum. Pſal. 119: 17. *Et veniant mihi gratiæ tuæ*, i. e. pleniſſima illa gratia, promiſſa, ſperata, exſpectata, *Jehovah*, ut virtus nominis tui appareat, quæ in nomine tuo continetur; *ſalvatio tua*, à reatu, à ſervitute peccati, à timore mortis, à ſervitute legis, *ſecundùm dictum tuum.* quod dixiſti Adamo in paradiſo, Abrahamo, & Patriarchis, & per prophetas propagaſti. Pſal. 119: 41. *Feciſti bonum*, promiſſum bo-

num, omnes ſcil. benedictiones in cœleſtibus in Chriſto, perfeciſti ac præſtitiſti, *cum ſervo tuo,* i. e. cum Eccleſiâ redemtâ ad ſerviendum non elementis mundi debilibus, ſed tibi ſoli in libertate, *ſecundùm verbum tuum.* nim. verbum promiſſionis. Pſal. 119: 65. *Latebra mea & clypeus meus es tu.* Tu me, ut Advocatus & Deprecator apud Deum pro me defendes ab omni accuſatione & condemnatione. Pſalm. 119: 114. *Vide afflictionem meam, & libera me.* Pſal. 119: 153. *Quum reſtitueret Jehovah Sionem in integrum,* i. e. Eccleſiam Deo in Sione ſervientem viſitâret, excitando ei regem, qui auferret jugum legale, cujus non ſervati effecta fuerunt multiplices miſeriæ & calamitates inflictæ populo & terræ, *eramus ut ſomniantes.* Pſalm. 126: 1. *Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ, dicat age Iſraël; Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ,* i. e. toto illo tempore, quo fui conſtitutus ſub curatoribus & tutoribus, donec ad jus filiorum, ſervitute depoſitâ, admiſſus ſum: *Etiam non prævaluerunt mihi.* Maxima liberatio Iſraëlis eſt, quum is ex ſervili conditione tranſlatus eſt in ſtatum filiorum, Pſal. 129: 12. *Sacerdotes tui,* Sionis, *induentur ſalute.* ſalvato Iſraële, à peccato & reatu, & peccati & reatus accuſatione, à condemnatione, à timore, à ſervitute. tùm enim ſacerdotes non ampliùs habent neceſſe quotidie pro peccatis offerre, quemadmodum antehac fecerant. Pſal. 132: 9. *Et ſacerdotes ejus induam juſtitiâ.* Ut non in ſervitute & metu mortis, & in accuſatione reatus, miniſtrantes peccato & condemnationi offerant, ſed cum omnibus fidelibus ad Deum accedere poſſint, in juſtitiâ & libertate. Pſal. 132: 16. *Et præpotentias* ſive *victorias tuas indicabunt.* qualis eſt inprimis victoria peccati, & mortis, itemque ejus, qui poteſtatem mortis habet, id eſt Diaboli. Pſal. 145: 4. *Væ illis, qui ponunt* amarum i. e. accuſationem & ſervitutem legis, *in dulce, & dulce,* i. e. juſtitiam, & libertatem, *in amarum.* Eſ. 5: 20. *Nam jugum bajulationis ejus ... ab ipſo conſternâſti.* i. e. Liberâſti eccleſiam tuam per regnum tuum à reatu peccati, ut necdum expiati; qui reatus ſatis per ſe validus erat ad homines oneri legis cerimonialis ſubjiciendum. Eſ. 9: 3. *Et nuncupatum eſt nomen ejus .. Deus victor .. Princeps pacis.* qui abſtulerit iram & maledictionem, & commemorationem peccati, & metum mortis, &c. Eſ. 9: 5. *Ad amplificationem principatus,* ut ipſi ſoli, non elementis mundi, iisve, qui naturâ non ſunt Dii, ſerviatur, *& pacem ſine fine* intellige pacem conſcientiæ nullâ inimicitiâ vel odio ſupervenienti reſcindendam. Eſ. 9: 6. *Reliquum convertetur, reliquum Jacobi ad Deum victorem.* peccati & mortis. Eſ. 10: 21. *Et corrumpetur jugum* illud, de quo Eſ. 9: 3. *propter oleum.* i. e. effectu & gratiâ Spiritus Sancti effuſi in omnem carnem, qui eſt Spiritus non ſervitutis, ſed libertatis filiorum. Eſ. 10: 27. *Et conſedit ſuper throno curans judicium & feſtinus juſtitiæ.* exercendæ tùm erga injuſtos, tùm erga reſipiſcentes, ab ipſis excludendo ſervitutem & accuſationem. Eſai. 16: 5. *In tempore illo offeretur munus Jehovæ Deo exercituum populus tractus & deterſus.* per donationem fidei & liberationem à ſervitute peccati & accuſatione. Eſ. 18: 7. *Omnem gemitum ejus,* etiam qui ſub legis onere fuerat, *ceſſare feci.* Liberando eccleſiam à ſervitute & maledictionis intimatione perpetuâ & accuſatione peccati. Eſ. 21: 2 *Ego Jehovah vocavi te cum juſtitiâ ... Ut acuantur oculi cœci, & ad educendum ex clauſtro vinctum.* i. e. ut illi, qui tanquam ἐν φρουρᾷ vinculis moleſtarum legum & timore mortis continebantur, liberi fiant, *& ex carcere ſedentes in tenebris.* quod ad eoſdem poteſt referri. Eſ. 42: 6. 7. *Extitiſſet utique tanquam fluvius* perennis *pax tua & juſtitia tua, ut fluctus maris.* abſorbens & degluttiens omne peccatum. Eſai. 48: 18. *Ad dicendum vinctis, τοῖς πεφρουρημένοις ὑπὸ τὸν νόμον, exite; iis, qui in tenebris ſunt,* qui latent in populo, *revelamini.* Eſ. 49: 9. *An accipietur à forti captu-*

ra, & nunquid captivitas juſti evadet? Nam ſic ait Jehovah, ſimul captivitas fortis accipietur, & captura violenti evadet. Diabolo & ſatellitibus ejus eripietur ſua captivitas, quantumvis ille & fortis ſit, & in captivandis illis per legem juſtus. Eſ. 49: 24. 25. *Et non argento aſſeremini.* à nexu legis, à reatu, ab accuſatione peccati, & conſequenter à ſervitute. Eſ. 52: 3. *Exemplaris pœna* cauſa *pacis noſtræ*, ut nos eſſemus incolumes, & maledictionis expertes, *ſuper ipſo erat.* Eſ. 53: 5. *Et Jehovah volentem enervare ipſum*, i. e. Diabolum, *infirmavit.* Eſai 53: 10. *Pauxillo fervoris,* quem operabatur lex, maximè quando coacti ſunt ſcribere chirographum adverſus ſe, & ſubjecti ſunt tutoribus, qui dominarentur in ipſos, *abſcondi faciem meam momento à te, & gratia ſæculi miſereor tui, dixit aſſertor tuus Jehovah. Nam aquæ Noachi hoc mihi: Quemadmodum juravi, non tranſituras aquas Noachi terram, ſic juravi, ne efferveſcam in te & increpem te.* Quemadmodum ſervavi juramentum de diluvio non reducendo, ita ſervabo juramentum de jugo non reducendo, de non iterandâ irâ, de non referendâ increpatione, ſive accuſatione peccati. Eſ. 54: 8. 9. *Nam montes decedent & colles nutabunt, & gratia mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit: ait miſerator tuus Jehovah.* Intelligit fœdus, quod Deus facit cum ſuis ſub Novo Teſtamento, ubi peccatorum eorum non recordatur ampliùs, & datur pax, quæ opponitur indignationi ſuperioris temporis. Eſ. 54: 10. *Inops, horrens, quæ non eſt conſolationem adepta*, i. e. Tu, quæ accepiſti Spiritum ſervitutis ad metum, *ecce ego pono in ſtibio* aut vitro *lapides tuos.* Eſ. 54: 11. *Omne inſtrumentum, quod formabitur contra te, non proſperabitur, & omnem linguam, quæ ſurget contra te in judicium, condemnabis. Hæc eſt hæreditas ſervorum Jehovæ, & juſtitia illorum à me, ait Jehovah.* Eſ. 54: 17. *Heus, omnis ſitiens venite ad aquas, etiam cui non eſt argentum, venite & emite & edite, & venite, emite ſine argento & ſine pretio vinum & lac.* Eſt ſermo ad Judæos, addubitantes de libertate Chriſtianâ & regno Chriſti, attamen juſtitiam Dei ſitientes, qui monentur, ut ſervitutem legis, & omnia quæ habentur in terrâ Canaan, relinquant. Eſ. 55: 1. *Et ne dicat peregrinus, qui agglutinatur Jehovæ.* ad miniſtrandum ipſi; neque ſervit elementis mundi. Eſ. 56: 3. *Miſit me ad evangelizandum manſuetis*, i. e. ad annuntiandum bonum, diu exſpectatum, & ablationem moleſtiæ diu latæ; *ad obligandum confractos corde*, i. e. ad conſolandum eos, qui lugent propter peccata; *ad prædicandum abductis in captivitatem* iis, qui ſub pædagogiâ legis captivi tenebantur in fidem revelandam, tanquam in lacu non habente aquam, *libertatem.* nim. ad exeundum ex captivitate & carcere, i. e. abolitionem imperii mortis, quod habebat Diabolus, & chirographi, quod erat contrarium etiam ſperantibus, & ſic omnis jugi & ſervitutis. Eſ. 61: 1. *Donec exeat tanquam ſplendor juſtitia ejus*, Hieroſolymæ, idque ſine ſervitute legis, *& ſalus ejus tanquam flamma ardens.* Eſ. 62: 1. *Nam dies ultionis erat in corde meo, & annus aſſertorum meorum*, prioribus diebus, qui erant ſervitutis, finitis, *venerat.* Eſ. 63: 4. *Et extitit ipſis in ſalvatorem.* i. e, præſtitit illud coram ipſis, quod credentes & cum gratiarum actione recognoſcentes poſſent juſtificari ab omnibus tùm peccatis ſuis, tùm iræ effectis. Eſ. 63: 8. *Qui jugulat taurum, percutit virum, qui ſacrificat parvam pecudem, decervicat canem; qui adolet munus, ſanguinem porci; qui facit flagrare thus, benedicit vanitati.* Sacrificia damnat, quia fideles ſub N. T. non opus habent ſacrificio, quippe qui habent ſacerdotem ſuper domo Dei, per quem ipſis via eſt initiata ad accedendum in libertate ad Deum. Eſ. 66: 3. *In diebus illis, ait Jehovah, non dicent amplius, Arca fœderis Jehovæ, & non veniet in mentem, neque recordabuntur ejus, & non adibunt, & non fiet ex illo.* Propter majus ſcil. bonum,

num, & meliorem [illegible], non erit memoria Arcæ, & [illegible] ſuper eâ. Jer. 3: verſ. 16. *In tempore illo nominabunt Hieroſolymam ſolium Jehovæ.* Hoc eſt illud majus bonum, quod Jehovah non in intimo ſanctuario & adyto quaſi ſedem habiturus eſſet, ſed in totâ Hieroſolymâ: *& confluent ad eam omnes gentes ad nomen Jehovæ Hieroſolymam. Et vocabitur Hieroſolyma civitas veritatis.* Veritas hæc opponitur ſervituti umbrarum, quæ non poſſunt locum obtinere ampliùs, exhibito corpore, quod per umbras ſignificabatur. Jerem. 3: 17. *In diebus ejus ſalvabitur Juda*, à peccatis ſuis, à reatu & accuſatione legis, & ſervitute elementorum mundi, *& Iſraël habitabit ſecurè.* nihil in mundo metuens. Jer. 23: 6. 33: 16. *Et fiet die illo, ait Jehovah Deus exercituum, frangam jugum ejus à collo tuo.* Intelligitur non tantùm jugum regis Babylonici, ſed omne jugum, quod Iſraël portaverat; quòd Chriſtus aboliturus erat. *Et ſervient Jehovæ Deo ſuo.* non elementis mundi, nec peccato tanquam nondum expiato, per prolationem chirographi contra ſe. Jerem. 30: 8. 9. *Nam redemit Jehovah Jacobum, & aſſeruit eum ex manu ejus, qui validior ipſo erat.* Jer. 31: 11. *Et manifeſtabo illis abundantiam pacis.* nempe cum Deo, ad abſolutionem conſcientiæ, ut non ſint ampliùs populus conſtitutus ex fœdifragis & fidelibus, qui inter ſe conjunguntur propter neceſſaria communiter omnibus impoſita onera, ſed ut ſoli credentes in me coëant in unum, & ut fratres cohabitent. Jer. 33:6. *Finita eſt pravitas tua*, & accuſatio ejus per legem, *filia Sion.* Thren. 4: 22. *Die illo faciam germinare cornu domui Iſraël.* Id maximè impletum eſt, cum ex domo Davidis crevit cornu, quod fecit populum liberum ab omni ſervitute. Ezech: 29: 21. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas, & purificabimini ab omnibus fœditatibus veſtris.* i. e. auferetur reatus communis omnibus incumbens, ut is ampliùs accuſari non poſſit. Ezech. 36: verſ. 25. *Et ſalvabo vos ab omnibus fœditatibus veſtris.* i. e. à jugo legis cerimonialis, ne viderentur ampliùs accuſari de reatu & impuritate. Ezech. 36: verſ. 29. *Et ad expiandum pravitatem.* oblato ſacrificio juſtitiæ, atque ita faciendum, ut nulla ampliùs ſit commemoratio & exprobratio peccati, neque chirographum contrarium ipſis à fidelibus exigatur. Dan. 9: 24. *Et factâ* per Chriſti excidium expiatione pravitatis, & adductâ juſtitiâ æternâ, *faciet ceſſare ſacrificium & munus.* Nam poſt illud tempus non poterant ampliùs ſacrificia, ut chirographum, offerri. Dan. 9: 27. *Et fiet loco ejus, quod dicebatur ipſis, Non-populus-meus eſtis vos, dicetur illis, Filii Dei vivi.* qui tales æſtimantur, non ex obſervatione cerimoniarum, aut prærogativâ ſeminis carnalis, ſed ex ſolâ fide, & regeneratione Spiritus. Hoſ. 2: 1. *Dicite fratribus veſtris*, qui pariter ſunt filii Dei vivi, quanquam non recipiant circumciſionem & reliqua inſtituta legis, *Populus meus.* Hoſ. 2: 3. *At, filii Sion, gaudete, & lætamini in Jehovah Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam.* h. e. ut purgationem peccati faceret in ſanguine ſuo, atque accuſationem legis, & conſequenter ſervitutem legis cerimonialis, tolleret. Jo. 2: 23. *Et erit poſt illa, effundam ſpiritum meum in omnem carnem.* citra diſtinctionem tribuum, ut Leviticæ; ordinis, ut Sacerdotum, & Levitarum, & antiſtitum populi; gentium; ut & rituum, ſive legis. Igitur hoc teſtimonium continet Abolitionem legis cerimonialis, & circumciſionis. Jo. 3: 1. *Et in loco hoc*, ſtante adhuc hâc facie terræ, urbis & templi, *dabo pacem.* nimirum amovendo iram & reatum. Hagg. 2: verſ. 9. *Ecce ego venio*, nim. ad vindicandum populum à legis ut maledictione, ita & accuſatione, ac conſequenter ſervitute elementorum mundi ſive rerum terrenarum in libertatem regni Dei, *& habitabo in medio tui.* Zach. 2: 14. *Et abſtergam pravitatem terræ illius uno die.* ſcil. uno ſacrificio; quo facto non poteſt ampliùs pec-

catum

catum commemorari aut accuſari. Zach. 3: 9. *Et erit ſacerdos in throno ejus, & ſic conſilium pacis erit inter utrumque.* q. d. Ipſius interceſſio erit cauſa conſilii pacis; h. e. quaſi voluntatis tollendi iram & reatum. Zach. 6: 13. *Habitabo in medio Hieroſolymæ, & vocabitur Hieroſolyma, urbs illa veritatis.* cujus cives Deo ſerviant, non in umbrâ & figurâ, ſed in veritate. Zach. 8: 3. *Et loquetur pacem gentibus.* Zach. 9: verſ. 10. *Etiam tu, ô Sion, pro ſanguine Teſtamenti tui dimiſi vinctos tuos è foveâ, in quâ non eſt aqua.* Quibus verbis annunciatur libertas Iſraëli, & quidem à vinculis legis, & à ſervitute elementorum mundi, in quibus non erat aqua refrigerii & conſolationis, quatenus lex accuſabat, & non patiebatur hominem conſummatâ conſcientiâ adire Deum. Zach. 9: 11. *Redite ad arcem*, ad rupem ſalutis, *vincti exſpectationis.* h. e. vincti, qui habetis exſpectationem veræ libertatis per Chriſtum dandæ. Zach. 9: 12. *Et effundam in domum Davidis & habitantem Hieroſolymæ ſpiritum gratiæ*, h. e. gradum fidei dignum gratiâ, quæ iræ, quam operabatur lex, opponitur, *& ſupplicationis.* quæ ſupplicatio fit per υἱοθεσίαν filiorum. Zach. 12: 10. *Eo die erit fons apertus* i. e. aditus ad fontem, ſ. ſanguinem fœderis, erit liber abſque ullis impedimentis & obſtaculis, abſque velo, *domui Davidis & habitanti Hieroſolymam, pro peccato, & menſtruo.* Ut hujus ſanguinis aſperſione fiat ablutio à peccato, i. e. ab exſecratione legis, cui ſubjacent omnes peccatores, & à menſtruo, i. e. ab accuſatione legis, quæ genus humanum & ipſum fontem generationis impurum declarat, donec fiat expiatio; quæ accuſatio eſt cauſa ſervitutis. Zach. 13: 1. *Et in omni loco hoſtia offertur nomini meo & munus.* Quo excluditur cerimonialis cultus, qui non celebratur in omni loco, ſed in loco, quem Deus elegit. atque ita cum omni loco intelligitur libertas. Mal. 1: 11. *Et orietur vobis, timentes nomen meum, ſol juſtitiæ, in cujus alis eſt ſanitas.* Sol juſtitiæ eſt Chriſtus lucens teſtimonio majeſtatis ſuæ & in apertum proferens juſtitiam veram, & radiis ſuis ſanans ægritudines noſtras, h. e. verbo & ſpiritu ſuo nos regenerans, ſanctificans, & conſolans. Hic Sol ortus eſt, h. e. manifeſtatus, tum per nativitatem, doctrinam, opera, paſſiones, & ſecutas glorias, tum per ablationem veli in ſublatione ſervitutis. Mal. 4: verſ. 2. *Et conjectus eſt Draco ille magnus, ſerpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducebat totam habitabilem: conjectus eſt inquam in terram: & angeli ipſius cum ipſo conjecti ſunt.* Quamdiu enim habuit Satanas poteſtatem in populum Dei per legem, tamdiu habuit locum in cœlo. Quando autem fideles deſierunt eſſe ſub jugo, non habuit Satanas locum in cœlo, ſed conjectus eſt in terram. Apoc. 12: verſ. 9. *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo, qui habebat clavem abyſſi*, h. e. poteſtatem educendi ex morte & inferno, & rurſus in gehennam conjiciendi. Chriſtus ſine dubio eam poteſtatem habet. Sed & Spiritus Sanctus, quem Chriſtus, quum in cœlum aſcendiſſet, miſit à Patre. Hactenus datus erat Spiritus ſervitutis, & quidem ſoli Iſraëli. Fuit deinde miſſus Spiritus ad educendum mortuos & captivos Satanæ ex regno tenebrarum, & eos transferendum in regnum filii Dei. Et quidem Spiritus filiationis ac libertatis. *& catenam magnam ſuper manu ſuâ.* i. e. Divinam potentiam ad coërcendum Satanam, ne ſine nutu & conſilio ſuo definito quicquam ageret Apoc. 20: 1.

§. 120. In libertate ab accuſatione & ſervitute legis conſiſtit inprimis Sabbatum, ſ. Quies Eccleſiæ Novi Teſtamenti, olim præfigurata in Sabbato, hebdomadali, & omnibus feſtis; Prædicta autem hoc modo: *In manſionibus graminoſis facit me recubare* i. e. facit me invenire requiem animæ, nim. quietem ab accuſatione & ſervitute veteris œconomiæ. Pſal. 23: 2. *Hæreditatem tuam*, i. e. verum Iſraëlem,

quem

quem tibi emiſti & ſeparaſti ex omnibus tribubus, *etiam defeſſam* quod attinet, *tu reficis illam.* Pſalm. 68: 10. *Judicabit populum tuum*, i. e. electos, defendet, ut advocatus, *in juſtitiâ*, ſive δικαιώματι τῦ νόμου ab ipſo impleto; *& inopes tuos*, exhauſtos fame & ſiti juſtitiæ, deſtitutos viribus, iiſque non fretos, ſed eas abnegantes, *cum judicio*, ut faciat eos potiri eo ſtatu, qui ipſis conveniat, nim. quiete poſt longam exſpectationem. Pſalm. 72: 2. *In diem Sabbati.* i. e. Meditatio in tempus Novi Teſtamenti, in quo gratia & veritas Dei per Chriſtum exhibita manifeſtatur, ablato jugo ſervitutis legalis. Pſalm. 92: 1. *Ne induretis corda veſtra*, nolite eſſe ἄπιστοι, non obedientes cœleſti vocationi, ut rejiciatis donum Dei & juſtitiam ejus, & rupem ſalutis vobis manifeſtatam, *ut in contentione, in die tentationis in deſerto. Nam tentarunt me patres veſtri; periclitati me ſunt & viderunt opus meum. Quadraginta annos nauſeavi in generatione, & dicebam: Populus errantium corde illi ſunt, & illi non norunt vias meas. Uſque dum juravi in irâ meâ: Si intrabunt in quietem meam.* i. e. locum, ubi quietem illis præſtarem. Dum proponit exemplum pœnæ rejectionem à quiete, oſtendit, illis hoc εἰς τύπον accidiſſe, 1 Cor. 10: 6. Inde & conficitur, aliam quietem eſſe Novi Teſtamenti, quàm eam, in quam Joſua introduxit Iſraëlitas. Hebr. 4: 8. Nam hæc dicuntur non illis, qui in deſerto, ſed in terrâ agebant, atque adeo jam in quietem terreſtrem introducti erant à Joſuâ. Nam ſi nulla requies eſſet populo reſervata in poſterum, tanto tempore, poſtquam Joſua illos introduxiſſet in terram Canaan, David non fuiſſet locutus de requie, in quam, increduli non eſſent intraturi. Quæ ſine dubio eſt alius generis, ac illa, in quam illos introduxit Joſua, eſtque ceſſatio à ſiti, ab exſpectatione, à labore, à jugo ferendo, & à ſervitute elementorum mundi, à metu afflictionum & mortis, à ſubſcriptione chirographi, & ſimilibus omnibus. Pſalm. 95: 11. *Omnem gemitum ejus*, etiam qui ſub onere legis fuerat, *ceſſare feci.* Eſai. 21: 2. *Dixit ad ipſos: Hæc eſt quies*, ſ. Sabbatiſmus N. Teſt. per quem tollitur accuſatio legis & conciliatur libertas. *Quietem præſtate laſſo*: nolite imponere diſcipulis meis jugum legis. *& hæc eſt requies.* ita tempus veſtrum erit in perpetuum & participes eritis quietis meæ. *& noluerunt audire.* Eſai. 28: 12. *Dominus Jehovah dedit mihi linguam eruditorum, ut ſciam opportunè loqui cum feſſo.* longâ ſcil. exſpectatione, & gravi ſervitute laſſato. Eſai. 50: verſ. 4. *Beatus homo, qui faciet hoc, & filius hominis, qui id retinebit, ſervans Sabbatum, ne profanet illud.* Sabbatum poſt prædicatam juſtitiam profanatur confuſione ejus temporis cum tempore umbrarum & ſervitutis. Eſai. 56: 2. *Nam ſic ait Jehovah Eunuchis, qui ſervabunt Sabbata mea.* i. e. omnia tempora quietis Novi Teſtamenti, & occaſiones celebrandi Deum in cœtu magno. Eſai. 56: 4. *Et tu ne timeas, ſerve mi Jacob, & ne conſterneris, Iſraël. Nam ecce ego ſalvum te facio à longinquo, & ſemen tuum ex terrâ captivitatis ipſorum, & revertetur Jacob, & tranquillus erit & felix, & non erit qui turbet.* Id maximè intelligi debet de tranquillitate & quiete, quam habet populus Dei in regno Chriſti, quam nemo poteſt ab eo auferre; quando populus Dei non curat terreſtria, ſed cœleſtia. Jerem. 46: 27. *Sabbata mea profanarunt.* Ezech. 23: 39. *Et dixiſtis: Ecce, Quid defatigatio?* Intelligit defatigationem oppoſitam quieti Novi Teſtamenti: Quieti ſcilicet ab operibus ſervitutis, & accuſatione legis ac conſcientiâ peccati, necdum expiati, triſtitiam operante. Quam defatigationem & quietem cùm Chriſtus prædicaret, laborantes ſive defeſſos, & oneribus gravatos ad ſe vocando, tanquam inventuros ἀνάπαυσιν, Sacerdotes irriſerunt, nolentes videri ſervitutem illam delaſſationem, & pro illâ quietem offerri, idque verbis Prophetiæ: *Quid defatigatio?* Mal. 1: 13.

§. 121. Conceſſâ libertate à jugo legis, etiam tollitur diſcrimen Perſonarum, quod obtinuit ſub Vet. Teſtam. *Domino* enim *ſedente in throno* ſui regni, *fimbriæ ejus implent templum, & totam terram gloria ejus.* i. e. manifeſtatur gloria Dei in effuſione Spiritus Sancti in omnem carnem, inprimis in omnes filios Iſraëlis ſine diſcrimine, ita ut non tantùm Levitæ, ſed totus Iſraël, ſint Dei habitatio & quaſi indumentum glorioſum ejus. Eſai. 6: 1. 3. *Et ne dicat peregrinus, qui agglutinatur Jehovæ, dicendo: Separando ſeparat me Dominus à populo ſuo: Et ne dicat Eunuchus, ecce ego arbor arida.* Eſai. 56: 3. *Et erit poſt illa, effundam ſpiritum meum in omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt; juvenes veſtri viſiones videbunt. Atque etiam in ſervos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* q. d. Non erit ibi mas & fœmina, & præpoſitus & ſubjectus, liber & ſervus. Jo. cap. 3: 1. 2. Hinc in regno Dei omnes inter ſe *fratres* ſunt, & *amici.* Pſalm. 122: 8. Et *totus terminus* Eccleſiæ, h. e. omnes & ſinguli fideles, ſunt *lapides voluptatis.* æque pretioſâ fide donati. Eſai. 54: 12. Add. Ezech. 1: verſ. 6. 8. Tollitur quoque diſcrimen, quod per legem, vi peccati adhuc exſtantis, erat conſtitutum inter res puras, & impuras, quo uſus omnium rerum declarabatur impurus; itemque inter dies, quibus licebat operari, & quibus erat nefas, quo ſignificabatur, opera fidelium, etiam licita, eſſe adhuc peccato inquinata, & deſiderare expiationem: Contrà autem rerum omnium uſus ac dominium reſtituitur Eccleſiæ, & datur eidem requies à quiete ſeptimi, ut umbrâ futuri, & quatenùs ejus uſus habebat accuſationem impuritatis. De ſublato diſcrimine puri & impuri, & rerum omnium dominio reſtituto ita canit Propheta: *Facis ipſum* filium hominis, Chriſtum, jam gloriâ & honore coronatum, i. e. conſtitutum regem & caput Eccleſiæ, *dominari in omnia opera manuum tuarum*, nempe Solem, Lunam, ſidera, & omnes denique res creatas, ut ipſi Eccleſiæ ſuæ ſerviant; *Omnia poſuiſti ſub pedes ejus*, etiam angelos, ut populus ejus cum ipſo regnet ſuper omnia: *Oves & boves, univerſa iſta; atque etiam beſtias agri: Volucres cœli & piſces maris, tranſiens itinera marium.* Quibus ſignificatur omnium rerum dominium per regnum Chriſti reſtitutum, uſumque earum ſanctificari, ut ad gloriam Dei tendat, cùm in V. Teſtam. etiam ſanctis in Iſraële non licuerit omnibus veſci cibis, quia ſcil. expiatio peccati nondum erat facta; quo expiato omnia ſunt munda mundis. Pſalm. 8: 7. 8. 9. *Celebrate Jehovam ex cœlis, celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes Angeli ejus, celebrate eum, omnis exercitus ejus. Celebrate eum, Sol & Luna, celebrate eum omnes ſtellæ lucidæ. Celebrate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ ſunt ſupra cœlos. Celebrent nomen Jehovæ, nam ipſe præcepit, & creata ſunt. Celebrate Jehovam à terrâ, Dracones & omnes abyſſi. Ignis & grando, nix & vapor, ventus procelloſus faciens verbum ejus. Montes & omnes colles, arbores fructiferæ & omnes cedri. Feræ & omnia pecora, reptile & aves alatæ.* In quibus eſt prophetica declaratio, quâ ſignificatur, Deum conſtituiſſe, ut omnes res creatæ, ſummæ & imæ, ſuo tempore, uſui fidelium expoſitæ, inſervirent illuſtrandæ gloriæ ipſius. Pſalm. 148: 1 — 8. Diſtinctio autem dierum tollenda innuitur. Pſalm. 71: 8. *Implebatur os meum celebratione tui, toto die decoro tuo.* Totum tempus, totum & omnem diem ſalutis, nullo dierum diſcrimine, narrandis laudibus tuis impendebam. Item Pſalm. 145: 2. *Omni die*, ſine diſcrimine & intermiſſione, *benedicam tibi, & celebrabo nomen tuum, in ſæculum & perpetuitatem.*

§ 122. De libertate à ſervitute Angelorum & Hominum, Legis vindicum atque exactorum, ita eſt in Prophetiâ: *Non recedet ſceptrum à Judâ, & Legiſlator è*

medio

medio pedum ejus, donec venerit Schiloh. q. d. *Pacator, cui ſit obedientia populorum.* Innuitur abiturum Synedrium, cùm Chriſtus apparuerit. Gen. 49: 10. *Et circumcidet Jehovah Deus tuus cor tuum & cor ſeminis tui ad diligendum Jehovam Deum tuum.* Deut. 30: 6. Cujus loci interpres eſt Apoſtolus Col. 2: 11. 13. 14. 15. qui docet, in circumciſione cordis, quæ eſt ἀχειροποίητος, contineri expiationem peccati & juſtificationem & abolitionem chirographi, & τὸ exuere principes ac poteſtates, quibus vetus populus ſubjectus fuerat, ita ut illis Deus circumdatus & quaſi velatus videretur. *Cæli*, i. e. Angeli *date magnitudinem Deo noſtro.* Chriſto vos ſubjicite. Deut. 32: 1. 3. *Jehovah*, qui poſt duplicem viſitationem, primam in deſerto, cum *veniret à myriadibus ſanctitatis*, cinctus quaſi coronâ myriadum Angelorum, ut hiſce teſtibus, approbatoribus, ac futuris vindicibus daret, & *acciperet legem, quam præcepit, Moſes*; alteram in terrâ, quâ *illi medii perambulati ſunt pedi ipſius*, in humilitate ſcil. & ſine myriadibus ſanctitatis, quibus etiam ſubjectus eſt, *factus eſt in Jeſchurun rex*, ſcil. eo modo, quo olim non fuerat rex, quatenus in ipſo homine comprobatum eſt, per evectionem in cœlos, & effuſionem Spiritus Sancti, quòd ipſe ſit Dominus Eccleſiæ pleno jam titulo, & quod propterea, qui credunt in ipſum, nulli alii quoad accuſationem peccati, vel umbraticam ejus expiationem, ſubjiciantur. Deuter. 33: 2. 3. 4. 5. Cui loco debet originem phraſis prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum per *Regnum Dei* intelligentium ſtatum Eccleſiæ ſub Chriſto exaltato ſine accuſatione legis & ſervitute elementorum mundi. *Soli Jehovæ* Deo vivo, & Chriſto, depoſitis coronis veſtris, *ſervite cum timore.* Pſal. 2: 11. *Et* poſtquam filium hominis Chriſtum feciſti parvo tempore minorem infra Deum, etiam infra Angelos & homines, dictos Deos, *gloriâ & honore coronas eum.* facis eum regem Eccleſiæ ſuper omnia, etiam illos, quibus antea fuerat ſubjectus. Pſal. 8: 6. *Jehovah eſt paſtor meus.* Quibus indicatur præter gratiam Dei, quâ ut paſtor, Eccleſiam curet, & fidem Eccleſiæ ſe totâ animi fiduciâ in eum reclinantis, libertas fidelium Novi Teſtamenti, quòd liberi ab omni ſervitute œconomorum à ſolo Deo regantur. Pſal. 23: 1. *Date Jehovæ, filii potentum, date Jehovæ gloriam* ... *Adorate Jehovam*, Pſal. 29: 1. 2. *Tibi innixus fui ab utero.* Ex quo nata eſt Eccleſia N. Teſtam. Chriſto animam ſuam commiſit, ut prophetæ, ſacerdoti, & regi, non ſapientiâ ſuâ aut juſtitiâ freta, non humanum nomen ſecuta. Pſal. 71: 6. *Deus, reduc nos*, tùm ad amorem tui, tùm ad eum ſtatum, ut nullus alius præter te ſit nobis Rex; *& lucere fac faciem tuam*, oblatione ſacrificii pro peccato peractâ, *& ſalvabimur*, Pſal. 80: 4. 8. 20. *Clangite in novilunio cum buccina.* ſigno libertatis. Pſ. 81: 4. *Jehovah rex factus eſt*, ſervitute V. T. ſublata ſubjectiſque ſibi conſequenter thronis, poteſtatibus, homines ad libertatem vocans, in iiſque efficiens, ut ſine imperio humano in ipſum credant. Pſal. 93: 1. 97: 1. *Nam magnus eſt Jehovah & laudari dignus valde. Timendus ſupra omnes Deos.* i. e. angelos, principes, ac poteſtates, quos partim ſubjecit ſibi, partim abolevit. Pſal. 96: 4. *Jehovah rex factus eſt, adorent eum omnes Dii.* Pſal. 97: 1. 7. *Benefac plenè ſervo tuo; vivam, & cuſtodiam præceptum tuum.* non hominum, principum, vel poteſtatum hujus ſœculi, quibus ſubjectus ſum. Pſal. 119: 17. *Feciſti bonum cum ſervo tuo.* i. e. cum Eccleſiâ redemtâ, ad ſerviendum non hominibus, aut principibus nuncupativis, ſed Deo vivo, in libertate. Pſal. 119: 65 *Vide afflictionem meam, & libera me.* Pſal. 119: 153. *Multum arctarunt me à pueritiâ meâ.* i. e. toto illo tempore, quo fui conſtitutus ſub curatoribus & tutoribus: *Etiam non prævaluerunt mihi.* Translatus enim ſum ex conditione ſervili in ſtatum filiorum, non ampliùs cogar reſpicere ad principes illius ſœculi,

culi, ſed poſſim liber in omni loco puras manus ad Deum tollere, & juſtitiam ac vitam ab eo petere. Pſal. 129: 1. 2. *Confitemini Deo Deorum, quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Confitemini Domino Deorum, quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* Ubi abrogatio priſcorum Deorum ac Dominorum, & ſubjectio Deo, indicatur hoc titulo, *Deus Deorum, & Dominus Dominorum.* Pſal. 136: 3. *Efferam te Deum meum, ô Rex.* i. e. extollam te ſupra omne nomen, & exaltationem tuam credam & prædicabo, quòd nempe tibi ſubjecti ſint principatus & poteſtates, angeli & virtutes, teque, in quo omnes promiſſiones ſunt Næ & Amen, adorent omnes Angeli Dei, atque ita œconomiæ Veteris deſtructionem agnoſcam & celebrabo: *Et benedicam nomen tuum*, gratiarum actione proſequar omnem magnitudinem & bonitatem tuam, quæ de te prædicatur, *in ſæculum & perpetuitatem.* Pſal. 145: 1. *Reverentiam gloriæ majeſtatis tuæ.* ſ. *Majeſtatem*, i. e. virtutem, potentiam, & ſplendorem, regio nomine dignam, *glorioſam*, ſ. ſupereminentem omnem majeſtatem: Eſt enim ſupra cœlos evectus rex, & declaratus rex regum, princeps angelorum & hominum, cum *reverentiâ*, i. e. vi flexanimâ ad obedientiam fidei, *meditor.* Pſal. 145: 5. *Væ illis, qui ponunt amarum*, i. e. ſervitutem, *in dulce, & dulce*, i. e. libertatem, *in amarum.* Eſ. 5: 20. *Nam jugum bajulationis ejus*, onus legis reatum accuſantis, *& baculum humeri ejus*, i. e. poteſtatem coërcitivam ſeniorum, ſive patrum carnis παιδευόντων κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς; quò pertinet tota lex forenſis puniens transgreſſiones legis cerimonialis, *& virgam exigentis*, i. e. auctoritatem & poteſtatem ſubijciendi legibus & placitis humanis ad conſervandum populum in obedientiâ legis Divinæ cum neceſſitate parendi etiam iniquioribus mandatis, de quibus Matth. 23: 3. 4. *ab ipſo conſternâſti, ut die Midjan.* Quemadmodum enim Midianitæ inter ſe conflixerunt ad clangorem Gideonis, Jud. 7: 20. 21. 22. ita ad clangorem Evangelii principes Judæorum conſternati ſunt, & non minùs acriter inter ſe digladiari cœperunt Sadducæi & Phariſæi, & ipſæ Phariſæorum ſectæ, ambitioſique homines & dignitatum appetentes, & falſorum Chriſtorum ſequaces, Vid. Joſ. Ant. 20: 63. quàm à regno Chriſti abhorrebant. Eſ. 9: 3. *Et devolutus eſt principatus in humerum ipſius.* Ipſe ſolus conſtitutus eſt rex & Dominus, aliis omnibus, qui antea dominabantur, poteſtate abrogatâ. Eſ. 9: 5. *Et nuncupatum eſt nomen ejus ... Princeps pacis.* Rex & Dominus Eccleſiæ, & omnium cum poteſtate omni in cœlo & in terrâ. & qui datus eſt Eccleſiæ caput ſupra omnia. Eſ. 9: 5. *Ad amplificationem principatus* ut non amplius regnum ipſius, ut olim, per aſſociatam ipſi poteſtatem hominum obſcuretur, ſed ut ſolus ſit rex in regno Dei. Eſ. 6: 9. *Canta ſterilis, quæ non peperit; fragorem fac cantu, & hinni quæ non doluit. Nam multi ſunt filii deſolatæ præ filiis maritatæ, dixit Jehovah.* Vocat *deſolatam*, ſcil. matrem, eos, qui per fidem promiſſionis juſtificati ſunt ante legem, quia nunquam habuerunt hi patres maritos in terrâ, h. e. principes, legislatores, nuncupatos Deos; *maritatam*, quæ eos accepit, unà cum Veteri Teſtamento, ſub monte Sinai. Dum autem deſolata vocatur ſterilis, & jubetur cantare, propterea quod plures ſint futuri filii ejus præ filiis maritatæ, innuitur & maritata prior peperiſſe, & quæ ei ſuccedit Eccleſia Novi Teſtamenti, abrogatis principibus, vocari in conditionem deſolatæ. Eſ. 54: 1. *Parvo momento dereliqui te*, tradidi te in manum principum, *& miſericordiâ magnâ colligam te.* Eſ. 54: 7. *Ecce metuendo metuet quiſquam quicquam præter me.* Eſ. 54: 15. *Ecce teſtem nationum dedi ipſum, principem, & præceptorem nationum.* q. d. Depoſui omnes principes & doctores de thronis ſuis, nullus ab obedientiâ ipſius excipitur, ne reges quidem & judices terræ. Eſ. 55: 4 *Miſit me*, Jehovah *ad prædicandum ab-*

ductu

ductis in captivitatem libertatem. ab omni jugo & ſervitute. Eſ. 61: 1. *Et dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent vos*, non in eos, ut ſervos, dominationem exercebunt, ſed eos paſcent, i. e. ducent, regent, ſuis admonitionibus, tanquam oves Dei, idque facient *ſcienter & conſideratè*. Jerem. 3: 15. *Et fiet die illo, ait Jehovah Deus exercituum, frangam jugum ejus à collo tuo, & vincula tua diſrumpam, & non ampliùs ut ſervo utentur ipſo alieni.* i. e. fideles Iſraelitæ tranſlati in regnum Dei & Chriſti liberi erunt à regno & dominatione humanâ, nec ullius legem præter Chriſti agnoſcent. *Et ſervient Jehovæ Deo ſuo*, non elementis mundi, aut Diis nominatis, *& Davidi regi ſuo, quem excitabo ipſis* Jerem. 30: 8. 9. *Et vidi animalia, & ecce rota una in terrâ juxta quatuor animalia ad quatuor facies ejus. Aſpectus rotarum* &c. Hæ rotæ ſignificant angelos non jam amplius ſubjicientes Eccleſiam, quemadmodum cum Dii nominarentur ſed illi ſuſtentationem aliquam miniſterio ſuo præbentes. Ezech. 1: 15. 10: 9. *Sic dixit Dominus Jehovah: Ecce ego in paſtores, & requiram oves meas ex manu illorum, & faciam eos ut ceſſent paſcere oves, & non paſcent amplius paſtores ſe, & eripiam oves meas ex ore ipſorum, & non erunt ipſis cibus Nam ſic dixit Dominus Jehovah: Ecce me, me inquam, qui curabo oves meas & luſtrabo eas. Ut luſtrat paſtor gregem ſuum, quo die eſt in medio ovium ſuarum ſegregatarum; ſic luſtrabo oves meas . . . Ego paſcam oves meas; & ego faciam eas recubare, ait Dominus Jehovah.* Ez. 34: 10. 11. 12. 15. *Et conſtituam ſuper ipſas paſtorem unum & paſcet eas, ſervum meum Davidem; Ille paſcet eas, & ille erit ipſis paſtor. Et ego Jehovah ero ipſis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio earum, ego Jehovah locutus ſum.* Ezech. 34: 23. 24. *Et fiet is mihi populus, & ego fiam vobis Deus.* abolitis Diis nuncupatitiis. Ezech. 36: 28. *Et ſalvabo eos ex omnibus ſedibus ſuis, in quibus peccarunt mihi, & purificabo eos, & fient mihi populus, & ego ero ipſis Deus.* Id fieri non potuit, ſecundùm mentem promiſſionis, quæ pertinet ad N. T., niſi Diis nuncupatiis abolitis. Ideo ſtatim additur: *Et ſervus meus David rex ſuper ipſis, & paſtor unus erit omnibus.* Ezech. 37: 23. 24. *Et fiet, loco ejus, quòd dicebatur ipſis, Non-populus meus eſtis vos, dicetur illis, Filii Dei vivi.* h. e. erunt verè liberi, & nullum, quoad imperium in religione & cultu, Patrem agnoſcent, niſi Deum vivum. Hoſ. 2: 1. *Et erit poſt illa, effundam ſpiritum meum in omnem carnem*, citra diſtinctionem, etiam ordinis, ut Sacerdotum & Antiſtitum populi, *& prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: Senes veſtri ſomnia ſomniabunt; juvenes veſtri viſiones videbunt. Atque etiam in ſervos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* h. e. non erit ibi mas & fœmina, præpoſitus & ſubjectus, liber & ſervus. Sicut in Veteri Teſtamento aliud erat jus maris, aliud fœminæ: Patribus, h. e. ſenioribus, ſubjiciebantur Juniores; & diſtinctio erat inter liberos & ſervos. Toti enim Iſraëli ſubjiciebantur gentiles, ut Cananæi, tanquam ſervi; Præ Iſraëlitis erant Sacerdotes & Levitæ; & ſacerdoti ſummo ſubjiciebantur omnes. Jo. 3: 1. 2. *Operit cœlos majeſtas ejus.* i. e. per effuſionem Spiritus Sancti. altior cælis demonſtratus eſt, ſive demonſtratus eſt, aſcendiſſe ſupra cœlos, ut Deus, & omnia, ipſos cœlos, & angelos Dei ſubjeciſſe & ab eis adorari. Tum omnes nuncupati Dii in Veteri Teſtamento gloriæ ipſius cedunt, & imperium ſuum deponunt coram ipſo. Quod in abrogatione cultus cerimonialis & aſſertione fidelium in libertatem à ſervitute elementorum mundi & principum prioris ſœculi, factum eſt. Hab 3: 3. *Timendus Jehovah ſuper ipſis erit*, Agnoſcetur, quod Deus ſit apud populum ſuum, & timebitur apud illum, *quum emaciaverit omnes Deos terræ.* tùm fictos, tùm inprimis illos, qui Dii appellati ſunt in Vet. Teſtamento, & adhuc ſedebant in cathedrâ Moſis tempore Chriſti & Apoſtolorum,

ſtolorum, uſque ad deſtructionem templi, quo deſtructo etiam poteſtas ipſorum, & cum poteſtate nomen interiit. Zeph. 2: 11. *Et non tranſibit ſuper illos ampliùs Exactor*; Non erunt amplius ſubjecti principibus ſœculi illius, qui principes exigebant ab illis vel obedientiam legis, vel ſatisfactiones legales, & inter cætera argentum, ut expiarentur ipſorum peccata, & hæreditas terræ Canaan illis purificaretur *quia jam vidi oculis meis*. Zach. 9: 8. *Ecce rex tuus veniet tibi ... & exſcindam currum ab Ephrajim & equum ab Hieroſolymâ, & exſcindetur arcus belli, & loquetur pacem ad gentes, & dominabitur à mari ad mare, & à fluvio ad terminos terræ*. Zach. 9: 9. 10. Plura huc pertinentia vid. ſuprà, ubi de evectione Chriſti ad thronum gloriæ, & de regno Dei, actum eſt. Et addantur, quæ paulò ante num. V. de libertate fidelium Novi T. à cathedrâ Doctorum, in medium prolata atque enarrata ſunt.

§. 123. Sic igitur ſublatâ omni ſervitute veteris Oeconomiæ, ſervitute, inquam, legis cerimonialis, eique alligatæ poteſtatis omnis non Divinæ, nihil ſupereſt, in rebus ad cultum pertinentibus, præter legem fidei & charitatis, ad quæ duo capita omnis cultus Novi Teſtamenti refertur in prophetiâ. Cujus rei hoc ſpecimen auctoritatum eſto: *Et circumcidet Jehovah Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui ad diligendum Jehovam Deum ſuum ex toto corde tuo & ex totâ animâ tuâ, propter vitam tuam*. Deut 30: 6. *Servite Jehovæ in timore, & gaudete in tremore Oſculamini Filium, ne iraſcatur. Beati omnes qui ſe recipiunt ad ipſum*. Pſal. 2: 11. 12. *Lætentur omnes, qui ſe recipiunt ad te*. Pſal. 5: 12. *Timentes Jehovam, celebrate eum, omne ſemen Jacobi glorificate eum, & metuite ab ipſo, omne ſemen Iſraëlis*. Pſal. 22: 24 *In Eccleſiâ amplâ vota ſolvam coram timentibus eum*. i. e. coram iis, qui abnegatâ ſuâ juſtitiâ ad ſalutare Dei confugiunt. Pſal. 22: 26. *Comedent manſueti*, i. e. ii inter Iſraëlitas & alios homines, qui non inflantur prærogativâ carnis, aut bonis ſœculi, aut ſapientiâ ſuâ ac juſtitiâ, ſed iis abnegatis ſitiunt juſtitiam. *& ſaturabuntur, celebrabunt Jehovam, qui quærunt eum*. Pſal. 22: 27. *Comederunt* gentes, *(& adorarunt) omnia opima terræ. Coram ipſo incurvantur omnes deſcendentes pulverem*. Pſal. 22: 30. *Jehovah eſt paſtor meus, non deſtituar*. Indicatur fides Eccleſiæ N. T. & ſingulorum fidelium, ut qui paſtorem agnoſcant, ſeque totâ animi fiduciâ in eum inclinent. Pſal. 23: 1. *Quis aſcendet in montem Jehovæ? & quis ſtabit in loco ſancto ejus? Mundus manibus, & purus corde, qui non tulit ad vanitatem cor ſuum, & non jurat in dolum: Qui accipit benedictionem à Jehovah, & juſtitiam à Deo ſalutis ſuo. Hæc eſt generatio quærentium ipſum, quærentes faciem tuam, Jacob*. In his nihil eſt Moſaicum. Pſal. 24: 3 — 6. *Lavo in puritate manus meas, & verſor circa altare tuum*. Pſal. 26: 6. *Date Jehovæ, filii potentum, date Jehovæ gloriam & robur. Date Jehovæ gloriam nominis ejus: Adorate Jehovam in decore ſanctitatis*. Pſal. 29: 1. 2. *Venite, filii, auſcultate mihi; Timorem Jehovæ docebo vos. Quis eſt vir ille, qui delectatur vitâ, qui amat dies ad videndum bonum? Serva linguam tuam à malo, & fac bonum, quære pacem & perſequere illam. Oculi Jehovæ ſunt ad juſtos ... Propinquus Jehovah fractis corde, & contritos ſpiritu ſalvat*. Pſal. 34: 12. 13. 14. 15. 16. 19. *In Deo gloriati ſumus toto die*. Pſ. 44: 9. *Audi, filia, & vide, & attende aurem tuam; & obliviſcere populi tui, & domus patris tui*. omnem prærogativam carnalem abnega. *Ut concupiſcat rex pulchritudinem tuam*. juſtitiam, quam tibi donat. *Nam ipſe eſt Dominus tuus, & adora ipſum*. Pſal 45: 11. 12. *Colligite mihi pios meos, facientes fœdus mecum per ſacrificium*. illud verum & unicum Chriſtum. Pſal. 50: 5. *Tunc delectaberis ſacrificiis juſtitiæ, holocauſto & integro munere*; quatenus ſcil. ea pleniſſimè in Chriſto agente & patiente inveniuntur:

inveniuntur: *tunc adſcendent in altare tuum juvenci.* i. e. in nomine Chriſti offerentur Deo juvenci, non mortui & muti, ſed vivi, ſacrificium rationale, quod conſtat animæ ſenſu & affectu. Pſalm. 51: 20. coll. Rom. 12: 1. *Tibi manet celebratio in Sion, & tibi ſolvetur votum.* gratitudinis. Pſalm. 65: 2. *O Auditor precum, ad te omnis caro accedent, . . . fiducia omnium terminorum terræ & maris longinquorum.* Pſal. 65: 3. 6. *Canite Deo, pſallite nomen ejus.* cum lætitiâ confitemini & prædicate nomen ejus, & atteſtamini Deo, quòd ipſe ſit verus, & omnes ſuas promiſſiones fecerit Næ & Amen; *aggerem facite ei,* impedimenta fidei & obedientiæ in eum removete, *qui vehitur in deſerto cum decentiâ nominis ſui.* Pſalm. 68: 5. *Animalia tua conſederunt in eâ* hæreditate tuâ, *quæ paras inopi* diſcipulis tuis ſitientibus amplificationem regni tui, & comparatis ad patiendum, non etiam ad faciendum malum. Pſalm. 68: 11. *Celebrabo nomen Dei carmine, & magnificabo illud profeſſione. Idque placebit Jehovæ præ bove, juvenco cornuto ungulas habente.* Facilè intelligitur, Pſalten cultum Novi Teſtamenti, qui poſt partam ſalutem non eſt niſi confeſſio, & magnificatio nominis Dei, opponere cultui Veteris Teſtamenti. Pſal 69: 31. 32. *In te,* non in carne, *fuit mea gloriatio ſemper.* Pſalm. 71: 6. *Judicabit populum tuum in juſtitiâ, inopes tuos,* exhauſtos fame & ſiti juſtitiæ, deſtitutos viribus, iiſque non fretos, ſed eas abnegantes, *cum judicio.* Pſalm. 72: 2. *Ne ſit in te Deus* i. e. ſalvator, ſanctificator juſtificator *alius, & non adorabis Deum peregrinum.* Pſal 81: 10. *Pande os tuum, & implebo illud.* Unica via ac ratio perveniendi ad juſtitiam hîc traditur credere, quòd Deus ſit juſtitia noſtra, & ab eo omnia petere atque exſpectare. Pſal. 81: 11. *Nam me dilexit,* ſ. *appetivit, & faciam ipſum evadere.* Pſ. 91: 14. *Bonum eſt confiteri Jehovæ.* i. e. credere in ipſum, obſignare, quòd ipſe ſit verax, gratias illi agere pro acceptis beneficiis, *& canere nomini tuo, qui es Altiſſimus.* Pſalm. 92: 2. *Supervaluit gratia ejus ſuper timentes ipſum.* Pſalm. 103: 11. *Confitemini Jehovæ quòd bonus ſit, quòd in ſæculum duret gratia ipſius.* Pſalm. 107: 1. *Celebrate Jah. Confitebor Jehovam ex toto corde,* me ipſum toto corde abnegans, nihil mihi tribuens, ad Dei verò opem anhelans, *in congreſſu rectorum,* fratrum qui Deum quærunt ſecundùm verbum ejus, *& in cœtu convocato* ſeparato à mundo; qui jacet in malo. Pſalm. 111: verſ. 1. *Coram Domino terrere, ó Terra, coram Deo Jacobi.* Pſalm. 114: verſ. 7. *Iſraël, confide Jehovæ: Auxilium eorum, & clypeus ipſorum, ipſe eſt. Domus Aharonis confide Jehovæ: Auxilium eorum & clypeus ipſorum ipſe eſt. Timentes Jehovam,* omnes credentes ex quâvis gente, *confidite in Jehovâ: Auxilium eorum, & clypeus ipſorum ipſe eſt.* Pſalm. 115: verſ. 9. 10. 11. *Amo.* Eſt verbum non tam amandi actum, quàm amantis ſtatum & affectum perpetuum ſignificans. q. d. Plenus ſum amore. Nil niſi amo. *& per dies meos prædicabo.* virtutes Dei. Pſalm. 116: 1. *Confitemini Jehovæ,* corde, ore, & opere, atteſtamini Jehovæ in veritate nominis ſui teſtanti, *quòd bonus ſit, quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Dicat, age, Iſraël,* i. e. confeſſionem aliis hominibus verbo & exemplo ſuadebat & commendet, *quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Dicant, age, domus Aharonis, quia in ſæculum gratia ipſius. Dicant, age, timentes Jehovam, quia in ſæculum gratia ipſius.* Pſalm. 118: 1. 2. 3. 4. *Quò aſcendunt tribus, tribus Jehovæ, ad confitendum nomini Jehovæ.* Hoc ſcil. opus eſt, & occupatio, ſive ſtudia civium Hieroſolymæ. Pſalm. 122: 4. *Qui confidunt Jehovæ, ſunt ut mons Sion, qui non commovetur, in ſæculum habitatur.* Pſalm. 125: 1. *Beatus omnis, qui timet Jehovam, ambulans in viis ejus.* Pſalm. 128: 1. *Jehovah non extulit ſe cor meum* ut illorum cor eſt altum, qui ſe juſtos diviteſque autumant, & in ſuis operibus bonis,

imo peccatis, putant ſe placere Deo. Pſalm. 131: 1. *Sacerdotes ejus induantur juſtitiâ, & pii tui* (vel *amantes te, ſtudioſi tui,*) *jubilent.* Pſalm. 132: 9. 16. *Celebrate Jah, celebrate nomen Jehovæ, ſervi Jehovæ. Qui ſtatis in domo Jehovæ.* Vera domus Dei ſunt Chriſtus & membra ejus in V. Teſt. Qui in domo ſtabant, erant ſacerdotes. Nobis officium in domo peragendum eſt confeſſio, gratiarum actio, lux cognitionis, ſatietas; *in atriis domus Dei noſtri.* Id atrium in N. Teſt. ſunt ii, qui ad Eccleſiam acceſſerunt hactenus, ut verbum Dei audiant, & facta fidelium videant, & ſacramentis utantur, atque ita externorum ſint participes. In eo miniſterium eſt circa eos, qui accedunt, ad offerendum hoſtiam Deo, ut eorum oblatio ſit accepta, ſanctificata in Spiritu S. Pſalm. 135: 1. 2. *Confitemini Jehovæ . . . Deo Deorum . . . . Domino dominorum, quia bonus eſt, quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* Pſalm. 136: verſ. 1. 2. 3. *Hallelujah. Canite Jehovæ canticum novum, laudem ejus in panegyri piorum.* i. e. in cœtu illorum, qui Deum amant tanquam juſtitiæ datorem in Chriſto. Pſalm. 149: 1. *Condecorat manſuetos,* qui renunciant præſidibus, adeoque facilè cedunt injuriis, *ſalute.* Ibid. verſ. 4. *Et odorabitur timorem Jehovæ: & non ſecundùm viſum oculorum ſuorum judicabit, & non ſecundùm auditum aurium ſuarum redarguet.* Nam partim quædam viſa non ampliùs feret coram oculis ſuis, ut externam ſervitutem elementorum mundi, partim ſola viſa & audita non attendet. *Dicite juſtum, quod bonus,* ἀρεστὸς τῷ Θεῷ, *beatuſque eſt.* Eſai. 3: 10. *Et judicabit in juſtitiâ tenues,* ſubmiſſos, viles, abjectos, *& redargutionem faciet in æquitate manſuetis terræ,* i. e. iis ex populo terræ, qui ſe componunt ad abnegandum hæreditatem terrenam, adeoque libenter injuriis & damnis cedunt. Eſai. 11: 3. 4. *Quum Jehovah fundaret Sionem, & ad illam receptum haberent inopes populi mei.* h. e. pauperes ſpiritu non ſpectarent illam hæreditatem terrenam, ſed eam, quam fundat Dominus. Eſai. 14: 32. *Aperite portas, & intret gens juſta, ſervans fidem.* Eſai. 26: 2. *Quis in vobis timens Domini, auſcultans voci ſervi ejus?* in Chriſtum credens. *Qui ambulaverit in tenebris, & cui nullus ſplendor, confidat in nomine Jehovæ, & nitatur Deo ſuo.* Eſai. 50: 10. *In juſtitiâ conſtabilieris. Longè recede à fraudatione. Nam non metues.* Eſai. 54: 14. *Heus omnis ſitiens, venite ad aquas, etiam cui non eſt argentum; venite & emite & edite, & venite emite ſine argento & ſine pretio vinum & lac. Quare appenditis argentum pro non pane, & laborem veſtrum pro eo quod non eſt ad ſatietatem? Audite audiendo ad me, & comedite bonum, & delitiabitur in opimitate anima veſtra. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite & vivet anima veſtra.* Eſt ſermo ad Judæos juſtitiam Dei ſitientes, qui monentur, ut ſervitutem legis, & omnia quæ habebant in terrâ Canaan, relinquant, & tantùm credant, quod in Deo ipſis ſit parata juſtitia & vita. Eſai. 55: 1. 2. 3. *Sic dixit Jehovah: Servate judicium, & facite juſtitiam . . . Beatus homo, qui faciet hoc; & filius hominis, qui id retinebit, ſervans Sabbatum,* quietem N. Teſt. à ſervitute & umbris, *ne profanet illud, & ſervans manum ſuam, ne faciat ullum malum. Et ne dicat perregrinus, qui agglutinatur Jehovæ, dicendo: Separat me Dominus à populo ſuo: Et ne dicat Eunuchus, ecce ego arbor arida. Nam ſic dixit Jehovah Eunuchis, qui ſervabunt Sabbata mea, & eligerunt id, quo ego delector, & retinent fœdus meum. Dabo ipſis in domo meâ & in muris meis manum ſive ſpacium . . . . Et peregrini qui agglutinantur Jehovæ ut miniſtrent ipſi, & ut diligant nomen Jehovæ, ut fiant ipſi ſervi: Omnis qui obſervat Sabbatum, ne profanet illud, & tenent fœdus meum. Introducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meâ: holocauſta illorum & ſacrificia illorum in acceptationem erunt ſuper altari meo. Nam domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Eſai. 56: 1 — 7.

Unxit

Unxit me Jehovah ad evangelizandum manſuetis, miſit me ad obligandum confractos corde. Eſai. 61: 1. *Et hunc intueor mopem percuſſum ſpiritu, & trepidantem propter verbum meum.* Eſai. 66: 2. *Et fiet, ſi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, vivit Jehovah; quemadmodum docuerunt populum meum jurare per Baal, ædificabuntur in medio populi mei.* Jerem. 12: 16. *Benedictus vir, qui confidit Jehovæ, cujus fiducia Jehovah factus eſt.* Jerem. 17: 7. *Et ego non feſtinavi à ſequente paſtum tuum .... Quod exivit labia mea, coram facie tuâ exſtitit.* Jer. 17: 16. *Et hoc nomen Iſraëlis, quo vocabit eum* quiſque, *Jehovah juſtitia noſtra.* habebit hunc characterem, quod vitâ oſtendat ac profiteatur, Jehovam eſſe juſtitiam ipſius. Jer. 23: 6. 33: 16. *Et ſervient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi regi ſuo, quem excitabo ipſis.* Jer. 30: 9. *Et erit mihi in nomen alacritatis, in celebrationem, & in ornatum omnibus gentibus terræ, quæ audient omne bonum, quod ego facio cum ipſis, & pavebunt,* cum pavore accurrent, *& commovebuntur propter omne bonum, & propter omnem pacem, quam ego facio illi.* Jer. 33: 9. *Et ſacerdotibus Levitis non exſcindetur vir à conſpectu meo, qui offerat holocauſtum, & adoleat munus, & faciat ſacrificium omnibus diebus.* i. e. Sacerdotes induti juſtitiâ & ſalute, in juſtitiâ ſervient mihi, & eum cultum præſtabunt, qui per vetera ſacrificia fuit adumbratus: Servient, inquam, in ſpiritu & veritate. Jerem. 33: verſ. 18. *Dicite fratribus veſtris,* habentibus idem ſemen, nimirum Spiritum Dei, & eandem regenerationem, & ſic pariter filiis Dei vivi, *Ammi*, h. e. *Populus meus; & ſorori veſtræ, Ruhamah*, h. e. *Diligitur.* Hoſ. 2: 3. *Et erit quicunque invocabit* (vel *nuncupabit, profitebitur*) *nomen Jehovæ,* re ipſâ atque operæ manifeſtatum per obedientiam Chriſti, *præſervabitur.* ut effugiat pœnas ſpirituales, & mortem ſecundam, tùm etiam ne abſumatur afflictionibus temporalibus. Jo. 3: 5. *Indicavit tibi, ô homo, quid ſit bonum. Et quid Jehovah requirit à te, niſi facere judicium, & diligere charitatem, & humiliter ambulare cum Deo tuo.* Mich. 6: 8. *Et juſtus in fide illius vivit.* Hab. 2: 4. *Hæc ſunt verba, quæ facietis. Loquimini veritatem quiſque cum proximo ſuo, veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris. Et quiſque malum proximi ſui ne cogitetis in corde veſtro, & juramentum falſitatis ne diligatis. Nam cum omnibus his erunt, quos odi; ait Jehovah.* Zach. 8: 16. 17. *At veritatem & pacem diligite.* Ib. verſ. 19.

§. 124. Qui ſic Deum colit per confeſſionem, nempe ſacerdotis & ſacrificii juſtitiæ ab ipſo oblati, is Deo *ſacrificat*; Pſalm. 50: 14. 23. Et eſt *Propinquus Dei.* i. e. prope ad Deum accedit, ut Sacerdos. Pſalm. 148: 14. Ipſa enim fidei *ὁμολογία* & *confeſſio* eſt *ſacrificium*, h. e. Deo grata res, & ejus veritati, ſanctitati, potentiæ, & bonitati celebrandæ conveniens. Ideoque elogio etiam *ſacrificii juſtitiæ* inter cætera ornatur; ut Pſalm. 4: 6. Deut. 33: 19. Quantumvis enim non ſit ſacrificium illius juſtitiæ, per quam Deus ſanctificatus eſt, & peccatum damnatum, ut peccata condonare, & vitam donare poſſet, & donaret; tamen eſt ſacrificium illius juſtitiæ ac rectitudinis, quâ Deus remittens peccata, ut ſanctus & juſtus, & per ſacrificium ipſo dignum ſanctificatus & juſtificatus celebratur. Quod verè eſt *ſacrificium*, h. e. res Deo grata & accepta, & velut epulum Dei & *εὐωδία*, quâ ipſe *εὐαρεστεῖται*. Heb. 13: 16. Neque dedignatur Scriptura in typis & emblematis ſive ænigmatis ſtatum Eccleſiæ Novi Teſtamenti figurantibus (quale eſt templum Ezechielis) eam appellare *ſacrificium pro peccato.* Nam quum poſt ſacrificium Chriſti non ſit oblatio pro peccato, (quippe quum per illud remiſſio plenaria impetrata ſit,) non aliud eſt ſacrificium pro peccato, quod fideles, quoties cœſpitant, Deo offerre poſſunt, quam confeſſio *ἱλασμοῦ* & provocatio ad interceſſorem Chriſtum,

 & peti-

& petitio veniæ in nomine ipſius ut diſcimus ex dicto Pſalmo, & Pſ. 51: 8. 9. 18. Quale ſacrificium pro peccato offert & David Pſalm. 143: 1. 2. & Hoſeas offerre docet cap. 14: 2. 3 Id reverà eſt *juge ſacrificium*, quod Deo in Eccleſiâ offerri debet cum confeſſione, prædicatione veritatis, precibus, & omnibus fructibus juſtitiæ. Dan. 12: 11. Sic itaque fidelibus ad ejus ſacerdotii vocatis, impletur promiſſio, quæ exſtat. Jerem. 33: 18. *Et ſacerdotibus Levitis non exſcindetur vir à conſpectu meo, qui offerat holocauſtum, & adoleat munus, & faciat ſacrificium omnibus diebus.* Et verſ. 20. 21. 22. Ibidem: *Sic dixit Jehovah: Si irritum facietis fœdus meum diei & fœdus meum noctis, & ut non ſit dies & nox in tempore ſuo. Etiam fœdus meum irritum fiet cum Davide ſervo meo, ne ſit ipſi filius regnans in throno ipſius. & cum Levitis ſacerdotibus miniſtris meis. Quemadmodum non numerabitur exercitus cœlorum, & non menſurabitur ſabulum maris; ſic multiplicabo ſemen Davidis ſervi mei, & Levitas miniſtrantes mihi.*

§. 125. Undecimò; Quatenus telum acerrimum ad obedientiam hujus legis, ac duriſſimam ſervitutem, obeundam, erat metus mortis & afflictionum, putà amiſſionis terræ, aut turbatæ tranquillæ fruitionis ejus bonorum, ideo quia terra Canaan, & felix ac longæva vita in eâ, erant promiſſa, ut præmium obedientiæ, & in pignus hæreditatis ac vitæ æternæ, ſublatâ obligatione ad hanc legem, factum quoque eſt, ut, exemptâ Eccleſiâ è vinculis quaſi iſtis reſpectus nimii & amoris rerum terrenarum, ceſſaret hic metus, ſubſtituto in locum ſpiritus formidinis ſpiritu alacritatis, & lætitiæ, ac gloriationis in ipſis afflictionibus, ipſâque morte. De hoc ſtatu Eccleſiæ, & peremptione affectus nimii erga res terrenas, & metus earum amittendarum, ita eſt in prophetia: *Non timeo à myriadibus populi, quæ circumquaque metantur contra te.* Pſalm. 3: 7. *Audi, filia, & vide; & attende aurem tuam*, ut audias vocem ſponſi, *& obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.* omnem prærogativam carnalem, quòd ſcil. fueris gens peculiaris, per circumciſionem ab aliis ſecreta, tum ſanctuarium Domini, patres, reges, patriarchas, prophetas, abnega. Pſalm 40: 11. *Nam tu es ſecuritas mea à juventute meâ.* propter quem non metuo. Pſalm. 71: 5. *Non timebis à pavore noctis; à telo, quod volat die. A peſtilentiâ, quæ in caligine graſſatur, à veneno, quod vaſtat in meridie.* Pſ. 91: 5. 6. *Jehovah rex factus eſt . . . . Etiam confirmatur frugifera, non nutabit.* Confirmatio iſta frugiferæ, ſ. Eccleſiæ, opponitur ejuſdem commotioni ſub Vet. Teſtamento; Conſiſtitque in abrogatione externæ formæ Eccleſiæ, quæ per promiſſiones corporales tanquam pignora cœleſtium erat affixa terræ, in quâ erant non tantùm verè juſti, ſed & injuſti, per quorum communionem juſti implicabantur judiciis, ita ut non ſemel ſacramentis Divinæ unionis privarentur. Hâc enim abrogatâ, aliam conſtituit rationem Eccleſiæ merè ſpiritualem, quæ nunquam abrogatur, cui per vinculum, quod illam colligat, nempe ſpiritum fidei, nulla ſit communio cum improbis, quæque nullis afflictionibus opprimitur, ſed potiùs glorificatur. Pſ. 93: 1. *Jehovah*, poſt reconciliationem factam, *eſt meus, non timebo, quid faciat mihi homo.* Pſalm. 118: 6. *Sit pax in antemurali tuo, tranquillitas in palatiis tuis.* Ceſſet foris bellum, intus miſeria, ruptura, calamitas, diſſidium. Pſalm. 122: 7. *Quum Jehovah reſtitueret Sionem in integrum.* i. e. Eccleſiam Deo in Sione ſervientem viſitaret, excitando regem verum & juſtum ex domo Davidicâ, qui haberet regnum in totum Iſraëlem Dei, quique auferret jugum legale, cujus non ſervati effecta fuerunt abjectio decem tribuum, deſtructio regni Davidici, abductio populi in captivitatem Babylonicam, &c. Pſalm. 126: 1. *Multùm arctarunt me à pueritiâ meâ:*

etiam

etiam non prævaluerunt mihi. Liberatus tandem ſum à ſervili conditione, & tranſlatus in ſtatum filiorum, ut non ampliùs cogar reſpicere ad principes illius ſœculi, & terram illam, & ſanctuarium illud & politiam illam, ſed poſſim liber in omni loco puras manus ad Deum in cœlum tollere, ab eoque juſtitiam & vitam, & hæreditatem mundi, exſpectare. Pſalm. 129: 2. *Omnem gemitum ejus ceſſare feci.* Eſ. 21: 2. *Quia dixerat ad ipſos hæc eſt requies; date quietem laſſo: Et hæc eſt tranquillitas.* Ita tempus veſtrum erit in perpetuum, & nihil timebitis ampliùs. Eſai. 28: 12. *Ne metuas, quia non pudefies; & ne confundaris, quia non compungeris; ſed pudorem adoleſcentiæ oblivìſceris.* Eſai. 54: 4. *In juſtitiâ conſtabilieris . . . Nam non metues, & à conſternatione longè recede. quia non appropinquabit ad te.* malum. Eſai. 54: 14. *Quare appenditis argentum pro non pane, & laborem veſtrum pro eo quod non eſt ad ſatietatem?* Oſtenditur, nihil eſſe, quod ære vel labore comparari poſſit, qualis erat habitatio terræ Canaan, communio populi carnalis, admiſſio ad atrium domus Dei, pro quibus rebus Judæi multa cogebantur facere, & de opibus ſuis multa dare, quod pro vero pane, & pro verâ ſatietate dari poſſit. Eſ. 55: 2. Add. Jer. 17: 8. 17. 18. *In diebus ejus ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit ſecurè.* Nihil enim in mundo habebit metuendum verus Iſraël, non ſollicitus de urbe vel politiâ vel templo vel ſimilibus rebus, ac quieſcens in Deo. Jer. 23: 6. 33: 16. *Et fiet die illo, ait Jehovah Deus exercituum, frangam jugum ejus à collo tuo, & vincula tua disrumpam, & non ampliùs ut ſervo utentur ipſo alieni.* i. e. in poſterum fideles in regnum Dei & Chriſti tranſlati liberi futuri ſunt à regno & dominatione humanâ: ita ut nec hæreditatem aut politiam in mundo habeant, quam perdere poſſint. Jerem. 30: 8. *Et tu ne timeas, ſerve mi Jacob, ait Jehovah, & ne conſterneris, Iſraël. Nam ecce ego ſalvo te ex longinquo, & ſemen tuum ex terrâ captivitatis ipſorum; & revertetur Jacob, & requieſcet, & tranquillus erit, & non erit turbans.* Quemadmodum contigit in regno Chriſti. Quamvis enim adhuc fideles in corpore ſint, & per multas afflictiones neceſſe habeant intrare in regnum cœlorum, nihilominus tamen à metu, quem Iſraëlitæ ſuſtinuerunt reſpectu terræ Canaan, ſunt liberati. Jerem. 30: 10. 46: 27. *Finita eſt pravitas tua, filia Sion: Non addet quiſquam te in exilium educere.* tanquam affixam certo loco aut populo, cum libertatem ſis habitura relinquendi omnes, qui nomen Dei non profitentur purè & caſtè, & ſe aggregandi fratribus duobus vel tribus. Thren. 4. 22. *Et non pudefient populus meus in ſæculum.* Commutatis afflictionibus in occaſionem gloriandi. Jo. 2: 27. *Et non tranſibit ſuper ipſos ampliùs Exactor.* Quoties enim legem transgrediebantur, Deus adducebat exteros populos, qui eos affligebant & ſubjiciebant ſibi & extorquebant illis tributa. Hæc autem erant propterea illis gravia, quia omnis afflictio & bonorum terreſtrium deminutio erat ademptio quædam ſymbolorum hæreditatis. Indicat igitur prophetia, Deum velle hunc ſtatum Eccleſiæ finire, in quo hoſtibus ad ſervitutem ſubjicerentur, & regnum id adducere, in quo libertas eſt, ita ut non ſerviant ampliùs hæreditati terreſtri, ut fraudatio bonorum videri poſſit exactio & interverſio hæreditarii boni. cujus amiſſio poſſit torquere animum. *quia nunc vidi oculis meis.* mala populi, ſervitutem ejus & ἐπιφόρησιν per exactionem & ἀποχαρῶν. Zach. 9: 8.

Quòd autem loco ſpiritus formidinis ſuccedat ſpiritus alacritatis, lætitiæ & gloriationis in malis & afflictionibus hujus vitæ, ipſâque adeo morte docemur his locis: *Sed lætentur omnis, qui ſe recipiunt ad te; in ſæculum canant.* Ne intercidat illorum jubilatio ullâ cruce, afflictione, & perſecutione, *& protegas ipſos, & exſultent in te diligentes nomen tuum.* Pſal. 5: 12. *Accingens me virtute, & qui dabat ſimpli-*

cem

cem viam incam. Significatur robur animi ad ſubeunda & ſuperanda omnia gravia & acerba, & amor ac notitia viæ cœli. Pſal. 18: 33. *Recordetur* tanquam fragrantiam perſeverantem *omnia munera tua; & holocauſtum tuum* igne cœlitùs demiſſo *incineret.* in ſignum acceptationis. Intelliguntur ſpiritualia, & rationalia ſacrificia fidelium, qui bonorum ſuorum direptionem cum gaudio excipiunt, & animas ſuas non diligunt uſque ad mortem. Pſal. 20: 4. *Celebrent Jehovam, qui quærunt eum: Vivat cor veſtrum in perpetuum.* licet in anguſtiâ & metu, tamen eſtote bono animo. Pſ. 22: 27. *Comederunt* gentes (*& adorarunt*) *omnia opima terræ. Coram ipſo curvantur omnes deſcendentes pulverem, & qui animam ſuam non vivificavit.* Ità alacritas credentium ad ſubeundam mortem & fundendum ſanguinem deſcribitur. Pſal. 22: 30. *Interdiu jubebat Dominus exſtare gratiam ſuam, & de nocte carmen ejus erat mecum.* Tempore noctis & preſſuræ etiam lætus gratiam Domini decantabam. Pſal. 42: 9. *Canite Deo, pſallite nomen ejus*, cum lætitiâ illud prædicate, ... *& exultate coram ipſo* quantùm poteſtis, deponite omnem pavorem & formidinem. Pſal. 68: 5. *Viderunt manſueti* exaltationem Chriſti, *lætentur: curantes Deum, & vivat cor veſtrum.* Eo quod Chriſtus aſcendit in cœlum, adverſus omnem triſtitiam & tentationem afflictionis fiduciâ & alacritate omni confirmamini. Pſal. 69: 33. *Bonum eſt confiteri Jehovæ, & canere nomini tuo, qui es Altiſſimus.* lætitiam animo conceptam in ipſis quoque tribulationibus omnibus ſignis patefacere. Pſal. 92: 2. *Amo.* Id ſic abſolutè non tam amandi actum, quàm amantis affectum, & ſtatum, quo amore totus abreptus, & quaſi abſorptus eſt, ſignificat. q. d. plenus ſum amore. Is affectus eſt donum Spiritus filiationis. Opponiturque affectui δειλίας & φόβου, formidinis & metus, quem habebant veteres. Conſiſtit autem in eo, quòd quis amet cum lætitiâ & gratiarum actione, cum abnegatione ſpei terreſtris, & cum gloriatione in afflictionibus. Pſal. 116: 1. *Benefac plenè ſervo tuo; vivam*, amem te in lætitiâ, neque occuper ampliùs in elementis mundi, quæ miſeria quædam & mors erat, *& cuſtodiam verbum tuum.* Pſal. 119: 17. *Anima mea eſt agglutinata pulveri, Vivifica me ſecundùm verbum tuum.* Pſal 119: 25. *Hæc eſt conſolatio mea in debilitate* & afflictione *meâ, quòd dictum tuum vivificavit me.* Pſal. 119: 50. *Vide afflictionem meam, & libera me.* Pſ. 119: 153. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ*, ut non in ſervitute & metu mortis, & in accuſatione reatus, miniſtrantes peccato & maledictioni offerant, ſed cum omnibus fidelibus ad Deum accedere poſſint in juſtitiâ & libertate. eique ſacrificium laudis & confeſſionis offerre, *& amantes te*, vel *ſtudioſi tui jubilent.* Pſal. 132: 9. *Sacerdotes ejus induam ſalute, pii ejus* (Sionis) *jubilando jubilabunt.* Pſal. 132: 16. *Hallelujah. Celebrate Jehovam ex cœlis; celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes angeli ejus; celebrate eum, omnes exercitus ejus. Celebrate eum, Sol & Luna; celebrate eum, omnes ſtellæ lucidæ. Celebrate eum, cœli cœlorum, & aquæ quæ ſunt ſuper cœlos. Celebrent nomen Jehovæ.* Cœli & ſtellæ lucidiores ac jucundiores credentibus in filium Dei exſtiterunt. Nam ut triſtibus videtur cœlum convolvi & obnubilari, ita lætis videtur meridies ipſe clarior. Læti autem agunt in mundo, qui ſciunt, Jehovam eſſe Deum ſuum. Quam lætitiam etiam in mortem animam ſuam tradendo teſtati ſunt. Pſal. 148: 1—5 *Lætetur Iſraël in factore ſuo: filii Sionis gaudeant in rege ſuo Celebrent nomen ejus in chorea, cum tympano & citharâ canant ipſi.* Pſal. 149: 2. 3. *Celebrate ipſum nablio & citharâ.* i. e. ſubactione voluptatum corporis, ut quicquid eſt in ipſis, conſpiret ad lætitiam, & animum lætitiâ perfuſum demonſtrent in ipſis afflictionibus. Pſal. 105: 3. quod eſt κιθαρῳδῶν. Apoc. 14: 2. *Lætantur coram te velut lætitiâ in meſſe, quemadmodum gaudebant, cùm dividerent ſpolia.* Eſai. 9: 2.

Et

Et addent manſueti in Domino lætitiam, & egeni hominum in ſancto Iſraëlis gaudebunt. Adminiculum lætitiæ: *Nam cum finitus fuerit violentus, & conſectus irriſor, exſcindentur omnes vigilantes circa vanitatem.* Eſ. 29: 19. 20. *Fragorem facite, cantate pariter, deſolata Hieroſolymæ, quia conſolatus eſt Jehovah populum ſuum.* Conſolatio iſta eſt juſtificatio & libertatis donatio, ut qui credunt in Chriſtum, non habeant cauſam dolendi, ſi priventur hæreditate terreſtri, & communione populi, atque ita habeant ſimilitudinem locorum deſtructorum, *vindicavit Hieroſolymam.* Eſ 52:9. *Heus omnis ſitiens, venite ad aquas ... & venite emite ſine argento & ſine pretio vinum, & lac.* Credite vos in Chriſto adeptos eſſe ſublationem doloris, malæ conſcientiæ, & cauſam lætitiæ in ſpe cum omni exultatione. Eſ. 55: 1. *Audite audiendo ad me, & comedite bonum, & delitiabitur in opimitate anima veſtra.* Credite, quòd in Deo per Chriſtum vobis ſit parata juſtitia & vita. Ita enim ſpiritus veſter omni alacritate, promptitudine, & vitulatione efferetur, uſque ad contemtum omnium periculorum, atque ipſius mortis. Eſ. 55: 2. *Inclinate aurem veſtram & venite ad me: audite & vivet anima veſtra.* Compos erit veræ lucis & veræ lætitiæ. Eſ. 55: 3. *Introducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meâ: holocauſta illorum & ſacrificia illorum in acceptionem erunt ſuper altari meo* Ubi holocauſta ſignificant deditionem ſui in obſequium Dei per charitatem; ſacrificia, omnia opera, quibus Deus glorificatur, & nominatim obitionem mortis pro nomine ipſius Eſai. 56: 7. *Unxit me Jehovah ad evangelium* boni diù exſpectati & ablationis moleſtiæ diu latæ, *annunciandum manſuetis*, iis qui parati ſunt relinquere bona terreſtria propter ipſum; *miſit me ad obligandum*, i. e. lætificandum, *confractos corde, ad prædicandum abductis in captivitatem libertatem.* Eſ. 61: 1. *Ad ponendum lugentibus Sionis, ad dandum ipſis oleum hilaritatis*, i. e. ſpiritum patientiæ, fortitudinis, ad alacriter ſubeundum omnes paſſiones; *operimentum gloriationis*, i. e. gloriationem in ſalute, in ſpe gloriæ Dei, in afflictionibus, in Deo, *pro ſpiritu hebeti.* animo humili. & abjecto. Eſ. 61: 3 *Et aſpiciemus lætitiam veſtram, & illi pudefient.* Eſai. 66: 5 *Lætamini cum Hieroſolymâ & gaudete propter illam, omnes diligentes illam; hilareſcite cum ipſâ hilaritate omnes qui lugetis propter illam. Ut ſugatis & ſatiemini ex ubere conſolationum ejus.* Eſ. 66: 10. 11. *Et erit mihi in nomen alacritatis* vel *hilaritatis.* quod audientes exhilaret & alacres faciat, ut currant ad me, ac etiam per ipſam mortem ad me nitantur. Jerem. 33: 9. *Et ſacerdotibus Levitis non exſcindetur vir à conſpectu meo, qui offerat holocauſtum, & adoleat munus, & faciat ſacrificium omnibus diebus.* Jer. 33: 18. Ut paulò ante. Eſ. 56: 7. *Et ſpecies vultuum illorum, vultus hominis & vultus leonis ad dextram quatuor illis.* Ubi vultus Leonis animum in quatuor animalibus ſignificat animum magnum & intrepidum in Eccleſiâ redemptorum ex quatuor plagis mundi. Ezech. 1: 10. *Et ſpecies animalium; aſpectus eorum erat, ut prunarum ignis ardentium, ut aſpectus flammarum. Hoc ambulabat inter animalia.* Ubi ignis ſignificat Spiritum habitantem in Ecclſiâ, eamque facientem ardere charitate & zelo, & lucere verbo veritatis, & actione virtutis, & patientiâ afflictionis. Ezech. 1: 13. *Et audiebam vocem alarum ipſorum, ut vocem aquarum multarum, ut vocem omnipotentis, cùm irent; vocem loquelæ, ut vocem exercitus.* Eccleſia ſcil. ſine voce magnâ in mundo non eſt, & eſt ea vox, ut exercitus, ſ. hominum in caſtris, maximè in certamine ſeſe mutuò cohortantium. Ezech. 1: 24. *Et ſpiritum novum*, ſpiritum nempe alacritatis & lætitiæ, loco ſpiritus formidinis, *dabo in medium ipſorum.* Ezech. 36: 26.

§. 126. Cauſa hujus tantæ lætitiæ eſt, quòd ſciunt fideles, poſt expiationem

 peccati

peccati & reconciliationem factam, mala ſibi inflicta non eſſe amplius, ut olim, ſigna iræ. Ita enim eſt Pſal. 34: 23. *Redimit Jehovah animam ſervorum ſuorum*, ita illos circumſepit gratiâ & potentiâ ſuâ, ne vitæ aut beatitudini illorum ulla noxa inferatur, *& non fiunt*, ſ. demonſtrantur, *rei omnes recipientes ſe ad illum* Pſal. 37: 33. *Jehovah non relinquet juſtum in manu improbi, & non damnabit eum, cùm judicabitur.* Pſal. 69: 34. *Attendit ad pauperes Jehovah, & vinctos ſuos*, nempe ſuâ cauſâ vinctos, *non ſpernit*. Et Eſai. 54: 9. *Juravi ne effervescam in te & increpem te.*

§. 127. E contrario ſciunt, Deum eſſe Deum ſuum, & patrem ſuum benignum in Chriſto. Ut poſſint gloriari cum Davide. *Jehovah eſt lux mea & ſalus mea, à quo timebo? Jehovah robur vitæ meæ, à quo formidabo?* Pſal. 27: 1. *Ego is, qui ſedet in latibulo Altiſſimi, in umbrâ Omnipotentis divertitur, Dico: Jehovæ eſt receptus meus & arx mea; Deus meus, in quo confido Jehovah eſt meus; non timebo: quid faciet mihi homo?* Pſal. 118: 6. *Pater pupillorum & judex* (ſive *Patronus*) *viduarum Deus in habitaculo ſancto ſuo.* q. d. ſunt quidem diſcipuli Chriſti infirmi ac debiles, nullamque opem habent in mundo, velut pueri parentibus orbi, aut viduæ; ſed habent in cœlo Deum, qui eſt pater orphanorum & patronus viduarum. Pſal 68: 6. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuel*, h. e. *Nobiſcum Deus.* Eſ. 7: 14. Add. Jerem. 17: 17. *Tu ne timeas ſerve mi Jacob, nam tecum ego ſum.* Jerem. 46: 28. Add. Hab. 3: 4.

Sciunt quoque, ſe ita à Deo cuſtodiri, ne poſſint ab ullo hoſte vinci, & ab amore Salvatoris ſeparari. Quod ita dicitur: *Alâ ſuâ obteget te, & ſub alis illius receptum habebis; ſcutum & parma eſt veritas ipſius. Non timebis.* Pſal. 92: 5. *Altiſſimum poſuiſti manſionem tuam. Non incidet in te malum, & plaga non appropinquabit ad tentorium tuum* Ibid. vers 9: 10. *Hieroſolyma! montes ſunt circa illam: Sed Jehovah eſt circa populum ſuum à nunc uſque in ſæculum.* Pſal. 125: 2. *Urbs roboris nobis eſt, ſalutem ponit muros & antemurale.* Eſ. 26: 1.

Sciunt porrò, hunc Deum benignum mala iſta & afflictiones ita moderari, ut poſſint fideles ea perferre, & cooperetur omnia in ipſorum bonum. Idque ſecundùm promiſſiones: *In juſtitiâ conſtabilieris . . . Nam non metues. Et à conſternatione* longè recede: *quia non appropinquabit ad te.* h. e. Deus non patietur te tentari ultra quam poteſtis ferre. Eſ. 54: 14. *Facis ipſum dominari in omnia opera manuum tuarum.* nempe in omnes res creatas, ut ipſi & Eccleſiæ ſuæ ſerviant unde ſequitur, ut omnia amantibus ipſum cooperentur in bonum. Pſalm. 8: 7. *Det tibi ſecundùm cor tuum.* Ea eſt voluntas propitiæ intentionis, in quâ ei placet ut manifeſtetur Dei nomen, fides propagetur, & credentibus bene ſit. *omne conſilium tuum impleat.* Id eſt conſilium juſti propoſiti, quo hoſtium violentiam dirigit ad bonum Eccleſiæ, ipſorumque exitium & pudorem. Pſal. 20: 5. *Beatus cujus auxilium eſt Deus Jacobi*, ad cujus ſalutem potentiam ſuam confert is, qui ſe manifeſtavit Jacobo & poſteris ejus, *cujus ſpes eſt ſuper Jehovah Deo ſuo Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.* Cui idcirco omnia parent, & ſubminiſtrare debent diligentibus ipſum ad ipſorum bonum. Pſal. 146: 5. 6. *At dixit Sion, deſeruit me Jehovah & Dominus mei oblitus eſt.* Habet interdum Eccleſia ſpeciem derelictæ, ſecundùm apparentiam ſcil. & ſecundùm judicium mundi. Nam reverâ dum *Jehovam* nominat, qui fit quod eſt, & *Dominum*, cujus eſt populus, & regnum, ſpem fidemque ſuam nullis tentationibus expugnabilem teſtatur. *An obliviſcetur mulier parvuli ſui, ne miſereat illam filii ventris ſui. Etiam hæ obliviſcuntur, at ego non obliviſcar tui.* Negat Deus ſe Eccleſiæ obliviſci poſſe, ut regnum in eâ inchoatum per

filios

filios ejus non perpetuetur in ſœculum. *Ecce in manibus meis ſignavi te, muri tui coram me ſunt ſemper.* Illuſtrat curam ſuam erga Eccleſiam ſimilitudine ejus, qui inter operandum ante oculos & quaſi in manu habet pictam ideam operis ſui, quo notatur, omnes Dei actiones collimare ad Eccleſiæ bonum. Eſai. 49: 14. 15. 16.

§. 128. Nominatim ſciunt, afflictiones, Dei gratiâ, & merito Chriſti, eſſe in coërcitionem peccati, ut & ipſam mortem ad deſtructionem peccati in corpore noſtro habitantis. Id quod diſcimus ex Pſalm. 119: 75. *Novi, Jehovah, quod juſtitia ſint judicia tua*, quòd ſint digna Deo facere, ut aboleatur in filiis ejus vetus homo, *& fideliter humiliâſti me.* non ex irâ, ſed ad ſalutem meam. Item Jer. 46: 28. *Tu ne timeas, ſerve mi Jacob, ait Jehovah. Nam tecum ego ſum. Nam faciam conſummationem in omnibus gentibus, quo pepuli te, & tecum non faciam conſummationem, & caſtigabo te ad judicium, & non omittam te impunitum.* Ubi caſtigationem vocat ſpeciem iræ, quam præferunt afflictiones populi Dei, cum reverâ non ſint ab irâ. Caſtigationem tamen vocat æquam & ἄμεμπτον. Nam fieri non poteſt, ut Deus diſſimulet peccata, etiam ſuorum. Quod verò addit, *ſe Iſraëlem non dimiſſurum impunitum*, ſignificat, ſe ex Iſraële ſanctificaturum ſibi populum, cui remittat peccata, & cujus carnem per afflictiones & caſtigationes perdomet.

§. 129. Quin etiam ſciunt poſt multas afflictiones, & per eas, ſibi paratum eſſe regnum & hæreditatem mundi. Quod innuitur in oratione Pſalm. 122: 6 7. *Optate pacem Hieroſolymæ.* &c. Et docetur apud Eſaiam cap. 49: 10. *Non eſurient & non ſitient*, non deſiderabunt quicquam ad conſolationem ſuam, *& non percutiet illos æſtus & Sol*: tribulationis, quamvis ipſis occurrat, non languebunt inde, *nam miſerator illorum ducet illos* in viam rectam, ut inveniant locum habitationis, nec in recta aut præcipitia incidant; *& ad ſcatebras aquarum aget illos.* leniter & clementer ipſos propellet, donec eò perveniant, ut ſuperent omnia certamina, & veniant tempora refrigerii.

§. 130. Sciunt denique, ſe tandem ab omnibus malis & afflictionibus liberatum iri, & per ipſam mortem tranſituros in vitam æternam. Quò pertinent hæc loca: *Oculi Jehovæ ad juſtos, & aures ejus ad implorationem eorum.* Pſalm. 34: verſ. 16. *Clamarunt, & Jehovah audivit, & ex omnibus anguſtiis illorum eripuit illos.* Ibid. verſ 18. *Propinquus eſt Jehovah fractis corde, & contritos ſpiritu ſalvat.* Ibid. v. 19. *Multa ſunt mala juſti, & ex omnibus illis eripit ipſum Jehovah.* Ibid. verſ. 20. *Servat omnia oſſa ejus, unum ex illis non frangitur.* Quamvis nimirum in oculis hominum videantur frangi, tamen apud Dominum non ſunt fracta; qui reconcinnabit illa, & nos integros ſuſcitabit ultimo die. Ibid. verſ. 21. *Sed Deus redimet animam ex manu inferni*, vi pretii ſalvet vincula mortis, & non patietur me venire in manu inferni; *quum aſſumet me.* i. e. transferet per mortem in vitam. Pſal. 49: 16. *Deus noſter eſt; Deus ad ſalvandum: Et Jehovah Dominus habet exitus mortis.* Pſalm. 68: 21. *Nam ipſe eripiet te à laqueo Aucupis, à peſtilentiâ nequitiarum. Non incidet in te malum, & plaga non appropinquabit ad tentorium tuum. Nam me dilexit, & faciam ipſum evadere.* Pſal. 91: 3. 10. 14. *Omnem gemitum ejus ceſſare feci.* Eſai. 21: 2. Add. Mich. 7: verſ. 7. 8.

§. 131. Duodecimò Factum, ut quatenùs per legem Populus in Terrâ à reliquis gentibus diſcernebatur, abrogatâ lege, & rupto illo intergerino pariete in corpore Chriſti, inimicitia quoque inter populum & gentes exſtingueretur, & pace inter utroſque ſtabilitâ, omnes, tam gentes, quàm Judæi, ſine diſcrimine, ad communionem eorundem beneficiorum vocarentur, & ſic quoque terreſtribus

omnibus inter ſe in unum corpus ſub capite Chriſto coadunatis, tandem omnia, tam quæ in terris, quàm quæ in cœlis, per communem omnibus juſtitiam, libertatém, ac lætitiam, unum facta conſummarentur. Veritati hujus articuli atteſtantur iſta: *Perſuadebit Deus Japheto, ut habitet in tentoriis Semi.* Quo ſignificatur, poſt diviſionem futuram unionem inter poſteros Semi & Japheti, ut habitent quaſi in unâ domo. Gen 9: 28. *Benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Gen. 12: 3. *Sic erit ſemen tuum.* Gen. 15: 5. *Dedi te in patrem multitudinis gentium.* Gen. 17: 4. 5. *Benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Gen. 22: 18. Qui ſemen Abrahami, & participes fidei ac benedictionis ipſius futuri declarantur, cum poſteris Abrahami ejuſdem benedictionis hæredibus coalituri & unus populus cum illis futuri demonſtrantur. *Ipſi* Pacifico *erit obedientia populorum.* Populi multi ſparſi & ſciſſi in mundo fient per obedientiam unius regis Dei in Chriſto unus populus. Gen. 49: 10. *Et obſervabitis & facietis: nam hæc ſapientia veſtra & prudentia veſtra in oculis gentium; quæ audient omnia ſtatuta hæc, & dicent, certè populus ſapiens & prudens eſt gens magna hæc.* Deut. 4: 2. *Gentes populum ejus.* Deut. 32: 43. *Pete à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & proprietatem tuam fines terræ.* Pſalm. 2: 8. *Beati omnes*, ſ. Judæi, ſ. gentes, *qui ſe recipiunt ad illum.* Pſalm. 2: 12. *Domino eſt regnum, & dominator in gentibus. Comedunt* gentes, *& adorant, omnia pinguia terræ.* Pſalm. 22: 29. 30. *Lætamini in Jehovah & gaudete, juſti, & jubilate, omnes recti corde.* Ubi vocabulum *omnes* tollit privilegium gentis aut populi certi quoad adeptionem juſtitiæ. Pſal. 32: 11. & 5: 12. *Ex cœlis proſpectavit Jehovah* benignus, *vidit omnes* ſine diſcrimine *filios hominis. Ex cœlo, loco ſedis ſuæ attendit ad omnes habitantes terram. Qui format cor illorum pariter.* i. e. qui ex æquo, ſine diſcrimine, (id enim eſt יַחַד *pariter*) ubivis exercere miſericordiam in fingendo vel refingendo homine ad fidem & amorem ſui, conſtituit. Pſalm. 33: 13. 14. 15. *Annunciavi in cœtu amplo* omnium gentium *juſtitiam.* Pſalm. 40: 10. Atque ita Pſalm. 22: 26. *In Eccleſiá amplâ vota ſolvam coram timentibus Deum.* i. e. coram multitudine maximâ. *Populi ſubter regem cadunt, filiæ regum in pretioſis tuis.* Pſalm. 45: 10. *O Auditor precum, ad te omnis caro* ſine diſcrimine *accedent.* Pſal. 65: 3. *Fiducia omnium terminorum terræ, & maris longinquorum.* Ibid. verſ. 6. *Hæreditatem tuam, etiam defeſſam, tu reficis illam. Animalia tua*, homines abs te vivificati, & ex gentibus aſſumti, *conſederunt in eâ.* ſe electis tuis de tribubus Iſraël conjunxerunt, ſuntque facti domeſtici & cives ſanctorum, *quæ paras inopi.* diſcipulis tuis, quos ad gentes miſiſti. Pſal. 68: 10. 11. *Accepiſti dona in hominibus, etiam accepiſti rebelles habitare pulchritudinem Dei.* h. e. gentes in communione ſanctorum eſſe. Pſalm. 68: 19. *Omnes gentes, quas feciſti, venient, & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum.* Pſalm. 72: 17. *Faciam in recordatione eſſe Rahab* (Ægyptum) *& Babel cognoſcentibus me. Ecce Palæſtina & Tyrus cum Cuſchitide. Hic natus eſt ibi.* per παλιγγενεσίαν. *Et de Sione dicetur, Quilibet natus eſt in eâ.* Pſalm. 87: 4. 5. 6. *Præ utero auroræ tibi eſt ros juventutis tuæ.* Pſalm. 110: 3. *Qui mutat petram in ſtagnum aquarum ſilicem in rivum aquarum.* Significatur datio fidei, & converſio gentium, patribus promiſſa. Pſalm. 114: 8. *Celebrate Jehovam omnes gentes, laudate eum omnes nationes. Quia exuberavit ſuper nos*, credentes tam ex gentibus, quàm Judæis, *gratia ipſius.* Pſalm. 117: 1. 2. *Qui confidunt Jehovæ*, ex quâcunque gente, civitate, origine ſint, *ſunt ut mons Sion.* eodem loco & jure, quo illi, qui quondam ad montem Sion acceſſerunt. Pſ. 125: verſ. 1. *Beatus omnis*, ex quocunque populo & gente, *qui timet Jehovam, ambulans in viis ejus.* Pſalm. 128: 1. *Ut oleum illud optimum ſuper caput deſcendens in barbam,*

barbam,

barbam, inquam. *Aharonis; quod deſcendit in oram togæ talaris ipſius.* Intelligitur beneficium Novi Teſtamenti, quod eſt in effuſione Spiritus S. in omnem carnem, h. e. omnia membra Chriſti ſine diſcrimine. *Ut ros Hermon*, quem germina Hermonis bibunt, *qui deſcendit in montes*, i. e. juga montis, *Sionis.* & propter quos ſimul deſcendit in Hermonem, & montes vicinos; ita & ros cœleſtis irrigat fratres ſedentes unà. Innuitur multiplicatio Eccleſiæ per vocationem gentium. Pſal. 133: verſ. 2. 3. *Ad montem domus Domini fluent gentes.* Eſai. 2: 2. Mich. 4: 1. *Anno mortis regis Uzziæ vidi Dominum ſedentem in throno celſo & elato; & fimbriæ ejus implebant templum.... Implet totam terram gloria ejus.* In viſione iſtâ ſubintelligitur manifeſtatio gloriæ Dei in effuſione Spiritus Sancti in omnem carnem ita ut non tantùm filii Iſraëlis ſint habitatio & quaſi indumentum glorioſum ejus, ſed totus mundus. Eſ. 6: 1. 3. f *Radix Iſai ſtabit in ſignum populorum, ad eam gentes cum curâ requirent. Ad amplificationem principatus.* in regni dilatatione & extenſione ad plures ſcil. familias gentium. Eſai. 9: 6. Eſ. 11: 10. *Et accedet πάροικος ad ipſos, & agglutinabuntur* ſive *ad corporabuntur ad domum Jacobi.* Proſelyti in fœdere pari conditione erunt, atque ipſi Iſraëlitæ. Eſai. 14: 1. *Aperite portas, & intret gens juſta, ſervans fidem*, omnes ſine diſcrimine, qui fidem habent in Deum, nullo attento diſcrimine, vel intergerino pariete, accedant ad communionem & fraternitatem. Eſai. 26: 2. *Longe à ſe invicem removiſti terminos terræ.* Per converſionem gentium, rupto pariete intergerino. Eſai. 26: 15. *Advenas radicabit Jacobus.* Eſai. 27: 6. *Cùm videbit* Jacob *natos ſuos opus manuum mearum.* Eſ. 29: 23. *Et dabo te in fœdus populi, in lucem gentium.* Eſai. 42: 6. *Ad educendum ex clauſtro vinctos, & ex carcere ſedentes in tenebris.* Eſai. 42: 7. & 49: 9. *Congregamini*, propter multitudinem, *& accedite* ad communionem cum Iſraële, *appropinquate.* Eſai. 45: 20. Add. Eſai. 48: 21. *Leve, præut ſis mihi ſervus ad erigendum tribus Jacobi, & oppugnatos Iſraëlis ad reducendum, & dabo te in lucem gentium, ut ſit ſalus mea ad finem terræ.* Eſ. 49: verſ. 6. *Juxta vias paſcentur.* i. e. in conſpectu omnium hominum habebunt auditores, qui cum ipſis, ut cibus, concorporantur, *& in omnibus faſtigiis eſt paſtus illorum.* nullus locus tam arduus eſt in mundo, ubi non inveniant electos. Eſ. 49: 9. *In agnitione ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos.* omnes ſcil. familias terræ, quarum Abrahamus eſt conſtitutus hæres. Eſai. 53: 11. *Propterea impertiar ipſi in multis, & cum robuſtis partietur ſpolium.* Ibid. verſ. 12. *Dilata locum tentorii tui & cortinas tabernaculorum tuorum extendant, ne parcas, prolonga funes tuos, & paxillos firma.* i. e. animo complectere totum mundum convertendum, & ſine diſcrimine omnes gentes recipe pro filiis. Eſai. 54: 2. *Parvo momento dereliqui te, & miſericordiâ magnâ colligam te.* Hæc collectio opponitur gentium diviſioni. Eſai. 54: 7. *Venite, emite ſine argento, & ſine pretio vinum & lac.* i. e. credite, vos in Chriſto adeptos eſſe abundantiam conſortium in communione Chriſti & omnium ſanctorum. Eſai. 55: 1. *Teſtem nationibus dedi eum, ducem & præceptorem nationum. Ecce gentem, quam non noſti, vocabis, & gens, qui non norunt te, ad te current, propter Jehovam Deum tuum, & ad ſanctum Iſraëlis, quia decoravit te.* Eſai. 55: 4. 5. *Et ne dicat peregrinus, qui agglutinatur Jehovæ, dicendo, ſeparando ſeparat me Jehovah à populo ſuo.* Significat, ſublatum eſſe diſcrimen gentium. Eſai. 56: 3. *Et peregrini qui agglutinantur Jehovæ, ut wimiſtrent ipſi, & ut diligant nomen Jehovæ, ut fiant ipſi ſervi: Omnis qui obſervat Sabbatum, ne proſanct illud, & tenent fœdus meum. Introducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meâ: holocauſta illorum & ſacrificia illorum in acceptionem erunt ſuper altari meo. Nam domus mea domus*

orationis vocabitur omnibus populis. Eſai. 56: 6. 7. *Ad conſolandum lugentes.* Super jacturis Iſraëlis: quæ conſolatio fit per incrementum regni Dei. Eſai. 61: 2. *Alteni paſcent oves veſtras.* Eſai. 61: 5. *Sic dixit Jehovah, cœlum eſt thronus meus, & terra ſcabellum pedum meorum*, ita ut nec templum nec Hieroſolyma ſit ampliùs thronus gloriæ, & ut omnes homines in toto mundo ſine diſtinctione ſtent ad pedes ipſius, neque habeant locum proprium, ad quem Deus velit venire. *quæ eſt domus, quam ædificabitis mihi? & quis locus requies mea? Et omnia hæc manus mea fecit, atque exſtiterunt omnia hæc, ait Jehovah*; & in omni loco *hunc intueor, inopem, percuſſum ſpiritu, & trepidantem propter verbum meum.* Eſai. 66: 1. 2. *Lætamini cum Hieroſolymâ & gaudete propter illam ... ut delitiemini ab animalibus gloriæ ejus.* i. e. de populis, qui vitæ Dei fiunt participes, per prædicationem Euangelii, ſuntque Eccleſiæ opes & decus & cibus. Eſ. 66: 11. *Et congregabuntur ad Hieroſolymam omnes gentes ad nomen Jehovæ, & non ambulabunt ampliùs poſt duritiem cordis ſui mali.* Jer. 3: 17. *Ad te gentes venient à finibus terræ, & dicent, Falſum hæreditaverunt patres noſtri, vanitatem, & in quibus nihil utile, & cognoſcent, nomen meum eſſe Jehovah.* Jerem. 16: 19. 21. *Et ex medio illius exiſtebat ſpecies quatuor animalium.* i. e. exiſtebat Eccleſia redemptorum à Deo vivificata ex quatuor plagis mundi. Ezech. 1: 5. coll. Apoc. 5: 8. 9. *Quum accipies ſorores tuas majores te cum minoribus te, & quum dabo illas tibi in filias.* Ezech. 16: 61. *De capite ſtolonum ejus molle decidam, & plantabo ego in monte alto & eminenti.* Chriſtus rex erit, & rex erit amplus in membris ſuis in toto mundo conſpicuis. *In monte celſitatis Iſraëlis plantabo illud & feret ramum, & faciet fructum, & fiet cedrus ingens, & habitabunt ſub ipſá omnis avis, omnis ala in umbrâ ramorum ejus habitabunt.* i. e. omnes gentes accedent ad ipſum tanquam unicum effugium ſuum. Ezech. 17: 23. *Et educam eas ex populis, & congregabo eas ex terris, & deducam eas in terram ſuam.* Eductio illa non tantùm facta eſt per Cyrum, ſed etiam ultimo tempore cum Spiritum ſuum effunderet in Apoſtolos. Ezech. 34: 13. *Et vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non dabo ſuper vos venire famem.* Significat fideles habituros copiam fratrum ex gentibus. Ezech. 36: 29. *Et multiplicabo illos.* Ezech. 37: 26. *Sortiemini illam terram hæreditatem vobis & advenis, qui in medio veſtri cohabitant, qui genuerint filios in medio veſtri, & erunt vobis ut indigena in filiis Iſraël.* Ezech. 40: 7. 22. *Vidi Tyro plantatam in habitaculo.* i. e. Vidi filios gentium, filiam Tyri, ut eſt Pſalm. 45. in cœtum congregatos, & radicatos in domo & in terrâ Domini inter oves paſtus ejus. Hoſ. 9: 13. *Erunt reliquiæ* vel *erit conſervatio in Sione, & in ſuperſtitibus, quos Dominus vocat, qui nuncupabunt nomen Domini & ſervabuntur.* Jo. 3: 5. *Ut hæreditent reliquias Edom & omnium gentium, ſuper quibus nomen meum nuncupatur, ait Jehovah, qui facit hoc* Amoſ. 8: 27. vel 9: 12. *Vertam ad populos labium clarum* vel *ſelectum, ut omnes nuncupent nomen Jehovæ, ut ſerviant ipſi humero uno.* Zeph. 3: 9. *Commovebo omnes gentes, & accedent deſiderium omnium gentium.* Hagg. 2: 7. *Et adhæreſcent gentes amplæ & multæ Jehovæ die illo, & erunt mihi in populum.* Zach. 2: 15. *Longinqui venient & coædificabunt* acceſſu ſuo, ut lapidum vivorum, ad Chriſtum lapidem angularem, *templum Jehovæ.* Zach. 6: 15. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: Adhuc fiet, ut veniant populi & habitatores civitatum multarum. Et ibunt habitatores unius ad alteram, dicendo: Eamus eundo ad ſupplicandum Jehovæ & ad quærendum Jehovam Deum exercituum: Ibo & ego: Et venient populi multi & gentes validæ ad quærendum Jehovam Deum exercituum Hieroſolymæ, & ad ſupplicandum Jehovæ. Sic dixit Jehovah Deus exercituum: In diebus illis erit, ut apprehendant decem viri ex*

omnibus

omnibus linguis gentium, apprehendant, inquam, alam viri Judæi, dicendo: Ibimus vobiſcum. Nam audivimus, Deum eſſe vobiſcum. Zach. 8: 20. 21. 22. 23. *Omnis reſiduus ex omnibus gentibus ... aſcendent quotannis ad adorandum regem Jehovam Deum exercituum, & ad agendum feſtum tabernaculorum.* Zach. 14: 16 *Magnum nomen meum in gentibus, & in omni loco ſuffimentum offertur nomini meo & munus purum.* Mal. 1: 11.

§. 132. Atque hæc eſt Pax promiſſa ac prædicta in ſequentibus: *Ferent montes*, ſ. gentes, *pacem populo*, h. e. in bonum populi electi in hæreditatem, *& colles*, ſ. τὸ ἀλλόφυλον, *cum vel in juſtitiâ* quâ donabuntur à Chriſto. Siquidem hic intelligatur interfectio inimicitiæ, rupto intergerino pariete. Pſal. 72: 3. *Et nuncupatum eſt nomen ejus Princeps pacis.* qui abſtulerit diſcrimen gentium. *Sit pax in antemurali tuo, tranquillitas in palatiis tuis.* Pſal. 122: 7. *Propter fratres meos, & amicos meos loquar pacem in te.* Pſal. 122: 8. *Væ illis, qui ponunt amarum*, i. e. accuſationem legis ſervitutem, & ſeparationem gentium ab hæreditate Domini, *in dulce, & dulce*, i. e. juſtitiam, libertatem, & pacem in coalitione Judæorum & gentium, *in amarum.* Eſ. 5: 20 Eſ. 9: 5. *Ad amplificationem principatus, & pacem ſine fine.* Intellige pacem inter Judæos & gentes in Chriſtum credentes immutabilem, ut nunquam paries intergerinus rurſus erigatur. Eſ. 9: 6. *Utinam attendiſſes ad præcepta mea! Extitiſſet utique tanquam fluvius* perennis *pax tua* Eſ. 48: 18. *Quàm decori ſunt in montibus pedes nuntiantis Evangelium, qui facit audiri pacem.* Eſ. 52: 7. *Nam montes decedent, & colles nutabunt, & gratia mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ, non nutabit.* Eſ. 54: 10. Per hanc pacem fit collectio illa, de quâ Ibid. vers 7. *Et omnes filii tui diſcipuli Jehovæ, & multiplicabitur pax filiorum tuorum.* Eſ. 54: 13. Ubi pax intelligitur omnis generis, inprimis ea, per quam Eccleſia procedit ad regnum. *Et manifeſtabo illis abundantiam pacis.* faciam, ut coram cernant omnem pacem, etiam cum gentibus, ut fiant unus populus. Jerem. 33: 6. *Et pangam ipſis fœdus pacis.* Ezech. 37: 26. *Et in loco hoc dabo pacem, ait Jehovah Deus exercituum.* etiam in amoventâ inimicitiâ populorum & ſeparatione eorum à populo Dei. Hagg. 2: 9. *Et ipſe ædificabit templum Jehovæ, & ipſe accipiet majeſtatem, & conſidebit & dominabitur in throno ejus; & erit ſacerdos in throno ejus, & conſilium pacis erit inter utrumque.* Virum germen, & Jehovam. i. e. ipſius Sacerdotium erit cauſa voluntatis tollendi inimicitiam, quæ erat inter gentes per parietem intergerinum. Zach. 6: 13. *Loquimini veritatem quiſque cum proximo ſuo veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris.* Secundùm doctrinam Dei diſtinguendo fratres à non fratribus. Zach. 8: 16. *Veritatem & pacem diligite.* Zach. 8: 19. *Et loquetur pacem gentibus.* Zach. 9: 10

Hinc porro eſt, quod nomen collectivum *multi* ſit indigitatio Eccleſiæ Novi Teſtamenti. Vid. Gen. 7; 4. 5. Pſal. 22: 26. 8. 9: 8. Eſ. 53: 12. 54: 1.

§. 133. Quamvis autem ſic, reconciliatis inter ſe Judæis & gentibus, beneficia Novi Teſtamenti ad utroſque ex æquo perveniant, [illegible] tamen aliquod ordinis & dependentiæ in collocatione horum beneficiorum hîc ponitur in prophetiâ. Id [illegible] in eo eſt ſitum quòd Iſraëlitæ gentibus ſint exemplar benedictionis, fidei, & juſtitiæ, quòdque gentes Iſraëlitis dantur in hæreditatem. Nam ita habet promiſſio: *Pelliciet, Deus Japhetum, & habitet in tentoriis Semi.* Via ad communionem Dei eſt conſeſſus cum poſteris Semi in eiſdem tentoriis. Gen: 9: 27. *Benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Gen. 12: 3. *Dedi te in patrem multitudinis gentium.* Gen. 17: 4. 5. *Benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes tuæ.* Gen. 22: 18. In quibus dictis

dictis & hæc ſignificatio ineſt, Gentes benedicentur exemplo Abrahami & ſeminis ipſius. *Hæc eſt generatio quærentium Deum, quærentes faciem tuam, Jacob.* tanquam patris ſui ſcil., cujus illi verè poſteri ſint, qui ſimilitudinem fidei ejus recognoſcant in ſe ipſis. Sed & illi ex gentibus, qui accedunt ad aliquem de ſemine Jacobi, ceu teſtem Dei & Chriſti in Scripturis V. & N. T. faciem Jacobi quærere dici poſſunt. Pſal. 24: 6. coll. 1 Reg. 20: 24. *Eliget nobis hæreditatem noſtram, elationem Jacobi, quam diligit Selah.* i. e. Deliget & attribuet nobis cum delectu ex omnibus Chriſto ſeſe ſubjicientibus, & ex omnibus bonis, id quod eſt optimum, quod nobis ſit pro hæreditate. nempe id, quod Jacob præ cæteris omnibus gloriatur. id eſt. Primò Chriſtum: Deinde & omnia, quæ Chriſtus habet, quæque patribus promiſſa ſunt, donanda per Chriſtum, quale eſt inter cætera hæreditas mundi. Pſal. 47: 5. *Animalia tua*, gentes abs te viviſicatæ, *conſederunt in eâ.* hæreditate tuâ, electis tuis ex Iſraele, *quæ paras inopi.* Apoſtolis & diſcipulis tuis. Pſal. 68: 11. *Ferent montes pacem populo*, h. e. in bonum populi electi ex Judæis, *& colles cum juſtitiâ.* Pſalm. 72: 3. *Faciam in recordatione eſſe Rahab & Babel cognoſcentibus me. Ecce Palæſtina & Tyrus cum Cuſchitide. Hic natus eſt ibi. Et de Sione dicetur; Quilibet natus eſt in eâ.* Pſal. 87: 4. 5. 6. *Ad montem domus Domini fluent gentes.* Eſai. 2: 2. Mich. 4: 1. *Ad amplificationem principatus.* in ſubjectione omnium hoſtium, ut ſoli fideles fiant reges & hæredes gentium. Eſ. 9: 6. *Et accedet* προσήλυτος *ad ipſos, & adcorporabuntur ad domum Jacobi.* Eſ. 14: 1. *Advenas radicabit Jacobus.* Eſ. 27: 6. *Et dabo te in fœdus populi.* i. e. ut impetres ipſis hæreditatem teſtamento aſſignatam. & ut tibi ipſis bona à te præſtita proponent per gratiarum actionem, ut Domino ſuo reſpondeant, atque ita fiant populus Dei. Eſ. 42: 6. 49: 8. *Sic ait Jehovah, labor Ægypti & merces Cuſchæorum & Sabæi viri menſuræ*, qui ulnam tractant, *ad te tranſibunt, & tui fient*, tibi cedent in hæreditatem, *poſt te ibunt, in catenis tranſibunt, & ad te incurvabunt ſe, ad te adorabunt.* Eſ. 45: 14. *Et extitiſſet tanquam ſabulum ſemen tuum, & proles viſcerum tuorum, ut lapilli ejus.* Eſ. 48: 19. Add. Eſ. 49: 8. *Non eſurient & non ſitient*, nihil deſiderabunt, *& non percutiet illos æſtus & Sol, nam miſerator illorum ducet illos* in viam rectam, ut inveniant locum habitationis, *& ad ſcatebras aquarum aget illos.* donec eò perveniant, ut ſuperent omnia certamina, & veniant tempora refrigerii. Eſ. 49: 10. *Dilatato locum tentorii tui, & cortinas tabernaculorum tuorum extendant, ne parcas, prolonga funes tuos, & paxillos tuos firma. Nam ad dextram & lævam erumpes, & ſemen tuum gentes hæreditabunt; & civitates deſolatas facient habitari.* Eſai. 54: 2. 3. *Ecce gentem, quam non noſti, vocabis, & gens, qui non norunt te, ad te current, propter Jehovam Deum tuum, & ad ſanctum Iſraëlis, quia decoravit te.* Eſ. 55: 5. *Copias gentium comedetis*, dum vobis adcorporabuntur, *& in gloriâ ipſorum dicetis vos.* tanquam hæredes ejus. Eſ. 61: 6. *Ut delitiemini ab animalibus gloriæ ejus.* Hieroſolymæ, i. e. de populis viviſicatis per ſpiritum Dei, qui ſunt opes & decus & cibus Hieroſolymæ. Eſ. 66: 11. *Et congregabuntur ad Hieroſolymam omnes gentes ad nomen Jehovæ, & non ambulabunt amplius poſt duritiem cordis ſui mali.* Jerem. 3: 17. *Ad te gentes venient à finibus terræ, & dicent, Falſum hæreditaverunt patres noſtri, vanitatem, & in quibus nihil utile, & cognoſcent nomen meum eſſe Jehovah.* Jerem. 16: 19. 21. *Quum accipies ſorores tuas majores te cum minoribus te, & quum dabo illas tibi in filias.* Ezech. 16: 61. *Et vocabo frumentum*, copiam fratrum ex gentibus, *& multiplicabo illud, & non dabo ſuper vos venire famem. Et multiplicabo fructum arboris, & germen agri, ut non accipiatis amplius probrum famis in gentibus.* Habebit Eccleſia proceres protegentes, & ſimul cibo ſpirituali nutrientes,

trientes, cum feracitate totius mundi, ut fidelibus non poſſit objici paucitas ſua. Ezech. 36: 29. 30. *Vidi Tyro plantatam in ovili.* i. e. fideles ex gentibus radicatos in terrâ Dei inter oves paſtus ejus. Hoſ. 9: 13. *Ut hæreditent reliquias Edom, & omnium gentium, ſuper quibus nuncupatum eſt nomen meum, ait Jehovah, qui facit hoc.* Amoſ. 8: 27. vel 9: 12 *Commovebo omnes gentes, & accedent deſiderium omnium gentium.* Hagg. 2: 7. *In diebus illis erit, ut apprehendant decem viri ex omnibus linguis gentium, apprehendant, inquam, alam viri Judæi, dicendo: Ibimus vobiſcum. Nam audivimus, Deum eſſe vobiſcum.* Zach. 8: 23.

§. 134. In hæreditate mundi pars eſt Regnum promiſſum Iſraëli. cujus promiſſionis inſtar vide in ſequentibus: *Gloriâ* i. e. præſtantiâ, per quam eſt ac demonſtratur filius Dei, *& honore coronas eum.* ut ſis rex & caput Eccleſiæ ſuæ, in ipſo etiam coronatæ, ut ſit rex & ſacerdos Deo. Pſal. 8: 6. *Auguſta*, i. e. Eccleſia electorum ex omnibus gentibus, quam ſibi conjugavit & conſtituit dominam & hæredem totius mundi, *ſtat ad dextram tuam, in optimo auro.* induta ſcil. ipſius regis Chriſti juſtitiâ & ſpiritu, & coronæ ipſius particeps. Pſ. 45: 10. *Dominantur ipſis recti matutino.* Pſal. 49: 15. *Nam* ibi in Hieroſolymâ, inſidentur *throni ad judicandum, throni domus David*, i. e. Chriſtus filius David ibi regnat, & judicium gratiæ exercet: & cum illo regnant, qui ſunt ejus. Illi cernunt hæreditatem gentium, illi judicant mundum, & judicium illorum non eſt fruſtra. Pſal. 122: 5. *In me coronati ovabunt juſti.* Pſal. 142: 8. *In me* (vel *propter me*) *coronati triumphabunt juſti.* In Davide patre David filius coronatus eſt. Nam exaltatio Davidis erat pignus exaltationis filii ipſius. Rurſus coronatio filii Davidis, Juſti ſervi Dei, eſt coronatio omnis populi ipſius, in ipſo juſtitiam conſecuti per fidem. Pſal. 142: 8. *Ad amplificationem principatus.* ut ſoli fideles fiant reges & hæredes mundi. Eſ. 9: 6. *Et adveniet dominatus priſtinus, regnum filiæ Hieroſolymorum.* Mich. 4: 8.

Cum regno & hæreditate mundi, promiſſa intelligitur quoque ſubjectio Satanæ & omnium hoſtium cum quibus fideles bellum gerunt de hæreditate mundi, & abolitio poteſtatis tyrannorum, ipſis regibus & principibus inſervientibus Chriſto ad dandum pacem Eccleſiæ ipſius. De eo ut bono regni Chriſti ita eſt in Pſalmis: *Optate pacem Hieroſolymæ. Tranquilli ſint, qui diligunt te. Sit pax in antemurali, tranquillitas in palatiis tuis.* Pſ. 122: 6. 7. In Eſaiâ: *Nam omnis fremitus frementis cum commotione terræ, & ſagum volutatum in ſanguine erit in combuſtionem, cibus ignis. Nam principatus eſt devolutus in humerum filii nobis dati.* Eſ. 9: 4. 5. *Et nuncupatum eſt nomen ejus victor,* qui Diabolum imperium mortis habentem deſtruxerit, *princeps pacis.* qui omnes hoſtes putà Diabolum, carnem, mundum, ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubjecerit. Eſ. 9: 5. *Ad amplificationem principatus.* in ſubjectione omnium hoſtium, *& pacem ſine fine.* i. e. quietem Eccleſiæ ab omni oppugnatione hoſtili, nunquam finiendam. Eſ. 9: 6. *Nam cum finitus fuerit violentus & conſectus irriſor, exſcindentur omnes vigilantes circa vanitatem.* Eſai. 29: 20. Et in Ezechiele: *In monte celſitatis Iſraël plantabo illud & feret ramum & faciet fructum, & fiet cedrus ingens, & habitabunt ſub ipſâ omnis avis, & omnis ala in umbra ramorum ejus habitabunt.* Quibus amplitudo regni Chriſti, & pax ſub eo, ipſorum regum futura miniſterio ſignificatur. Ezech. 17: 23. Quibus addatur iſtud Pſalmi *Dominantur ipſis*, improbis & tyrannis, *recti matutino.* i. e. in reſurrectione ſedebunt cum Chriſto in throno ejus, & judicabunt improbos; cujus judicii etiam dantur præludia in hâc vitâ. Pſal. 49: 15.

§. 135. Efficacitatem Eccleſiæ in ſubjiciendis hoſtibus, atque adeundo regno & hæreditate mundi, inſigniter adjuvat opera ac miniſterium Angelorum, quorum

 habitus

habitus Eccleſiæ inſervientium ita depingitur in viſione: *Et vidi animalia; & ecc
rota una in terrâ juxta animalia ad quatuor facies ejus.* Rotæ enim iſtæ ſignificant An
gelos non jam ampliùs ſubjicientes Eccleſiam, ſed illis ſuſtentationem aliquam mi
niſterio ſuo præbentes. Heb. 1: 4. *Aſpectus rotarum & opus illarum velut tharſiſ*
h. e. Sardonyx. in quo lapide eſt albor & nitor rubore temperatus, & quaſi lux ſan
guine tincta. Quo notatur ſanctitas angelorum in reſpectu ad hoc miniſterium; qu
eſt amare ſanctificationem Dei in ſacrificio: *& ſpecies una quatuor illis. Et aſpect
illarum & opus illarum, tanquam ſi rota veniret in medium rotæ.* Pleniſſimus conſe
ſus omnium Angelorum ſignificatur. *Ad quatuor regiones ſuas, cum irent, ibant, n
vertebantur, cùm irent.* Motus congruus & rectus, rectam ſemper intentionem, r
tunditas rotarum æqualitatem in motu ſignificat. *Et apſides illarum (& altitudo ill
erat & timor illis erat.* Formidabilis altitudo multitudinem inenarrabilem & pote
tiam magnam ac terrorem, quem ſuâ præſentiâ faciunt in mundo, ſignificat.) *Apſ
des, inquam, illarum plenæ erant oculis circumquaque illis.* Oculi in canthis ſignif
cant ſapientiam & vigilantiam. *Et cùm irent animalia, ibant rotæ quatuor apud illa
& cum tollerentur animalia de terrâ, tollebantur rotæ.* notatur, ſemper Angelos E
cleſiæ adeſſe. *Quocunque ferretur ſpiritus ad eundum, ibant, eò ſpiritus ad eundum era
& rotæ tollebantur contra illa: quia ſpiritus animalis erat in rotis. Euntibus illis ibant
& ſtantibus illis ſtabant, & cùm tollerentur de terrâ, tollebantur rotæ contra ea: qui
ſpiritus animalis erat in rotis.* Unus agit Spiritus Eccleſiam & Angelos. Ideoqu
unà ſtant, unà efferuntur, unà procedunt. Ezech. 1: 15 — 21. Quæ deſcripti
rotarum, & motus illarum cum animalibus, repetitur Ezech. 10: 9 — 13. Ubi
hoc ſingulare, quod rotæ iſtæ nominentur *Galgal*, id eſt *orbis*. Quo nomine ap
intelliguntur myriades ſanctitatis in toto mundo circumvallantes Eccleſiam. Atq
hinc jam eſt, quòd cœleſtia omnia, ac nominatim Angeli, excitantur ad celebra
dum Deum. *Cœli, date magnitudinem Deo noſtro.* Deut. 32: 1. 3. *Hallelujah. C
lebrate Jehovam ex cœlis, celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes Angeli ejus.* P
148: verſ. 1. 2. Angeli enim dant magnitudinem Deo, in carne manifeſtato, eum
que celebrant, non tantùm ſeſe illi ſubjiciendo, poſtquam pauliſper infra ipſos m
noratus fuiſſet, verùm etiam ſanctis miniſtrando in iis, quæ ad honorem Dei,
ſalutem ipſorum, & propagationem regni Chriſti & ipſorum pertinent; cujus m
niſterii exempla ſpectata ſunt in annunciatione adventus, reſurrectionis, & revel
nis conſpicabilis Chriſti ad judicium, in revelatione myſteriorum futuri tempo
factâ Johanni, in viſionibus & liberationibus exhibitis ſanctis, &c.

§. 136. Ipſi Eccleſiæ progredienti ad regnum & hæreditatem mundi tribuit
1. Animus magnus & intrepidus. Qui deſignatur per *vultum Leonis*. Ez. 1: 10. 2. L
borioſitas, patientia & fortitudo ad debellandum hoſtes. Qui *vultus Tauri*. Ez. 1: 1
3. Promptitudo ad progrediendum cum Chriſto, denotata per *alas*, & *exporrectione
alarum*. Ez. 1: 8. 11. & 10: 19. 4. Species humilis. Nam, intrante Spiritu S. in mediu
rotarum, *nubes operuit atrium interius*. i. e. Eccleſia Dei vivi accepit apud populum
literâ ambulantem, eam ſpeciem, ut in eâ ſcandalizarentur. Ez. 10: 2. 3. 5 Eviden
& terribilitas, his verbis: *Et ſpecies animalium; aſpectus eorum erat ut prunarum ig
ardentium, ut aſpectus flammarum. Hoc ambulabat inter animalia: & ſplendor erat ig*
notatur Spiritus inhabitans in Eccleſiâ, eamque faciens ardere charitate & zelo,
lucere verbo veritatis, & actione virtutis, & patientiâ afflictionis. *& ex igne pro
bat fulgur.* Id jam notat tùm evidentiam tùm terribilitatem Eccleſiæ in mund
Ezech. 1: 13. 6. Motus perpetuus: *Et animalia currebant & revertebantur inſ*

ſcintil

ſcintillæ. per ſtramen combuſtum aut fomitem incenſum diſcurſitantis. Quo ſignificatur, Eccleſiam non eſſe affixam uni loco, & in quo loco eſt, ſe effundere conari, & ſi ei reſiſtatur, eo violentiùs βιάζεσθαι, & omnia proruere obſtacula, & unde expulſa eſt, vi tandem eò redire. Ezech. 1: 14. 7. Vox tribuitur progredienti. *Et audiebam vocem alarum ipſorum, cum irent.* Non enim Eccleſia ſine voce, ſermone, rumore, famâ, tumultu, in mundo eſt, inprimis quando movetur. Hæc vox deſcribitur; *Ut vocem aquarum multarum.* creſcit enim. *ut vocem omnipotentis* ita magnam. *vocem loquelæ.* articulatam quia eſt vox docentium, interrogantium, reſpondentium, diſceptantium. *qualis eſt vox exercitus.* ſive hominum in caſtris, maximè in certamine ſeſe mutuo cohortantium, vel etiam unanimiter regi ſuo acclamantium; quod aptiſſimum eſt huic loco, ut intelligamus, in Eccleſiâ ſemper ſonare laudes regis. *Alis* autem tribuitur hæc vox, quia eſt à fide annectente Eccleſiam militantem triumphanti, & Chriſti throno, eumque quaſi trahenti in omnem partem, quocunque vadit. Ezech. 1: 24. 8. Et quies. Datur enim aliquando Eccleſiæ *conſiſtere* in loco. *Cùm conſiſterent.* Ezech. 1: 24. 9. Vota pro propagatione regni Chriſti. Namque &, *cùm conſiſterent* animalia, *remittebant alas ſuas.* i. e. Chriſtum, & regnum ejus ſtudio ac votis propiùs ad ſe deducebant. Ezech. 1: 24. *Et ſuſtulerunt Cherubini alas ſuas, & levabantur, inquam, de terrâ coram oculis meis, cùm exirent, & rotæ juxta ipſos.* Quibus notatur fidelis voluntas membrorum Chriſti, ut Chriſti regnum extollatur & proferatur, cum promtitudine progrediendi cum ipſo, ut aves, quæ ad provolandum ſe comparant, alas extendunt. Ezech. 10: 19. Huc refer votum pro pace ac tranquillitate Eccleſiæ, omniumque amantium eam: *Optate pacem Hieroſolymæ. Tranquilli ſint, qui diligunt te. Sit pax in antemurali tuo, tranquillitas in palatiis tuis.* Pſalm. 122: 6. 7. Cauſa optandæ pacis: *Propter fratres meos & amicos meos loquar pacem in te.* Quærendi boni Hieroſolymæ: *Propter domum Jehovæ Dei noſtri quæro bonum tibi.* Ibid. verſ. 8. 9.

Ac denique Eccleſiæ, ſic in hoc mundi ſtadio ad metam hæreditatis mundi, & cœleſtis beatitudinis contendenti, interimque cum improborum inſidiis & tyrannide conflictati, exemplum bene orandi præbet *Oratio Davidis*, quæ exſtat Pſal. 86. Item Pſalm. 37.

§. 137. Hactenùs ſigillatim, & per partes, beneficia Eccleſiæ, tam abſoluta, quàm comparata, communia quàm propria, perpetua quàm œconomica, perluſtravimus. Supereſt, ut quomodo generatim atque univerſè de iiſdem agant Scripturæ, hîc enuntiemus.

§. 138. Generatim Scriptura ea complectitur titulo *Benedictionis.* q. cumulum dicas ſ. affluentiam omnium bonorum. Ita enim eſt in promiſſione: *In te benedicentur omnes familiæ terræ.* Gen. 12: 3. *Et benedicent ſibi* id eſt, magnum de ſe bonum prædicabunt, *in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Gen. 22: 18. *Benedic, Jehovah, copiæ ejus.* Deut. 33: 11. *Benedicta Jehovæ eſt terra ejus.* Deut. 33: 13. *Et fiet, quum venient ſuper te omnia verba hæc, Benedictio.* &c. Deut. 30: 1. *Nam occurrere ei facis benedictiones.* ſive cumulos boni. Pſalm. 21: 4. *Qui accipit benedictionem à Jehovah, & juſtitiam à Deo ſalutis ſuæ.* Pſalm. 24: 5. *Propterea benedixit tibi Deus in ſæculum.* i. e. Inde cognoſcitur, quòd tu ſis illud ſemen benedictum, cui Deus hæreditatem terræ promiſit, & in quo benedicentur omnes gentes, quibus jus habes poſtulandi omnem benedictionem, i. e. omnia dona maxima. Pſalm. 45: 3. *Deus gratioſus ſit nobis, & benedicat nobis.* i. e. dona gratiæ effundat in nos, nempe ſapientiam, prudentiam, ſpiritum adoptionis filiorum, juſtitiam, libertatem, communionem cum

iis, qui in cœlo ſunt, parrheſiam ut cùm libertate filiorum ad ipſum accedamus, faciat nos ſacerdotes & reges, denique hæredes mundi. Pſalm. 67: 2. *Jehovah memor eſt noſtri, benedicit, benedicit inquam domum Iſraëlis*. h. e. gentem electam omnibus bonis cumulat, maximè ſpiritualibus, in Chriſto. *Benedicit domum Aharonis. Benedicit timentes Jehovam.* i. e. omnes credentes, citra diſtinctionem, *parvos cum magnis* omnem ætatem, ne infantibus quidem excluſis, ad quos etiam hæc benedictio pertinet, quia parentes Deum timentes in illis benedicuntur, & quia idem Spiritus timoris in utriſque habitat. Pſalm. 115: 12. 13. *Ecce! nam ſic benedicitur vir timens Jehovam.* Pſalm. 128: 4. *Nam ibi*, nempe in conſeſſu fratrum, *juſſit Jehovah eſſe benedictionem.* i. e. aſfluentiam omnium eorum, quæ ad pietatem & vitam faciunt, eamque verbo Dei & decreto Eccleſiæ addictam. Pſalm. 133: 4. *Benedicit tibi Jehovah ex Sione, qui fecit cœlum & terram.* i. e. Dabit Deus vobis, ſtante adhuc miniſterio veſtro, redemtorem omnis benedictionis auctorem, & cum ipſo dabit hæreditatem mundi, quod ipſi facillimum eſt, qui cœlum & terram fecit. Pſalm. 134: 3. *Effundam ſpiritum meum in ſemen tuum, & benedictionem meam in progeniem tuam.* Eſai. 44: 3. *Benedictus vir qui confidit Jehovæ, cujus fiducia Jehovah factus eſt.* Jer. 17: 7.

§. 139. Comprehenduntur deinde vocabulo *Salutis*, aut *Salvationis*. Ut in hiſce *Ad ſalutem tuam exſpecto, Jehovah.* Gen. 49: 18. *Populum inopem ſalvas.* à morte & maledictione. Pſalm. 18: 28. *Qui accipit benedictionem à Jehovah, & juſtitiam à Deo ſalutis ſuo.* Pſalm. 24: 5. *Jehovah eſt lux mea, & ſalus mea.* qui poſſit & velit non tantùm ſalvare, ſed etiam conſervare confugientes ad ſe. Pſalm. 27: 1. *Hominem & pecus ſervas, Jehovah.* Salvator es tùm brutorum hominum, quos ad pœnitentiam vocas, tùm maximè fidelium. Pſalm. 36: 7. *Servaſti nos ab hoſtibus noſtris.* expuncto reatu, & ſublatâ accuſatione legis. Pſalm. 44: 8. *Quia Jehovah ſalvat Sionem.* i. e. Eccleſiam fidelium per efficaciam lytri ex regno Satanæ, & omni tentatione. Pſalm. 69: 36. *Deus, reduc nos, & lucere fac faciem tuam, & ſalvabimur.* Pſal. 80: 4. 8. 20. *Canite Jehovæ, benedicite nomini ipſius; Evangelizate de die in diem ſalutem ejus.* Ubi verbo ſalutis tollitur ſervitus, maledictio, accuſatio quotidiana per legem dogmatum, tolluntur ſacrificia, pignora terrena, lex quatenùs cogit quærere ſalutem, vis noſtra. Pſalm. 96: 2. *Et veniant mihi gratiæ tuæ, Jehovah; ſalvatio tua*, à reatu, à ſervitute peccati, à timore mortis, à ſervitute legis, *ſecundùm verbum tuum.* Pſalm. 119: 41. *Deficit ad ſalvationem tuam anima mea.* quæ ſalvatio eſt redemtio per ſanguinem Teſtamenti, & effuſio Spiritus Sancti, ac datio ſpiritus filiationis, conjuncta cum illuminatione gentium, & ſic regnò ac hæreditate in mundo dandâ. Pſalm. 119: 81. *Sacerdotes ejus induam ſalute.* Quando Iſraël ſalvatur à peccato & reatu, à peccati & reatus accuſatione, à condemnatione, à timore, à ſervitute, tùm & ſacerdotes ejus induuntur ſalute, ut non neceſſe habeant quotidie pro peccatis offerre, quemadmodum antehac. Pſalm. 132: 16. *Quia acceptum habet populum ſuum, condecorat manſuetos ſalute.* donatâ, quâ ſint juſti & ſancti coram Deo. Pſalm. 149: 4. *Urbs roboris nobis eſt, ſalutem ponit muros & antemurale.* Eſai. 26: 1. *Iſraël ſalvatus eſt in Domino ſalvatione ſeculorum.* Eſai. 45: 17. *Reſpicite ad me & ſalvamini, omnes fines terrę.* Eſai. 45: 22. *Sic ait Jehovah: tempore gratiæ reſpondi tibi, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi.* Eſai. 49: 8. *Quàm decori ſunt in montibus pedes nuntiantis Evangelium, qui facit audiri pacem, qui nuntiat bonum, qui facit audiri ſalutem.* Salutem nempe animarum & liberationem Eccleſiæ ab omni eo, quo non poterant juſtificari ſub lege Moſis. Eſai. 52: 7. *Nudavit Jehovah*

brachium

brachium ſanctum ſuum ad oculos omnium gentium, & viderunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri. Pſalm. 52: 10. *Nam propinqua eſt ſalus mea ut veniat.* i. e. paratum eſt auxilium meum ad liberandum ipſos è manu hoſtium, *& juſtitia mea ut reveletur.* Eſai. 56: 1. *In diebus illius ſalvabitur Jehudah.* à peccatis ſuis, à reatu & accuſatione legis, à poteſtate paſtorum ſive principum, à ſervitute elementorum mundi, à ſubjectione in certum pignus & ejus dilectionem, à commixtione injuſtorum, à ſiti denique & exſpectatione, ut præ ſatietate poſſint ovare. Jer. 23: 6. 33: 16. *Et ſalutem faciam ovibus meis, & non erunt ampliùs direptio.* Ezech. 34: 22. *Et ſalvabo eos ex omnibus ſedibus ſuis, in quibus peccarunt.* Ezech. 37: 23. *Miſerabor domum Judæ, & ſalvabo ipſos in Jehovah Deo ipſorum: & non ſalvabo ipſos arcu, & gladio, & bello, cum equis & equitibus.* Hoſ. 1: 7. Quibus convenit, quod eſt Pſalm. 103: 3. *Medens omnibus morbis tuis.* Intelligenda enim eſt ea ſanatio morborum, quæ eſt conjuncta, cum condonatione peccatorum promiſſâ in N. Teſtamentum: qua condonatione quamdiu caruit, multiplici morbo & infirmitate laboravit. Si ſpectes doctrinam, quæ in populo vigebat, non lux erat, ſed nox. Difficile fuit viam & legem juſtitiæ reperire. In quæſtionibus legalibus languebant, jugum ferebant ægrè. Spiritus filiorum nondum erat datus. Item quod aliquando dicatur *Reſtitutio Sionis in integrum.* Ut Pſalm. 126: 1. Ezech. 37: 25. & *conſolatio lugentium.* Eſai. 52: 9. 61: 2. Ezech. 34: 16.

§. 140. Latius quoque eſt nomen *Pacis*, quàm ut poſſit ad unum aliquod beneficium referri, in hiſce: Donec veniat *Schiloh* i. e. pacator, Gen. 49: 10. *Et nuncupabitur nomen ejus Princeps pacis.* qui non tantùm abſtulerit diſcrimen gentium, ſed & iram, & maledictionem, & commemorationem peccati, & metum mortis, & omnes hoſtes, putà Diabolum, carnem, mundum, ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubjecerit. Eſai. 9: 5. *Ad amplificationem principatus, & pacem ſine fine.* Intellige pacem conſcientiæ nullâ inimicitiâ vel odio ſupervenienti reſcindendam: Item pacem inter Judæos & gentes, de quâ ſuprà dictum; Item victoriam hoſtium omnium, etiam poſtremi mortis, ab beatam & tranquillam æternitatem. Denique quietem Eccleſiæ ab oppugnatione hoſtili, nunquam finiendam, quando ſcil. homines deſinunt bellum diſcere. Eſai. 9: 6. *Quàm decori ſunt in montibus pedes nuntiantis Evangelium, qui facit audiri pacem.* Eſai. 52: 7. *Nam montes decedent, & colles nutabunt, & gratia mea non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit.* Eſai. 54: 10. *Et omnes filii tui diſcipuli Jehovæ, & multiplicabitur pax filiorum tuorum.* Eſai. 54: 13. *Et manifeſtabo illis abundantiam pacis.* faciam, ut coràm cernant omnem pacem; nec tantùm cum gentibus, ut ſuprà, ſed etiam cum Deo, ad abſolutionem conſcientiæ, & inter ſe, ut non coëant ampliùs cum fœdifragis, ſed ut ſoli credentes inter ſe ſint unus populus. Jer. 33: 6. *Et pangam ipſis fœdus pacis.* Ezech. 37: 26. *Et in loco hoc dabo pacem, ait Jehovah Deus exercituum.* etiam in amovendâ irâ & reatu, non ſolùm in amovendâ inimicitiâ populorum. Hagg. 2: 9. *Et conſilium pacis erit inter utrumque.* Zach. 6: 13. *Et loquetur pacem gentibus.* Zach. 9: 10.

§. 141. Inſignes porrò ſunt appellationes *Satietatis*, *Factionis*, & *Conſummationis* Eccleſiæ, in Scripturis. *Satietatis*: *Ad addendum Irriguum*, ſ. *Satiatum Sitienti.* i. e. ad redigendum Eccleſiam Novi Teſtamenti, cui repræſentata eſt promiſſio, in conditionem ejus, quæ deſiderium & exſpectationem promiſſorum bonorum adhuc habebat. Deuter. 29: 19. *Comedunt manſueti & ſaturantur.* cibo ſcil., tùm quo ſuſtentantur ad vitam, Chriſto & Deo, in quo vivitur, & doctrinâ, quâ mediante fit unio cum iis; tùm quo creſcunt aliis fidelibus, quo corpori ſuo aggregant.

gant. Pſalm. 22: 27. *Jehovah eſt paſtor meus, non deſtituar.* Abundabo omnibus bonis. Quod eſt Novi Teſtamenti, ubi eſt irrigatio & ſatietas ſitientium, nihilque deeſt ad juſtitiam & vitam. Pſalm. 23: 1. *In manſionibus graminoſis facit me recubare: ad aquas amœniſſimas agit me.* i. e. cibo copioſo me ſaginat, potu jucundo reficit. Cibus potuſque fidelium eſt tùm doctrina verbi, tùm conſolatio, tùm illi, cum quibus concorporântur, Chriſtus & fideles. Indicatur autem plena & clara indicatio, oblatioque larga & prolixa gratiæ Dei in Chriſto mediatore ad lætitiam perfectam, cum plurimorum electorum vocatorum ex gentibus communione. Pſalm. 23: 2. *Irrigantur de opimitate domus tuæ, & torrente deliciarum potas illos.* Pſalm. 36: 9. *Satiamur enim bono domus tuæ, Sancto templi tui.* i. e. Spiritus Sanct. gratiâ, fide, juſtitiâ, gaudio &c. bonis cœleſtibus fruimur. Pſalm. 65: verſ. 5. *Pluviam liberalem agitas, ó Deus.* Eſt larga effuſio Spiritus S., qui propter Euangelium eſt ſpiritus filiationis & lætitiæ, quâ Eccleſia mœſta & languida recreatur. *Hæreditatem tuam, etiam defeſſam, tu reficis illam.* Pſalm. 68: 10. *Pande os tuum, & implebo illud.* i. e. omnia beneficia à me propinante & porrigente, in fide accipe, quaſi patulo ore. Et hujus obedientiæ ac honoris prœmium erit ſatietas. Pſ. 81: 11. *Et cibaſſet eum* filius Dei *de adipe tritici. Sed ex rupe* Chriſto *melle ſatiabo te.* Pſalm. 81: 17. *Cibum dedit timentibus ſe.* nempe conſolationem Spiritus, tùm fratres & ſpiritualem ſobolem, denique & ἀνάψυξιν, refrigerium & refectionem, ſ. per fratres, ſive etiam gratiam invenirent in oculis perſequentium ipſos. Pſalm. 111: 5. *Laborem manuum tuarum*, i. e. cibum, pro quo laborâſti, qui non eſt cibus periens & non ſanans; ſed manna abſconditum, & arbor vitæ, *quando comedis, beatus es, bene eſt tibi.* Pſal. 128: 2. *Ut calor ſereni circa lucem, ut nubes roſcida*, refrigerans ſcil. ab æſtu, & irrigans ſitientes animas per dationem juſtitiæ & libertatis, *in calore meſſis erit.* Eſai. 18: 4. *Nam effundam aquas ſuper ſiticuloſam, & profluentes ſuper aridam: effundam ſpiritum meum in ſemen tuum, & benedictionem meam in progeniem tuam.* Eſai. 44: 3. *Et non ſitiverunt . . . aquas ex rupe fecit illis fluere.* Scil. ex rupe verâ, Chriſto. Eſ. 48: 21. *Non eſurient & non ſitient*, non deſiderant quicquam ad conſolationem ſuam. *nam miſerator illorum ducet illos, & ad ſcaturigines aquarum aget illos.* Leniter & clementer ipſos propellet, donec ſuperent omnia certamina, & veniant tempora refrigerii. Eſ. 49: 10. *Heus omnis ſitiens, venite ad aquas, etiam cui non eſt argentum, venite & emite & edite, & venite emite ſine argento & ſine pretio vinum & lac. Quare appenditis argentum pro non pane, & laborem veſtrum pro eo quod non eſt ad ſatietatem? Audite audiendo ad me, & comedite bonum, & delitiabitur in opimitate anima veſtra.* Eſai. 55: 1. 2. *Ut ſugatis & ſatiemini ex ubere conſolationum ejus; ut exprimatis & delitiemini ab animalibus gloriæ ejus.* Eſai. 66: 11. *Cùm irrigavero animam defeſſam, & omnem animam, quæ tabuerat, implevero.* Jerem. 31: 25. *Paſtu bono paſcam eas, & in montibus celſitatis Iſraël erit manſio illarum, ibi recubabunt in manſione bonâ, & paſtu pingui paſcentur ad montes Iſrael.* Ezech. 34: 14 *Et ægram confirmabo.* i. e. Languentes propter defectum cibi recreantis animam refocillabo per verbum vitæ. Ezech. 34: 16. *Et comedetis* de pane vitæ Chriſto, *& ſatiabimini.* Jo. 2: 26.

§. 142. *Factionis: Annon ipſe eſt pater tuus, qui mercatus eſt te? Ipſe fecit te, & & omnibus bonis inſtruxit te.* Deut. 32: 6. *Ingeniculemus coram Jehovah factore noſtro: Nam ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſtus ejus, & oves manus ejus.* Pſalm. 95: 6. *Noſcite, quod Jehovah ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non nos, populum ſuum, & oves paſtus ſui.* Pſalm. 100: 3. Lætetur *Iſraël in factore ſuo*, (Hebr. factoribus ſuis.

ſuis. quia tres ſunt, quorum eſt factio Iſraëlis.) *filii Sion gaudeant in rege ſuo.* Pſalm. 149: verſ. 2. *Ne metuas: nam tecum ego ſum. ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab occaſu congregabo te. Dicam Septentrioni, Da; & Meridiei, Ne cohibeas: adduc filios meos è longinquo, & filias meas à fine terræ: omnem qui appellatur de nomine meo, & quem ad gloriam meam creavi, formavi, etiam perfeci.* Eſai. 43: 5, 6. 7. *Qui habet te in matrimonio, factor tuus eſt.* (Duplex pluralis eſt in Hebræo.) *Jehovah Deus exercituum nomen ejus eſt: & Aſſertor tuus Sanctus Iſraëlis Deus totius terræ vocabitur.* Eſai. 54: 5. *Populus tuus, omnes erunt juſti, ſurculus plantationum mearum, opus manuum mearum ad gloriandum.* Eſai. 61: 21. In quibus *Factio* non tantùm intelligitur, quâ ſumus, quæ eſt creatio, ſed etiam quâ ſumus populus Dei, & filii ejus ex regeneratione; idque non tam per Spiritum ſervitutis, qui operatur ſitim, quàm per Spiritum filiationis, qui operatur lætitiam & ſatietatem.

§. 143. *Conſummationis: Quis cæcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, ut legatus meus, quem mitterem? Quis cæcus, ut qui conſummatus eſt, & cæcus ut ſervus Jehovæ?* Ubi conſummatus appellatur Iſrael, à conſummatione ſalutis factâ apud ipſum, per Chriſtum, atque invitatione ipſius ad conſummatam lætitiam. Eſai. 42: 19. *Et vocabuntur quercus juſtitiæ.* I. e. germina juſtitiæ in ſtabilitatem & πλήρωμα provecta, utpote conſummati, & creſcentes ad ſtaturam, vim, & menſuram proceritatis ejus, quam Chriſtus implet, *plantatio Domini*, creatio nova, *ad condecorandum ſe.* Eſ. 61: 3.

§. 144. Solet quoque Scriptura perfectionem Eccleſiæ Novi Teſtamenti proponere vocibus petitis ab Architecturâ; ut *Ædificationis, Fundationis, Conſtabilitionis, Exſtructionis, Coagmentationis, Exaptationis, Exornationis.* &c. Ut in ſequentibus: *Fatiſcebat terra & habitantes in eâ: Ego aptavi* (quaſi ad libellam) *columnas ejus.* Eccleſiam, patefacto myſterio ſalutis, & miſſo ſpiritu, quaſi columnis ſubditis domum, confirmavi & ſuffulſi. Pſalm. 75: 4. *In ſæculum gratia ædificabitur, Cœli! In eis conſtabilies veritatem tuam.* Pſalm. 89: 3. *Uſque in ſæculum conſtabiliam ſemen tuum.* Chriſtum nempe & fideles, ut in ſæculum permaneant; *& ædificabo in generationem & generationem ſolium tuum.* per Chriſtum nempe, filium Davidis, ſeſſurum in throno Davidis patris ſui in æternum. Pſalm. 89: 5. *Semen ejus in ſæculum erit, & thronus ejus ut Sol coram me. Ut Luna confirmabitur in ſæculum.* Pſalm. 89: 37. 38. *Hieroſolyma exſtructa.* habet fundamenta, murum, domos, ſ. manſiones, habitatores Deum, Chriſtum, Angelos & Spiritus beatos: *Ut urbs, quæ compoſita eſt ſibi unà.* i. e. cujus nulla pars deeſt; nullæ partes hiant. Pſ. 122: 3. *Qui confidunt Jehovæ, ſunt, ut mons Sion, qui non commovetur, in ſæculum habitatur.* Ita firmi. Pſ. 125: 1. *Et erit in fine dierum, exaptatus erit mons domus Jehovæ.* Ubi per verbum נכון non tantùm fixionem & conſtabilitionem, ſed & πανηγυριςμὸν, i e. exornationem maximam, τελείωσιν, intelligere eſt. Eſai. 2: 2. *Ad parandum* (ſive *conſolidandum*,) *& fulciendum illud.* Ubi per הכין diſtinctè intelligimus tùm collectionem in unum ſub, uno capite, (ex Amoſ. 9: 11. vel 8: 26.) tùm etiam maximè exornationem & τελείωσιν. ſcil. ne in regno Davidis deſideretur ullum bonum, neque tantùm redeant ad priſtina bona temporalia, ſed potiùs ut ſitis ſpiritualium bonorum, quorum illa ſymbola & pignora erant, expleatur. quæ ſunt cognitio Dei, libertas à jugo, juſtitia, pax, lætitia, hoſtium ſubactio, ſpes vitæ æternæ. Per *Fulturam* intelligitur fundatio Eccleſiæ in Chriſto, & ejus conſtabilitio, ut maneat in perpetuum, neu ullo aſtu aut tyrannide Diaboli vincatur. Eſai. 9: 6. *Quum Jehovah fundaret Sionem.* Eſai. 14: 32. *Ecce ego is, qui fundavit in*

Sione

Sione lapidem, lapidem explorationis, angulum pretioſiſſimi fundati fundatiſſimi. i. e. Eccleſiæ in Chriſto fundatæ, qui potentiâ & merito illam ſuſtinet, & ſibi inædificata conjungit, & vivit in omnibus. Eſai. 28: 16. *Et dabo te . . . ad erigendam terram.* h. e. Eccleſiam, in quâ regnes, & quæ frugem ferat. Eſai. 49: 8. *Ecce in manibus ſignavi te, muri tui coram me ſunt ſemper.* Illuſtrat curam ſuam erga Eccleſiam, ſimilitudine ejus, qui inter operandum ante oculos, & quaſi in manu ipſâ habet pictam ideam operis ſui. Eſai. 49: 16. *Inops, horrens, quæ non eſt conſolationem adepta, ecce ego pono in ſtibio* (vel *vitro*) *lapides tuos.* Facio, Ut, Eccleſia, quæ antea erat inops & horrens, fit exædificata, fundata, coagmentata, exornata, lapidibus, h. e. membris ejus, nitentibus confeſſione illius verbi, quod eſt lux & ſapientia & charitas, ac ſi in vitro poſita eſſent, *& fundo te in rubinis. ſ. pyropis.* Fundamentum Eccleſiæ eſt Chriſtus crucifixus. *Et ponam Cadcod*, gemmam lucidam vel pellucidam, *ſpecularia tua.* Ut poſſis domi habere lucem, vel verſari in luce, *& portas tuas in lapidem carbunculi.* in gammam ardentem. Chriſtus enim, in quo eſt lux & amor, eſt via, *& omnem terminum tuum* omnes fideles, *in lapides voluptatis.* Sunt enim æque pretioſâ fide præditi. Eſai. 54: verſ. 11. 12. *Et fiet ſi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, vivit Jehovâh; quemadmodum docuerunt populum meum jurare per Baal, ædificabuntur in medio populi mei.* Jer. 12: 16. *Illo die erigam tugurium Davidis labaſcens* vel *collapſum, & reſarciam rupturas eorum regnorum, & deſtructa ipſius* Davidis *excitabo, & ædificabo illud, ut diebus ſæculi.* In quo loco ſignificatur inter alia erectio & conſolidatio regni Chriſti, & Eccleſiæ. Am. 9: 11. vel 8: 26. *Et ædificabit templum Jehovæ.* nempe ſpirituale. i. e. Eccleſiam Dei vivi, nominatim Novi Teſtamenti, quam Chriſtus implet; cujus omnia membra facit βασιλεῖς ϗ ἱερεῖς, & βασίλειον ἱεράτευμα gradu propiori. Nemo enim cogitur procul ſtare; ſerviens in literâ, ut olim. Zach. 6: 12. 13.

§. 145. Sunt & alia nomina haud pauca, quibus eadem beneficia omnia ſummatim exprimuntur. Vocantur enim *Abundantia*, ſive *Affluentia marium.* i. e. bona copioſiſſimè effundenda in maria, ſivê mundum: Et, *Theſauri conditorum ſabulo.* quia in communione cum ſanctis V. Teſt. jam mortuis & ſepultis habentur. Deut. 33: verſ. 19. *Amœna, quæ ſunt in dextrâ Dei perpetuò.* h. e. multiplicia dona Spiritus S. à Chriſto, ſedente ad dexteram Dei, in Eccleſiam effundenda. Pſal 16: 11. *Maximæ ſalutes*, maxima quæque bona, *præſtandæ regi Dei.* in corpore ejus myſtico. Pſalm. 18: 51. *Opima terræ.* i. e. ſpiritualia bona regni, in quibus gentes delitientur. Pſalm. 22: 30. *Opimitas domus Dei, & torrens delitiarum ejus.* Pſal. 36: verſ. 9. *Pretioſa* Chriſti *regis.* Pſalm. 45: 10. *Dona*, quæ *accepit* Chriſtus *in hominibus.* Pſal. 68: 19. *Summa beneficia Dei.* ex pleno ſcil. affectu effuſa. Pſ. 103: 2. 119: 17. *Opes & divitiæ* exiſtentes *in domo Dei.* Pſalm. 112: 3. *Bonum.* Pſal. 119: verſ. 65. Eſai. 5: 20. 52: 7. 55: 2. quod *edant* ii, qui hactenùs deſideraverant videre complementum promiſſionis; *& opimum, in quo delitietur anima ipſorum.* Eſ. 55: 2. *Dulce;* Eſai. 5: 20. *Ornamentum*, i. e. cœlitùs demiſſa chariſmata, quibus conſpicui in mundo evadant, *dandum lugentibus Sionis.* Eſ. 61: 3. De iiſdem quoque intelligenda ſunt iſta: *Multa feciſti tu Jehovah Deus meus mirabilia tua, & cogitata tua erga nos; non eſt ea æquiparare: Indicem & eloquar; numeroſiora ſunt præut recenſeam.* Pſalm. 40: 6. *Magna ſunt opera ſua quæſita ob amabilitates eorum.* Pſ. 111: verſ. 3. *Omnia, quæ pleniſſimè nobis tribuit Jehovah. Multum bonitatis.* Eſai. 63: 7. Jeremias denique prædicens fore, propter viſitationem Hieroſolymæ; ut *Arcæ non recordentur ampliùs*, innuit, bona connexa cum hâc viſitatione fore multò excellentiora

tiora

tiora & majora, quàm ea, quæ conjuncta erant cum habitatione Dei ſuper arcâ. Jerem. 3: 16. 17. Cui convenit, quod idem prophetat, *ſibi gratulaturos Iſraëlitas, quòd ex eduxerit Deus ex Babylone, tanquam oblitos eductionis ex Ægypto.* Significat enim, majus bonum reducibus ex Babylone, quàm eductis ex Ægypto, paratum fuiſſe. Jerem. 23: 7. 8.

§. 146. His porrò omnibus beneficiis Deus implevit ſuas promiſſiones & virtutes ac divitias nominis ſui, & qualem ſe futurum oſtenderat ut fieret peccatori in Deum, rebus & factis ipſis explicavit. Sicut prædictum: *Ut fiam tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* Quod impletur in Chriſto. Et eſt maxima promiſſio, quæ non terminatur intra hujus vitæ ſpatia. Gen. 17: 7. *Et*, quum Iſraël impleverit totam terram Canaan, *fiam ipſis in Deum.* h. e. gratiam omnem & veritatem, ut fidelis creator & Deus ipſorum, ipſis exhibebo. Gen. 17: 8. *Et ambulabo in medio veſtri, & fiam vobis in Deum, & vos fietis mihi in populum.* Quæ promiſſio ſignificat, Deum viſitaturum eſſe Iſraëlem, & conſpiciendum ſe illis præbiturum, & facturum, quod eſt Dei, eoſque liberaturum ab omni ſervitute, & bonitate omni cumulaturum, ut ſint ſuus tantùm populus. Lev. 16: 12. *Jehovah Domine noſter, quàm ingens eſt nomen tuum in tota terra!* Deo multipliciter &glorioſiſſimo modo virtutem ſuam infinitam, dum fit peccatori in Deum, demonſtrante, hæc competit fidelibus id agnoſcentibus oratio. Pſal. 8: 1. *Et propinquum eſt nomen tuum.* Veniſti prope ad tuos cum omni demonſtratione virtutis in verbo tuo de te patefactæ. Pſal. 75: 2. *Canite Jehovæ carmen novum; canite Jehovæ, omnis terra. Canite Jehovæ*, i. e. in laudem ejus, qui virtutem nominis ſui Jehovah reipſâ explicavit; *Benedicite nomini ipſius.* i. e. Deo in Chriſto ſe talem tantumque exhibenti, qualem quantumque ſe futurum Patribus promiſerat; *evangelizate de die in diem ſalutem ejus.* Pſal. 96: 1. 2. *Nam magnus eſt Jehovah, & laudari dignus valde.* nempe qui nobis fit in Deum, ut ipſi confidamus & credamus, eſt reverâ magnus. Ibid. vers 4. *Benedic, anima mea, Jehovam, & quicquid in me eſt nomen ſanctum ejus.* qui ſe talem teſtatur operibus, qualem & quantum ſe deſcripſerat verbo. Pſal. 103: 1. 2. *Celebrate Jah. Confitebor Jehovam.* Eum nempe, qui extitit memor ſuarum promiſſionum, eaſque in Chriſto implevit, *ex toto corde, in congreſſu rectorum, & in cætu convocato. Magna ſunt opera tua, quæſita ob amabilitates eorum.* Id nullo fuit tempore evidentius, quàm in apparitione Servatoris. Pſal. 111: 1. 2. *Recordatur in ſæculum fœderis.* & juramenti ſui. Pſal. 111: 5. *Non nobis Jehovah, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam.* Fac ea, quæ naturæ tuæ, virtuti, & nomini, ſunt conſentanea. *propter gratiam tuam*, promiſſam & juratam & ſperatam patribus, *propter veritatem tuam.* i. e. immutabilitatem illius gratiæ, & veritatem promiſſionis ac omnis ſignificationis antecedaneæ. Pſal. 115: 1. *Confitemini Jehovæ, quod bonus ſit*, i. e. ſervator omnium, maximè fidelium, *quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* i. e. quia ſe oſtendit memorem gratioſi fœderis ſui cum patribus facti, & teſtamenti ſponſorem ſ. mediatorem & cum eo omnia, ex gratiâ dedit. Pſal. 118: 1. *Et veniant mihi gratiæ tuæ*, i. e. pleniſſima illa gratia, promiſſa, ſperata, exſpectata, *Jehovah.* ut virtus nominis tui appareat, quæ in nomine tuo continetur. Pſal. 119: 41. *Recordare verbi tui ad ſervum tuum; de quo mihi ſpem feciſti.* Petit repræſentationem promiſſionum. Pſal. 119: 49. *Bonum feciſti cum ſervo tuo, ſecundùm verbum tuum.* i. e. bonum promiſſum, omnes benedictiones in cœleſtibus in Chriſto perfeciſti & præſtitiſti Eccleſiæ tuæ, ſecundùm promiſſionem tuam. Pſal. 119: 65. *Lauda Jehovam*, memorem gratiæ ſuæ, quam exhibuit; *celebra Deum tuum, Sion.* Pſal. 147: 12. *Et vocabit nomen ejus Immanuel.*

h. e. *Nobiſcum-Deus.* Ea vox ſignificat ereptionem ex omnibus malis, & difficultatibus adeoque & poteſtate Diaboli & mortis. *Ad odorem unguentorum tuorum bonorum effunderis nomine tuo.* vim omnem nominis tui patefactam in verbo, re ipſâ atque opere demonſtrans. Cant. 1: 2. *Addidiſti ad gentem Jehovah, addidiſti ad gentem, glorificatus es.* per exhibitionem Chriſti, & conſecuta beneficia. Eſ. 26: 15. *Et revelabit r gloria Jehovah.* Eſ. 40: 5. Eſ. 7: 14. *Benedicens ſibi in terrâ benedicturus ſibi eſt in Deo Amen, & jurans in terrâ juraturus eſt in Deo Amen.* qui omnes ſuas promiſſiones in Chriſto fecerit Næ & Amen, & cui ad adjurationem de gloriâ ſibi debitâ rectè poteſt reſponderi Amen. Eſ. 65: 16. *Et hoc eſt nomen ejus, quo vocabit eum unusquisque Jehovah juſtitia noſtra.* apud quem Deus factus ſit, quod eſt, ad hoc ut fiat juſtitia noſtra. Jerem. 23: 6. 33: 16. *Et fietis mihi populus, & ego fiam vobis Deus.* i. e. Ego in Chriſto rege veſtro, qui eſt unum mecum, me geram erga vos deinceps tantummodo ut Deus veſter per gratiam & veritatem. Jer. 30: 22. *In tempore illo, ait Jehovah fiam Deus omnibus familiis Iſraëlis; & illi fient mihi populus.* Jer. 31: 1. *Et fiam ipſis Deus, & illi fient mihi populus* Jerem. 31: 33. *Et fient mihi populus, & ego fiam ipſis Deus.* Jer. 32: 38. *Et manifeſtabo illis abundantiam pacis & veritatis.* Ut omnes promiſſiones fiant in ipſo Næ & Amen, & tollantur omnes figuræ & umbræ. Jerem. 33: 6. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & faciam exſtare verbum bonum illud, quod locutus ſum ad domum Iſraël & de domo Judæ.* Jerem. 33: 14. Ubi eum intelligere promiſſionem de Chriſto, ex ſequentium contextu apparet. *Et fient mihi in populum, & ego fiam ipſis in Deum.* Ezech. 11: 20. *Et ego Jehovah ero ipſis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio earum.* Ezech. 34: 24. *Et fietis mihi populus, & ego fiam vobis Deus.* Ezech. 36: 28. *Et celebrabitis nomen Jehovæ Dei veſtri*, h. e. annunciabitis virtutes ejus, & veritatem manifeſtationis perfectionum ejus ſecundùm id quod eſt, & quod ſe promiſit futurum. *qui fecit vobiſcum ad miraculum uſque... Et cognoſcetis, quod in medio Iſraelis ſim ego, & ego Jehovah Deus veſter.* Jo. 2: 26. 27. *Et ſtabit & paſcet in robore Jehovæ in elatione nominis Jehovæ Dei noſtri.* Sive, in nomine Jehovæ Dei noſtri ſe efferente. h. e. nominando & prædicando Dominum, ſive manifeſtando nomen Domini, per prædicationem Evangelii, quâ plenè & clarè explicatur, quis ſit Dominus, ſive quæ ſit ipſius gloria, & non tantùm quæ ſit, ſed etiam quòd ea gloria ſit à Patre per Filium in re & facto ipſo manifeſtata. Mich. 5: 3. *Vox Jehovæ, qui urbem vocat, exſtat. & reverâ videt quisque nomen tuum.* Ubi *nomen Jehovæ* eſt ipſa veritas divinarum virtutum in opere redemtionis noſtræ demonſtratarum, Sanctitas, Juſtitia, Miſericordia, Judicium, Potentia, Sapientia. Denique veritas ipſius Divinitatis, qualis & quanta in ſacris Dei oraculis eſt nominata. quæ omnia in Chriſto ſunt verificata. Mich. 6: 9. *Bonus eſt Jehovah, in arcem in die preſſuræ.* Gratiam & bonitatem ſuam oſtendit in populo, ut præbeat ſe arcem illis, qui confugiunt ad ſe. Nah. 1: 7. *Væ cui datum eſt videre.* Deum in carne manifeſtatum, atque implementa promiſſionum in Chriſto. Zeph. 3: 1. *Jehovah juſtus in medio ejus erat.* cum manifeſtatione omnis gratiæ & bonitatis. Zeph. 3: 5. *Ædificate domum, & gratam illam habebo, & glorificabor.* Per hanc glorificationem Dei ſignificatur manifeſtatio Dei in carne, Damnatio peccati per verum Pontificem, Effuſio Spiritus Sancti in omnem carnem, Abrogatio hominum à principatu, ut ſolus Deus ſit rex, Nominis Dei notificatio & verificatio promiſſionum in Chriſto, Hæreditas gentium. Hagg. 1: 8. *Accipiam te Sorobabel*, i. e. fili Sorobabelis, Chriſte, *Et ponam te ut ſigillum.* Deum, & nomen ejus in te manifeſtabo. Hagg. 2: 23. *Ecce ego cœlo cœlaturam ejus.* h. e. Exarabo in

ipſo

ipſo nomen ejus. Dabo ipſi nomen ſupra omne nomen. Demonſtrabo, ipſum eſſe Filium meum. Omnibus ſignis eum manifeſtabo; ita ut omnes promiſſiones in ipſo fiant Næ & Amen. Zach. 3: 9.

§. 147. Virtutes iſtæ Nominis Dei, & actu & rebus ipſis demonſtratæ, nominatim etiam deſignantur in prophetiâ. Sunt autem eædem, ac illæ, quas Deus patefecit Moſi, Exod. 34: 7. Et commodè revocantur ad duo capita, Miſericordiam & Juſtitiam. Ita enim poſt Moſen Prophetæ: *Jehovah, in cœlum gratia tua* erga electos, *fidelitas tua uſque ad æthera. Juſtitia tua*, quâ ſine ſanctitatis injuriâ juſtificas peccatorem, *ut montes Dei, judicia tua abyſſus magna.* imperſcrutabilia ſcil. *Hominem & pecus ſervas, Jehovah.* Ita judicas, ut etiam ſis ſervator. Pſal. 36: verſ. 6. 7. *Miſericors*, ab eo, quia homines miſeros & exitii reos vult per fidem ſalvare, *& gratioſus* ab eo, quòd vult liberali dono juſtitiæ gloriam ſuam demonſtrare, *eſt Jehovah*; *Longanimis* ex eo, quia homines impios tolerat diu, & vocat ad pœnitentiam, antequam puniat, *& multus gratiâ.* quòd æterno amore & mirabili potentiâ electos perducit ad ſalutem, & eorum fidem, non tantùm ipſorum æternâ beatitudine, ſed & miſeratione filiorum uſque in milleſimam progeniem, maximè eorum, qui ſunt ſecundùm promiſſionem, remuneratur. *Non in perpetuum contendit.* Contendit quidem, & judicium exercet in peccatum, ſed non in perpetuum. Nam primò peccatum noſtrum conjecit in Chriſtum. Deinde in iis, qui ſunt Chriſti, peccatum magis magiſque abolet. Denique *non in ſæculum ſervat iram.* quemadmodum in milleſimam progeniem ſervat gratiam, ſed ipſi ſatis eſt nunc in filiis, nunc in nepotibus, nunc in pronepotibus demonſtrare juſtitiam & iram ſuam. *Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, & non ſecundùm pravitates noſtras retribuit nobis. Sed quemadmodum alti ſunt cœli ſupra terram, ſupervaluit gratia* ſive beneficentia *ejus ſuper timentes ipſum.* Ubi ſimilitudo altitudinis cœli adhibetur ad oſtendendum beneficiorum exaggeratam molem. Pſal. 103: 8. 9. 10. 11. *Majeſtas & reverentia eſt opus ejus, & juſtitia ejus manet in æternum.* Ubi per *juſtitiam* intelliguntur omnes virtutes Dei in Chriſto demonſtratæ, maximè autem juſtitia, quam exercuit in judicio, quo condemnavit peccatum, & Chriſtum juſtificavit, demonſtrans ſe juſtum, & juſtificantem eum, qui ex fide Chriſti. *Memoriam fecit mirabilibus ſuis.* Tot ac tanta miracula edidit per Apoſtolos, ad demonſtrandum, quòd Jeſus ſit Chriſtus, ut eorum fama interire non poſſit, aptiſſimo quoque modo effecit, ut mirabilia ipſius negari & ignorari in poſterum non poſſint. Teſtimonium enim hoc curavit ſcribendum, non ſine teſtibus Eccleſiis, & præcipuis fidelibus. *Gratioſus & miſericors eſt Jehovah.* qui ſe. donat liberaliter nihil merentibus, imò quærentibus ſe obvium offert, & non rogantibus reſpondet, & quidem juſtitiam ſuam indignis peccatoribus parat ac donat. Pſalm. 111: 3. 4. *Opes & divitiæ ſunt in domo ejus, & juſtitia ipſius*, quam affert & donat Chriſtus, *ſtat in æternum.* Eſt enim juſtitia ſæculorum. *Orta eſt lux rectis in tenebris: Gratioſus*, quia gratuitò offert juſtitiam, *& miſericors*, erga miſeros irretitos laqueis Diaboli, tum etiam erga ſuos, cum multiplici calamitate conflictantes, *& juſtus.* per hoc poſtremum genus juſtitiæ, quatenus eſt ex juſtitiâ, quam habet Chriſtus. Pſalm. 112: 3. 4. *Juſtus es tu, Jehovah.* Te facto ipſo demonſtras juſtum, & rectè ac decenter juſtificantem peccatorem, propter meritum & obedientiam Chriſti, *& judicia tua juſta.* Pſal. 119: verſ. 137. *Et exaltatur Jehovah Deus exercituum in judicio*, i. e. per condemnationem peccati in carne, & ſic realem confutationem altitudinis humanæ contra altitudinem Dei ſe erigentis, *& Deus ille ſanctus ſanctificatur per juſtitiam.* h. e. per obé-

 & juſtitiam. Et hoc eſt ipſe Deus, fons omnium horum beneficiorum, qui ut obedientiam redemptoris, & fidem redemtionis obſignatur ſanctitas Dei, quâ is peccatorem judicat & excludit à communione ſui, & tamen juſtificat impium. Eſ. 5:16. *Ex igne*, prodibat *Chaſmal.* Deus apparuit cum mixturâ rubri & viridis, ut in Iride, i. e. iræ & gratiæ. Ezech. 1:4. *Jehovah eſt longanimis & magnus vi, & omnino non habet impunitum.* q. d. Eſt quidem, fateor, longanimis, & decenter poteſt ac vult peccatorem tolerare, inprimis quem vult ſalvare, cui etiam non imputat peccata; refrenat quidem etiam iram, & ſibi ac juſtitiæ ſuæ quaſi vim facit, & præterit ac diſſimulat etiam magnum peccatum: Sed non abſolvit, nec remittit peccatum abſque demonſtratione ſanctitatis & juſtitiæ ſuæ. Judicat peccatum, etiamſi ſit miſericors & longanimis. Nah. 1:2. *Jehovah juſtus in medio ejus erat.* Zeph. 3:5.

§. 148. Fons & origo horum omnium beneficiorum eſt Deus ipſe, qui æternâ gratiâ & miſericordiâ complexus indignum & miſerum peccatorem, cùm inveniſſet apud ſe & conſtituiſſet rationem decentiſſimam eum ſalvandi, ex perdito genere humano Semen electum dedit Filio, quod, poſito lytro pro peccato, placato Patre, jure ſuo, ac dato Spiritu, tùm reliquis bonis exornaret, tùm præcipuè iis, quæ à gratiâ pleniſſimâ, neque ullis interpolatâ Iræ effectis, qualia fuerant antè, ad peccatorem poterant devenire, atque etiam debebant, ex æterno Dei conſilio ac Teſtamento, quòd tùm declaratio ejus conſilii ac promiſſio jurata, olim facta, tùm fides patrum, fecerat irrevocabile. Atque hinc jam eſt, quòd aliàs ipſi Deo, aliàs gratiæ, miſericordiæ, ac bonitati Dei, aliàs fidelitati ac veracitati, aliàs decentiæ ipſius; interdum Chriſto, & juri, quod is vi meriti ſui in Eccleſiam accepit; interdum Spiritui Sancto, adſcribatur, quicquid boni accidit Eccleſiæ; interdum etiam à conſilio ac Teſtamento gratiæ, quod à complemento bonorum, quæ conceduntur demum, cauſâ ſalutis exſtante, Teſtamenti novi appellatione venit, id omne ſuſpendatur.

§. 149. Deo, inquam, ut fonti & origini omnis boni, adſcribitur, quicquid ad Eccleſiam à meritis Chriſti redundat utilitatis. Igitur enim Deus & auctor lucis, ſalutis, & vitæ noſtræ, in Scripturis celebratur. Exempli gratiâ: *Jehovah eſt lux mea, & ſalus mea, quem timebo? Jehovah eſt arx vitæ meæ, quem reformidabo?* Pſal. 27:1. *Etenim filii hominum in umbrâ alarum tuarum receptum habent .... Nam tecum eſt fons vitæ.* Omnis vita à te eſt, & in te eſt & tu potes vitâ æternâ donare quoſvis. *Te lucente videmus lucem.* Tu affulges animabus noſtris, & nos ſentimus pacem, juſtitiam, & gaudium, initia vitæ æternæ. Pſalm 36:8. 10. *Interdiu jubebat Deus exſtare gratiam ſuam, & nocte carmen ejus erat mecum, oratio ad Deum omnipotentem Deum vitæ meum.* qui ſcilicet quicquid potes & es, mihi donaveris. Pſalm. 42:9. *Deus ſalutis noſter.* Pſalm. 65:6. *Deus illuſtret faciem ſuam apud nos.* Exſplendeſcat & benevolentiam ſuam oſtendat nobis. Pſalm. 67:2. *Deus, reduc nos, & lucere fac faciem tuam,* Te placatum & non memorem peccatorum noſtrorum oſtende, *& ſalvabimur.* Pſalm. 80:4 8. 20. *Dico, Jehovah eſt receptus meus & arx mea; Deus meus, in quo confido.* Pſalm. 91:2. *Alâ ſuâ obteget te, & ſub alis illius receptum habebis; ſcutum & parma eſt veritas ipſius. Non timebis.* His præſidium Dei ſignificatur. Pſalm. 91:4. 5. *Nam tu, Jehovah, es receptus meus.* Pſal. 91:9. *Anima mea eſt agglutinata pulveri, vivifica me ſecundùm verbum tuum.* Pſalm. 119:25. *Latebra mea & clypeus meus es tu, ad verbum tuum ſpero.* Pſal. 119:114. *Ibi* (in Sione) *diſpoſui lucernam uncto meo.* ad illuſtrandum tenebras. Pſal. 132:17. *Salutem* partam *poſuit muros & antemurale.* Eſai. 26:1. *Ecce ego* qui *ponit in Sione lapidem*, rupem

ſalutis,

ſalutis, *lapidem probationis, angulum fundati fundatiſſimi,* utpote in ipſo fundati, qui potentiâ & merito illud ſuſtinet. Eſai. 28: 16. *Ego Jehovah vocavi te cum juſtitiâ.... & dabo te in fœdus populi, in lucem gentium.* ut gentes in te cognoſcant, quis ſit verus Deus. *Ut acutum videant oculi cæcorum, ad educendum ex carcere ſedentes in tenebris.* Eſai. 42: 6. 7. *Iſraël ſalvatus eſt in Jehovah ſalvatione ſæculorum.* Eſai. 45: 17. *Et ponam cadcod* gemmam lucidam vel pellucidam, *ſpecularia tua, & portas tuas in carbunculum.* ſ. ardentem gemmam. In Chriſto enim, qui eſt via, eſt lux & amor. Eſai. 54: 12.. *Hoc,* nempe *Ignis, ambulabat inter animalia.* Intelligitur Spiritus inhabitans in Eccleſiâ, eam faciens ardere charitate, & lucere verbo veritatis. Ezech. 1: verſ. 13. *Et ſalutem afferam ovibus meis, ne ſint ampliùs direptioni.* Ezech. 34: 22. *Et ſalvabo ipſos in Jehovah Deo ipſorum: & non ſalvabo ipſos arcu, & gladio, & bello, cum equis & equitibus.* Hoſ. 1: 7.

§. 150. Gratia & miſericordia Dei, ut fons & cauſa præcipua omnium bonorum proponitur in hiſce: *Benedicta Jehovæ eſt terra ejus... à gratiâ habitantis rubum.* Deut. 33: 16. *In multitudine gratiæ tuæ intrabo in domum tuam.* Pſalm. 5: 8. *Reſponde mihi, ô Jehovah, quia magna eſt gratia tua, ſecundùm amplitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me.* Pſal. 69: 17. *Nam miſerabitur Jehovah Jacobum, & eliget adhuc Iſraëlem... & accedet πάροικος ad ipſos.* &c. Eſ. 14: 1. *Miſerabor,* inquit Deus, *domum Judæ, & ſalvabo ipſos in Jehovah Deo ipſorum.* Hoſ. 1: 7. Et propterea virtutibus illis, à quibus Deus denominatur *miſericors & gratioſus,* Ex. 34: 6. omnia beneficia Eccleſiæ ſæpenumero comprehendit Scriptura. Ut in ſequentibus: *O tu, qui maximas ſalutes præſtat regi ſuo, & gratiam facit uncto ſuo, Davidi & ſemini ejus,* Chriſto, *in ſæculum.* Ubi gratia, quam Deus facit Chriſto, ſunt dona, quæ Chriſtus Eccleſiæ impetravit, quæque is ſedens ad dextram Dei largitur Eccleſiæ. Pſal. 18: 51. *Jehovah, in cœlum gratia tua.* Propter eam enim Filius Dei deſcendit de cœlo & aſcendit in cœlum, idque ut cœlum & terram conjungeret. Pſal. 36: 6. *Interdiu jubebat Jehovah exſtare gratiam ſuam.* i.e. dona ſua à ſtudio ſalvandi profecta vocabat potenti juſſione, ut eſſent præſentia. Pſal. 42: 9. *Quia magna eſt ad cœlos gratia tua, & ad nubes veritas tua.* Pſalm. 57: 11. *Deus gratioſus ſit mihi.* Gratiam mihi omnem manifeſtet in Chriſto. Pſal. 67: 2. *Atqui ego, oratio mea ad te, Jehòvah, tempore gratiæ.* i.e. eo tempore, quod tu deſtinaſti, ut peccata hominum expiares per victimam corporis mei. Pſalm. 69: 14. *Gratia tua magna ſit circa me, & eripueris animam meam ex orco infimo.* Pſalm. 68: 13. *Et tu, Domine, es Deus miſericors & gratioſus, longanimis & multus gratiâ & veritate.* Pſal. 68: 15. *Gratias Jehovæ,* i.e. amorem illum, qui promiſſionibus, quæ patriarchis factæ ſunt, continetur, qui eſt ad bonum æternum, non tantùm populi Judaici, ſed omnium filiorum Dei diſperſorum per totum mundum, *in ſæculum canam* &c. Pſal. 89: 2. *In ſæculum gratia ædificabitur. Cœli! In eis conſtabilies veritatem tuam.* Pſal. 89: 3. *In ſæculum ſervabo ipſi gratiam meam, & fœdus meum firmum ipſi eſt.* Ibid. verſ. 29. *Ubi ſunt gratiæ tuæ* ſ. *benignitates,* ſ. *ſtudia,* h. e. dona gratiæ, *priſcæ, quas juraſti Davidi in veritate tuâ.* Pſal. 89: 50. *Miſericors & gratioſus eſt Jehovah, longanimis & multus gratiâ.* Pſalm. 103: 8. *Confitemini Jehovæ, quia bonus eſt, quia in ſæculum durat gratia ipſius.* Perſeverat ſcil. in amore ſuo, neque telam ſuæ gratiæ ullo tempore interrumpit, quo minùs omni tempore ſint, qui ipſi ob ſumma beneficia gratias agant. Pſalm. 107: 1. *Gratioſus & miſericors eſt Jehovah.* Pſalm. 111: 4. *Exuberavit ſuper nos gratia ipſius.* Ea abundantia gratiæ ſpectatur in magnitudine boni præparati, in magnitudine impenſæ, in ſubjecti indigni-

tate & incapacitate, in claritate revelationis, in latitudine communicationis, in certitudine obſignationis, in lenitate deductionis, in potentiæ adverſantis debellatione, in facilitate adeptionis per fidem, eamque donatam, in firmitate deſtinationis, in illuſtratione donationis, ſive per inſignia chariſmata, ſive per ineffabile gaudium in cruce, ſive per mirabiles opitulationes & liberationes, ſive per horribilia judicia, & glorioſam mundi ſubjectionem. Pſalm. 117:2. *Confitemini Jehovæ*, corde, ore, opere, atteſtamini ipſi, *quòd bonus ſit*, ſervator omnium, maximè fidelium, *quia in ſæculum eſt gratia ipſius* i. e. quia ſe oſtendit memorem gratioſi fœderis ſui cum patribus facti, & Teſtamenti ſponſorem, ſive mediatorem, ex gratiâ dedit, qui & morte ſuâ gratiam impetravit, & reſurgendo à mortuis eam certam reddidit in æternum. *Dicat age Iſraël*, i. e. confeſſionem aliis hominibus verbo & exemplo ſuadeat & commendet, *quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Dicat age domus Aharonis, quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Dicant age timentes Jehovam, quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* Pſalm. 118: 1. 2. 3. 4. *Et veniant mihi* hoc tempore *gratiæ tuæ*, i e pleniſſima illa gratia promiſſa, ſperata, exſpectata, *Jehovah*, ut virtus nominis tui appareat; *ſalvatio tua, ſecundùm verbum tuum.* Pſalm. 119: 41. *Confitemini Jehovæ, quòd bonus ſit, quòd in ſæculum ſit gratia ipſius.* Talis confeſſio quadrat Euangelio. Gratia enim eſt amoris gratuiti ad maximum bonum conferendum enixa & conſtans *ἐνέργεια*, quæ in Euangelio prædicatur. Pſalm. 136: 1. & ſeqq. *Adoro ad templum ſanctum tuum, & confiteor nomen tuum, propter gratiam tuam & propter veritatem tuam.* quæ ſcil. eſt in Chriſto. *Gratia* enim hic eſt amor merus & impenſiſſimus ad ſummum hominis bonum, cum abolitione omnium iræ effectuum, quales accuſatio, petitio ſatisfactionis, ſubſcriptio chirographi, &c. opponiturque legi iram operanti. Pſalm. 138: 2. *Fac me audire matutinò*, dum diluceſcit, *gratiam tuam.* Euangelium nempe boni, ſalutis, pacis, juſtitiæ, quod promiſiſti. *Nam tibi*, & verbo tuo, *confido.* Pſalm 143: 8. *Et conſtabilitus eſt in gratiâ thronus.* Indicat 1. cauſam regni Chriſto dandi *τὴν χάριν, τὸ ἔλεος, τὴν ἀλήθειαν.* 2. Modum regni, nempe cum plenitudine gratiæ. Eſai. 16: 5 *Parvo momento dereliqui te*, & tradidi principibus, *& miſericordiâ magnâ colligam te. Pauxillo fervoris*, quem operabatur lex, maximè quando coacti ſunt ſcribere chirographum adverſus ſe ipſos, & ſubjecti ſunt tutoribus, qui dominabantur in ipſos, *abſcondi faciem tuam momento à te, & gratiâ ſæculi miſereor tui, dixit aſſertor tuus Jehovah.* Eſai. 54: 7. 8. *Et pangam vobiscum fœdus æternum, gratias Davidis fideles.* Veluti pacto vobis addicam in perpetuum ſtudia æterna, quæ Davidi promiſi, & quæ in Davidis filio fundabantur. Eſai. 55: 3. *Gratias Jehovæ commemorabo, laudes ſ. Jehovæ ſummoperè omnia, quæ pleniſſimè nobis tribuit Jehovah, & multùm bonitatis domui Iſraëlis, quod tribuit illis ſecundùm miſericordias ſuas, & ſecundùm amplitudinem gratiarum ſuarum.* Hæc ſignificant exhibitionem promiſſionum, & *πληρώσεις* ſanctorum. Eſai. 63: verſ. 7. *Aut hilarabimur.* Exceptio gratiæ ita ſignificatur. Ezech. 21: 15. *Et deſponſabo te mihi in ſæculum & deſponſabo te mihi in juſtitiâ, & in judicio, & in gratiâ & miſericordiâ. Et deſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Jehovam.* Hoſ. 2: 21. 22. *In irâ miſerari recordaris.* Hab. 3: 2. Nec diſſimilia his ſunt loca, in quibus *Bonitati Dei* omnia aſſignantur. Ut: *Animalia tua conſederunt in eâ, quæ paras inopi per bonitatem tuam*, prædicatam in Euangelio, quâ condonas peccatum, vitam donas. Pſ. 68: 11. *Confitemini Jehovæ, quòd bonus ſit*, i. e. beneficus, *quòd in ſæculum ſit gratia ipſius.* Pſal. 106: 1. 107: 1. 118: 1. 136: 1. *Celebrate Jah, quia bonus eſt Jehovah, Canite nomini ejus, quia ſuave eſt.* Pſalm. 135: 3. *Bonus eſt Jehovah, in arcem in die preſſuræ.* Nah. 1: 7.

§. 151. De-

§. 151. Decentiæ Dei omnia adſcribuntur in hiſce: *Canite Deo, pſallite nomen ejus, aggerem facite ei, qui vehitur in deſerto, cum decentiâ nominis ſui.* i. e. cum omni amabilitate ſuâ, quæ ſpectatur in eo, quòd ſit Deus juſtificans impium, habetque teſtem conſcientiam. Pſal. 68: 5. *Atque etiam*, ſcil. accepiſti, *refractarios*, Judæos induratos, *ut habitent* aliquando *decentiam Dei*. Pſal. 68: 19. *Jehovah Deus exercituum, quis ut tu eſt præditus decentiâ?* Pſal. 89: 9. Huc pertinet iſtud in Pſalmis decantatiſſimum, *Hallelujah*. Sive, *Celebrate Jah*. Senſus enim eſt, Facite quantùm poteſtis, omni ſtudio, virtute, zelo, induſtriâ, ut Jehovah, qui eſt *Jah*, i. e. decentiſſimus & pulcherrimus, & dignus laude, celebratione, exaltatione ſit celebris apud omnes, & ab omnibus nominetur cum glorificatione, gratiarum actione, & gloriatione in ipſo.

§. 152 Quæ hactenùs dicta ſunt, cauſas bonorum remotiores quaſi & primoprimas oſtendunt. Propiùs ea attingentes, cum iiſque connexæ, atque adeo repræſentantes ſunt. Benevolentia ac Teſtamentum Patris, jus & meritum Filii, tùm potens operatio Spiritus Sancti dati à Patre & Filio. Benevolentia Patris celebratur in hiſce: *Et opus manuum ejus acceptes.* Deut. 33: 11. *Benefac in Benevolentiâ tuâ Sioni.* Pſ. 51: 20. *In gratiam recepiſti terram tuam.* Pſal. 85: 2. *Quia acceptum habet populum ſuum.* Pſal. 149: 4. *Ecce ſervus meus: Dilectus meus, in quo acquievit anima mea.* Eſai. 42: 1. *In tempore acceptationis reſpondi tibi, & in die ſalutis audivi te.* Eſ. 49: 8. *Holocauſta eorum & ſacrificia eorum erunt acceptationi in altari meo.* Eſ. 56: 7. *Ad prædicandum annum acceptationis.* Eſ. 61: 2. Hanc benevolentiam complectitur promiſſio *Pacis*, quæ vid. Pſal. 72: 3. 122: 7. 8. Eſ. 9: 5. 6. 48: 18. 52: 7. 53: 5. 54: 10. 54: 13. Jerem. 33: 6. Ezech. 37: 26. Hagg. 2: 9. Zach. 6: 13. 9: 10. Item *Lucis*; Pſ. 36: 10. 67: 7. 67: 2. 80: 4. 8. 20. Eſ. 5: 20. Et *Dulcis*; Eſ. 5: 20.

§. 153. Teſtamentum Dei, ſive immutabile propoſitum dandi Filio hæreditatem, eamque ſanctificandi, juſtificandi & glorificandi: itemque habendi Iſraëlem primò quidem in exſpectatione, eique donandi hæreditatem terreſtrem; ſecundò, factâ reconciliatione, in lætitiâ, gratiarum actione, pace, juſtitiâ, libertate, communione cum cœleſtibus, eique donandi hæreditatem gentium: Id, inquam, propoſitum Dei, ut principium omnium bonorum proponitur in hiſce: *Per me Juravi, ait Jehovah: quia feciſti hoc verbum . . . benedicendo benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ut ſtellas cœli, & ut ſabulum, & hæreditabit ſemen tuum portam inimicorum tuorum, & benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Quibus Teſtamentum Dei & propoſitum immutabile de bonis maximis, & hæreditate gentium, ita explicatur, ut etiam juramento confirmetur. Gen. 22: 16. 17. *Sed fœdus perpetuum poſuit mihi, expoſitum inter omnes & ſervatum.* h. e. tanquam fœdere & pacto, mihi, cùm conſilio ſuo & decreto æterno deſtinavit, tùm verbis addixit, id, quod voluit eſſe expoſitum omnibus, & Judæis, & gentibus, ut habeant omnes, quò confugere poſſint; nempe, *Quòd omnis ſalus mea*, ſupple, ſit in cauſâ ejus conſummanda & repræſentanda, *& omne beneplacitum*, omnis voluptas Dei in Eccleſiâ, ſine irâ, ac ſervitute, exiſtet, *quum non germinabit domus mea.* 2 Sam. 23: 5. *Beatus, quem eligis, & facis prope accedere, ut habitet atria tua!* Ubi fons beatitudinis & communionis bonorum cœleſtium ponitur gratia electionis. Pſal. 65: 4. *Pepigi fœdus electo meo, juravi Davidi ſervo meo. Uſque in ſæculum conſtabiliam ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem ſolium tuum.* In quibus, ut & 2 Sam. 23: 5. ſub metaphorâ fœderis notatur immutabilitas decreti, ut fons & cauſa ſtabilitatis Chriſti, & ſeminis ac regni ejus. Pſal. 89: 4. *In ſæculum ſervabo ipſi gratiam*

meam,

meam, & fœdus meum firmum ipſi eſt. Et ponam in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus ut dies cœli. Pſal. 98: 29. 30. *Non violabo fœdus meum*, ſ. certiſſimum propoſitum, quo ipſis Chriſtum & omnia bona deſtinavi, *& prolatum labiorum meorum non mutabo. Semel juravi in ſanctitate meâ. Si Davidi mentiar! Semen ejus in ſæculum erit, & thronus ejus ut Sol coram me. Ut Luna confirmabitur in ſæculum & teſtis eſt in cœlo verus.* Pſal. 89: 30. 36. 37. 38. *Ubi ſunt benignitates tuæ priſcæ quas juraſti Davidi in veritate tuâ.* Pſal. 89: 50. Huc refer Pſal. 105: 8. 9. 10. 11. & 122: 4. *Celebrate Jah, quia bonus eſt . . . Quia Jacobum elegit ſibi Jah, Iſraëlem in peculium ſibi.* Pſal. 135: 3. 4. *Per me juravi, exivit ex ore meo juſtitia, verbum, & non retrocedet: mihi ſe incurvabit omne genu, jurabit omnis lingua.* Tantum *in Jehovah (de me dixit) juſtitia & robur, ad illum accedet quivis. In Jehovah juſtificabuntur & gloriabuntur omne ſemen Iſraëlis.* Hic juramento per ſe ipſum, de quo dicitur, quod ſit verbum ἀμεταμέλητοι, decreti immutabilis index, Deus confirmat gentium converſionem & fidem in ſe. Eſ. 45: 23. 24. 25. *Sic ait Jehovah aſſertor Iſraëlis, ſanctus ejus: Contemptui animæ & abominationi gentis, ſervo poteſtatem habentium, reges cum videbunt, aſſurgent, principes incurvabuntur; propter Dominum, qui fidelis eſt, ſanctum Iſraëlis, qui elegit te.* Ubi ratio exaltationis Chriſti & fidelitas Jehovæ, deinde electio & propoſitum gratiæ exercendæ in Iſraële. Eſ. 49: 7. *Nam aquæ Noachi hoc mihi: Quemadmodum juravi non tranſituras aquas Noachi terram, ſic juravi, ne effer veſcam in te & increpem te.* Ubi juramento confirmatur promiſſio de non repetendâ increpatione ſive accuſatione peccati. At juramentum, ſicut & promiſſio, reſpicit ad decretum. Eſ. 54: 9. *Et pangam vobis fœdus æternum*, veluti pacto vobis addicam in perpetuum, *gratias Davidis fideles.* Eſ. 55: 3. *Et quod ad me attinet, hoc eſt fœdus meum cum ipſis*, hoc ipſis æterno atque immutabili decreto deſtinavi, & addixi: *Spiritus meus, qui eſt ſuper te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore ſeminis tui.* Eſ. 59: 21. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah, & pangam cum domo Iſraël, & cum domo Judæ fœdus novum* promiſſiones novas ipſis offeram, declarabo ipſis, me novi aliquid effecturum; ut ita hæc phraſis indicet propoſitum Dei certum, fixum & omninò efficiendum; quod etiam ſequentia declarant. *Non ut fœdus, quod pepigeram cum parentibus ipſorum, die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto:* (Vid. Per. II. Art. XI.) *qui irritum fecerunt fœdus meum*, (Per. III. Art. 3.) *& ego dominationem exercui in ipſos, ait Jehovah.* (Per. III Art. 5.) *Sed hoc fœdus, quod pangam domui Iſraël, poſt dies illos, ait Jehovah: Do legem meam in medium ipſorum, & ſuper corde eorum ſcribam eam, & fiam ipſis Deus, & illi fient mihi populus. Et non docebunt ampliùs quisque proximum ſuum & quisque fratrem ſuum, dicendo: Cognoſcite Jehovam. Nam omnes ipſi cognoſcent me à parvo ipſorum ad magnum ipſorum, ait Jehovah. Nam condonabo pravitatem eorum, & peccatum eorum non recordabor ampliùs. Sic dixit Jehovah, qui dat Solem ad lucem diei, leges Lunæ & ſtellarum ad lucem noctis, qui movet mare ut fremant undæ ejus, cujus nomen eſt Jehovah Deus exercituum. Si recedent ſtatuta hæc à conſpectu meo, ait Jehovah; etiam ſemen Iſraëlis ceſſabunt, ut ne ſit gens coram me omnibus diebus.* Jerem. 31: 31. 32. 33. 34. 35. 36. *Et paciſcar ipſis fœdus æternum, quòd non averſurus me ſim ab ipſis, ut benefaciam ipſis.* Jerem. 32: 40. *Sic dixit Jehovah: Si irritum facietis fœdus meum diei, & fœdus meum noctis, & ut non ſit dies & nox in tempore ſuo. Etiam fœdus meum irritum fiet cum Davide ſervo meo, ne ſit ipſi filius regnans in throno ipſius, & cum Levitis ſacerdotibus miniſtris meis.* Ubi ſimiliter per fœdus intelligitur promiſſio Dei, quam tanquam rato pacto addixit. At promiſſio eſt declaratio Divini propoſiti ac

Teſta-

Teſtamenti. Jerem. 33: 20. 21. *Et tranſibam præter te & videbam te volutatam in ſanguine tuo, & dicebam tibi in ſanguine tuo, vive: dicebam, inquam, tibi in ſanguine tuo, vive.* Quibus miſericordia Dei, & propoſitum gratiæ æternum erga hominem miſerum, adumbratur. Ezech. 16: 6. *Et recordabor ego fœderis mei tecum in diebus adoleſcentiæ tuæ, & erigam tibi fœdus ſæculi. Et recordaberis viarum tuarum, & ſubterfugies præ pudore, cùm accipies ſorores tuas majores te ad minores te, & dabo illas tibi in filias, & non ex fœdere tuo. Et erigam ego fœdus meum tecum, & cognoſces, quod ego ſim Jehovah.* Ezech. 16: 60. 61. 62. *Et pangam ipſis fœdus pacis, fœdus ſæculi erit cum ipſis.* Ezech. 37: 26. *Etiam tu, ô Sion, pro ſanguine Teſtamenti tui dimiſi vinctos tuos è foveâ, in quâ non eſt aqua.* Ubi ſanguis, qui eſt medium libertatis à ſervitute legis & elementorum mundi, vocatur *ſanguis Teſtamenti*; quia à Divinâ promiſſione, quâ Deus olim patribus beneplacitum ſuum declaravit, hoc beneficium libertatis pendet. Zach. 9: 11. *Diligo vos, dixit Jehovah: & dixiſtis, in quo diligis nos? Nonne frater Eſavus Jacobo erat? ait Jehovah; & dilexi Jacobum. At Eſavum odi.* In quibus eſt repetitio Teſtamenti Dei per promiſſionem declarati. *Amor* enim hîc ſignificat beneplacitum dandæ benedictionis: quæ benedictio eſt. 1. Datio ſeminis, in quo eſt reconciliatio & juſtitia, h. e. Chriſti. 2. Regeneratio ſive circumciſio cordis, tùm per ſpiritum ſervitutis, tùm deinde per ſpiritum filiationis, ad communionem cum ſemine. 3. Juſtificatio. 4. Sanctificatio & conſervatio. 5. Vita æterna & reſurrectio carnis ad eam. 6. Poſſeſſio terræ Canaan ut Symboli & pignoris patriæ, & civitatis æternæ; unà cum ſymbolis, quibus myſterium reconciliationis adumbrabatur, & obſignabatur, ut Deus interim ſanctificaretur à peccatis populi. 7. Hæreditas gentium in Chriſto per vocationem & generationem earum. Mal. 1: 2. 3.

§. 154. Hoc *Teſtamentum* Dei aliàs dicitur *illud, quod pepigit Deus cum Iſraëlitis, quum eduxit eos ex terrâ Ægypti.* Ut Deut. 29: 25. Et *Teſtamentum Sionis*, ſ. *Iſraëlis*. Zach. 9: 11. Aliàs appellatur *Novum*. Jerem. 31: 31. Et, *non ut fœdus*, ſ. *Teſtamentum, illud, quod fecerat cum Iſraële, quum exirent ex Ægypto.* Jerem. 31: 32. *Non ex fœdere tuo.* Ezech. 16: 61. Hæc quomodo conſentiant, hic explicandum eſt. Scilicet unum eſt conſilium Dei de omnibus iis, quæ facit in Eccleſiâ, unum propoſitum, una voluntas; nec in Deo eſt quid prius aut poſterius, vetus aut novum. Sed ordo & diſtinctio poteſt eſſe in rebus conſilio Dei ſubjectis, ita ut earum unæ aliis ſint priores & poſteriores, prout hæ poſt illas ortum & exiſtentiam habent. Harum ergo rerum reſpectu quaſi partes in conſilio Dei, & ordo ac diſtinctio inter eas, poſſunt conſiderari, eæque partes nominibus Conſilii, ſive Teſtamenti, prioris ac poſterioris, Veteris & novi, deſignari. Et quidem in Deo triplex tale conſilium de bonis Eccleſiæ impertiendis invenimus, quorum primum ratione exſecutionis coëxiſtit reliquis, & eſt quaſi fundamentum reliquorum; Secundum & Tertium, quanquam coëxiſtant primo, ſimul tamen non exiſtunt inter ſe. Primum conſilium eſt de hæreditate cœleſti, boniſque connexis, ſanctificatione, juſtificatione, &c. quatenùs hæc bona etiam concedi poſſunt, expiatione peccati nondum factâ: Et communiter vocatur Conſilium, ſive Teſtamentum Gratiæ: Secundum eſt de hæreditate terreſtri, in pignus & ſymbolum hæreditatis, tam cœleſtis, expleto hujus vitæ curſu adeundo, quàm gentium ac totius mundi, cum Chriſto demum, auctore omnis benedictionis dandæ: Tertium eſt de hæreditate mundi. Horum Teſtamentorum primum ſtatim à lapſu notificatum eſt Adamo, & inde exſecutionem habet uſque ad finem mundi: Secundum & Tertium ſimul notifi-

cata ſunt Abrahamo, ſed nec ſtatim, nec ſimul poſtea exſecutioni mandata; ſed unum ratione exſecutionis eſt prius, alterum poſterius. Ut ita ab Adamo ad Moſen Patres tantùm vixerint ſub Teſtamento primo; à Moſe autem ad finem ſæculorum fideles vivant non ſub primo tantùm ſed vel ſecundum primo, vel tertium conjunctum habeant. Et quidem Primum & Tertium id habent commune, quòd ſicuti Tertium eſt quaſi complementum Primi, ita utrumque tantùm ad electos & fideles pertineat; quia nempe utrumque tantùm eſt de bonis, quæ in id genus hominum cadere poſſunt: Secundum ſicuti eſt de bonis, quæ pertinent ad plures, ita non uni generi eſt accommodatum, ſed ad plures diffundit ſeſe. Atque idcirco ſi in ſe ſpectetur, & ſine Primo, cujus eſt quædam veluti appendix, vel etiam ſine Tertio, quod obſignat, tam hypocritæ, quàm fideles ad communionem ejus admitti poſſunt; quanquam in ordine ad Primum & Tertium etiam tantùm ad filios promiſſionis pertineat. Atque hinc jam eſt, quòd cùm Iſraëlitæ vixerint partim ſub Teſtamento Secundo tantùm, ii nempe, qui Promiſſioni non crediderunt, partim inſuper ſub Primo, & in ſpe atque obſignatione Tertii, Teſtamentum ipſorum poſſit conſiderari, vel quatenus habet quid commune cum eo quod fuit ante Moſen, & cum eo, quod aperitur per Chriſtum; vel quatenùs eſt proprium ei ætati, quæ fuit inter Moſen & Chriſtum, eſtque ab omni alio planè diſtinctum. Priori illo ſenſu acceperunt Moſes, & Zacharias; Poſteriori Jeremias, & Ezechiel. Atque hoc propriè & ſtrictè eſt *Vetus & Prius Teſtamentum*, quod & quatenus ad omnem & ſolum populum Iſraëliticum pertinet. Cui opponitur *Novum*, & *Poſterius*, quod refertur ad eundem populum, ſed neque omnem, neque ſolum; plerique enim id rejecerunt, & ad participationem ejus admittuntur quoque Gentes. Differtque hoc Novum Teſtamentum à Veteri ratione bonorum; à Primo illo ac perpetuo, quod diximus, ratione perfectionis & conſummationis eorum bonorum, quæ utrique communia ſunt, quatenus & cauſam eorum exhibet, & acceſſionem ad ea adjungit iſtorum bonorum, quæ ante exiſtentiam hujus cauſæ, neque offerri, niſi injuriâ, neque accipi potuere.

§. 156. Quatenus verò hoc Teſtamentum per promiſſionem eſt declaratum, & juramento confirmatum, ad *Fidelitatem* ſive *Veritatem* Dei omnia referuntur. Ut in hiſce: *Jehovah, in cœlum gratia tua uſque ad æthera.* Pſal. 36: 6. *Gratias Jehovæ in ſæculum canam, in generationem & generationem notificabo veritatem tuam ore meo.* Hæc veritas ſpectatur in implemento omnium promiſſionum. Pſal. 89: 2. *Cœli! in eis conſtabilies veritatem tuam.* Pſal. 89: 3. *Jehovah, Deus exercituum, quis ut tu eſt præditus decentiâ? Et veritas tua eſt circa te.* Pſal. 89: 9 *Semen ejus in ſæculum erit, & thronus ejus, ut Sol, coram me. Ut Luna confirmabitur in ſæculum. Et teſtis in cœlo fidelis.* ſive *verax.* Pſal. 89: 37. 38. *Ubi ſunt benignitates tuæ priſcæ, quas juraſti Davidi, in veritate tuâ.* Pſal. 89: 50. *Confiteor nomen tuum, propter gratiam tuam, & propter veritatem tuam.* Ubi veritas ſignificat gratiæ conſtantiam, & clariſſimam demonſtrationem, opponiturque umbris. Pſal. 138: 2. *Et manifeſtabo illis abundantiam pacis & veritatis.* Ut omnes promiſſiones fiant Næ & Amen, & tollantur omnes figuræ & umbræ Jer. 33: 6.

§. 157. Porrò quatenus hoc Teſtamentum fundatur in Pacto ſive Conſilio pacis, quod ab æterno fuit inter Patrem & Filium, de ſemine electo dando Filio, ſi is animam poneret ſatisfactionis pretium, de quo Pacto ſuprà locuti ſumus ad Art. I. & vi hujus pacti, poſitâ animâ, Chriſto competit jus petendi à Patre ſemen promiſſum, eique ſemini, ut peculio ac hæreditati ſuæ, donandi omnia, quæ ad ejus

per-

perfectionem atque exornationem ſunt neceſſaria; huic juri Chriſti omnia dona Eccleſiæ referuntur accepta, in ſequentibus: *Pete à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.* Pſalm. 2: 8. *Det tibi ſecundum cor tuum, omne conſilium tuum impleat,* Pſalm. 20: 5. *Jehovah, in robore tuo lætatur rex,* nempe in efficaciâ tuâ in conciliandis bonis Eccleſiæ, *& in ſalute tuâ, quàm gaudet vehementer. Concupiſcentiam cordis dediſti ipſi.* quæ concupiſcere Chriſtus poteſt, dat ipſi Pater: dedit enim ei jus poſtulandi; *Et ſponſionem labiorum ejus,* quæ nobis ſpopondit ſe facturum, quæque in nomine ipſius petimus à Patre, *non prohibuiſti. Nam occurrere ei facis benedictiones,* ſive cumulos boni, atque hinc patet, quòd concupiſcentiam cordis des ipſi; *ponis in caput ejus coronam auri ſolidi.* honorem maximum in eum confers, ut ſit caput Eccleſiæ. *Vitam poſtulavit à te, dediſti ipſi, in longitudinem dierum, ſæculum & æternitatem.* ut ipſius ſacrificium proſit in omne tempus. Pſalm. 21: 2. 3. 4. 5. *Nam non ſprevit, neque abominatus eſt paſſionem inopis, neque abſcondit faciem ſuam ab illo.* ſed reſpexit faciem Chriſti, & propter illum omnia donat. Pſalm. 22: 25. *A te gloriatio mea.* A te eſt, quod habeo jus gloriandi de iis, quæ facturus ſum ſub regno meo. *In Eccleſiâ amplâ vota ſolvam coram timentibus te.* Illuſtrabo gloriam Dei, quod ei promiſi, me facturum, ſi annueret mihi. Pſal. 22: 26. *Propterea benedixit tibi Deus in ſæculum.* oſtendit, te eſſe ſemen illud benedictum, qui jus habes poſtulandi gentibus omnem benedictionem. Pſal. 45: 3. *Eliget nobis hæreditatem noſtram, elationem Jacobi, quam diligit. Selah.* Attribuet nobis id, quo Jacob præ cœteris gloriatur, id eſt 1. Chriſtum. Deinde & omnia, quæ Chriſtus habet, quæque patribus promiſſa ſunt, donanda per Chriſtum. Pſal. 47: 5. *Aſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem, accepiſti dona* à Patre. Nam ad dextram Patris ſedens obtines poteſtatem in omnia, ad dandam omnem gratiam Spiritus S. Eccleſiæ ornandæ neceſſariam, juſtitiam, ſanctificationem, communionem ſanctorum, Spiritus tui in variis virtutibus manifeſtationem, *in hominibus.* quia enim ipſe caput ipſorum eſt, & illi hæreditas ſua, ipſe in illis hæc dona, ut à ſe impetrata accipit. Pſal. 68: 19. Quem locum Apoſtolus Eph. 4: 8. vertit: *dedit dona hominibus.* Reverâ enim, accepit dona, quæ daret hominibus. *In amplitudine gratiæ tuæ,* ſive æternæ dilectionis, quâ me dilexiſti, ut caput, & homines ſalvandos, ut membra, *reſponde mihi, per veritatem ſalutis tuæ.* mihi & membris meis præſtandæ, tum in verbo, tum ab æterno in conſilio Trinitatis definitam. Pſalm. 69: 14. *Reſponde mihi, ô Jehovah, quia magna eſt gratia tua, ſecundùm amplitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me.* Pſal. 69: 17. *Deus, judicia tua Regi da, & juſtitiam tuam;* illud donum, quod Teſtamento præparâſti filiis tuis, cor adſperſum à malâ conſcientiâ, corpus lotum aquâ mundâ, libertatem accedendi ad Deum, abolitionem jugi & ſervitutis, jus regni, *filio regis.* Pſalm. 71: 1. Hinc Chriſtus *unctus Domini* appellatur, Pſalm. 89: verſ. 52. Unctus ſcil. oleo non caduco, & ſpiritu ad menſuram, neque ad regnum terreſtre, ſed ut in ipſo, tanquam in capite, reperiatur habitans plenitudo Deitatis corporaliter, utque ipſe Spiritum, ut ſuum, membris impertiri poſſet, non ad menſuram ſpiritus ſervitutis, ſed ad abundantiam ſpiritus filiationis. *A labore animæ ipſius videbit, unde ſatietur. . . . . Propterea impertiar ipſi in multis.* Eſai. 53: 11. 12. *Et dabo ipſos.* Chriſto petenti hæreditatem. Ezech. 37: verſ. 26. *Et accepit angelus ille thuribulum, & replevit illud de igne altaris, & conjecit in terram.* effudit Spiritum Sanct. ſecundùm modum voluntatis Chriſti ſacerdotis, & poſtulationem ejus. Apoc. 8: verſ. 5.

 §. 158. Quo-

§. 158. Quoniam verò Spiritus Sanctus, ſic miſſus ac donatus à Patre & Filio, eſt effector proximus & conciliator omnis boni, ejus quoque larga effuſio, ut bonum regni Dei, & Novi Teſtamenti, promittitur in prophetiâ. Huc enim pertinent hæc loca: *Date Jehovæ gloriam nominis ejus, adorate Jehovam in decore ſanctitatis.* in Spiritu, qui veſtis fidelium eſt accedentium ad Deum. Ratio [illegible] à voce Dei auditâ: *Vox Jehovæ eſt ſuper aquas: Deus gloriæ tonuit: Jehovah eſt ſuper aquas multas.* Edidit Deus Pater illam vocem, è cœlo teſtimonium perhibens Filio; edidit Filius ipſe in carne; edidit Spiritus Sanct. in credentes deſcendens, & eos ſingularibus donis exornans. Pſalm. 29: 2. 3. *Pluviam liberalem agitas, ô Deus. Hæreditatem tuam, etiam defeſſam, tu reficis illam.* Intelligitur larga effuſio Spiritus Sancti, qui propter Euangelium eſt Spiritus filiationis & lætitiæ, quâ Eccleſia mœſta & languida recreatur. Pſalm. 68: 10. *Ab utero matris meæ tu es motus meus.* Ex quo nata eſt Eccleſia Novi Teſtamenti, non habuit alium motorem, quàm Spiritum Sanctum. Ii autem habent motorem Spiritum S., qui in bonâ conſcientiâ ſecundùm verbum Dei ſtudent loqui & agere. Pſalm. 71: 6. *Ecce quàm bonum & jucundum eſt habitare fratres unà. Ut oleum illud optimum ſuper caput deſcendens in barbam, barbam* inquam *Aharonis; quod deſcendit in oram togæ talaris ipſius.* Comparatur Chriſtus tanquam caput Eccleſiæ, & membra ipſius cum Aharone togâ talari induto; & communio Spiritus, quâ Chriſtus & omnia membra ſociantur, cum defluxu olei à capite in barbam & totam togam. Hâc autem communione nihil præſtabilius aut jucundius eſſe poteſt. Innuitur autem hîc beneficium N. Teſt. effuſio Spiritus S. in omnem carnem, h. e. omnia membra Chriſti ſine diſcrimine. Pſal. 133: 1. 2. *Reverentiam*, i. e. vim flexanimam ad obedientiam fidei per effuſionem Spiritus S. *glorioſæ majeſtatis tuæ meditor.* Pſal. 145: 5. *Vidi Dominum ſedentem in throno celſo & elato; & fimbriæ ejus implebant templum.* Intelligitur manifeſtatio gloriæ Dei in effuſione Spiritus Sanct. in omnem carnem, & inprimis in omnes filios Iſraëlis ſine diſcrimine. Quod etiam continetur in illo dicto: *Implet totam terram gloria ejus.* Eſai. 6: 1. 3. *Et corrumpetur jugum propter oleum.* h. e. Spiritus S. effundetur in omnem carnem, & is erit Spiritus non ſervitutis, ſed libertatis filiorum. Eſai. 10: 27. Cujus autem ille Spiritus ſit, ita docetur. *Et quieſcet ſuper ipſo Spiritus Jehovæ.* Eſai. 11: 2. *Nunc autem Dominus Jehovah miſit me & Spiritum ſuum.* Ubi miſſio Spiritus Sancti ad miſſionem dilecti Domini adſtringitur, ut bonum comitans ejus adventum. Et intelligitur is modus Spiritus dandi, qui non fuerat ante. Nam Spiritus, quem Filius dat, eſt Spiritus filiorum, per quem dicimus, Abba pater, & habemus fiduciam accedendi ad Deum, in Deoque lætamur. Eſ. 48: 16. Ad ponendum *lugentibus Sionis, ad dandum ipſis ornamentum; oleum hilaritatis.* Spiritum patientiæ, fortitudinis, & alacriter ſubeundi omnes paſſiones. Eſ. 61: 3. *Et ipſi inobedientes exſtiterunt, & dolore affecerunt Spiritum Sanctum ipſius.* effuſum ſcil. in Eccleſiam, qui eſt ſpiritus promiſſionis, antea non datus, & ſpiritus filiationis. Eſai. 63: 10. *Et quodque ante ſe ibant, quo erat ventus ut irent, ibant.* Quibus cauſa motus Eccleſiæ indicatur; qui eſt à Spir. S., qui eam ducit, & in hoc mundo etiam circumducit. Ezech. 1: 12. *Et ſpecies animalium; aſpectus eorum erat, ut prunarum ignis ardentium, ut aſpectus flammarum. Hoc ambulabat inter animalia: & ſplendor erat igni.* Ubi Ignis eſt Spiritus habitans in Eccleſiâ, eamque faciens lucere in mundo verbo veritatis, & patientiâ afflictionis. Ezech. 1: 13. *Et dixit Jehovah ad virum indutum talari, ad cujus lumbos erat atramentarium ſcribæ,* Chriſtus ad Spir. S. *Tranſi in medio urbis, in medio Hieroſolymæ, & ſigna ſignum*

ſuper

ſuper frontibus virorum ſuſpirantium & gementium propter omnes abominationes, quæ fiunt in medio ejus. Signum illud eſt nomen agni publicè per confeſſionem prælatum, fides in Chriſtum. Ezech. 9: 4. *Et dixit ad virum indutum talari, dixit, inquam, intra inter orbem ad id, quod ſub Cherubino eſt.... Et intravit coram oculis meis... Et nubes operuit atrium interius.* Spiritu S. intrante in Eccleſiam Dei vivi, ea accepit ſpeciem apud populum, qui in literâ ambulabat, ut in eâ ſcandalizarentur, non minùs, quàm in Chriſto. Ezech. 10: 2. 3. *Et dabo illi cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum, & auferam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo ipſis cor carneum. Ut in ſtatutis meis ambulent, & judicia mea obſervent, & ea faciant.* Hoc κατ' ἐξοχὴν per dationem Spiritus filiationis impletum eſt. Ezech. 11: 19. 20. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in medio veſtri, & auferam cor illud lapideum ex carne veſtrâ, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum dabo in medio veſtri, & faciam, ut ſtatutis meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Ezech. 36: 26. 27. *Et ad ungendum ſanctum ſanctorum.* Chriſtum nempe, qui unctus eſt eâ unctione, quâ demonſtratus eſt princeps ſalutis, quando accepit Spiritum promiſſionis à Patre, & eum effudit in diſcipulos ſuos, ut libertate filiorum uterentur in fide Euangelii. Dan. 9: 24. *Et erit poſt illa, effundam Spiritum meum in omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: Senes veſtri ſomnia ſomniabunt; juvenes veſtri viſiones videbunt. Atque etiam in ſervos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* Jo. 3: 1. 2. *Et in monte Sion erit evaſio, & erit Sanctum.* Deus faciet illas reliquias templum & domum ſuam: & unget illos ſpiritu ſancto. Ob. verſ. 17. *Jehovah, molitio tua eſt in medio annorum vita ejus*, reſurrectio Chriſti è mortuis, *quam in medio annorum notificas.* cui maximis argumentis ac teſtimoniis fidem facis, ut nominatim effuſione Spiritus S. in Apoſtolos & credentes. Hab. 3: verſ. 2. *Major fiet gloria domus hujus poſterioris, quàm prioris.* Habitatione τοῦ Λόγου inter ipſos cum gloriâ tanquam unigeniti à Patre; & effuſione Spiritus Sancti. Hagg. 2: 9. *Etiam hoc die indicem alterum reddo tibi.* Spiritum Sanctum, loco & vice Filii, indicis primi, ad Patrem profecti. Zach. 9: 12. *Et effundam in domum Davidis & habitantem Hieroſolymis Spiritum gratiæ & ſupplicationis.* Zach. 12: verſ. 10. *Et accepit angelus ille thuribulum, & replevit illud de igne altaris*, de Spir. Sancto, qui eſt ignis amoris, *& conjecit in terram.* effudit Sp. S. & varia chariſmata diſtribuit. Apoc. 8: 5.

§. 159. Ex dictis abundè intelligitur, quare Tempus N. Teſt. vocetur *Tempus gratiæ.* Pſal. 69: 13. *Tempus acceptationis. Dies ſalutis.* Eſai. 49: 8. *Annus acceptationis.* Eſai. 61: 2. *Annus aſſertorum.* Eſai. 63: 4. *Dies.* Eſai. 4: 5. *Lux.* Eſai. 5: 20. Ejuſque initium *Matutinum.* Pſalm. 143: 8. *Diluculum.* Eſai. 21: verſ. 4. *Novilunium.* Pſal. 81: 4. Quod dicitur incidere in *Finem dierum* priorum. Eſ. 2: 2. Mich. 4: 1. In *Finem* illius temporis, quo Deus *pepercerat.* Ezech. 7: 3. 4. In *Finem temporis conſtituti excandeſcentiæ.* Dan. 8: 17. 19. In *Finem temporis conſtituti viſioni.* Hab. 2: 3. In *Medium dierum.* Jer. 17: 11. In *Medium annorum.* Hab. 3; verſ. 2. Quibus ſimul & antiquatio dierum Veteris Oeconomiæ, & initiatio Novæ, ſignificatur.

§. 160. Eccleſia quoque tot tantiſque beneficiis affecta, *nomine novo appellatur*, ut quando dicti Chriſtiani, Act. 11: 26. Sancti, fideles, amici Dei, non ſervi; *quod* poſtremum, ipſum *os Jehovæ expreſſit.* Joh. 15. Eſ. 62: 2. Vocatur quoque Apoſtolica à *Ducibus*, Pſ. 16: 3. & quaſi hæredibus ejus, Apoſtolis; quibus dictum, quod eſt Eſai. 61; 6. *Et in gloriâ ipſorum dicetis vos.*

Nobilitas hujus Eccleſiæ celebratur Pſalm. 122:4. Itemque firmitas, præeminentia; Pſal. 125:1.

§. 161. Affectus & officium Eccleſiæ in his omnibus ex his elucet: *Et benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Gen. 22:18. 26:4. *Propterea confitebor te*, per Apoſtolos meos ſpiritu meo inſtructos, *in gentibus, Jehovah, & pſallam nomini tuo.* omnes virtutes & perfectiones tuas celebrabo. Pſal. 18:50. *Comedant manſueti & ſatientur, celebrent Jehovam quærentes eum, vivat cor veſtrum in perpetuum.* Pſal. 22:27. *Confitemini Jehovæ in cithara.* Intelligitur laus omnis Deo danda, abjiciendus metus ac triſtitia, cùm in confeſſione ejus, qui omnes ſuas virtutes reipſâ jam explicuerit, tùm in mutuo amore, harmoniâ ſervandâ, denique cordis, oris, & operis συμφωνίᾳ. Pſalm. 33:2. *In Deo gloriati ſumus toto die.* Pſal. 44:9. *Omnes populi*, tam gentes, quàm Judæi, ſummæ lætitiæ cauſâ jam exſtante, *plaudite palmam, clangite Deo*, ut certanti, & regnum paranti, *cum voce jubili.* Regem igitur Chriſtum agnoſcite & fiduciam in eo collocate. Pſalm. 47:2. *Et tibi*, cujus adventum hactenus exſpectaverant pii celebrantes ipſum, expiatis pravitatibus ac defectionibus, *ſolvetur votum.* gratitudinis cum ſummo gaudio. Pſal. 65:2. coll. 4. *Celebrabo nomen Dei carmine, & magnificabo illud profeſſione. Idque placebit Jehovæ præ bove, juvenco cornuto ungulas habente.* Quibus facilè intelligitur Pſalten cultum Novi Teſtamenti, qui poſt partam ſalutem non eſt niſi confeſſio & magnificatio nominis Dei, opponere cultui Veteris Teſtamenti. Pſalm. 63:31. 32. *Tibi innixus fui ab utero*, tibi animam meam commiſi, ut prophetæ, ſacerdoti & regi, . . . *in te*, non in carne, *fuit gloriatio mea ſemper.* Pſ. 71:67. *Implebatur os meum celebratione tui, toto die decoro tuo.* Tuum nomen, tuas laudes & virtutes prædicabam, idque pleno ore, ut nihil reticerem, & ut nulla tempora diſtinguerem, ſed totum tempus, diem ſalutis & quietis narrandis laudibus tuis impenderem. Pſal. 71:8. *Confitemur tibi, Deus, confitemur.* dicimus tibi Amen. *Et enim propinquum eſt nomen tuum. Narrarunt mirabilia tua.* Pſal. 75:2. *Narrantes laudes Jehovæ.* Ea ſc. opera, quibus Deus ſe oſtendit eſſe Deum Iſraëlis; *& robur ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit.* Pſal. 78:4. *Et ponant in Deo fiduciam ſuam, & non obliviſcantur opera Dei, & præcepta ipſius obſervent.* Pſal. 78:7. *Nos autem populus tuus*, à te redemtus, non populus Deorum nuncupatorum, *oves paſtus tui*, non paſtorum illorum, qui laniarunt, ſpoliarunt, ac vendiderunt gregem, *confitebimur tibi*, dicemus Amen ob obteſtationem tuam, & te fatebimur rebus ipſis promiſſione feciſſe ſatis; *in ætatem & ætatem narrabimus laudem tuam.* Pſal. 79:13. *Vocem tollite Deo robori noſtro, jubilate Deo Jacobi. Tollite cantum, & date tympanum, citharam ſuavem, cum nablio. Clangite in novilunio buccinâ, in interlunio, die feſti noſtri.* Tempore hoc novæ lucis, lætitiæ & gratiarum actionis, per apparitionem Chriſti exorto, privatim publicèque Deo omnibus modis exultate, clangite, & jubilate. Pſalm. 81:2. 3. 4. *Gratias Jehovæ in ſæculum canam, in ætatem & ætatem notificabo veritatem tuam ore meo. Quia dixi*, i. e. credidi, eique verbo atteſtatus ſum, *in ſæculum gratia ædificabitur.* &c. Pſal. 89:2. 3. *Benedictus Jehovah in ſæculum, Amen & Amen.* Hâc glorificatione efficacia petitionis fidelium obſignatur. Pſal. 89:53. *Ego is, qui ſedet in latibulo: Altiſſimi in umbrâ omnipotentis divertitur. Dico: Jehovæ eſt receptus meus, & arx mea.* Jehovah habet eum, apud Jehovam eſt, ad quem recipio me; *Deus meus, in quo confido.* Duo hi verſus indicant pii hominis 1. fiduciam in Deo ad ſalutem, & triumphum, cum ſecuritate omnem metum excludente, ortam ex ſenſu divinæ protectionis. 2. Parrheſiam, quâ hanc Dei gratiam prædicat, & pro eâ

gratias

gratias agens glorificat Deum, & omnia, quæ ipſum ab hac fiduciâ dimovere poterant, contemnit. Pſal. 91: 1. 2. *Nam me dilexit.* ſive *appetivit.* Pſal. 91: 14. *Bonum eſt confiteri Jehovæ*, i. e. credere in ipſum, obſignare, quòd ipſe ſit verax, gratias illi agere pro acceptis beneficiis, *& canere nomini tuo, qui es Altiſſimus.* i. e. propter nomen tuum, ſive virtutes commemoratas in S. literis & comprobatas operibus, ad tui celebrationem ſpiritualem, lætitiam animo conceptam, in ipſis quoque tribulationibus, omnibus ſignis patefacere. Pſal. 92: 2. *Nam lætificâſti me, ô Jehovah molitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo.* Pſal. 92: 5. *Venite, jubilemus Jehovæ*, & agnoſcamus Dominum regnum occupaviſſe, *clangamus petræ ſalutis noſtræ.* ob victoriam & partam ſalutem ab hoſtibus. *Veniamus ante faciem ejus cum confeſſione;* i. e. fideli gratiarum actione de donis omnibus ſpiritualibus, maximè de dono juſtitiæ; *cum cantibus clangamus ipſi.* in concentu charitatis, in verâ lætitiâ ſpiritus, in harmoniâ omnium virtutum. Pſal. 95: 1. 2. *Canite Jehovæ carmen novum*, i. e. gloriamini & gratias agite ipſi cum lætitiâ & concentu virtutum & charitatis inter plures, ob novum & magnum ſupra omnia vetera bonum datum & adeptum, ut eſt bonum filiationis, cum revelatione rerum à ſœculis tacitarum, & menſurâ ſpiritus pari ad ſaturam lætitiam: *Canite Jehovæ*, ei qui virtutem hominis ſui Jehovah re ipſâ explicavit. *omnis terra. Canite Jehovæ, benedicite nomini ipſius*; Deo in Chriſto ſe talem tantumque exhibenti, qualem quantumque ſe futurum patribus promiſerat, *Evangelizate die in diem ſalutem ejus.* Pſal. 96: 1. 2. *Jubilate.* acclamate, *Jehovæ.* Diaboli & mortis victori, *omnis terra. Colite Jehovam cum lætitiâ; venite coram eo cum cantu. Cognoſcite, quòd Jehovah ipſe eſt Deus.* is ſcil., qui manifeſtatus eſt patribus, & non alius. Pſal. 100: 1. 2. 3. *Cantabo Jehovæ in vitâ meâ*; pſallam Deo meo, abrenunciabo omni nomini alio, *quamdiu ero*, in hoc mundo. *Grata enim ipſi eſt meditatio mea. Ego lætor in Jehovah.* qui me indicibilibus beneficiis affecit. Pſal. 104: 33. 34. *Confitemini Jehovæ, quòd bonus ſit, quòd in ſæculum duret gratia ipſius.* Pſal. 107: 1. *Confitebor Jehovam valde ore meo, & in medio plurimorum celebrabo te* Pſal. 109: 30. *Celebrate Jah. Confitebor Jehovam*, eum nempe, qui extitit memor ſuarum promiſſionum, easque in Chriſto implevit, *ex toto corde, in congreſſu rectorum, & in cœtu convocato.* per evocationem ex multis, vel per vocationem internam. Pſal. 111: 1. *Amo.* q. d. Nil niſi amo, plenus ſum amore. Amo cum lætitiâ & gratiarum actione, cum abnegatione ſpei terreſtris, & cum gloriatione in afflictionibus. . . . *Et per dies meos*, per totam vitam, *prædicabo.* virtutes Dei. Pſal. 116: 1. 2. *Iſraël, confide Jehovæ . . . Domus Aharonis. Timentes Jehovam, confidite Jehovæ.* Pſal. 115: 9. 10. 11. *Celebrate Jehovam, omnes gentes: Laudate eum, omnes nationes. Nam exuberavit ſuper nos gratia ipſius.* Pſal. 117: 1. 2. *Confitemini Jehovæ*, corde, ore, opere, atteſtamini Jehovæ, in veritate nominis ſui teſtanti, *quòd bonus ſit; quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* Pſal. 118: 1. *Jehovah eſt meus. non timebo. Quid faciet mihi homo?* Eſt declaratio fiduciæ hominis pii ob præſidium Dei. Pſal. 118: 6. *Benefac plenè ſervo tuo: vivam* vitâ æternâ, quâ amem te in lætitiâ, *& cuſtodiam verbum tuum.* Pſal 119: 17. *Portio mea eſt Jehovah.* Donum illud cœleſte, filium Dei in carne revelatum, in fide agnoſco & accipio: *Dixi*, i. e. Decrevi, *obſervaturum me eſſe verba tua.* Pſal. 119: 57. *Quia præceptis tuis*, quæ dediſti per Moſen, Prophetas, & Apoſtolos, *credidi.* Pſ. 119: 66. *Timentes te videbunt me*, & opus tuum in me, *& lætabuntur.* Pſal. 119: 74. *Latebra mea & clypeus meus Tu es.* Tibi me ut latebræ & clypeo committo; *ad verbum tuum ſpero.* Pſal. 119: 114. *Zelus meus*, i. e.

flagran-

 exprimuntur, & in præcedentibus duabus, hac ipſa, uti & in proximè ſequenti flagrantiſſimus affectus regnum Dei propagandi, juſtitiam Dei aſſerendi, falſam confutandi, *exſcidit me.* Pſal. 119: 139. *Scaturiunt labia mea laude, quia docuiſti me ſtatuta tua.* Pſal. 119: 171. *Lætatus ſum propter dicentes mihi: domum Dei accedamus.* Pſal. 122: 1. *Quò aſcendunt tribus, tribus Jehovæ, ad confitendum nomini Jehovæ.* Fit hoc, cùm Jehovæ poſtulanti à nobis gratiarum actionem & celebrationem nominis ſui, dicimus Næ & Amen. Pſalm. 122: 4. Conf. 1 Pet. 2: 9. *Tunc implebatur os meum riſu, & lingua mea jubilo.* Vidimus ſalutem Dei, & gaviſi ſumus, & lætitiam noſtram Evangelii prædicatione palàm fecimus, Pſalm. 126: 2. *Sacerdotes ejus induantur ſalute, & pii ejus jubilando jubilent. Sacerdotes ejus induam juſtitiâ, & pii ejus jubilando jubilabunt.* Pſal. 132: 9. 16. *Celebrate Jah. Celebrate nomen Jehovæ, ſervi Jehovæ. Qui ſtatis in domo Jehovæ, in atriis domus Dei noſtri.* Pſal. 135: 1. 2. *Confitemini Jehovæ, quia bonus eſt, quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Confitemini Deo Deorum, quia in ſæculum eſt gratia ipſius. Confitemini Domino Dominorum, quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* Pſal. 136: 1. 2. 3. *Confitemini Deo cœlorum, quia in ſæculum eſt gratia ipſius.* Pſal. 136: 26. *Confiteor te,* Jehovah, i. e. aſtipulor tuo teſtimonio, & te agnoſco eum, quem nobis declaràſti verbo & opere, *ex toto corde; Deus, pſallo te. Adoro ad templum ſanctum tuum,* Chriſtum, in quo omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter; *& confiteor nomen tuum,* i. e. Confiteor te manifeſtatum talem ac tantum, qualis quantuſque ad ſalutem noſtram & ad gloriam tui manifeſtari & credi voluiſti, *propter gratiam tuam, & propter veritatem tuam.* Pſal. 138: 1. 2. *Educ ex carcere animam meam, ad confitendum nomen tuum: In me coronati ovabunt juſti, quando plenè benefeceris mihi.* Pſal. 142: 8. *Benedictus Jehovah.* i. e. omni laude & gloriâ afficiendus. Glorificatio, quâ effertur Deus, propter omnes ſuas virtutes, inprimis propter indicibilem ſuam gratiam, quam exercet in peccatoribus, & fidem quam ſervat fœderatis ſuis. Pſal. 144: 1. *Efferam te Deum meum, ô Rex,* extollam te ſupra omne nomen, & prædicabo exaltationem tuam, quòd nempe tibi ſubjecti ſint omnes principatus & poteſtates, angeli, & virtutes atque ita œconomiæ veteris deſtructionem agnoſcam & celebrabo; *Et benedicam nomen tuum,* i. e. gratiarum actione proſequar omnem magnitudinem & bonitatem tuam, quæ de te prœdicatur, *in ſæculum & perpetuitatem. Omni die,* ſine intermiſſione, *benedicam tibi, & celebrabo nomen tuum,* magnitudinem tuam omnibus modis ubique notificabo, *in ſæculum & perpetuitatem.* Pſal. 145: 1. 2. *Magnus eſt Jehovah, & laudandus valde, & magnitudo ejus eſt imperveſtigabilis. Generatio generationi laudabit opera tua, & præpotentias tuas indicabunt.* Pſal. 145: 3. 4. *Reverentiam glorioſæ majeſtatis tuæ, & verba mirabilium tuorum meditor.* Pſal. 145: 5. *Hallelujah. Celebra, anima mea, Jehovam. Celebrabo Jehovam,* eum, qui factus eſt, quod eſt, *dum vivo; canam Deo meo, quamdiu ero.* Pſal. 146: 1. 2. *Lauda Jehovam,* memorem gratiæ ſuæ, *celebra Deum tuum Sion.* Pſal. 147: 12. *Extule cornu populo ſuo; gloriationem omnibus piis ſuis,* in quo ſe omnia habere, & à quo juſtitiam & vitam ſe accipere profitentur. Pſal. 148: 14. *Hallelujah. Canite Jehovæ canticum novum,* Deo nova opera faciente, *laudem ejus in panegyri piorum. Lætetur Iſraël in factore ſuo, filii Sionis gaudeant in rege ſuo. Celebrent nomen ejus in choreâ,* cum conſenſu, cum geſtu & motu membrorum omnium; *cum tympano & citharâ canite illi. Quia acceptum habet populum ſuum, condecorat manſuetos ſalute.* Pſal. 149: 1. 2. 3. 4. *Celebrate Jah,* facite, quantùm poteſtis, omnio ſtudio, virtute, zelo, induſtriâ, ut Jehovah, qui eſt *Jah,* decentiſſimus & pulcherrimus, & dignus laude, celebratione, ex-

altatione

altatione, ſit celebris apud omnes, & ab omnibus nominetur cum glorificatione, gratiarum actione, & gloriatione in ipſo: *Celebrate Deum omnipotentem*, qui quæ vult, facit in cœlo & in terrâ; qui poteſt etiam ex morte peccatores revocare ad vitam, quo opere nullum eſt majus: *Celebrate eum in ſancto ſuo*, in Filio ſuo in carne manifeſtato, *in expanſo roboris ſui*, in quo Jehovah ſe præbet cognoſcendum, poſtquam in id aſcendit. *Celebrate eum in virtutibus ejus, celebrate eum ſecundùm amplitudinem magnitudinis ejus.* ut prædicetur talis ac tantus, qualis & quantus eſt, neque de magnitudine ejus quicquam detrahatur. *Celebrate eum cum clangore tubæ*, præconio, quo dormientes excitentur, incauti moneantur, remiſſi animentur & inſtigentur ad laborem, ad prælium cum adverſariis, tanquam tubâ, perſonate totum mundum. *Celebrate eum nablio & citharâ.* i. e. ſubactione voluptatum corporis, ut quicquid eſt in ipſis, conſpiret ad lætitiam, animum lætitiâ perfuſum demonſtrate. Pſal. 150: 1. 2. 3. Conf. Apoc. 14: 2. *Gaudebimus & lætabimur in te.* Cant. 1: 4. *Lætantur coram te, velut lætitiâ in meſſe, quemadmodum gaudebant, quum dividerent ſpolia.* Eſ. 9: 2. *Etiam iter judiciorum tuorum*, ambulare in judiciis tuis, *ô Domine, ſecundùm nomen tuum*, quod eſt in nobis expoſitum, *& ſecundùm memoriam tui*, i. e. ſecundùm Euangelium auditum in toto mundo, *eſt concupiſcentia animæ*, i. e. ſuave & jucundum. Eſ. 26: 8. *Et addent manſucti in Domino lætitiam, & egeni hominum in ſancto Iſraëlis gaudebunt.* Eſ. 29: 19. *Canite Jehovæ carmen novum*, cum jucunditate de Deo aliquid novi dicite, *laudem* ſive *gloriationem ejus*, quâ Deus gloriatur contra impotentiam carnis & juſtitiam ejus, *à fine terræ. Efferat ſe deſertum & opida ejus... cantent habitantes petram, à capite montium vociferentur. Dent Jehovæ gloriam, & gloriationem ejus in inſulis indicent.* Eſ. 42: 10. 11. 12. *In Jehovah juſtificabuntur & gloriabuntur omne ſemen Iſraëlis.* Eſai. 45: 24. *Vox ſpeculatorum tuorum. Suſtulerunt vocem, pariter canunt, quia oculo ad oculum vident, quod Deus reverti faciat Sionem. Fragorem facite, cantate pariter, deſolata Hieroſolymæ, quia conſolatus eſt Jehovah populum ſuum, vindicavit Hieroſolymam.* Eſ. 52: 8. 9. *Canta, ſterilis, quæ non peperit; fragorem fac cantu, & hinni, quæ non doluit. Nam multi ſunt filii* &c. Eſai. 54: 1. *Ad obligandum*, i. e. lætificandum, *confractos corde.* Eſai. 61: 1. *Ad ponendum lugentibus Sionis, ad dandum ipſis... oleum hilaritatis pro luctu, amictum gloriationis pro ſpiritu hebeti.* Eſai. 61: 3. *Et aſpiciemus lætitiam veſtram, & illi pudefient.* Eſai. 66: 5. *Gloratio mea es tu.* Jer. 17: 14. *Et non dicent amplius: vivit Jehovah, qui fecit aſcendere filios Iſraël ex Ægypto: Sed, vivit Jehovah, qui fecit aſcendere, & qui adduxit ſemen domus Iſraëlis ex terrâ Aquilonari.* &c. Gratulabuntur ſibi Iſraëlitæ de majori bono, quam fuerit illud omne, quod contigit iis eductis ex Ægypto. Jer. 23: 7. 8. *Hic erat aſpectus ſpeciei gloriæ Jehovæ.* q. d. Ita mihi exhibita fuit glorioſa apparitio Jehovæ in carne cum regno ſuo: *& vidi & cecidi in faciem meam*, vel præ infirmitate & terrore, vel ob reverentiam & adorandi cauſâ. Ezech. 1: 28. *Sic dixit Dominus Jehovah: Cum lætabitur tota terra, vaſtitatem faciam tibi.* Ezech. 35: 14. *At, filii Sion, gaudete, & lætamini in Jehovah Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam.* Jo. 2: 23. *Et celebrabitis nomen Jehovæ Dei veſtri*, annunciabitis virtutes ejus, & veritatem manifeſtationis perfectionum ejus ſecundùm id omne, quod eſt, & promiſit ſe futurum, *quia fecit vobiſcum ad miraculum uſque.* Exhibuit vobis miraculoſam Chriſti conceptionem, nativitatem, obedientiam, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum, &c. *Operit cælos majeſtas ejus, & celebratione ejus plena eſt terra.* Hab. 3: 3. *Canta, & lætare, filia Sion. Nam ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Jehovah.* Zach. 2: 14.

Et lætabuntur & videbunt lapidem ſtanni (ſive *perpendiculum*) *in manu Zorobabelis ſeptem hi.* Eccleſia in ſeptem periodis Novi Teſtamenti lætabitur ſuper conſilio Dei per manus Sorobabelis exſecutioni mandato, quòd nempe tam ſapienter locum atque ſtatum populi convenientem adventui filii ſui præparâſſet. Zach. 4: 10. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi fiet domui Judæ in hilaritatem & lætitiam & in tempora bona.* Nim. luctu ſublato, qui oriebatur à timore mortis, obligante ad ſervitutem. Zach. 8: 19. *Gaude admodum, filia Sion, clange, filia Hieroſolymæ. Ecce rex tuus venit tibi.* &c. Zach. 9: 10.

§. 162. Nec tantùm ſic homines, ſed etiam Angeli Dei, qui cupiunt introſpicere opus Dei in homine, 1 Pet. 1: 2. & Deo in carne revelato, ut Domino ſuo, ſe ſubmittunt, 1 Tim. 3: 16. Celebrant mirabile & veritatem Dei: Ita enim eſt Deut. 32: 1. 3. *Cœli*, Angeli cœli, *date magnitudinem Deo noſtro.* Pſ. 89: 6. 7. 8. *Et confitebuntur cœli*, i. e. Angeli cœli, ex verſ. 7. *mirabile tuum, ô Jehovah.* Intellige opus incarnationis filii Dei, quo nihil eſt admirabilius, *& veritatem tuam in panegyri ſanctorum*, in collectione totius Eccleſiæ, quæ in cœlis, & quæ in terris. *Nam quis in æthere æquiparabit Jehovam, par erit Jehovæ inter filios potentium? Deo, qui timetur in concilio ſanctorum amplo, & timendo ſuper omnes, qui circa ipſum ſunt.* Pſalm. 97: 7. *Adorant ipſum omnes Dii.* pro quo Heb. 1: 6. *Adorent ipſum omnes Angeli Dei.* Et Pſalm. 148: 1. 2. *Hallelujah. Celebrate Jehovam ex cœlis; celebrate eum in celſis. Celebrate eum, omnes Angeli ejus, celebrate eum, omnes exercitus ejus.*

FINIS.

Bene-

Benevole Lector.

NOn conſtitueram Te iterùm compellare, vel ad ea, quæ explicui in Præfatione, verbum addere. Verùm ab Amico interpellatus, ut argumenta totius libri unà cum locis Scripturæ, indicatis tantùm capitibus verſiculiſque ſummatim recenſerem, atque oculis Lectoris uno quaſi obtutu arbitranda ac deguſtanda darem, quanquam ad ſeriem & cohærentiam locorum Propheticorum deſignatio facta in Præfatione ſatis eſſe poterat videri, atque Articuli ipſi rerum toto opere explicatarum ſint reverâ ſummaria quædam, quia tamen ad vim demonſtrationis Syntheticæ, ad quam potiſſimùm, uti ab initio etiam monui, in hoc opere omnia collineant, percipiendam plurimum intereſſet, & quoad fieri poteſt, diſtinctè, & ſimùl tamen omnia, animo complecti, atque eo fine omnia, tam antecedentia, quàm conſequentia, inter ſeſe diligenter comparare, ne quid ſit in comparatione tam neceſſariâ, quod lectorem etiam minùs attentum effugiat, quodve in Syntheſi noſtrâ poſſit tandem deſiderari, ſubjungere placuit ſequentem Anacephalæoſin, quæ Articulos omnes hujus Theologiæ Propheticæ, & ſedes oraculorum, quibus demonſtrantur, breviter enumeraret. Eâ ita uteris, ut quæ loca Scripturæ, præter ea, quæ citantur ex libris Moſis, ante Articulum 14. *Periodi quartæ inveneris annotata, non habeas pro vaticiniis rerum futurarum, quæ demonſtrent implementa, ſed pro narrationibus præteritarum; A dicto autem Articulo ac deinceps id potiſſimùm obſervabis, quâ ratione ordines Prophetici, in Præfatione ſatis, opinor, curioſe enumerati, ordinibus, in iiſque antecedentia omnia antecedentibus, conſequentia conſequentibus, idque ubique conformiter, eodemque ordine, ac tam perfectè, ut ſi totidem eſſent earundem rerum geſtarum à diverſis auctoribus proditæ narrationes, non poſſent perfectiùs, tantâque harmoniâ, congruant. Nam ex dictis Præf. §. ult. in eo præcipua vis demonſtrationis conſiſtit, quòd fieri non poſſe videatur, ut omnium omnino Prophetiarum in unam ſeriem rerum geſtarum tam concordans interpretatio ſit, niſi vera eſſe hinc agnoſcatur. Quod ſupereſt, de ſphalmatis typographicis Te rogo, quæ partim ad finem operis reperies rejecta, partim ac nominatim ea, quæ ad diſtinctionum genera vel accentuum pertinent, benignitati Tuæ relicta, uti abſentiæ meæ ea condones; & ne alicubi offendant, vel priùs emendare, vel ſaltem tolerare, æquum arbitreris. Eandem rationem eſſe puta titulorum, quos diligentia Correctoris ſingulis paginis ſuperaddidit, ſicubi præ nimiâ vel temporis vel loci anguſtiâ ſummas rerum non ſatis accuratè videantur expreſſiſſe.* Vale.

ANACEPHALÆOSIS
Rerum toto opere per Periodos & Articulos propoſitarum, nec non locorum Scripturæ, quibus demonſtrantur.

PERIODUS PRIMA

De rebus geſtis à condito mundo uſque ad vocationem Abrahami, & notificationem utriusque Teſtamenti.

ART. I. Quum Deus conſtituiſſet ab æterno regnum gratiæ erigere in Chriſto, ab initio creavit hominem, & reliqua omnia propter hominem. Pſal. 19: 2—7. 24: 1. 2. 33: 5. 6. 7. 90: 2. 95: 3. 4. 5. 104: 1. 2—26. 121: 2. 134: 3. 136: 5—9. 146: 5. 6. 148: 1—14. Eſ. 45: 12. 18. 48: 13. Jer. 10: 11. Jon. 1: 9.

II. Hominem creatum collocavit in paradyſo, legi ſubjecit, ac labi permiſit. Pſ. 8: 5. 14: 1. Hoſ. 6: 7.

III. Memor autem, quo fine hominem condidiſſet, abolito per peccatum fœdere operum, Chriſtum ei ſponſorem novi fœderis ſtatim à lapſu revelavit, atque ideo conſervare hominem, quanquam peccatorem, & ad propagandum genus humanum vitam ei unà cum uſu rerum neceſſariarum prolongare inſtituit. Pſ. 2: 7. 8: 5. 19: 1. 34: 9. 40: 8. 41: 4. 74: 12. 80: 47—49. 90: 2. 3. 6—10. 11. 12. 93: 2. 104: 27. 28. 29. 30. 31. 32. 135: 6. 7. 145: 15. 16. coll. 13. 147: 7. 8. 9. 12. 15—18. Prov. 8: 22. Eſai. 9: 5. 45: 18. & ſeqq. 50: 3. Jerem. 31: 35. 36. 33: 20. 21. 25. 26. Mich. 5: 1. In tranſitu hìc vide diſtributionem generalem temporum gubernationis mundi ex ſeqq. Pſ. 2: 12. 50: 3. 21. 63: 6. 65: 7. 109: 1. 110: 3. Eſ. 2: 2. 12. 8: 23. 23: 15. 34: 1. 7. 61: 2. 63: 4. 6. Jerem. 17: 11. Ezech. 7: 4. Dan. 7: 25. 8: 19. 9: 24. 25. 26. 27. 10: 14. 11: 27. 35. 12: 7. 11. 12. Mich. 4: 1. Hab. 2: 3. 3: 2. Zach. 1: 12. 7: 1. 5. 11: 7. 8. 10. Rom. 3: 25. Apoc. 2: 10. 8: 1. 2. 11: 2. 3. 9. 12: 6. 20: 2. 3. 7.

IV. Nec tantùm: Verùm etiam mox promiſſa repræſentavit; tùm in generatione ſobolis, Gen. 3: 15. 20. Pſal. 8: 4. 90: 3. Eſ. 41: 4.

V. Tùm in ſanctificatione ſeminis delecti. Gen. 3: 15. 20. Eſ. 41: 4. Mal. 2: 15. Imò ab hoc tempore incipiunt omnia beneficia fœderis gratiæ, quæ ad Per. VI. Artic. 22. Demonſtr. §. 80. & ſeqq. uſque ad §. 108. ſunt explicata.

VI. Maxi-

VI. Maximâ autem parte ex poſteris Adami ingenii malitia prodente à pueritiâ ſuâ. Gen. 3: 15. Pſ. 14: 1. Deut. 4: 25.

VII. Deus, ne quid, conſervando homines & benefaciendo, propriæ obeſſe ſanctitati videretur, malitiam coërcuit, ſimulque impotentiam carnis, & neceſſitatem gratiæ, Chriſtique adducendi, declaravit his modis: Primò ingentibus judiciis: Ut quando hoc ſœculum corruptum perdidit diluvio. Pſ. 14: 1. Eſ. 2: 10 — 22. 54: 8. 61: 2. Dan. 8: 19.

VIII. Conſervato ſolo Noacho cum familiâ. Gen. 5: 1. Eſ. 54: 9. Jerem. 31: 35. 36. 33: 20. 25. Tum reddito priori rerum ſtatu.

IX. Quum præpoſtero conſilio hominibus molientibus conſervationem rerum per erectionem turris, & nominis humani, Gen. 3: 15. Pſ. 14: 1.

X. Hoc conſilium diſcuſſit confuſione linguarum, & diſperſione atque abdicatione gentium ad tempus à vocationis gratiâ. Gen. 9: 25. 27. Pſ. 14: 2. 33: 13. 14. 55: 10.

XI. Continuatis tamen ſuperioris temporis beneficiis, quantum attinet ad uſum rerum, & inventionem ac propagationem artinm diſciplinarumque in vitâ utilium & neceſſariarum. Deut. 4: 19. Pſ. 94: 10.

XII. Incolis verò quinque urbium ad ſummam impudentiam nihil facientibus reliqui, Pſal. 14: 1. Jer. 23: 14. Ezech. 16: 49. 50.

XIII. Exemplum horrendum iræ ac ſeveritatis, incendio cœlitùs immiſſo, in iis edidit. Deut. 29: 23. Pſal. 14: 2. Eſ. 1: 9. Ezech. 16: 50. Amoſ. 4: 11. Zeph. 2: 9.

PERIODUS SECUNDA

De rebus geſtis à vocatione Abrahami uſque ad exitum Iſraëlis ex Ægypto, & initium executionis Vet. Teſtamenti.

ARt. I. Deinde quæſitiſſimis beneficiis, omnique culturâ externâ populi ſelecti ac peculiaris, quæ poſſit deſiderari ſine ſanctificationis gratiâ. Cujus rei præparatio eſt in vocatione Abrahami, & duplicis Teſtamenti ad æternum ac perpetuum illud Teſtamentum ac fœdus gratiæ, quod hactenus obtinuerat, additione, unius de hæreditate terræ Canaan, alterius de hæreditate mundi ac gentium ſemini ipſius ſuo quoque tempore repræſentandâ, Gen. 9: 26. Pſ. 105: 8 — 11. Eſ. 5: 2. 4. 54: 1. Jer. 31: 31. 32. Ez. 16: 60. 61.

II. In nativitate Iſaaci, Gen. 15: 13. 17: 16. 19. 21.

III. Et Jacobi; iteratâque ipſis eâdem promiſſione. Gen. 15: 15. 17: 18 — 21. 25: 23. 27: 29. 38. 41. coll. 33. 36. Mal. 1: 2, 3.

IV. Porrò in Jacobi, quanquam exulis; Deut. 26:5. Hoſ. 12:13.

V. Multiplicatione familiæ, Gen. 12:2. 13:16. 15:5. 17:2. 4. 5. 6. 16. 22:17. 26:4. 24. 28:14. 35:11. 38:2. Ezech. 16:3.

VI. Et cuſtodiâ ac curâ ſingulari in terrâ peregrinationis ſuæ. Gen. 15:1. 26:3. 24. 28:15. 46:4. Pſ. 105. 12 — 15.

VII. Et ſuſtentatione tempore famis, eâque occaſione migratione in Ægyptum; Gen. 15:13. Pſ. 105:16 — 23. Et

VIII. (Idumæorum interim conſtitutâ republicâ. Gen. 17:6. 27:39. 40.)

IX. Mirabili incremento, adeo ut brevi tempore populum numeroſum ac validum efficerent, ut Art. V. & add. Gen. 46:3. Pſal. 105:24. Ezech. 16:4. 5. 6.

X. Deinde hoc populo preſſo ab Ægyptiis gravi ſervitute, Gen. 15:13. 14. 105:25. 129:1. Eſ. 63:9.

XI. Deus tempus adveniſſe ratus, quo prius Teſtamentum executioni mandaretur, huic populo ſe manifeſtavit, & ad adeundam hæreditatem terræ Patribus promiſſam novo mandato eum excitavit. Pſal. 81:6. Eſai. 5:1. 50:1. 54:1. 63:8. Jerem. 31:32. Ezech. 16:6. 60. 61. 62. 20:5. 6. 7. 9.

XII. Illis verò tergiverſantibus incredulitate, & rerum præſentium amore, Ezech. 20:8. 23:3.

XIII. Atque idcirco per Pharaonem ſeveriſſimé tractatis, adeo ut exitium genti minari videretur; Ezech. 20:8.

XIV. Deus memor nominis ac fœderis ſui, cohibuit ſeſe, Ez. 20:9.

XV. Et præter ſpem omnium, quod deſtinatum erat ad perniciem, ad amplificationem ac ſalutem vertit, Pſ. 105:24. Ez. 16:7.

XVI. Tandemque potenter & miraculoſè eduxit ex Ægypto. Gen. 15:13. 14. ut Ex. 12:41. Pſ. 22:5. 6. 74:2. 12. 13. 14. 15 — 20. 77:78:12. 13. 14. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 80:9. 81:7. 8. 11. 82:6. 105:26. 27. 28 — 36. 37. 38. 39. 106:7. 8. 9. 10. 11. 12. 114:1. 2. 3. 5. 129:1. 2. 135:8. 9. 136:10. 11. 12. 13. 14. 15. Eſ. 18:2. 50:2. 63:8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Jerem. 31:32. 32:20. 21. Ezech. 20:9. 23:4. Hoſ. 12:14. Amoſ. 2:10. 3:1. 4:10. Mich. 6:4. 7. 15.

PERIO-

PERIODUS TERTIA.

De rebus geſtis ab exitu Iſraëlis ex Ægypto ad Regnum Solomonis, & ædificationem templi, quo tempore res Iſraëlitarum antiquæ maximè floruerunt.

ART. I. Populum eductum ac poſitum in deſerto clementer ac benignè habuit, deque omnibus neceſſariis proſpexit ei. Deut. 32: 10. 11. 12. Pſal. 74: 13. 77: 21. 78: 15. 16. 18. 19. 20. 23. 24. 26 — 29. 52. 53. 95: 5. 6. 9. 99: 6. 105: 40. 41. 42. 106: 14. 15. Eſai. 63: 9. 12. 13. 14. Jerem. 31: 2. Ez. 20: 10. Hoſ. 9: 10. 12: 14. Amoſ. 2: 10.

II. Sic præparatum, & adductum ad ſe, coràm, & ad ſenſum ſpecioſâ formâ, & modo terribili, in monte Sinai convenit, gratioſam voluntatem ſuam de terrâ Canaan ei dandâ ſolenniter repetivit, omnem gratiam ac favorem ſuperioris temporis addixit & viciſſim pro tot tantiſque beneficiis, tam præteritis quàm futuris, tàm à fœdere gratiæ, quàm à Teſtamento terreſtris hæreditatis ei ſuperaddito pendentibus, quid fieri ab ipſis vellet, præcepit. Nimirùm datâ lege nihil aliud exegit, quàm affectum cordis & effectum operis huic tantæ ſignificationi gratiæ ac dignationis cœleſtis convenientem; quæ eſt lex fidei per charitatem efficacis. Exod. 19: 5. 6. 20: 19. 25: 10. 17. 18. 22. 31: 13. Deut. 32: 10: 33: 2. 3. 4. Pſ. 8: 2. 14: 2. 22: 4. 33: 13. 14. 65: 4. 68: 8. 9. coll. 19. ut Jud. 5: 4. 5. 74: 12. 81: 6. 7 — 11. 93: 1. 2. 99: 1. 6. 7. 8. 103: 7. 8. 9. coll. Exod. 33: 14. 18. 19. & 34: 5. 6. 7. 147: 19. 20. Eſai. 5: 1. 2. 6: 1. 18: 2. 45: 19. 20. 48: 15. 16. 66: 1. Jer. 7: 22. 23. 31: 32. Ezech. 16: 7. 8. 9. 10. 11. 12. 60. 61. 20: 11. 12. coll. Lev. 18: 5. 23: 4. Am. 2: 11. Mich. 6: 8. Zach. 6: 1. Mal. 2: 6.

III. Videbatur poſſe hâc tam præſenti & magnificâ voluntatis Divinæ ſignificatione, etiam ſine ulteriori gratiâ, quilibet homo flecti ad amorem Dei atque obedientiam ipſius mandatorum. Sed è contrario nuſquam citiùs & magis imbecillitas carnis & neceſſitas gratiæ prodidit ſeſe; quaſi quo illuſtrior ſit impenſa, ſi interior Spiritus S. operatio non accedat, eo pronior ſit ad omnem nequitiam prolapſus. Vix enim viderat illam formam plenam cœleſti majeſtate, & adhuc vox illa Dei terribilis in auribus ejus reſonabat, quum horribili idololatriâ, & perpetuâ rebellione, aliiſque ſceleribus, tum ante, tum poſt fœdus auditum commiſſis, turpiter ſeſe proſtituit, & ſpem ac gloriam antiquam compurcavit. Pſ. 14: 3. ut Exod. 33: 6. 7. Pſal. 78: 8. 10. 11. 17 — 20. 22. 32. 40. 95: 8. 9. 105: 40. 41. 106: 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19 — 22. 24. 25. Eſ. 48: 1. 50: 1. Jer. 31: 32. Ez. 20: 13.

IV. Sic itaque deprehenſâ malitiâ carnis, ne quid hominum petulantia Divinis promiſſionibus & gratiæ erga electos exercendæ obeſſet, tum etiam ne hæ-

ne hæreditatem concedere indignis videretur, regimen populi mutare, & indulgentiam gratiæ ſeveritate iræ miſcere ac temperare inſtituit. Igitur primò totâ illâ gente, quæ exiverat ex Ægypto, variis caſibus proſtratâ ac deletâ in deſerto; Deut. 33:2.9. Pſal. 50:3.21.78:30.31.32.35 — 40.89: 47.95:9. 10.11.106:16.17.23.26.109:1. Eſ. 5:2.48:11.54:7.8.63: 9. Jer. 3:14.31:32. Ezech. 1:26.27.28.7:4.20:13 — 16.17. Dan. 8:19. Amoſ. 2:10.7:8. Hab. 3:3.

VI. Ita tamen, ut fœderi gratiæ, & legi ac gratitudinis antea acceptæ nihil obeſſet; Ezech. 20:18 — 20. Mich. 6:5.

VII. Filiorum quoque inobedientiâ, quum ad apertam idololatriam, & fornicationem cum mulieribus Moabiticis, fuiſſet progreſſa, Pſal. 78: 40. 106:28.29.32.33. Eſ. 16:6.7.8. Ezech. 20:21. Hoſ. 9:10. Amoſ. 5: 25.26. Mich. 6:5.

VIII. Per præſentem plagam coërcitâ, Levit. 26:33. 38. 39. 41. 44. Deut. 4:26.27. 28:36. 30:1. Pſ. 99:8. 106:27.29.30.31. Eſ. 5:2. Ezech. 20:21 — 24. Dan. 8:19.

IX. Populum à publicis corruptelis ſic priùs repurgatum, introduxit in terram. Gen. 12:7. 13:14. 15. 15:6.18 — 21. 17:8. 22:17. 26:3.4. 28: 13. 35:12. Exod. 23:23. 34:11. Deut. 7:1. 11:24. 30:1. 31:3.4.5.6. 7.8. 10.20. Pſal. 44:2 — 5. 72:8. 74:15. 78:54. 55. 80:9.10. 105:44.45. 106:24. 114:1.3.5. 135:10. 11.12. 136:17 — 22. Eſ. 5:1.2.7. 16:8. 28:21. 55:2. 63:12.13.14. Jerem. 32:22.23. Ezech. 20:6.28. 23:23. 34:11. Dan. 8:19. Hoſ. 9:3. Amoſ. 1:11. 2:9. 10.7:17. Mich. 6:5. Obad. 10.11. Zach. 7:14. 9:10.

X. Quam totam paulatim occupavit. Gen. 49:8. Deut. 31:30. 32:13.14. 15. Pſal. 80:10. Cant. 1:2. Eſ. 5:1.2. 16:8.13.19. Ez. 23:4.

XI. Verùm ne ſic quidem refrenatâ licentiâ carnis, populus in fœdere non perſtitit, & identidem ab eo deſcivit. Deut. 29:18. 19. 31:16.18.20. 21.27.29. 32:15. Pſal. 78:8 — 11.41.56.57.58. 106:34.35.36.37.38. 39. Eſ. 1:2. Ezech. 16:15.16.17 — 21. 20:23.27.28.29.

XII. Qui idcirco traditus in manus hoſtium, Pſal. 78:59. 93:1. 106:40. 41.42. 129:1.2. Eſ. 63:9. Dan. 8:19. Am. 1:13.

XIII. Atque actâ pœnitentiâ rurſus ereptus fuit per Judices; Pſ. 22:5.6. 83:10.11.12. 106:43. 129:2. Eſ. 9:3. 18:2. Eſ. 63:9.

XIV. Donec tandem vitiis redeuntibus prælio victus à Philiſtæis, & capta arca; Pſ. 60:3.12. 68:8.9.10. 78:59 — 64. 129:1.2. 132:6. Eſ. 63: 9. Dan. 8:19. Hoſ. 8:3.

XV. Quanquam victori populo id non fuerit impune; Pſal. 78:65.66.

XVI. Et reſtituta quidem, Pſalm. 22:5.6. 60:3. 106:43. 123:6. Eſai. 63:9.

XVII. Sed

XVII. Sed ad priorem locum non reverſa, argumentum fuit, & tribus Ephrajimi à gloriâ principatus, & tabernaculi reprobati. Pſ. 78:60. 67. 68. 70. 132:16.

XVIII. Poſtea conſilio carnali quum Regem ſibi poſcerent, Deus dedit primò in irâ ſuâ Saulem Benjaminitam. Gen. 17:6. 16. 35:11. 49:27. Deut. 17:14. 15. 32:13. 15. Pſ. 22:5. 68:28. 106:43. 129:2. Eſ. 1:2. 18:2. Ez. 16:13. Hoſ. 8:4. 13:10. 11.

XIX. Atque occaſione belli Ammonitici regnum in manu ejus confirmavit. Pſal. 129:1. 2. Eſ. 63:9. Hoſ. 8:3. 4. Am. 1:13.

XX. Hoc verò mandatorum Dei oblito, adoptavit Davidem ex tribu Judæ, ac deſignavit regem. Gen. 49:8. 2 Sam. 23:1. Pſ. 68:28. 78:67. 68. 70. 71. 89:20. 21.

XXI. Qui manu fortis ac rebus præclarè geſtis quum incidiſſet in odium Saulis, coactus fugere atque oberrare, ubique mirabiliter ſervatus. Pſal. 7. Pſ. 34. Pſ. 42. Pſ. 52. Pſ. 54. Pſ. 56. Pſ. 57. Pſ. 58. Pſ. 59. Pſal. 63. Pſ. 89:22. 23. Pſ. 142. Pſ. 144:1. 2.

XXII. Occiſo in prælio Saule & filiis ejus, Pſ. 60:4. 12. 93:1.

XXIII. Et ſciſſo regno inter Davidem & Iſchboſchet, Pſ. 60:4. 5. 93:1. Dan. 8:19.

XXIV. Tandem obtinuit regnum in totum Iſraëlem. 2 Sam. 23:3. Pſ. 22:5. 6. 60:6. 7. 89:20. 21. 24. 27. 129:2. Eſ. 63:9.

XXV. Sub initiis regni reſtaurationi cultus intentus, montem Sion, approbante Deo, locum arcæ, ac ſedem fixam cultui, deſtinavit. Pſ. 2:6. 50:2. 68:69. 74:2. 84. toto 87:2. & 87. toto 132:1 — 5. 6. 7. 8 — 18.

XXVI. Templi quoque ædificandi conſilium cepit, intercedente Deo, & quid fieri vellet, oſtendente. Pſ. 60:8. 89:20. 132:11.

XXVII. Remuneratur hoc ſtudium Regis ingenti gloriâ belli, atque ampliſſimo imperio. Geneſ. 15:18. 27:29. Exod. 23:31. Num. 24:17. 18. 20. Deuter. 11:24. 32:13. 1 Chron. 19:13. Pſalm. 60:8. 9. 10 — 14. 78:70. 71. 72. 80:2. 89:25. 26. 27. 101:1 — 8. Eſai. 14:29. 16:8. 28:21.

XXVIII. Sed commiſſo adulterio & homicidio, Pſalm. 51:3. 4. 5. 11. 12. 16.

XXIX. Correptus à Prophetâ, & ſupplex factus ob crimen perpetratum, Pſ. 51.

XXX. Ortâ ſeditione, à filio Abſalomo pulſus, & exul, Pſ. 3. Pſ. 6. Pſ. 38. Pſ. 51:13. 14.

XXXI. Reſtituitur in integrum, Pſ. 3:8. 9. 6:3. 9. 10. 11. Pſ. 30. Pſal. 38:22. 23. 51:14.

XXXII. Et in ſenectute publicè Deo pro omnibus beneficiis gratias agit; Pſ. 18. Pſ. 144: 1. 2. Ac decedit,

XXXIII. Filio Solomone relicto ſucceſſore. 2 Sam. 7: 11. 12. 1 Reg. 9: 4---7. 1 Chron. 17: 11. Pſal. 89: 29. 30. 31. 39---45. 132: 11. 12. Jerem. 22: 30. Ez. 19: 14. 21: 31. 32.

XXXIV. Qui templum magnificentiſſimum in loco, quem Deus elegerat, ipſi exſtruxit. 2 Sam. 7: 13. 1 Chron. 17: 12. Pſ. 84. Pſ. 87. Pſ. 132: 6. Eſ. 5: 2. 8: 14. Act. 13: 22. coll. Eſ. 44: 28.

XXXV. Et finibus imperii quam latiſſimè productis, populum Iſraëliticum evexit ad ſummum apicem felicitatis ac gloriæ. Gen. 12: 2. 13: 16. 15: 5. 17: 5. 6. 16. 22: 17. 26: 4. 26: 24. 28: 14. 35: 11. Deuter. 30: 1. 32: 15. Conf. ſup. Art. IX. & XXVII. & add. Ez. 16: 14.

XXXVI. Curante Deo, ut non minùs ſtudium ſanctitatis ac pietatis floreret, quàm hominum ac rerum omnium proventu hoc ſæculum abundaret. Eſ. 5: 2. 7.

PERIODUS QUARTA

De rebus geſtis ab ædificatione templi uſque ad ejus deſtructionem, & conſtitutionem Babylonicæ Monarchiæ.

ART. I. His omnibus beneficiis atque operibus Divinæ gubernationis id erat effectum, ut jure merito poſſet dici, ſicuti eſt Eſai. 5: 4. *Quid faciendum ampliùs vineæ meæ, quod non feci in eâ?* & ſi quid eſſet in homine carnali virium ad conciliandum ſeſe Deo, id his tot ac tantis exemplis Divinæ tum beneficentiæ erga amplectentes, tum iræ ac ſeveritatis erga aſpernantes fœdus ſuum, deberet manifeſtari. Sed vanam fuiſſe hanc exſpectationem in ſubſecutâ mox tum populi univerſi, tum ipſius quoque regis Solomonis turpi defectione ac idololatria apparuit. Ab eoque tempore res Iſraëlitarum antiquæ factæ ſunt paulatim deteriores. 2 Sam. 7: 14. 23: 5. Pſal. 89: 31. 32. 132: 14. Eſ. 1: 2---4. Add. Per. 3. Art. XI.

II. Primò enim hanc regis & populi perfidiam, abſciſſis auctore Jeroboamo à domo & tribu dominatrice decem tribubus; Gen. 49: 10. 2 Sam. 7: 14. 1 Reg. 11: 29---38. Pſ. 51: 20. 89: 31. 33. 34. 39. 40. 93: 1.

III. Et novis inſtitutis templis, altaribus, & Cherubinis, à templo quoque & cultu Hieroſolymitano depulſis, Deus vindicavit. Ez. 16: 16. Am. 4: 4. 7: 13. Add. Per. 3. Art. XI.

IV. His verò ad apertam quoque abnegationem nominis Dei, & cultum Baalis, prolapſis, Deut. 32: 15.

V. Et

V. Et tribu Judæ ad ſanitatem non revertente, Deus utroſque, tum defectione atque hoſtili invaſione Moabitarum, Pſal. 83: Pſal. 89: 41 — 44. 46. Eſ. 1: 5 — 9.

VI. Tum defectione Idumæorum, Geneſ. 27:41. Amoſ. 1: 11. Obad. verſ. 11.

VII. Tum cladibus illatis à Palæſtinis, Ez. 16: 27. Am. 1: 6.

VIII. & IX. A Chaſaële rege Syriæ, Am. 1: 3. & Eſ. 1: 6. 7. 8.

X. Ab eodem Chaſaële & filio Benhadado, attrivit ac debilitavit. Amoſ. 1: 3.

XI. Fecit tamen propter nomen ſuum, ut non exſcinderet, ſed reliquias quaſdam ſemper conſervaret, 2 Sam. 7: 14. Pſ. 89: 33. 34. Eſ. 1: 9.

XII. Et imperium quoque utriuſque populi ſub Jeroboamo II. rege Iſraëlis, & Uſſiâ rege Judæ, in illâ quaſi ſenectute revireſceret, & vires recolligeret. Eſ. 28: 1. Hoſ. 1: 3. 7: 1. Am. 3: 4. 6: 2. 13. 7: 8.

XIII. Sæculo autem in pejora vergente, & vanæ religioni, luxuriæ, aliiſque ſceleribus immerſo, quum ſpes nulla eſſet correctionis, Eſ. 9: 8. 9. 10. 28: 1. Ez. 34: 2 — 4. Hoſ. 1: 4. 7: 1. Am. 2: 6. 7. 8. 12. 3: 4. 4: 1. 4. 5. 6 — 11. 5: 7. 10. 11. 12. 14. 18, 20. 21 — 23. 6: 1. 3 — 6. 12. 13.

XIV. Abruptâ tolerantiâ quum Deus conſtituiſſet utrumque populum à facie ſuâ removere, & terram repurgare iis, qui eam indignè poſſidebant, omniaque præparare in adventum ſuum, à decem tribubus, quæ graviùs peccarant, orſus telam judiciorum ſuorum, primò regnum Iſraëlis legitimum in poſterioris Jehu abolevit. Eſ. 13: 9. Hoſ. 1: 4. 7: 9.

XV. Ut ſuccederent non veri, nec ab ipſo inſtituti, reges, ſed fures regni & latrones. Eſ. 9: 18. 19. 20. Hoſ. 7: 1. 7. 15.

XVI. Iſraële autem is his reip. malis non excitato, nec ſollicito de ſuo ſtatu, Eſ. 9: 13. 15. 16. Hoſ. 7: 7.

XVII. Deus interim in aliâ parte Aſſyrios erexit, fecitque invaleſcere in magnum imperium. Eſ. 10: 7 — 15. 13: 1. 2. 4. 5. 28: 2. 3.

XVIII. Quod longè latèque diffundens ſeſe pervenit ad ipſos terminos Palæſtinæ. Eſ. 10: 9. 13: 5. 17: 3. 28: 2.

XIX. Et Pul rex Aſſyriæ invadit fines Iſraëlis, ſed muneribus conciliatus, quum regnum ſtabiliviſſet Menahemo, exercitum reducit. Eſ. 13: 6. 7. 8. Ez. 16: 28. 23: 5. 6. 7. Hoſ. 7: 1.

XX. Sub Pekacho etiam filio Romoliæ, rege Iſraëlis, viro forti ac ſtrenuo, ſpirantibus altiùs Iſraëlitis, adeo ut invadendo etiam regno Judæ cum Rezine rege Syriæ ſceleſta conſilia inirent. Eſ. 7: 2. 4. 5. 6. 8: 6. 9. 9: 18. 21. Ezech. 16: 29. Hoſ. 1: 5. 7: 3. 4. 5. 6. 8. 15. 8: 9. 10. Am. 1: 4.

XXI. Et victoriâ quoque impotenter efferrent ſeſe. Hoſ. 7: 2. 5.

XXII. Achaz rex Judæ auxilium Tiglathpileſeris regis Aſſyriæ implorat. Ez. 16: 28. 23: 11. — 13. Hoſ. 8: 9. 10. Nah. 3: 4. Hab. 1: 5. 9.

XXIII. Qui precibus annuens, & nactus occaſionem rei gerendæ atque amplificandi imperii, Eſ. 9: 10. 10: 5. 6. 7. 12. 16. 13: 9. 37: 26. Jer. 50: 17. Ez. 36: 3.

XXIV. Primò expugnat ac diripit Damaſcum, incolas Kiram abducit. Eſ. 7: 8. 16. 20. 8: 3. 4. 7. 9. 9: 11. 10: 9. 17: 1. 3. Am. 1: 4. 5.

XXV. Hinc in Iſraëlitas converſus partem dimidiam decem tribuum deportat. Pſ. 80: 3. 4. Eſ. 7: 9. 16. 8: 1. 3. 6. 9. 9: 13. 14. 16. 17. 10: 5. 6. 17: 2. 3. 4. 18: 2. 28: 3. Jer. 50: 17. Hoſ. 1: 5. 6. 7: 8. 9.

XXVI. Ipſi quoque Achazo grave tributum imponit. Eſai. 7: 17 — 20. Hoſ. 8: 10. Nah. 1: 13.

XXVII. Poſtea Idumæi & Palæſtini Judam infeſtarunt. Pſ. 80: 5 — 8. Eſ. 9: 11. Ez. 16: 27. Am. 1: 6. 9.

XXVIII. Moabitæ & Ammonitæ ditiones & urbes Iſraëlis habitatoribus vacuas occuparunt. Eſ. 15: 2. 4. 6. 16: 1. Jer. 49: 1.

XXIX. Hoſeas filius Elæ ſuccedit Pekacho, quartus fur regni, & ſervit primò Salmanaſſari regi Aſſyriæ, Ezech. 16: 28. 23: 5. 6. 7. Conf. ſup. Art. XV. & XIX.

XXX. Deinde abjectâ hujus reverentiâ, regi Ægypti. Ez. 16: 26. 23: 8. Hoſ. 7: 11. 13. 16.

XXXI. Hâc perfidiâ incenſus & cupidus vindictæ Salmanaſſar, obſidet Samariam & capit, populum abducit, regnum & politiam Iſraëlis deſtruit. Deut. 29: 20. 30: 1. 31: 17. 18. 21. 29. Pſ. 51: 20. 80: 5. 6. 7. 89: 40. 41 — 44. 93: 1. 129: 1. 2. Eſ. 5: 25. 7: 8. 8: 9. 9: 13. 15. 16. 17. 10: 5. 6. 13: 9 — 13. 16: 8. 17: 3. 4. 5. 6. 18: 3. 28: 3. 52: 3. 4. 63: 9. Jerem. 50: 17. Ezech. 29: 9. 10. 34: 2. 3. 4. 5. 6. 35: 2. 5. 36: 3. 4. 17. 18. 19. 21. Dan. 8: 19. Hoſ. 1: 6. 7: 9 — 16. Am. 2: 13 — 16. 3: 11 — 15. 5: 27. 6: 7. 14. 7: 1 — 3. 17. Mich. 1: 6 — 9. Ob. v. 12. Nah. 1: 12. 2: 14. Zach. 2: 1. 2.

XXXII. Reliquias in terrâ & populum abductum inter gentes clementer conſervante Deo. Pſal. 22: 5. 6. 129: 1. 2. Eſai. 17: 5. 6. 63: 9. Amoſ. 3: 12. 7: 1. 2. 3.

XXXIII. Ditiones Iſraëlis promiſcuâ replentur vicinarum gentium & nationum colluvie, aliis timentibus in eâ habitare. Ez. 36: 3. 4. 5. 31. 20. Am. 7: 17. Add. Art. XXVIII.

XXXIV. Ezechias interim rex Judæ reformationem inſtituit. Eſai. 17: 7. 8.

XXXV. Subjugat Palæſtinos, & excutit jugum regis Aſſyriæ. Hoſ. 1: 8. Am. 1: 7. 8. Nah. 1: 13.

XXXVI. Sebnæ faſtus & humiliatio, & Eliakimi cohoneſtatio ſub hoc rege. Eſ. 22: 15 -- 22. 23 -- 25. Eſ. 36: 3.

XXXVII. Sennacherib rex Aſſyriæ bellum infert Judææ, expugnat munitiones, & Hieroſolymam obſidet. Pſ. 80: 5. 6. 7. Eſ. 7: 17 -- 20. 8: 6 -- 9. 9. 10: 16. 27 — 31. 17: 9. 10. 18: 2. 37: 28. 29. Hoſ. 8: 10. Nah. 1: 12. 2: 14.

XXXVIII. Deo interim & reliquias ubique & neceſſaria vitæ conſervante. Eſ. 1: 9. 7: 21.

XXXIX. Per Ægyptios verò & Æthiopes Aſſyrio ad tempus averſo ab Hieroſolymâ, Eſ. 7: 18. 19. 18: 1. 2. 20: 5. 6. 36: 6. 9.

XL. Et Ezechiâ rege interim Divinam opem humiliter implorante, Sennacherib unâ nocte immiſſâ Divinitus ſtrage exercitum amittit, & in regnum ſuum trepidus refugit. Eſ. 8: 9. 10: 17. 31. 17: 12. 13. 14. 37: 3. 7. 29. 33. 34. Hoſ. 1: 7. Nah. 1: 13. 14. 2: 14.

XLI. Et à filiis ſuis adorans in templo Dei ſui Niſroch trucidatur. Eſ. 10: 18. 37: 7. Nah. 1: 14.

XLII. Reliquiis Deus in terrâ benedicit. Eſ. 7: 22. 37: 30. 31. 32. 39: 8.

XLIII. Rex Ezechias ægrotat, & non ſine miraculo reſtituitur. Eſ. 38.

XLIV. Aſſyriorum tandem imperio per Medos & Babylonios deſtructo, Eſ. 13: 14. 15. 16. 20: 4. Jer. 2: 18. 36. Nah. 2: 9. & ſeqq. Nah. 3: 1 -- 4. 5 -- & ſeqq. Zeph. 2: 13 -- 15. Zach. 2: 3. 4. & add. Pſ. 22: 5. 6. 129: 1. 2. Eſ. 50: 2. Ez 34: 1. 2.

XLV. Et Ægyptiis atque Babyloniis de ſummâ rerum contendentibus, Judæi primò Babyloniis ſe applicant. Eſ. 2: 6. 7. 8. 9. Ez. 16: 29. 23: 14. 15.

XLVI. Pharao Necho percuſſâ Gazâ Palæſtinam occupat. Jerem. 47: 1 — 6.

XLVII. Deinde in Chaldæam cum exercitu contendens Joſiam regem Judæ ſeſe objicientem in itinere commiſſo prælio interficit. Eſai. 7: 18. 19. Jerem. 2: 16.

XLVIII. Joachazum filium Joſiæ unctum regni ſucceſſorem abducit in Ægyptum, Jojakimum fratrem ejus regem conſtituit. Eſ. 7: 18. 19. Jer. 2: 18. 22: 11. 12. Ez. 29: 2. 3. 4. 5.

XLIX. Hujus regni anno quarto Nebucadnezar rex Babelis copias omnes regis Ægypti in Carcemiſch apud Euphratem magno prælio profligat. Jer. 46: 1 — 18.

L. Hoſtem perſequitur, & omnibus uſque ad Ægyptum primo ſtatim impetu raptis intra proprii regni limites redigit. Eſ. 10: 16. 18. 33. 13: 22. coll. 19. Jer. 46: 13. Hab. 1: 5 — 10.

LI. Socios belli Judæos, obſeſſâ Hieroſolymâ, & rege Jojakimo in fidem & clientelam

clientelam veniente, primâ vice perdomat; atque initium facit LXX annorum tum captivitatis tum monarchiæ Babylonicæ, E. 37: 9. Jer. 2: 18. 25: 10. 11. 12. coll. 1. Ez. 16: 29. 23: 17.

LII. Sed Jojakimo poſt tres annos ſervitutis rebellante, Ez. 19: 5.

LIII. Et Urijâ quodam filio Samajæ prophetante de deſtructione urbis & templi ſecundùm verba Jeremiæ, Eſ. 8: 2.

LIV. Infeſtant eum turmæ Chaldæorum, & Syrorum, & Moabitarum, & Ammonitarum, Ez. 19: 5.

LV. Tandemque in catenis abducitur Babyloniam, ibique (forſan in itinere) mortuus & inſepultus abjicitur. Jer. 22: 18. 19. 36: 30.

LVI. Succedit Jojachin ſ. Jechonias, Ez. 19: 5.

LVII. Nihilo melior patribus ſuis. Ez. 19: 6. 7.

LVIII. Iterùm igitur obſeſſa Hieroſolyma venit in poteſtatem Babyloniorum, & Jechonias cum præcipuâ parte populi abducitur in captivitatem, Eſ. 1: 25. Jer. 22: 24 — 28. 24: 1. 2. 3. 5. 6. 7. Thren. cap. 1. Ezech. 15: 4. 5. 7. coll. 14: 21. 17: 3. 4. 12. 13. 22. 19: 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

LIX. Zedekia à Nebucadnezare ſubſtituto rege, Jer. 22: 30. 27: 1 — 4. 36: 30. Ez. 17: 5. 6. 13. 14.

LX. Abducti mirantur, contra ſpem omnia evenire. Ez. 18: 2: 33: 10 — 16. 17 — 20.

LXI. At ſuperſtites in terrâ omnia bona ſibi pollicentur. Ez. 11: 15. 17: 6. 4. 18. 33: 24 — 29.

LXII. Adeo ut Chananjah contra Jeremiam falſum prophetaret, (cujus tamen vanitatem præſenti morte priùs denunciatâ Deus refutavit.) Jer. 28.

LXIII. Et rex Zedekias à jugo reſilire, & ad regem Ægypti deſciſcere auderet; Eſai. 21: 2. Jer. 2: 18. 36. Ez. 8: 10. 11. 12. 14. 16: 26. 17: 7. 15: 18. 19. 23: 17. 18. 19. 20. 21. Hoſ. 8: 13.

LXIV. Et cum vicinis regibus adverſùs Nebucadnezarem communis belli fœdera iniret. Jerem. 27: 1. 2. 3. 4. Ezech. 17: 10. 19: 14. add. Pſalm. 80: 13.

LXV. Adfuit itaque Nebucadnezar cum exercitu valido, Hieroſolymam obſedit, & expugnavit, unà cum templo deſtruxit, & populum magna priùs parte bello conſumtâ, abduxit in captivitatem: Gen. 49: 10. Deuter. 30: 1. 31: 17. 18. 21. 29. Pſal. 51: 20. 89: 33: 45. 46. 102: 15. 17. 106: 43. coll. 46. 129: 1. 2. Eſ. 1: 24. 7: 23. 24. 25. 8: 2. 7. 8. 8: 9. 23. 10: 12. 18. 32. 33. 34. 13: 10 — 13. 22. 14: 29. 16: 8. 18: 4. 5. 6. 21: 2. 22: 1 — 14. 28: 3. 4. 39: 6. 45: 13. 48: 14. 49: 26. 28. Jer. 1: 10. 13. 14. 15. 2: 25. 37. 4: 5 — 12. cap. 5. cap. 6. cap. 7. cap. 8. cap. 9. ad vers. 24. cap. 10: 17. & ſeqq. c. 11. & 12. ad vers 14. cap. 13. cap. 14. cap. 15. cap. 16. ad vers 13. cap. 16: 13. 15.

cap. 18.

cap. 18. cap. 20. nominatim vers 4. cap. 21:7. 10. 13. 14. cap. 22:30. c. 24. 8. 9. 10. cap. 25: 1 — 11. 18. 34. ad f. cap. 26. cap. 27:8. 12. 13. cap. 28. cap 29: 16. 17. 18. cap. 30:4. 5. 6. 7. cap. 30: 12 — 15. cap. 32: 3. 4. 5. 24. 28 ad vers 37. cap. 33:2. 3. 4. cap. 33:24. cap. 34:2. 3. 4. 5. 21. 22. cap. 35:6 — 11. cap. 36. cap. 37. & 38. cap. 46: 28. cap. 50: 17. Thren. cap. 2. c. 3. cap. 4. Ezech. 1: 4. 4: 1 — 8. 9 — 11. 12. 13. 16. 17. 5: 1. 2. 12. 7: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 8: 18. 9: 1. 11. 13. 15. 21. 12: 1 — 15. 14: 11 — 22. 15: 7. 16: 37. 17: 9. 10. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 18: 2. 19: 14. 20: 23. 21: 2. 3. 7. 8. 21: 23 — 29. 30. 31. 32. 22: 15. 16. 23: 22 — 26. 28. 29. 30. 24: 2 — 12. 13. 14. 16. 17. 18. 21. 22. 23. 24. 33: 25 — 29. 34: 2. 6. 36: 2. 3. 4. 13. 17 — 20. Dan. 8: 19. Hoſ. 1:9. & coll. vers 6. 7. cap. 8: 14. Jo. 2:18. & 20. Am. 2: 5. 6: 8. 7. 14. 8: 1. 2. 3. 8. 9: 11. Ob. vers 12. Mich. 1:9. col. 2. ad f. cap. & 2: 4. 10. 3: 12. 4: 8. 9. 10. Nah. 2: 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Hab. 1: 9. Zeph. 1:4. ad fin. c. Zach. 1: 5. 6. 2: 1. 2. 7: 5. ad f. cap. 7: 3. 8: 19. Mal. 1: 3.

LXVI. Vicinis populis cum lætitiâ aſpicientibus mala Hieroſolymæ, & quantum in ipſis, exaſperantibus. Pſ. 79: 10. 89: 51. 52. 137: 7. Eſ. 14: 29. 16: 1. Jer. 40: 11. 12. 14. &c. coll. 41: 1. 2. 10. 48: 26. 27. Thren. 4: 21. Ezech. 25: 3. 6. 8. 12. 15. 26: 2. 28: 23. 24. 35: 5. Obad. vers 12. Zeph. 2:8. 10.

LXVII. Deus tamen in tantâ calamitate miſertus reliquias quaſdam conſervavit. Pſal. 97: 11. Eſai. 8: 23. 14: 1. 18: 4. 28: 5. 48: 9. 10. 11. Jerem. 4: 27. 5: 10. 18. 23: 3. 24: 5. 6. 30: 11. 35: 19. 39: 17. 18. 46: 28. Thren. 2: 18. 3: 21. 22. 23. 31. 32. 33. Ezech. 1:4. 5: 3. 12: 16. 14: 20. 12. Jo. 2:18. Zeph. 2: 3. Mal. 3: 8.

LXVIII. Ezechieli nunciatur excidium urbis. Ezech. 24: 27. 33: 21. 22. 33.

LXIX. Superſtites in terrâ, cœſo Gedaliâ, metu Nebucadnezaris fugiunt in Ægyptum. Thren. 2: 22.

LXX. Et terram relinquunt gentibus vicinis occupandam. Jer. 12: 14. Ez. 36: 4. 5. Conf. Art. 27. & 28. ſup.

LXXI. Quibus ſuperveniens rex Nebucadnezar reliquias belli Palæſtini, domitis Moabitis, Idumæis, Philiſtæis, Tyriis & Sidoniis, confecit. Pſ. 79: 12. 89: 51. 137: 7. Eſ. 15: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 16: 2. 20: 6. 21: 1. Jer. 12: 14. 25: 11. 17. 20 — 22. 27: 2. 3. 4. 5. 6. 7. 48: 1 — 28. 49: 2. Ez. 21: 9. 3. 26: 3 — 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. cap. 27. cap. 28. cap. 29: 18. cap. 28: 21. 22. 23. 24. 32: 30. cap. 36: 5. 6. 7. Amoſ. 1: 7. 8. 10. 12. 14. 15. 2: 2. 3.

LXXII. Hinc totâ mole belli incubuit Ægypto, eamque totam miſerè depopulatus, exciſâ quoque Thebarum urbe munitiſſimâ atque opulentiſſimâ,

mâ, id regnum penitùs ſubvertit. Eſ. 20: 3. 4. 5. Jerem. 43: 10 — 13. 44: 30. 46: 13 — 26. Ezech. 29: 1 — 12. 13. 14. 17 — 20. 30: 1 — 19. 20 — 26. 31: 1 — 13. 14. 15. 16. 17. 18. 32: 1 — 16. 17 — 32. Nah. 3: 8. 9. 10.

LXXIII. Socios hoſtium Æthiopes, Putæos, Ludæos, totamque Arabiam, Cubæos, &c. eâdem ruinâ involvit. Eſ. 20: 3. 4. 5. Jer. 25: 11. 20. 23. 24. 49: 27. Ez. 30: 4. 5. 6. 8. 9. Zeph. 2: 12.

LXXIV. Et Judæorum illos, qui in Ægyptum Art. LXIX. receperant ſeſe. Jer. 42: 15. 16. 17. 18. 22. 44: 12. 13. 27. 29.

LXXV. Quorum tamen nonnulli evaſerunt, & in Judæam reverſi ſunt. Jer. 44: 14. 28.

LXXVI. Secuta denique Ægyptum eſt Aſia minor, & Zimri, & Elam, & Madai, omnesque reges Aquilonis. Eſ. 20: 5. 6. 21: 1. Jer. 25: 9. 10. 11. 15. 16. 17. 18 — 26. 27 — 38. Imò ab hoc tempore non ceſſarunt in mundo graviſſima bella, quibus id effectum eſt, viribus populorum fractis & attritis, ut exſurgerent unæ poſt alias Monarchiæ, & Domino molienti abolitionem omnis carnis & carnalis œconomiæ, ac meditanti regnum cœleſte ac univerſale in toto mundo, ſic per ipſas ruinas ac ſtrages regnorum & rerump. ſecundum dicta Per. I. Art. 7. via aperiretur. Eſ. 13: 9. Jer. 25: 29. 31. 34. Ez. 21: 3. 4. 9. 10. 30: 3.

PERIODUS QUINTA.

De rebus geſtis à conſtitutione Monarchiæ Babylonicæ uſque ad Nativitatem Chriſti.

ARt. I. Omnibus domitis & ſubactis, ſublatoque æmulo, conſtituta eſt Monarchia prima, Babylonica nim. Nebucadnezaris & filiorum ejus. Eſai. 13: 19. 14: 29. Dan. 2: 33. 38. 39. 4: 10. 11. 12. 20. 21. 22.

II. Deus interim exules Judæos miſſis Prophetis animo confirmat. Eſ. 14: 1. Jer. 24: 5. 6. 29: 11. 15. Ez. 1: 4. 34: 11. 12.

III. Itàque illuminat, ut veros Prophetas à falſis poſſent diſcernere. Ez. 13: 23. 24: 27. 29: 21.

IV. Et partim verâ pœnitentiâ convertit, partim cohibet per evidentiam Prophetiarum, ne ad gentilium profanitatem prolabantur, ſicque efficit, ut manerent populus peculiaris. Deuter. 30: 1. 2. Pſalm. 137: 1. 147: 3. Eſai. 1: 25. 21: 10. 18: 4. 7. 28: 5. 48: 9. 10. 11. Jerem. 3: 13. 14. 16: 13. 22: 22. 23. 24: 5. 6. 29: 2. 3. Thren. 3: 36. 37. 38. Ezech. 1: 4. 7: 9. 11: 16. 12:

16. 12: 15. 16. 13: 18. 23. 14: 5. 6. 20: 32. 22: 15. 16. 22. 23: 27. 24: 24. 27. 29: 21. 34: 11. 36: 20. Jo. 2: 18. Mich. 4: 10.

V. Converſi exules lachrymis & precibus Deum ſollicitant. Jer. 19: 12. 13. Thren. 2: 18. 19. 3: 41. 48. 49. 50. Dan. 6: 11. 12. 9: 3. Formulæ orationum vid. Pſ. 74: 1 — 7. 79: 5 — 11. 80: 9 — 16. 89: 47 — 52. Pſ. 102: 1 — 18. Pſ. 137. Thren. 2: 20. 21. 22. 3: 41 — 47. Hab. 1: 12 — 17. Et in re præſenti Dan. c. 9.

VI. Et viget in ipſis donum fidei, ſpei, ac patientiæ. Jer. 3: 16. 29: 5. 6. 7. 13. 14. Thren. 3: 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 36. 37. 38. Ezech. 12: 16.

VII. Tùm in Scripturis ſcrutantur de annis atque exitu captivitatis, atque ita conſolationem accipiunt. Eſ. 21: 3. 6. 7. 8. Jer. 30: 6. Hab. 2: 1. Res ipſa vid. Dan. 9: 2.

VIII. Fides & conſtantia ipſorum, quum Nebucadnezar propoſito edicto cogeret homines ad idololatriam, tum maximè eniteſcit. Hab. 1: 12.

IX. Nebucadnezar altiùs ſe efferens à ſocietate hominum rejectus cùm beſtiis ſeptennio agit. Eſ. 10: 18. Dan. 4: 14. 15. 16. 23. 25. 32.

X. Ad ſe reverſus, & priori dignitati reſtitutus, Dan. 4: 26. decedit.

XI. Relicto filio Evilmerodacho, cui ſerviunt gentes, ut ſervierant patri. Eſ. 10: 19. Jer. 27: 7.

XII. Hic Jechoniæ vincula ademit, & ſupra reges ſubditos honoravit. Jer. 29: 15. Ez. 29: 21. Add. Dan. 2: 48. 49. 6: 29.

XIII. Eum excepit Belſazar pari honore ac majeſtate. Eſ. 10: 19. Jer. 27: 7. Conf. Dan. 5: 11. 13. 18.

XIV. Paratur interea ad ſalutem & vindictam exulum imperium Medorum & Perſarum. Eſ. 13: 17. 14: 29. 21: 2. Jer. 25: 11. 12. 29: 10. Dan. 2: 33. 39. 8: 3. 20. Nah. 2: 2. Zach. 2: 3. 4.

XV. Et Cyrus nominatim. Eſ. 45: 1 — 7. 13. 48: 15.

XVI. Medi & Perſæ Babyloniam obſident. Eſai. 13: 17. 21: 2. Nah. 2: 2. Zach. 6: 1. 6. 8.

XVII. Exulibus in ſpem erectis mox adfuturæ liberationis. Eſ. 21: 7. 8. 9.

XVIII. Capit Cyrus Babelem, idque imperium deſtruit. Pſ. 22: 5. 6. 79: 9. 129: 1. 2. 137: 8. 9. Eſ. 8: 9. 10: 19. 13: 17. 18. 19. 20. 21. 22. 21: 5. 9. 45: 4. 46: 1. 2. 3. 4. 48: 21. 50: 2. Jer. 10: 11. 25: 12. 14. 27: 7. 29: 10. 30: 8. 11. 16. 50: 18. Ez. 5: 3. 20: 34. 21: 10. 4. 34: 12. Dan. 5: 28. 6: 1. 7: 2. Jo. 2: 10. Nah. 2: 1. Zach. 2: 3. 4. 6: 6. 8.

XIX. Et condit Monarchiam ordine ſecundam, Medorum & Perſarum. Eſai. 14: 29. Dan. 2: 32. 39. 5: 28. 8: 3. 4. 20. Hagg. 2: 22. Zach. 4: 7. 6: 6.

XX. Ægypti eâ occaſione poſt quadraginta annos ἐρημώσεως, de quâ Per. IV. Art. LXXII. recolligunt ſeſe. Jer. 46: 26. Ez. 23: 27. 29: 13. 14. 15.

XXI. Arabes quoque vicinam ipſis Moabitidem & Ammonitidem rapiunt. Eſ. 15: 7. Jer. 48: 28. Ez. 25: 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11.

XXII. Initio novæ Monarchiæ Daniel ſcrutatur libros & verba Jeremiæ, & tum de præſenti ſtatu, tum de rebus futuris divinitùs pleniùs edocetur. Dan. 9: 1. 2. 20. & ſeqq. Hab. 2: 1. 2. Conf. ſup. Art. 7. & 17.

XXIII. Solvitur captivitas conceſſâ populo Cyri edicto facultate redeundi in terram, urbemque & templum ædificandi. Deut. 30: 3. 4. 5. Pſ. 22: 5. 6. 79: 9. 106: 44. 45. 46. 129: 1. 2. 147: 2. 3. Eſ. 14: 1. 28: 5. 29: 1. 40: 1. 2. 44: 26. 27. 28. 45: 13. 48: 14. 15. 16. Jerem. 3: 14. 16: 14. 15. 21. 23: 3. 24: 6. 27: 22. 29: 10. 14. 30: 3. 7. 8. 10. 18. 32: 37. 41. 42. 33: 10. 11. 46: 27. 50: 19. Thren. 3: 50. 4: 22. Ezech. 11: 17. 13: 9. 15: 7. 20: 34. 28: 25. 34: 11. 12. 36. 8. 24. 37: 1 — 14. Dan. 9: 24. 25. 10: 13. 20. 21. 11: 1. 12: 1. Hoſ. 1: 7. Jo. 2: 18. Mich. 2: 5. 12. 4: 10. Zeph. 2: 7. Zach. 4: 6. Res ipſa vid. 2 Chron. 36: 22. 23. Eſr. 1: 1 — 4.

XXIV. Et ſtatim nonnulli Hieroſolymam revertuntur. Eſai. 1: 25. 14: 30. 21: 9. 40: 2. 48: 20. Jer. 3: 14. Ez. 5: 3. Hoſ. 9: 3. 4. Zach. 2: 10. 11.

XXV. Etiam Moabitæ, Ammonitæ, aliique ad ſua redierunt. Jer. 12: 14. 15. 16.

XXVI. Viget hoc edictum ſeptem ſeptimanis, i. e. annis 49. nim. uſque ad regnum Darii Hyſtaſpis extremum. Deut. 30: 5. Jer. 32: 41. Dan. 9: 25. 10: 1. 13. 20: Conf. Eſr. 4: 5.

XXVII. Et templum & urbs ædificantur. Pſal. 51: 20. 102: 14. 15. 17. Eſ. 29: 1. 44: 26. 28. 45: 13. 52: 2. Jer. 30: 18. 33: 6.

XXVIII. Et reliqua oppida Judæ; atque incolis frequentantur. Eſai. 44: 26. Jer. 24: 6. 30: 18. 32: 15. 41. 43. 44. 33: 12. 13. 50: 19. Ez. 28: 25. 34: 13. 36: 8. 9. 10. Mich. 2: 5.

XXIX. Cum gratâ animi confeſſione, fauſtiſque acclamationibus gratulantium, Jer. 30: 19. 33: 10. 11.

XXX. Cambyſes poſt Cyrum, Darius Hyſtaſpis, & Xerxes ſuccedunt. Dan. 11: 2.

XXXI. Græci ſerviunt Perſis, Zach. 2: 13.

XXXII. Uſque ad finem Darii, à quo tempore bella atrocia inter Perſas & Græcos interceſſerunt, & elapſis ſeptem ſeptimanis incipiunt tempora quædam anguſtiæ. Dan. 9: 25. Zach. 1: 8.

XXXIII. Xerxes magno apparatu bellum inſtruit ac movet contra Græcos. Dan. 11: 2.

XXXIV. Sic bello implicitis Perſis, ſtructura templi impeditur. Hagg. 1: 2 — 7. Zach. 3: 1. 3. 4: 10.

XXXV. Deus languorem populi ſterilitate & annonæ penuriâ caſtigat. Dan. 8: 19. 9: 25. Hagg. 1: 6. 9. 10. 11. Zach. 1: 2. 12. 7: 5. Conf. Eſr. 4: 5. 6.

XXXVI. Ipſe Xerxes ædificationem templi prohibet, & per Hamanem jubet exſcindi univerſam gentem Judæorum: Pſal. 129: 1. 2. Dan. 8: 19. 9: 25. Zach. 2: 1. 2. 6: 6.

XXXVII. Themiſtocles reprimit Xerxem, Eſther Hamanem; ab eoque tempore res Perſarum paulatim circumagi ac retroire cœperunt. Pſal. 129: 1. 2. Dan. 10: 20. Zach. 2: 3. 4.

XXXVIII. Artaxerxes Longimanus edicto remoratur ædificationem templi. Pſ. 129: 1. 2. Dan. 8: 19. 9: 25. Zach. 2: 1. 2.

XXXIX. Cimon Athenienſis Artaxerxem Longimanum in tantas anguſtias redigit, ut pacem facere cum Græcis cogeretur. Zach. 2: 3. 4.

XL. Græcia hinc tota ducibus Athenienſibus & Lacedæmoniis it in partes, & bellum conflat Peloponneſiacum. Hagg. 2: 6.

XLI. Anno ſecundo Darii Nothi, nono belli, induciæ fiunt inter partes unius anni. Zach. 1: 11.

XLII. Darius etiam hoc tempore retinetur, ita ut ſtructuræ templi minimè eſſet impedimento. Zach. 1: 8. 4: 7.

XLIII. Simul exſpirantibus temporibus anguſtiæ, de quibus Art. 32. Deus reconciliatur populo ſuo, & per Prophetas Haggæum & Zachariam excitat ad redintegrandum opus ædificationis templi hactenùs intermiſſum. Eſ. 8: 2. 46: 3. 4. 63: 9. Jer. 3: 15. 16. 16: 16. 23: 4. Hagg. 1: 12. 13. 14. 2: 4. 5. Zach. 1: 12. 2: 7. 8. 9. 7: 12.

XLIV. Qui cum Sorobabele dictis obediens ad opus accingitur, & feliciter abſolvit. Eſ. 52: 1. Dan. 9: 24. 25. Hagg. 1: 14. 15. Zach. 1: 16. 4: 7. 9. 10. Conf. Eſr. 3: 10. 11.

XLV. Reddito templo reſtauratur & cultus, & Sacerdotium, & Politia quoque omnium tribuum. Geneſ. 49: 10. Deuter. 30: 3. 33: 5. Pſal. 80: 17. 132: 13. 14. 16. Eſ. 1: 26. 2: 12. 5: 3. 4. 8: 14. 28: 5. 6. 29: 1. 40: 1. 3. Jerem. 17: 12. 13. 23: 6. 24: 8. 29: 14. 30: 3. 7. 10. 18. 20. 32: 37. 33: 13. 26. Ezech. 11: 17. 13: 9. 20: 35. 23: 36. 44. 28: 25. 34: 13. 35: 10. 36: 10. 24. 37: 15 — 22. Dan. 9: 24. Hoſ. 2: 2. 9: 7. Am. 9: 11. Mich. 2: 5. 12. 6: 9. Nah. 2: 3. Hab. 2: 3. Zeph. 3: 3. Hagg. 1: 8. 2: 9. Zach. 2: 9. 14. 3: 5. 6. 7. 8. 4: 9. 8: 13. 9: 1. 10. Mal. 3: 2. 3.

XLVI. Cum multiplici benedictione in temporalibus, & productione vitæ. Deut. 30: 5. Pſalm. 132: 13 — 15. Eſai. 7: 25. Jerem. 32: 41. 33: 16. Ezech. 36: 8. 11. 12. 13. 14. Jo. 2: 19. Mich. 2: 12. Hagg. 2: 19. Zach. 1: 17. 3: 8. 8: 4. 12.

XLVII. Eſra deinde cum multis exulibus redux, Vid. loca citata ad Art. XXIV. & conf. Eſr. 7: 8.

XLVIII. Repurgat terram à ſcandalis & corruptelis. Eſai. 1: 25. 21: 10. Ez. 11: 18. 28: 25. Conf. Eſr. 9. & 10.

XLIX. Nehemias acceptâ ab Artaxerxe Mnemone poteſtate mœnibus & portis urbem novam amplectitur. Pſ. 147: 13. Jer. 30: 18. 30: 17. 33: 6. Dan. 9: 25. Zach. 1: 16. Conf. Neh. 2: 1. 4: 7.

L. Et pergit, ut antea Eſra, reformare. Vid. ad Art. XLVIII. & conf. Neh. 5. & 13.

LI. Conſtitutâque Hieroſolymis ſede Senatus remp. plenè ordinat. Eſai. 40: 1. Jer. 3: 14. Ezech. 20: 33. Nah. 2: 1. Zach. 1: 8. & add. Art. XLV. ibique citata.

LII. Urbs incolis celebratur. Eſ. 29: 1. 44: 26. 52: 2. Jer. 30: 18. 36: 12. Conf. Neh. 11: 1. 2. & ſeqq.

LIII. Et reliqua oppida Judæ, totaque adeo terra. Vid. ad Art. XXVIII.

LIV. Et populus multiplicatur adeo, ut urbe & oppidis non poſſint ampliùs contineri. Deut. 30: 5. 32: 15. Pſal. 147: 13. Eſai. 9: 2. 10: 22. 26: 15. Jer. 3: 16. 23: 3. 24: 6. 30: 19. 20. 32: 41. Ez. 36: 10. 11. Am. 8: 8. Mich. 1: 3. 2: 12. Zach. 2: 7. 8. 8: 4. 8.

LV. Creſcit reſp. & bonis omnibus affluit, cum abundantiâ pacis. Eſ. 7: 25. 14: 30. Jer. 32: 37. 33: 12. 13. 50: 19. Ezech. 28: 26. 36: 11. 12. Zach. 2: 8. 9. 12: 12. Add. ſup. Art. XLVI.

LVI. Quanquam finito bello Peloponneſiaco, novi motus in Græciâ exſurgunt, nominatim inter Thebanos & Lacedæmonios, in horum cladem Leuctricam exeuntes. Hagg. 2: 6.

LVII. Partibus feſſis & bello enervatis ſuperveniens Philippus Macedo omnes perdomat & adjicit imperio ſuo, magnum rerum gerendarum inſtrumentum. Dan. 10: 20. 11: 3. 4.

LVIII. Compoſitis in Græciâ rebus Alexander Magnus expedit in Aſiam, Perſarum dominium rapit, & tertiam à Babylonicâ erigit Monarchiam Græcorum. Num. 24: 22. 24. Eſ. 14: 29. 50: 2. Ez. 20: 34. 21: 12. 15. 16. Dan. 2: 32. 39. 8: 5. 6. 7. 8. 20. 21. 10: 20. 11: 34. Jo. 2: 20. Hagg. 2: 6. 22. Zach. 1: 8. 10. 2: 13. 6: 6.

LIX. Nominatim Tyrum poſt ſeptem menſium obſidionem expugnat & deſtruit. Eſ. 14: 29. 30. Zach. 9: 3. 4. & huc refer. ex Per. 4. Art. LXXI. Ez. 26: 27. 28. item Am. 1: 10.

LX. Gazam occupat, & incolas ejus exſcindit. Eſ. 14: 30. Ez. 25: 16. Am. 1: 7. 8. Zach. 9: 5. 6. 7.

LXI. Judæis verò parcit ac pacem donat. Eſai. 14: 30. Ez. 20: 34. 28: 26. Dan. 8: 5. Zach. 1: 8. 10. 6: 6. Add. Art. LV.

LXII. Excedit in flore ætatis, & medio victoriarum curſu & triumpho. Dan. 8: 8. 11: 4.

LXIII. Ab exceſſu ejus dividitur regnum & per partes præfectis mandatur gubernandum. Dan. 2: 34. 8: 8. 11: 4.

LXIV. Duces Alexandri diu de principatu inter ſe contendunt, Græciâ quoque interim magnam partem in libertatem ſe vindicante. Dan. 11: 4.

LXV. Tandemque exſtinctâ ſobole Alexandri, regium ſibi titulum in ſua quisque provinciâ & diadema adſciſcunt. Dan. 2: 33. 8: 8. 22. 11: 4. 5. Hagg. 2: 22. Zach. 1: 8. 6: 6.

LXVI. Nominatim Ptolemæus Lagi, cui obtigerat Ægyptus. Dan. 11: 5. coll. vers 8.

LXVII. Antigonus rex Aſiæ præ cæteris invaleſcit. Dan. 11: 5.

LXVIII. Qui vincitur à Ptolemæo & Seleuco Nicatore. Dan. 11: 5.

LXIX. Inter victores reges Ptolemæum Ægypti & Seleucum Syriæ non convenit de prædâ, utroque Cæleſyriam, atque adeo Judæam, ſibi vindicante; & hinc continua ferè diſſidia & bella. Dan. 11: 6. Zachar. 6: 6. 12: 2.

LXX. Ptol. Philadelphus & Antiochus Θεὸς fœdus pacis incunt, datâ Berenice Philadelphi filiâ Antiocho in uxorem, & viciſſim Laodice ab Antiocho repudiatâ. Dan. 11: 6.

LXXI. Mortuo Philadelpho Berenice cum filio & amicis à Seleuco Callinico filio Antiochi occiditur. Dan. 11: 6.

LXXII. Evergetes, frater Berenices, Seleuci Callinici munitiones invadit. Dan. 11: 7. 8.

LXXIII. Ortâ verò in regno ſuo ſeditione revertitur in Ægyptum. Dan. 11: 9.

LXXIV. Seleucus poſtea Ceraunus & Antiochus Magnus poſteri & ſucceſſores Callinici bellum inferunt regi Ægypti. Dan. 11: verſ. 10. Zach. 6: 6.

LXXV. Et Antiochus quidem Magnus primâ expeditione adverſus Ptol. Philopatorem proſperâ uſus eſt. Eſ. 10: 24. Dan. 11: 10.

LXXVI. Judæa interim vexata, victo Philopatore, venit in poteſtatem Antiochi. Pſ. 129: 1. 2. 93: 1. Eſ. 5: 24. 25. 10: 24. 40: 1. 63: 9. Dan. 8: 19. Zach. 2: 9. 12. 12: 2.

LXXVII. Secundâ expeditione Antiochus apud Raphiam commiſſo prælio vincitur à Ptol. Philopatore. Ez. 20: 33. 34. Dan. 11: 10. 11. Zach. 2: 9. 12: 2. Add. Pſ. 22: 5. 6. 129: 1. 2. Eſ. 63: 9.

LXXVIII. Qui hâc victoriâ elatus iram convertit in Judæos. Dan. 11: 12.

LXXIX. Antiochum tamen non poteſt capere vel in ordinem redigere. Dan. 11: 12.

LXXX. Mortuo Philopatore Antiochus M. tertiam expeditionem parat in Ægyptum, & puerum Ptol. Epiphanem. Dan. 11: 13.

LXXXI. Philippo quoque Macedoniæ rege arma ei ſua aſſociante Dan. 11: 14.

LXXXII. Dum ſic de dominio Judææ vicini reges inter ſe decertant, extitere in populo, qui in gratiam victorum religionem patriam abdicarent. Pſ. 129: 1. 2. 93: 1. Eſ. 63: 9. Dan. 11: 14.

LXXXIII. Hi quum Ægyptio ſtuderent, ſtant pro Scopâ duce Ptolemæi, & adverſus Antiochum efferuntur. Dan. 11: 14.

LXXXIV. Antiochus Magnus Scopam fundit & fugat, Syriam totam ſub poteſtatem redigit. Dan. 11: 15. 16.

LXXXV. Sic remotis illis perfidis, qui rerum potiebantur in Judæâ libertas redditur veræ religionis. Pſalm. 22: 5. 6. 129: 1. 2. Eſai. 63: 9. Dan. 11: 14.

LXXXVI. Et Judæi læti concedunt in manus victoris. Dan. 11: 16.

LXXXVII. Poſtea Antiochus, datâ filiâ Ptol. Epiphani in matrimonium, Ægypti dominium clam molitur. Dan. 11: 17.

LXXXVIII. Non ſuccedit hoc conſilium, filiâ potiùs ſtudente marito. Dan. 11: 17.

LXXXIX. Hinc Antiochus M. convertitur in Romanos, iisque bellum facit, & inſulas quaſdam occupat. Eſ. 10: 26. Dan. 11: 18.

XC. Æmilius prætor mari, Eſ. 10: 26. Dan. 11: 18.

XCI. L. Scipio frater Africani terrâ regem debellant, omni Aſiâ cis Taurum montem exigunt, & pacis leges præſcribunt. Dan. 11: 18. Hagg. 2: 22.

XCII. Gravi tributo mulctatus, quum vellet ſpoliare templum Jovis Didymæi, concurſu hominum interfectus eſt. Eſ. 10: 26. Dan. 11: 19.

XCIII. Seleucus Antipator ſuccedit, & ad tuendam auctoritatem regiam à ſubditis ſuis pecuniam exigit. Dan. 11: 20.

XCIV. Is verò paucis diebus inſidiis Heliodori ſublatus eſt. Dan. 11: 20. 22.

XCV. Antiochus deinde Epiphanes, frater Seleuci, Dan. 8: 9. 23. 25. 11: 21. & 4. f.

XCVI. Oppreſſo Heliodoro ab Eumene & Attalo, Dan. 11: 22.

XCVII. Et Demetrio Seleuci filio obſide Romæ relicto, Dan. 11: 22.

XCVIII. Per fraudem & artes invaſit regnum. Dan. 8: 24. 25. 11: 23. 24.

XCIX. Hic Syriâ occupatâ movit in Perſiam. Dan. 8: 9. 11: 24.

C. In

C. In Judæâ interim atque Hieroſolymis defectores iterùm tollunt animos, & Hellenifmum introducunt, ducibus tantæ impietatis ipſis Sacerdotibus, Jaſone & Menelao. Pſal. 93:1. 129:1.2. Eſai. 5:25. 63:9. Dan. 8:13.23. 11:30.

CI. His Antiochus volens gratificari, primùm Jaſoni, dein & Menelao ſacerdotia vendidit. Dan. 11:30.

CII. Expeditione poſtea in Ægyptum ſuſceptâ Ptol. Philometori bellum intulit. Eſ. 10:26. Dan. 11:25.

CIII. Prælio victor, quum etiam Ptol. Epiphanes in manus veniſſet, curam ejus ſe gerere ſimulat, diadema tamen aufert, & regem Ægypti ſe ipſe facit. Dan. 8:9. 11:25.26.

CIV. Alexandrinis autem Ptol. Phyſconem fratrem Philometoris regem renunciantibus, & ſtrenuè Antiocho reſiſtentibus, Antiochus ſub ſpecie reducendi Philometoris bellum facit Phyſconi, Alexandriam obſidet, & rebus inter fratres transactis, in Syriam redit. Eſai. 10:26. Dan. 8:9. 11:25.26.

CV. Spe autem ac conſilio ſuo fruſtratus, Dan. 11:4.ſ. 27.

CVI. In reditu ſuo vaſtat Judæam, Hieroſolymam occupat, templum diripit, & plurimos occidit ac vendit. Pſ. 93:1. 129:1.2. Eſ. 5:25. 10:24. 63:9. Dan. 8:9.19. 11:28. Zach. 12:2.

CVII. Ad ſecundam deinde expeditionem in Ægyptum accingitur. Eſ. 10:26. Dan. 11:29.

CVIII. Romanorum tamen intercedente legatione cogitur à propoſito deſiſtere, & copias ſuas reducere domum. Eſai. 10:26. Dan. 11:27. 29.30.

CIX. Miſera interim Hieroſolyma inter diſſidentes Sacerdotes diſcordiæ ac defectionis pœnas dabat, uno alterum viciſſim oppugnante & expellente. Vid. ad Art. C. & add. Zach. 12:2.

CX. His vehementior Antiochus, jamque exacerbatus ſeveritate Romanorum, ex Ægypto redux ad exſtirpandum populum Dei, & tollendum memoriale nominis Divini nullum genus crudelitatis & impietatis abominandæ fecit reliqui. Pſ. 74:8.9.10. 80:17. Eſ. 1:26. 5:25. 8:10. 10:25. 14:30. 16:4. 21:9. 26:3.4. 40:1. Jerem. 30:7. Ezech. 11:18. Dan. 8:10.11.12.14.17.19.24.25.26. Dan. 11:30.31.32.33. Obad. v. 12. Mich. 4:11. Zeph. 2:8. Zach. 2:9.

CXI. Hæc anguſtia peperit multorum dolorem, metum, & fugam. Pſ. 74:11—23. Eſ. 16:3.4. 21:2. Jo. 2:21.

CXII. Quibus Deus non modò proſpexit de loco perfugii, verùm etiam duces excitavit, qui pro libertate ac religione patriâ fortiter ac feliciter pugnarunt,

gnarunt, Matthatiam & filios Maccabæos. Pſal. 22: 5. 6. 80: 18. 129: 1. 2. 146: 6. Eſ. 8: 10. 14: 30. 18: 7. 28: 5. 6. 40: 1. 63: 9. Jerem. 30: 7. Ezech. 34: 11. Dan. 11: 32. 34. 35. Hoſ. 1: 7. Jo. 2: 21. Mich. 2: 13. Zach. 1: 17. 2: 9. 12. 9: 8. 12: 4. 5.

CXIII. Antiochus tandem, ſpoliato templo in Elymæis, conſumtus tabe exſtinguitur. Pſ. 80: 17. 147: 6. Eſ. 8: 10. 16: 4. Jer. 30: 20. Ez. 20: 33. 34. Dan. 8: 14. 25. Zach. 2: 12.

CXIV. Pergunt nihilominùs gentes in propoſito Hieroſolymam & gentem Judaicam delendi. Mich. 4: 11. Zach. 12: 3.

CXV. Sed Deo excubante pro populo ſuo omnia earum conſilia in vanum recidunt. Zach. 12: 3. 4.

CXVI. Judæi interim miſſâ legatione fœdus & amicitiam Romanorum petunt, his faventibus quidem, ſed nullâ tamen re adjuvantibus. Eſ. 8: 10.

CXVII. Solâ itaque Divinâ ope confiſi rem gerunt, ſeſeque tandem, abolitô plane jugo gentium, in libertatem aſſerunt. Num. 24: 18. Deut. 30: 5. Pſalm. 147: 13. Eſai. 10: 25. 27. 18: 3. 7. 21: 2. 28: 5. 6. 40: 1. 52: 2. Jerem. 24: 6. 30: 8. 17. 32: 41. 42. 20: 33. Dan. 11: 32. Joel. 2: 21. Zach. 9: 10.

CXVIII. Quidam interim duce Oniâ à reliquo corpore Judæorum ſeceſſum faciunt, & in Ægypto templum exſtruunt ad inſtar Hieroſolymitani. Hoſ. 9: 3.

CXIX. Multiplicatur populus majorem in modum, & per colonias innumerabiles diſpergitur per totum mundum, Deuter. 30: 5. 32: 15. Eſai. 9: 2. 10: 22. 26: 15. Jerem. 30: 19. Hoſ. 1: 10. Amoſ. 8: 8. Mich. 2: 12. Add. ſup. Art. LIV.

CXX. Et pace fruitur religionis imperturbatâ uſque ad Chriſtum. Pſal. 147: 14. Eſ. 16: 4. Zach. 12: 6. Conf. Art. LV.

CXXI. Dilatato inſuper in vicinas gentes imperio eas ad fœdus quoque ac religionem ſuam adjungunt, Idumæos ſcil. Ammonitas, Moabitas, &c. Geneſ. 15: 17. 17: 8. 27: 29. Exod. 23: 31. Deut. 11: 24. Num. 24: 18. 19. Deut. 30: 5. Pſ. 45: 13. 72: 8. 87: 4. Eſ. 14: 1. 29. 31. 16: 6. 30. 21: 11. 26: 15. 34: 5. 6. 63: 1. Jer. 9: 25. 26. 12: 15. 17: 3. 33: 26. 48: 29. 31. 32. 36. 45. 49: 2. 3 — 5. 7. 22. 50: 21. coll. v 1. Thren. 4: 21. 22. Ezech. 21: 33. 25: 11. 13. 14. 16. 17. 28: 24. 35: 2. Hoſ. 9: 13. Jo. 2: 21. Am. 1: 7. 8. 12. 14. 15. 2: 2. 3. 7: 9. Mich. 2: 13. 4: 12. 13. Zeph. 2: 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 3: 5. 6. Zach. 9: 1. 2. 5. 6. 7. Mal. 1: 4.

CXXII. Nec tantum id faciunt armis, ſed etiam adhibitis ſermonibus & rerum argumentis. Pſ. 147: 1 — 11. Eſ. 48: 20. Ez. 12: 16.

CXXIII. Tandem etiam Ariſtobulus filius Hyrcani, argumentum libertatis

bertatis ac majeſtatis, diadema aſſumit. Deut. 30: 5. Eſai. 3: 4. 4. 16: 8. Jer. 30: 17. Ez. 7: 27. 19: 14. 21: 31. 32. Am. 9: 8. Zach. 11: 6.

CXXIV. Romani interea, aliis ex aliis gentibus, in his Antiocho Magno Syriæ & Philippo Macedoniæ regibus, debellatis, & Ægyptiis ad ſummam impotentiam redactis, ſummâ rerum potiuntur, & quartam Monarchiam conſtituunt. Eſ. 5: 26—29. 14: 31. Ezech. 21: 14. 15. 16. Dan. 2: 33. 40. 9: 26. 11: 36. Mich. 4: 14. Zeph. 3: 8. Hab. 3: 6. Hagg. 2: 22. Zach. 1: 8. 6: 7. 12: 3.

CXXV. Quum vero etiam Judææ inhiarent, occupatis aut domitis vicinis, quaſi indagine eam cinxerunt. Eſ. 28: 22. Ez. 9: 2. 3. Mich. 4: 14. Zach. 6: 7.

CXXVI. Datâ igitur opportunitate, Pompejo capto arbitro inter fratres Ariſtobolum & Hyrcanum de regno inter ſe contendentes, Hieroſolymam obſedit atque expugnavit, templum intravit, regnum Hyrcano abſtulit, & Hieroſolyma ſtipendiariam Romanis fecit. Num. 24: 19. Pſ. 29: 5. Eſ. 2: 6. 5: 26. 8: 10. 16: 8. 40: 3. 52: 5. Jer. 17: 5. Ez. 7: 12. 20. 21. 22. 15: 7. 16: 38. 20: 35. 21: 31. 32. 23: 37. 49—44. Dan. 9: 27. Hoſ. 2: 7. 10. Zach. 1: 10. 6: 7. 9: 10. Mal. 2: 11.

CXXVII. Gabinius quoque in Judæa quinque tribunalia conſtituit. Eſ. 52: 5. Zach. 1: 10. 6: 7.

CXXVIII. Antipater deinde Idumæus Procurationem Judææ obtinet à Cæſare; nec multo poſt Herodes filius Antipatri, regnum Judææ totiuſque adeo Palæſtinæ invadit. Pſ. 92: 8. Eſ. 3: 4. 63: 1. 52: 5. Jer. 49: 7. & ſeqq. Ez. 35: 2. 10. Zach. 11: 6. Mal. 1: 4. Apoc. 12: 4.

CXXIX. Ambitione populari reædificat urbem, muros, turres, & nominatim Templum. Dan. 9: 25. Mal. 1: 4.

CXXX. Sub imperio Herodis Idumæi florent, & non ſolùm multitudine hominum, verum etiam omni copia rerum ac deliciarum hujus vitæ affluunt. Deut. 32: 13. 14. 15. Pſ. 92: 8. 109: 11. 147: 14. Eſ. 7: 15. 25. Hoſ. 2: 7. Conf. Art. XLVI. & LV.

CXXXI. Abundantia omnium rerum gignit luxum, & ventris curam ac gulæ. Eſ. 28: 7.

CXXXII. Hinc ſuccedente in locum amoris ac ſtudii veræ ſapientiæ ac rerum cœleſtium amore rerum terrenarum, tollitur clàvis cognitiònis, corrumpitur doctrina per traditiones inutiles, hæreſes & ſectæ invaleſcunt, ſuperbia, ambitio, avaritia, perfidia, ſeditiones, hypocriſis, blaſphemiæ, perſecutiones, dominantur in populo, aliaque peccata. Deut. 32: 20. Pſal. 74: 9. 75. 4. 92: 6. 7. 119: 26. Eſ. 10: 1. 2. 28: 7. Jer. 23: 30. Ez. 7: 26. 14: 6. Jo. 2: 22. Zach. 11: 5. Mal. 2: 8. 3: 2. 3. 4. 5. 7. 15. 16. 17.

CXXXIII. Paucis in populo ſuperſtitibus piis, qui ſalutem Iſraëlis exſpe-

ctarent. Gen. 49:18. Pſ. 77:6. 12. 13. 119:26. 120:1. 143:5. 6. Cant. 1:2. Eſai. 8:17. 21:11. 26:8. 9. 52:8. Dan. 12:5. 6. Mich. 7:4. Hab. 2:1. 2. 3. Mal. 3:18. Apoc. 22:1. His præſcribuntur orationes, Pſ. 67:2. 72:1. 80:15. 16. 20. 89:47 — 52. 115:1. 2. 119:17. 18. 25. 26. 33. 41. 49. 81. 145. 153. 169. 132:9. 10. 143:1 — 8. 144:3. 4. 5.

CXXXIV. Atque hi Chriſtum præ foribus eſſe ex ſignis temporum animadverſis concludunt. Pſ. 92:5. Dan. 8:18. Hab. 2:3. 3:2. Conf. Pſ. 119:25. 143:3. 4.

CXXXV. Eorundem ſpes à gentibus aliiſque gentili animo affectis irridetur. Pſ. 89:52. 115:3. Eſ. 52:5.

CXXXVI. Sub Auguſto tandem Cæſare ubique cuncta atque continua totius generis humani pax eſt aut pactio, lætantibus populis, ipſiſque Judæis, quòd ſic pacatè opibus ſuis frui poſſent. Pſal. 2:1. 2. 33:10. Eſ. 40:4. Dan. 9:27. Hoſ. 9:1. Hab. 3:6. Zach. 11:10.

CXXXVII. Hanc pacem æquabilem quieſcentium ſub tutela ſuâ populorum, & magnitudinem imperii ſui, Romani oſtentant indictione [illegible]. Eſ. 7:8. 14. Zach. 9:8.

PERIODUS SEXTA.

De rebus geſtis à Nativitate Chriſti uſque ad Aſcenſionem in cœlum, & erectionem Regni Dei & Novi Teſtamenti.

TAntum aberat, his omnibus quà beneficiis, quà judiciis & caſtigationibus, ſive communibus, ſive ſingularibus, in totum orbem, ſeu populum Iſraëliticum impenſis, ut contumacia carnis edomita aliquam bonam frugem ederet, ut potiùs adverſus ea omnia induraretur, & neque his neque illis ad verum timorem & amorem Dei remolleſceret ac mitigaretur. Igitur Deus impotentiâ carnis ac neceſſitate gratiæ ſic ſatis ſuperque demonſtratâ, finitis temporibus tolerantiæ populi carnalis atque averſationis gentium, gubernationem populi ac mundi mutare, ſublatoque diſcrimine gentium, averſationem in gratiam, tolerantiam in iram erga omnes eos, qui tantam gratiam negligunt, convertere, omniaque eo moderari, ut ipſe ſolus auctor & conſummator hominum ſalutis in toto mundo agnoſcatur, eoque fine cauſam & principem ſalutis repræſentare & conſummare, inſtituit.

Art. I. Miſſo itaque Filio ſuo in mundum, hic facturus omnia, quæ Pater ipſi mandaverat, aſſumtâ humanitate, natus de virgine, in forma ſervi apparuit. Gen. 3:15. 4:25. 10:26. 12:3. 17:8. 22:18. 26:4. 27:29. 28:14.

49:10

42: 10. Lev. 26: 12. Deut. 18: 15. 18. 30. 5. 6. 32: 15. 33: 2. 3. 5. 8. 2 Sam. 7: 11 — 16. coll. verſ. 19. 2 Sam. 23: 4. 5. Pſal. 2: 2. 6. 7. 12. 3: 2. 3. 4: 1. 6: 11. 7: 11. 8: 1. 2. 5. 8. 9. 9: 9. 14: 5. 18: 51. 20: 3. 21: 4. 8. 22: 4. 5. 6. 7. 33: 13. 14. 36: 6. 7. 40: 6. 7. 8. 9. 18. 41: 2. 5. 45: 3. 4. 17. 50: 1. 2. 53: 3. 65: 2. 4. 69: 5. 6. 13. 15. 75: 2. 76: 2. 3. 78: 2. 3. 80: 15. 16. 82: 1. 87: 1. 2. 88: 5. 8. 89: 6. 29. 30. 34 — 38. 92: 5. 6. 7. 8. 93: 1. 94: 1. 10. 95: 1. 2. 99: 1. 2. 102: 17. 103: 3. 109: 1. 22. 110: 1. 2. 111: 2. 4. 112: 1. 114: 5. 6. 7. 115: 1. 9. 119: 25. 26. 119: 145. 119: 153. 130: 1. 126: 1. 2. 132: 9. 16. 17. 134: 1. 2. 3. 143: 1. 8. 144: 3. 4. 5. 148: 1. 2. 150: 1. Cant. 1: 2. 2: 3. Eſ. 1: 26. 27. 2: 2. 4: 2. 5. 3. 4. 5. 7. 6: 1. 7: 8. 11. 14. 15. 8: 3. 14. 17. 18. 19. 9: 1. 3. 5. 6. 10: 3. 20. 21. 22: 24. 32. 33. 11: 1. 3. 16: 4. 5. 9. 18: 7. 21: 11. 12. 26: 8. 9. 15. 28: 15. 16. 40: 3. 4. 5. 42: 1. 2. 6. 7. 45: 8. 48: 6. 49: 5. 6. 7. 8. 9. 13. 24. 25. 50: 1. 2. 52: 3. 6. 8. 15. 53: 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 54: 4. 55: 3. 4. 61: 1. 2. 3. 63: 1. 2. 3. 4. 5. 7. 9. 65: 1. 66: 7. Jer. 3: 16. 17. 12: 17. 16: 21. 17: 3. 11. 12. 13. 23: 3. 4. 5. 6. 8. 30: 21. 22. 31: 22. 33. 32: 38. 33: 14. 15. 16. 17. 46: 27. 28. 49: 23. 50: 21. Thren. 3: 50. 4: 22. Ezech. 1: 4. 26. 27. 28. 5: 9. 6: 9. 7: 3. 4. 8: 2. 9: 3. 10: 4. 11: 4. 19. 20. 13: 5. 6. 17: 22. 23. 20: 35. 36. 40. 41. 21: 18. 32. 33. 34. 29: 21. 34: 11. 15. 22. 23. 24. 35: 11. 36: 21. 22. 23. 37: 24. Dan. 2: 34. 35. 44. 45. 9: 24. 25. 26. 27. Hoſ. 2: 1. 11. 9: 7. 11: 1. Jo. 2: 23. 26. 27. Am. 5: 18. 20. 8: 9. 9: 6. 11. Obad. verſ. 1. 15. Mich. 1: 2. 3. 2: 13. 4: 1. 13. 14. 5: 1. 6: 9. 7: 4. Nah. 1: 7. Hab. 2: 3. 8. 3: 2. 3. Zeph. 1: 7. 2: 11. 3: 1. 5. 7. Hagg. 1: 8. 2: 7. 9. 23. Zach. 2: 14. 3: 8. 9. 4: 9. 6: 12. 13. 8: 3. 23. 9: 8. 9. 10. 11. 12. 11: 4. 7. 12. 13. 12: 7. 8. 10. 13: 1. Mal. 1: 12. 13. 14. 2: 11. 3: 3. 4: 2. 5. 6. Apoc. 5: 5. 12: 3. 4. 5.

II. Angeli & pii exultant & celebrant adventum ejus. Deuter. 32: 1. 3. 2 Sam. 23: 4. Pſ. 89: 6. 92: 5. 6. 126: 1. 2. 148: 1. 2. 3. 150: 1. Eſ. 9: 2.

III. Herodes & Sacerdotes, auditâ ejus nativitate, conſternantur. Pſal. 14: 5. 92: 7. 8. Eſ. 49: 24. 25. 53: 10. Apoc. 12: 4.

IV. Quin & Herodes horribili infantium lanienâ exſtinguere conatur. Joſephus admonitus cum Mariâ & Jeſu fugit in Ægyptum. Pſal. 2: 2. 22: 10. Jer. 31: 15. 16. coll. 30: 22. Hoſ. 11: 1.

V. Mortuo Herode revertitur in Judæam; & Jeſus profecit ſtaturâ & gratiâ apud Deum & homines. Eſ. 53: 2. Jer. 31: 16. Hoſ. 11: 1.

VI. Judæi interim pertæſi regni Herodiadarum ſemel iterumque de injuriis eorum apud Auguſtum conqueruntur, &, ſicuti petierant, remoto Archelao, præſidibus Româ acceptis, provinciæ Syriæ contribuuntur. Pſal. 16: 4. 18: 8. 9. 21: 9. 10. 29: 5. 50: 3. 18. 76: 4. 82: 5. 93: 1. 97: 3. 109: 6. Eſai. 3: 1. 2. 4. 5: 5. 7: 8. 16: 7. 8. 28: 15. 22. 50: 11. 51: 5. 66: 4. Jer. 17: 6. 23: 10. 49: 23. coll. 7. Ezech. 5: 4. 9: 10. 15: 8. 16: 38. 41. 23: 37. 43. 45.

 Dan.

Dan. 9: 26. 27. Hoſ. 2: 7. 9. 9: 3. Nah. 1: 10. Zach. 9: 10. 11: 5. 10. Mal. 1: 4. 2: 11. Apoc. 8: 7. 12: 4.

VII. De cætero quum permitterentur legibus vivere ſuis, & domeſticam exercere diſciplinam, Senatus Hieroſolymitanus priſtinam auctoritatem & majeſtatem recuperavit. Deut. 30: 5. Pſ. 92: 7. Eſ. 1: 26. 27. 28. Dan. 9: 27. Zach. 11: 10.

VIII. Mittitur Johannes Baptiſta, qui animos hominum ad Chriſtum dignè excipiendum prædicatione pœnitentiæ atque adventantis regni cœlorum excitaret. Pſ. 2: 7. 75: 4. Eſ. 18: 7. 21: 12. 40: 3. 52: 6. Jer. 1: 15. 16: 16. 23: 4. Ez. 11: 19. 20. Mal. 3: 3. 4: 5. 6.

IX. Apparet Chriſtus cum demonſtratione virtutis Divinæ omnis in verbo de ſe patefactæ, ut ab iis, qui Moſi & Prophetis credebant, facile poſſet agnoſci. Geneſ. 3: 15. 17: 8. Exod. 3: 14. 6: 3. Lev. 26: 12. Deut. 30: 6. 33: 3. 5. 2 Sam. 23: 4. 5. Pſ. 8: 2. 14: 5. 22: 2. 29: 2. 40: 8. 50: 2. 75: 2. 80: 15. 20. 81: 4. 82: 1. 88: 2. 89: 3. 6. 9. 92: 2. 94: 1. 95: 2. 102: 17. 103: 1. 8. 9. 10. 11. 114: 7. 115: 1. 118: 26. 119: 26. 65: 145. 120: 1. 126: 1. 134: 3. 138: 2. 143: 1. 150: 1. Cant. 1: 3. Eſ. 1: 26. 26. 27. 3: 8. 5: 3. & ſeqq. 6: 5. 8: 14. 18. 10: 3. 20. 21. 18: 7. 21: 10. 12. 26: 15. 28: 16. 40: 5. 9. 50: 2. 61: 1. 63: 8. Jer. 3: 17. 12: 17. 16: 21. 17: 12. 32: 38. 33: 14. Ezech. 9: 3. 11: 19. 20. 13: 6. 34: 11. 24. 35: 10. Dan. 2: 44. 9: 24. 25. Hoſ. 2: 1. 9: 7. Am. 9: 11. Ob. v. 1. Mich. 4: 1. 7: 4. Nah. 1: 7. Hab. 2: 3. 3: 2. 3. Zeph. 3: 5. 7. Hagg. 1: 8. 2: 7. 9. 23. Zach. 2: 14. 3: 9. 8: 3. 11: 4. 7. 12: 7. Mal. 1: 12. 13. 3: 3. 4: 2. 5. 6.

X. Eam virtutem primò exeruit in ſermone & doctrinâ, quum nihil loqueretur à ſe, & quod non Moſes & Prophetæ prædixerant eſſe locuturum. Deut. 18: 15. 18. 29: 29. 30: 12. Pſal. 2: 7. 23: 1. coll. Joh. 10: 11. 29: 2. 3. 29: 2. 40: 7 — 10. 45: 3. coll. Luc. 4: 22. 45: 3. 4. 5. 50: 1. 2. 68: 10. coll. Matth. 11: 28. Pſ. 69: 10. 11. 71: 1. coll. Matth. 11: 28. Pſal. 75: 3. coll. (Job. 5: 22. 27. 28. 29. Actor. 17: 32. 4.) Pſ. 78: 1. 2. coll. Matth. 13: 35. 81. 7 — 11. 12. 14 — 17. 82: 1. 2 — 4. 6. 7. 87: 3. 95: 1. 2. coll. Matth. 11: 28. Pſ. 109: 2 — 5. 16. 17. 18. 19. 119: 1. 119: 26. 119: 1. 29. 33. 113. 129. 137. 138. 169. 138: 2. 143: 1. 2. (coll. Act. 13: 39.) 145: 5. 147: 19. coll. Johan. 3: 34. Cant. 1: 2. 2: 8. 5: 10. Eſ. 3: 5. coll. Matth. 23: 1. 2. & 11: 28. Eſ. 3: 12. coll. Heb. 5: 12. 13. 14. & Luc. 11: 52. Eſ. 3: 13. 14. coll. Matth. 23: 14. Eſ. 3: 15. coll. Matth. 23: 37. Joh. 9: 22. Eſ. 5: 1. 2. 3. 4. 7. 8. 11. 12. coll. Act. 13: 41. Joh. 5: 38. 39. 46. Matth. 16: 3. Luc. 12: 5. 6.) 13. 15. 18. 19. (coll. Joh. 6: 43. 44. Joh. 9: 39. & 41. Joh. 6: 30.) 20. 21. (coll. Rom. 11: 20. 12: 16.) 22. 23. (coll. Luc. 11: 11. 12.) 24. Eſ. 5: 5. 6. 9. 10. 13 — 17. 8: 14. 15. 18. 19. 20. 21. 22. (coll. Matth. 24: 16. 17. 18. 19. 21.) 23. 9: 1. 5. 10: 3. 11: 3. 4. coll. Matth. 23: 24. 35. 38. 24: 25. 26. 27. 18. 19. Luc. 19: 43. 44. Eſ. 16: 6.

16:6.7. (coll. Luc. 23:28.) 8.9.10.11.12.13.14.18:3.4.7.21:9. coll. Joh. 15:15. Eſ. 21:12. coll. Luc. 2:32. Act. 26:23. item Joh. 9:4.5. 11:9. 12:46. 3:19. 20.21. 5:39. &c. Eſai. 26:8.15. 28:9.12.16. 29:9.10.11.12.13. (coll. Matth. 15:7.8.) 14.15.16.17.18.21.22 — 24. coll. verſ. 20:32:9. 10.11.12.13.14. 40:5.6.7.8.9. 42:2.3.4.6.21. 45:8.9.10.11.12.13. 21. 46:3.4. 48:1.2.3 — 6.7.8.9.10.11.12. — 20. 49:1.2.5.6.8. 50:2 — 9.10.11. 52:5.6. 53:9. 55:1.4. 61:1.2. 63:1.8. 66:1.2.3.4.5.6. Jerem. 3:15.19.20. 12:16.17. 16:16.21. 17:1 — 11. 22:1 — 4.5.6.7. 23:4.6.9.10. 11.14.15.16.17.18.21.22 — 32.33 — 38. 23:9.10.12.14.15.19.20.30. 31.32.33.39.40. 33:16. 48:29.30. 48:31.32.33.34.35.36.38.39.40. 41.42. &c. ad 46. 49:14. 50:21. Ez. 3:6. coll. Matth. 11:21. Ez. 7:2 — 11. 11: 23. 13:2 — 9.10. 14:6. 16:43.45.47.48.51.59. coll. Matth. 11:23.24. Ez. 20:35.36.37.38.39.40.41. coll. Eph. 5:2. Ez. 21:18.33.34. 34:23. 4.11.12.13.14.15.16. 34:17 — 24. Dan. 9:24. Hoſ. 2:2. 11:2. Jo. 2:23. Am. 1:2. Ob. v. 1. coll. Joh. 3:11. Mich. 1:2. coll. Joh. 3:31. 6:9 — 16. 7:1 — 6. Hab. 2:3. 3:2. Zeph. 3:5.7.8. Zach. 9:12. 12:7. Mal. 1:12.13. 3:4.5.

XI. Tum & in operibus Divinæ præpotentiæ, olim prædictis. Gen. 3: 15. 17:7. Deut. 18:15. 32:1.3. Pſ. 2:1.7. 3:5. coll. Joh. 1:41.42. 20:2.5. 21:3. 29:3. 40:6. 42:7.9. 45:3.4. 75:4. 76:2.3. 78:4 — 7. 92:5.6. 94:1. 96:3.4. 104:4. 114. 115:1. 135:6. 145:1.4. 148:1.2.3.4.7 — 10. 150:1. 2. Eſ. 6:5.9.10. 8:18. 9:5.6. 11:2.3. 18:3.7. 1. 26:15. 40:5. 42:6. 45:21. 49:24.25. coll. Matth. 12:29. Heb. 2:14. Eſ. 50:7. 53:1.4. coll. Matth. 8: 17. Eſ. 61:1.2. 63:1.7.8. Jer. 3:17. 16:21. 17:12. Ez. 11:19. 14:7.34: 16.23. 35:10. Jo. 3:3. Mich. 5:3. Zach. 12:8.

XII. In perfectiſſimâ obedientiâ, probatâ per paſſiones ac tentationes omnis generis; Gen. 3:15. 17:8. Exod. 3:14. 6:3. Deut. 33:8. Pſ. 3:2.3.4. 7. 7:1 — 18. 8:3.6. 16:1.2.7.8.9. 18:3.5.44. 22:3.10. 40:9. 41:6.7. 13. 45:8. 51:21. 69:2.5.10.11.12.13.14. 88:2.16.17. 109:2.3.4.5. 16. 112:1. 119:113.121.137.153.161. Eſ. 1:27. 5:16. 8:17. 9:6. 16:9. 11. 42:2.6. 45:21 — 25. 48:15. 49:7.12. 50:8. 53:3.4.5.7.9.11.12. 63:1.2.3.5.6.8. Jer. 23:5.6. 33:6.15. 48:31.32.36. Ez. 20:41. 36:23. 25. Hab. 2:3. Zeph. 3:5. Zach. 3:8. 9:8.9. Mal. 1:12.

XIII. In aliis quibuſdam operibus, quibus ſe oſtendit majorem homine, & dominum Sabbati. Eſ. 8:19.

XIV. His excitati nonnulli, qui doctrinam & opera Chriſti, ac perpetuam vitam, cum prædictionibus Moſis & Prophetarum conferebant, agnoſcunt, & credunt in eum. Deut. 29:21. 30:6. 32:5. 2 Sam. 23:4. Pſ. 2:10.11.12. 8:2.3. 14:5. 16:3. 36:6 — 10. 40:5. 41:2.5. 47:12. 48:12. 50:5. 71: 1. 72:2. 75:2. 82:1. 92:5. 95:1.2. 100:1.2.3. 112:1.2. 115:1. 119:1.

 2:9.

2.9.coll. (Joh. 6: 68.) 10. 17. 18. 25. 26. 33: 57. 66. 97. 105. 113. 129. 137 145. 169. 132: 9. 16. 17. 138: 1. 2. 145: 1 --- 4. 5. 146: 5. 147. 12 148: 11. 12. 13. 149: 1 — 4. 150: 1. 2. Cant. 1: 3. 4. Eſai. 6. 5. 8: 14. 15 18. 9: 1. coll. 8: 23. 2. 10: 20. 21. 22. 11: 3. 4. 18: 7. 26: 8. 40: 5. 11. 42: 3. 10. 45: 10. 11. 50: 2. 53: 1. 3. 61: 1. 2. 3. 66: 2. 4. Jer. 12: 16. 17. 14: 17. 16 [illegible] 17: 7. 8. 49: 20. 50: 20. Ezech. 5: 3. 4. 9: 3. 4. 10: 4. 11: 19. 20. 17: 24. 20: 40. 41. 21: 15. 34: 11. 13. 14. 16. 20. 22. 23. 24. Hoſ. 2: 2. Jo. 2: 23. 26. 27. 3: 5. Am. 9: 8. 11. Obad. verſ. 14. 17. Mich. 5: 2. 6: 9. 7: 1. Hab. 2: 3. 4. 3: 2. Zach. 9: 9. 11: 7. 11. 12: 7. 13: 7. Mal. 3: 4. 5.

XV. Ex his aſſumſit aliquos, qui teſtes fierent eorum, quæ viderent & audirent, in toto mundo. Pſ. 16: 3. 75: 2. 150: 1. 2. 3. Eſ. 3: 10 --- 26. (Vid. Eſai. 3: 13. coll. Matth. 24: 33. Luc. 21: 28.) 4: 1. 2. 5. 14: 32. 40: 6. 7. 8. Jer. 3: 15. 16: 16. Mal. 3: 5.

XVI. Et jam tum poteſtatem illis dedit patrandi miracula in nomine ſuo. Pſ. 112: 1. 2. Eſ. 8: 18.

XVII. Sed pleraque pars populi, præſertim primores, Chriſtum reprobarunt, & hoſtili animo ſunt perſecuti. Deut. 29: 19. 25. 32: 15. 5. 6. 2 Sam. 23: 4. Pſal. 2: 1. 2. 3. 3: 2. 53: 1. 2. 68: 7. 81: 12. 82: 5. 92: 7. 8. 109: 2. 3. 4. 5. 16. 17. 118: 22. 119: 137. Eſ. 3: 8. 9. 6: 5. 9. 10. 8: 14. 15. 10: 11. 12. 24. 16: 6. 21: 12. 28: 12. 16. 29: 9. 21. 42: 13. 19. 20. 45: 9. 10. 48: 6. 7. 8. 49: 4. 5. 8. 9. 52: 5. 53: 1. 3. 8. 12. 63: 10. 66: 3. 4. Jerem. 3: 20. 12: 17. 17: 1. 2. 3. 5. 13. 22: 5. 9. 23: 10. 11. 14. 15. 17. 23. 27. 32. 48: 29. 30. 42. 49: 7. 11. 16. 50: 21. Ez. 1: 26. coll. 28. 2: 3. 4. 5. 3: 6. 5: 6. 7. 9. 6: 9. 7: 3. 4. 8. 9. 10. 11. 19. 20. 23. 24. 9: 9. 10: 4. 11: 21. 14: 6. 15: 8. 16: 59. 20: 38. 21. 18. 34. 23: 37. 38. 34: 3. 4. 5. 10. 17. 20. 21. 22. 35: 5. 6. 12. 13. Dan. 9: 24. 27. Hoſ. 11: 2. Am. 8: 9. 9: 8. 10. Obad. verſ. 3. Mich. 6: 9. 7: 1. Hab. 1: 5. 2: 4. Zeph. 3: 1. 2: 3. 4. 5. Mal. 3: 4.

XVIII. Tandem Chriſtus, quum veniſſet hora ipſius, ac poteſtatis tenebrarum, regio more, comitante ac jubilante populo, invectus in urbem, eâque re adverſariis concitatis, ultro in eam ſeſe dedit. Zach. 9: 9. coll. Matth. 21: 8. 9. 11. 15.

XIX. Qui quum unanimiter in mortem ejus conſpiraſſent, occaſione oblatâ per Judam proditorem, ipſum ceperunt, judicium egerunt, ad mortem condemnarunt, tradiderunt in manus gentium, nec deſierunt à furore, donec ſuffixus cruci, inter ſummos tam animi quam corporis cruciatus & dolores, exſpiraſſet, & ſepulchrum obſignâſſent. Gen. 3: 15. Exod. 16: 23. 20: 5. 24: 8. 30: 12. 15. 34: 5. 6. 7. Levit. 10: 17. Num. 21: 8. 9. 23: 17. 19. Deut. 21: 23. 30: 13. 32: 15. Pſ. 2: 1. 2. 3. 8. 3: 2. 3. 4. 6. 7. 6: 2 --- 8. 8: 6. 16: 1. & 16. toto & 16: 9. 10. 18: 2. 3. 5. 6. 7. 8. 44. 20: 2. 21: 2. 5. 8. [illegible] 22: 2 — 16.

22: 2 — 16. 17. 20. 21. 22. 23: 1. 33: 10. 38: 2. — 23. 40: 2. 3. 12. 13. 41: 5. 9. 10. 11. 44: 8. 45: 4. 50: 5. 51: 21. 53: 3. 65: 4. 68: 19. 21. 69: 2 — 32. 72: 1. 74: 12. 75: 4. 88: 2 — 24. 89: 3. 92: 2. 97: 2. 103: 9. 109: 6. 8. 16. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 110: 4. 7. 115: 1. 118: 5. 22. 119: 25. 121. 161. 127: 2. 130: 8. 144: 7. 145: 4. 148: 3. Cant. 1: 3. Eſai. 1: 27. 3: 9. 15. 5: 3. 4. 7. 16. 18. 8: 14. 15. 18. 9: 5. 6. 10. 4. 21. 14: 32. 16: 5. 7. 8. 9. 10. 11. 28. 16. 34. 5. 42: 1. 3. 6. 45: 24. 48: 20. 49: 4. 6. 7. 8. 24. 25. 50: 6. 7. 8. 9. 52: 3. 14. 53: 3. 4 — 12. 61: 7. 63: 1 — 5. 6. 8. 9. Jer. 23: 5. 6. 30: 22. 31: 11. 31: 20. 31: 26. 31: 26. 33: 15. 16. 46: 28. 48: 31. 36. Thren. 4: 22. Ezech. 6: 9. 9: 9. 16: 43. 17: 22. 21: 32. 34: 23. 37. 39. 34. 23. 24. 35: 5. 6. 12. 13. 36: 22. 23. 37: 23. 24. Dan. 2: 35. 45. 9: 24. 26. Hoſ. 2: 7. 10. 12. 6: 2. 9: 9. 14. Am. 8: 9. 9: 11. 26. Ob. v. 13. Jon. 1: 12. 15. 2: 1. 8. Mich. 4: 14. Hab. 2: 8. Zeph. 3: 4. 8. Zach. 9: 11. 11: 12. 13. 12: 10. 11 — 14. 13: 7. Mal. 1: 13. 2: 11. Apoc. 11: 8. 12: 4.

XX. Peractis omnibus, quæ ad conſummandum per paſſiones principem ſalutis erant neceſſaria, & conſilio Dei definita, Chriſtus tertio die, triumphator Satanæ & mortis, reſurrexit à mortuis, & vitam aſſumſit incorruptibilem atque immortalem. Gen. 3: 15. 20. 9: 26. 27. 12: 3. 17: 5. 8. 22: 18. 26: 4. 28: 14. 49: 10. Lev. 23: 4. 11. Deut. 30: 13. 2 Sam. 23: 4. Pſ. 2: 7. 3: 6. 4: 2. 6: 9. 10. 8: 6. 16: 1. 9. 10. 11. 18: 7. 8. 44. 51. 20: 2. 21: 2. 5. 6. 22: 3. 22. 25. 26. 40: 2. 3. 4. 6. 41: 11. 12. 13. 42: 6. 9. 45: 4. 47: 6. 68: 21. 69: 14. 15. 16. 17. 18. 19. 30. 34. 72: 11. 92: 2. 5. 6. 94: 1. 109: 1. 21. 26. 27. 115: 1. 118: 5. 144: 7. 148: 1. 2. 7. Cant. 1: 3. Eſ. 5: 1. 7: 11. coll. 14. 8: 14. 15. 18. 9: 5. 18: 3. 7. 28: 16. 40: 5. 42: 6. 49: 8. 50: 8. 53: 8. 11. 61: 2. 63: 4. 5. Jer. 23: 5. 31. 26. Am. 9: 11. Mich. 5: 3. Hab. 3: 2. Zeph. 3: 8. Zach. 6: 13. 9: 9. Apoc. 12: 5.

XXI. Veſperâ primæ Sabbatorum dilectos ſuos diſcipulos reviſit, & primus Evangelium pacis ac ſalutis & juſtitiæ ſœculorum jam adductæ annunciavit. Pſ. 3: 8. 4: 2. 6: 9. 10. 16: 2. 3. 21: 3. 22: 3. 23 — 26. 24: 1. 2. 40: 2 — 6. 45: 3. 47: 6. 65: 6. 68: 21. 69: [illegible] Eſ. 28: [illegible] 16. 11. 12. 61: 1 — 7. 62: 1. Jer. 23: 2. 30: 21. 31: 11. 26. Ezech. 37: 26. Amoſ. 9: 11. Zach. 13: 7.

In publico autem non eſt verſatus ampliùs. Eſ. 45: 15.

XXII. Ad poſtremum in conſpectu diſcipulorum è monte Oliveti aſcendit in cœlum, ſimulque hoc facto conſedit ad dexteram majeſtatis, novum ad cœlum iter ſanguinis ſui ſemitâ dedicavit, cœleſtia cum terreſtribus conſummavit, & factus rex & ſacerdos in Regno Dei novum annum gratiæ ac libertatis, novumque Teſtamentum reſignavit atque aperuit nobis. Deut 33: 5. 2 Sam. 7: 11 — 16. 23: 4. Pſal. 2: 4. 6. 7: 8. 11. 8: 1. 2. 6. 9: 5. 8. 16: 11. 18: 17. 44. 20: 2. 21: 4. 22: 29. 36: 6. 40: 3. 6. 41: 13. 45: 3. 4. 5. 47: 3. 6. 57: 6. 11. 65: 7. 68: 6. 19. 21. 69: 30. 78: 67 — 72. 89: 3. 29. 30. 37. 38. 91: 2. 92: 2. 5. 6. 93: 1. 94: 1. 96: 4. 97: 1. 2. 99: 1. 10. 2: 17. 104: 1. 110: 1. 111: 3. 113: 4. 115: 1. 3. 119: 89. 122: 5. 132: 17. 142: 8. 145: 3. 5. 148: 1. 2. 4. 13. 149: 2. 150: 1. 2. Cant. 1: 3. 4. 2: 9. Eſai. 6: 1. 7: 11. 9: 5. 11: 1. 16: 5. 18: 3. 7. 28: 16. 40: 5. 53: 8. 55: 4. Jerem. 23: 5. 30: 9. 21. 33: 17. 21. Ez. 1: 26. 10: 18. 11: 3. 17: 22. 23. 21: 18. 32: 29: 21. 34: 23. 24. 37: 21. 23. Dan. 2: 35. 36. 44. 9: 25. Hoſ. 9: 8. Jo. 2: 26. 27. 3: 3. Am. 9: 6. 11. Mich. 5: 1. (coll. 4: 14.) 3. Hab: 3: 3. Hagg. 2: 23. Zach. 3: 9. 6: 13. Mal. 4: 2. Apoc. 12: 5.

Speciatim

Speciatim de Regno Dei agunt hæc loca: Gen. 49: 10. Exod. 20: 4. 34: 7. Num. 24: 19. 27. Deut. 18: 19. Deut. 33: 5. 2 Sam. 7: 11 — 16. Pſ. 2: 6. 7. 8. 9. 12. 4: 2. 8: 36. 7. 8. 9. 10. 9: 8. 16: 11. 18: 51. 20: 5. 21: 24. 5. 8. 22: 29. 22: 26. 23: 1. 24: 1. 2. 3 — 6. 33: 6. 36: 6. 7. 41: 13. 45: 5. 8. 6. 10. 47: 3. 50: 3. 6. 53: 3. 57: 6. 11. 65. 3. 6. 7. 68: 6. 8. 9. 16. 17. 18. 69: 14. 30. 72: 1. 2. 8. 9. 10. 11. 74: 12. 78: 67. 68. 69. 70. 71. 72. 89: 3. 4. 5. 21. 29. 30. 34 — 38. 93: 1. 2. 96: 2. 97: 1. 2. 98: 3. 99: [illegible] 3: 8. 9. 107: 1. 109: 1. 110: 1. 2. 3. 7. [illegible] 3. 5. 113. 4. 132: 13 — 17. 18. 148: 4. 14. 149: 2. 150: 1. 2. Prov. 8: 23. Cant. 2: 8. Eſ. 2: 1. 2. 3. 10 — 22. 6: 1. 3. 9: 3. 4. 5. 6. 11: 1. 3. 4. 14: 1. 14: 32. 16: 5. 21: 4. 28. 16. 17. coll. 23 — 29. 32. 34: 1. 2. 3. 4. 7. 34: 7. 40: 11. 52: 7. 53: 10. 11. 12. 54: 11. 55: 4. 61: 1. 2. 63: 4. 6. 66: 1. Jer. 12: 16. 17. 17: 10. 23: 5. 30: 9. 15. 17. 21. 22. 23. 24. 33: 17. 21. 51. 25. Ez. 1: 4. 26. 27. 28. & 1: 5 — 28. 7: 2. 3. 4. 8: 2. 10: 18. 17: 22. 23. 18: 30. 21: 14. 15. 32. 34. 29: 21. 34: 23. 24. 35: 5. 7. 37: 22. 24. 25. 26. Dan. 2: 35. 41. 9: 25. 27. Hoſ. 3: 5. Am. 9: 6. Mich. 1: 3. 4. 2: 13. 4: 1. 2. 8. 14. 5: 1. 3. Nah. 1: 2 — 6. Hab. 3: 2. 3. Zeph. 1: 2. 3. 3: 8. Hagg. 2: 22. Zach. 4: 7. 6: 12. 13. 9: 9. 10. 13. 11: 4. 10. 11. 12: 9. Mal. 4: 1. 5. 6. Apoc. 1: 16. 8: 18. 12: 5. De Sacerdotio Chriſti, 2 Sam. 7: 11 — 16. Pſ. 4: 2. 8: 6. 16: 1. 11. 21: 4. 40: 6 — 18. 41: 13. 72: 2. 4. 84: 10. 110: 1. 3. 4. 119: 114. 122. 148: 14. 150: 1. Eſ. 11: 4. 53: 10. 11. Jer. 30: 21. 33: 15. 17. 18. Zach. 6: 13. De beneficiis Novi Teſtamenti. Gen. 3: 15. 9: 26. 27. 12: 3. 15: 1. 5. 17: 4. 5. 8. 22: 16. 17. 18. 25: 5. 26: 4. 48: 16. 49: 10. 18. Ex. 31: 13. 34: 7. Lev. 26: 12. Deut. 4: 2. 29: 4. 19. 25. 29. 30: 1. 6. 11 — 14. 32: 1. 3. 5. 6. 9. 19. 43. 33: 2 — 5. 11. 13. 16. 19. 2 Sam. 7: 14. 23: 5. Job. 19: 25. 26. 33: 23. 24. Pſ. 2: 11. 12. 5: 8. 12. 8: 6. 7. 8. 9. 16: 11. 18: 17. 28. 50. 51. 20: 5. 21: 2. 3. 4. 22: 25. 26. 27. 30. 23: 1. 2. 24: 1. 2. 3 — 6. 26: 6. & 26. toto 27: 1. 29: 2. 32. toto 33: 2. 34: 23. 36: 6. 7. 8. 9. 10. 42: 6. 9. 44: 8. 9. 45: 3. 10. 12. 47: 5. 6. 49: 8. 9. 16. 50: 5. 6. 51: 20. 21. 57: 11. 65: 23. 4. 5. 6. 67: 2. 68: 5. 6. 10. (coll. Matth. 11: 28.) 11. 12. 19. 69: 14. 17. 31. 32. 33. 34. 36. 71: 5. 6. 8. 72: 1. 3. 74: 12. 75: 2. 4. 78: 2. 7. 79: 13. 80: 4. 8. 20. 81: 2. 3. 4. 5. 11. 17. 84: toto. 85: 2. 86: 1 — 13. 87: 4. 89: 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 29. 30. 34 — 38. 50. 53. 91: 1. 2. 3. 4. 5. 9. 14. 92: 1. 2. 5. 13. 14. 93: 1. 95: 1. 2. 11. coll. Heb. 4: 8. 96: 1. 2. 4. 100: 1. 2. 103: 3. 4. 8. 9. 10. 11. 104: 33. 34. 107: 1. 2. 109: 30. 31. 111: 1. 3. 4. 5. 112: 3. 4. 114: 8. 115: 1. 9. 10. 11. 12. 13. 116: 1. 2. 117: 1. 2. 118: 1 — 4. 6. 119: 17. 18. 25. 41. 49. 50. 57. 65. 66. 73. 74. 81. 98. 99. 105. 114. 130. 137. 139. 153. 169. 170. 171. 120: 1. 122: 2. 3 — 9. 125: 1. 2. 126: 1. 2. 128: 2. 4. 129: 2. 131: 1. 132: 9. 16. 17. 133: 1. 2. 3. 134: 3. 135: 1. 3. 4. 136. toto 138: 1. 2. 142: 8. 143: 1. 2. 8. 144: 1. 145: 1. 2. 5. 146: 1. 2. 6. 147: 5. 148: 1. 2. 3. 14. 149: 1. 2. 3. 4. 150: 1. 2. Eſ. 1: 6. 27. 2: 2. 3: 10. 4: 5. 5: 20. 6: 1. 3. 4. 7: 14. 8: 14. 15. 18. 9: 2. 3. 4. 5. 6. [illegible] 21. 11: 3. 14: 1. 32. 16: 5. 18: 4. 7. 21: 2. 4. 26: 1. 8. 28: 16. 17. 19. 20. 4[illegible] 10. 11. 12: 1. 3. 6. 7. 10. 19. 21. 43: 25. 45: 8. 17. 20. 24. 48: 16. 18. 21. 49: 5. 6. 8. 9. [illegible] 15. 16. 21. 25. 52: 3. 7. 9. 53: 5. 10. 11. 12. 54: 1 — 10. 12. 13. 14. 17. 55: 1 — 5. 9. 56: 1. 2. 3. 5. 7. 61: 1. 2. 3. 62: 1. 2. 63: 4. 5. 7. 8. 10. 66: 1. 2. 3. 5. 10. 11. Jer. 3: 16. 17. 19. coll. Rom. 8: 15. Gal. 4: 5. 6. 12: 16. 16: 21. 17: 7. 8. 14. 16. 17. 23: 4. 5. 6. 7. 8. [illegible] 8. 9. 10. 22. 31: 11. 25. 31 — 36. 32: 38. 39. 40. 33: 6. 8. 9. 15. 16. 18. 20. 21. 22. 46: 17. [illegible] Thren. 4: 22. Ez. 1: 4. 5 — 28. 2: 1. 2. 9: 3. [illegible] 13. 14. 15 — 17. 20 — 22. 11: 19. 20. 16: 63. 17: 22. 23. 20: [illegible] 34: 11 — 16. 22. 23. 24. 35: [illegible] 36: 25 [illegible] 37: 22. 23. (coll. Gal. 1: 4.) 24. 25. 26. 27. 28. Dan. 1: 2. 4. Dan. 8: 17. 19. 9: 24. 25. 27. 12: 11. Hoſ. 1: 7. [illegible] Jo. 2: 10. 23. 26. 27 [illegible] 5. Am. 8. 26. 27. vel 9: 11. 12. Ob. v. 17. Mich. 4: 1 [illegible] Nah. 1: 3. 7. Hab. 2: 3. 4. 3: 2. 3. 4. Zeph. 2: 1. 3: 1. 5. 9. Hagg. 1: 8. 2: 7. 9. 23. Zach. 1: 14. 15. 3: 9. 10. 6: 12. 13. [illegible] 8. 5. 16. 17. 19. 20. 23. 9: 8. 9. 10. 11. [illegible] 12: 10. 13: 1. 9. 14: 20. Mal. 1: 2. 3. 11. 13. 4: 2. Apoc. 3: 12. 8: 5. 12: 9. 15: 5. 20: 1. 21: 2.

Errata

Errata in Præfatione.

PAg. 23. l. 2. pro ſi ſcribe ſed. 29. 11. explicetur. 30. 4. pro Matth ſcribe Luc. 11. 52. 10. à f. oppoſitas 32. 10. à f. pro Deus ſcribe Deut. 33. 7. exiſtat. Ib. veritates. 35. 13. à f. pro ſic ſcribe ſcil. 41. 12. pro non ſcribe nunc. 26. trahantur. 43. 10. à f. in firmitate. 48. 2. prædixere. 49. 8. à f. dele poſterius & advertemus animum. 50. 6. terreſtre: 4. à f. vindicis. 51. 11. is es 52: 18. Recordabar. 54. 4. Moſis 9. ac dignè. 14. illum. 1. à f. pro & cœtu pone à cœtu. 56. 6. profanandum. 21. pſeudoprophetæ. 2. à f. Sic. 57. 21. regno 59. 11. menti. 63. 4. ſtercora ſua. 64. 2. à f. pro & opus ſcribe eſt opus. 68. 18. norit. 3. à f. Oecumenius. 69. 26. poſt quidni ſcribe dicimus. 74. 7. pro & Tyro ſcribe de Tyro. 11 intellexiſſe. 9. à f. exped. fecit. 76. 23. contrarium. 77. 8. Manipulus. 3. à f. Quin. 85. 14. dele &. 88. 10. voluit. 90. 8. poſt tempore adde Matth. 91. 13. querimoniæ. 15. alia aliis 93. 8. 4. Septimana. 11. 5. Menſis. 9. à f. miſceat. 67. 21. reliquis. 3. à f. id eſt 104. 13. à f. conveniunt. 105. 13. à f. memorârant. 110. 13. incertam. 113. 24. poſt qualem adde (Oeconomicum dico) 114. 2. poſt Judæam adde ipſius Judææ. 117. 10. pro ea ſcribe hæc. 32. pro populo ſcribe promiſſioni. 118. 23. pro conſtituendam ſcribe inſtituendam. 120. 5. poſt Lev. cap. 26. adde 14. ad f. cap. 24. poſt item 11 — 27. adde Lev. 26: 3 — 13. 121. 16. pro Eſaiæ cap. 1. ſcribe Eſaiæ cap. 2. 122. 31. pro Lev. 26: 1 — 26. ſcribe Lev 26: 3 — 11. (2.) 14 — 26. 10. poſt Lev. 26: adde 11. (2.) 123. 17. poſt Lev. 26: adde 11. 12. p. pr. (2.) 124. 8. à f. poſt Lev. 26. adde 12 p. poſt. (2.) 127. 3. à f. pro luculentia ſcribe lucentia. 2. à f. notionum.

Errata & nonnulla addenda in ipſo opere.

PAg. lin. 1. à f. נִכּוֹן / 8. 18. Davide. 9. 6. à f. poſt Ez. 7: 4. adde: & Præteritionis denique, ſ. παρέσεως. Am. 7: 8. & 8: 2. & ſic Rom. 3: 25. 9. & 13. à f. pro S. ſcribe ſ. 10. 7. Menſes 19. angue. 30. φανήσεται. 12. 26. poſt Eccleſiâ adde Gen. 6: 6. 14. 3. à f. poſt ampliùs. adde Gen. 8: 21. 22. 9: 11. 18. 18. N. B. Demonſtr. §. 3. incipiens, De cœtero, & ſeqq. uſque ad finem §. 4. ſive ultimi, referantur ad finem Demonſtrat. Per. II. Art. 1. pag 21. immediatè poſt lin. 13. ante Art. II. 18. 8. à f. à Deo. 20. 4. à f. poſt immutabilis adde propoſiti. 21. 1. retinuerunt. 5. quodque 26. 1. ſubjungit. 7. à f. transgreſſioni. 9. à f. querelâ. 11. à f. iſtius. 12. à f. factum. 28. 17. à f. poſt 32: 31. 32. adde Add. Am. 3: 1. Mich. 6: 4. 7: 15. 29. 24. poſt adſcendere adde Add. Deut. 33: 4. Mich. 6: 4. 31. 17. Urc. 13. à f. §. 13. 35. 2. ſubjicitur Quintum, nimirum. 39. 4. à f. Per. II. Art. 1. 40. 14. eum. 9. à f. juvenibus. 44. 1. ἐπίλεκτοι. 9. poſt nec non ſcribe, iræ; Pſ. 30: 6. & 45. 22. exortus. 46. 1. perpetuâ. 4. appelletur. 47. 8. exſuperabant. 23: dele peccatum. 28. pro & ſcribe ex. 31. ante c. 20. pone Ezechiel. 51. 3. à f. Pſ. & Eſ. 19. à f. ipſi 52. 16. à f. poſt N. T. add. Momentum. Pſal. 30: 6. & 3. à f. dimiſi. 54. 8. ſi dele. 27. Etiam propter te non metuo. 28. cupiebat audire. 55. 10. Sitientes i. e. Exſpectantes. Ibidem poſt finem Demonſtr. Art. VI. adde: §. 2. Specimen continuatæ gratiæ eſt in adactione Bileami ad benedicendum Iſraëli. Id commemoratur Mich. 6: 5. Populi mi, recordare, age, quid conſilii ceperit Balac rex Moabitarum, & quid reſponderit ipſi Bileam filius Beor. Eo ipſo autem, quo jubentur cogitare, quid Bileam, reſponderit Balaco, jubentur repetere promiſſionem Chriſti & regni ipſius. Nam de his Bileam clariſſimè prophetavit.

56. 17. *poſt* Hoſ. 9: 10. *adde*: *Recordare à Sittim uſque in Gilgal.* Nam in Sittim fornicati ſunt cum filiabus Moabitarum, ἐκπορνεύσαντες τῷ βαάλ. Num. 25: 1. 3. Mich. 6: 5. 1. *à f.* cum. 57. 7. poſt *ſurrexit* adde *Pinchas*. 12. Addit. 58: 12. *babitare*. 15 *à f.* *poſt* Am. 2: 9. 10 *adde*: *Recordare à Sittim uſque ad Gilgal.* Nam ex Sittim tranſierunt Jordanem in ſicco, & pervenerunt ad locum, qui à devolutione opprobrii per iteratam circumciſionem populi vocatus eſt Gilgal. Ubi & celebrarunt Paſcha. Joſ. 2: 1. 5: 9. 10. Mich. 6: 5. 60. 10 *à f.* Rhinocoruram. 5. *à f.* Rhinocorura. 61. *poſt* I. 23. *adde* §. 17. In eodem beneficio eſt comprobatio gratiæ Dei, qui non obſtantibus etiam gravioribus delictis, nominatim illo, quod memoratur ſupra ad Art. VII. num. 1. eos ad hæreditatem terræ, quæ erat figura & pignus cœleſtis hæreditatis, traduxerit, & ſignum fœderis, nempe circumciſionem, in Gilgal ipſis dederit. *Recordare à Sittim uſque in Gilgal.* Mich. 6: 5. 2. *à f.* Oholiba. 63. 30. dæmone. 64. 18. *pro* ſed *ſcribe* ſive. 7. *à f.* arguit 2. *à f.* Synagoga. 65. 29 involuta. 66. 8. Megiddunem. 31. Pſ. 78. 69. 19. illi. 70. 20. incepit 8. *à f.* poſt *eis* adde Pſ. 63: 28. 71. 13. collaetumque. 28 appellatur. 73. 29. quæritur. 79. 33. *pro* λ. *ſcribe* γ. 85. 10 *poſt* Juſtitia *adde* &. 87. 20. gloriæ. 4. *à f.* poſterum 91. 2. urbis. 92. 27. tenebant. 93. 8. *à f.* *caſtiges*. 94. 19 exigere? verſ. 11. 99. 19. Confirmationem I. 101. 11. *à f.* *poſt* exitu *adde* ex Ægypto. 102. 13. *poſt* 8. *adde* 14. 105: 1. *pro* quo *ſcribe* pro 105. 8. *ante* Hoc ſchiſmate *ſcribe* §. 1. 21. *ante* Cum diviſo *ſcribe*. §. 2. 112. 11. Epiphania 114. 19. ἐθελοθρησκείᾳ. 23. Achab. 7. *à f.* *ſaginario*. 121 5. ᏊᏍᏓ/ 123. 19 voraret. 125. 2. *pro* 7: *ſcribe* 8: 131. 15. *à f.* *& filias*. 134. 26. *peregrini*. 135. 11. *à f.* pedibus. 136. 6. ſuperſtitione piorum. 24. *qui*. 14. *à f.* Et locis 137. 7. *à f.* *manuum*. 4. *à f.* exſcindet. 141. 12. *à f.* eriperemur. 143. 6. *à f.* alluſionem. 144. *à f.* ū. 9 *à f.* *mixes*. 151. 6. O vos 153. 2. Jojachin. 4. *à f.* *fovea*. 3. *à f.* aliquam. 157. 9. *à f.* *ad*. 160. 9. agentibus. 161. 15. *à f.* *occurrit*. 162. 9. *Baſiliſcos*. 163. 10. *figulinum*. 16. *à f.* diſciplina. 165. 7. uvas. 11. *à f.* *liquabimini*. 166. 15. quæ illam complere poſſint. 18. cocta. 10. *à f.* poſtquam aqua conſumta in olla, carnes atque oſſa incinerata. 167. 5 *zelavit*. 14 *à f.* blaſphemetur. 11. *à f.* *Zaanan*. 168. 14. *violentam*. 169. 17. *à f.* *baſiliſcos*. 173. 19. occaſio. 174. 21. *ficus*. 16. *à f.* *hin*. 176. 4. *aggeres*. 179. *à f.* *habitatas*. 180. 5. *ſuo*. 183. 9. *à f.* tendebat. 184. *in tit.* poſt *prædicta* lege. 1. *Everſio reipubl*. 187. 5. ſubjecta. 188. 19. *admirabuntur*. 14. *à f.* *ante* Futurum *pone* 2. 189. 14. *à f.* *pro* V. *ſcribe* 6. 190. 4. *à f.* cap. 1. 191. *in tit.* pro *prædicta*. lege *deplorata*. 192. *in tit.* dele *vaticinii extantis*. 193. 13. *à f.* *ſæculi*. & ſic paſſim alibi, per æ, non per œ. Atque ita. 196. 4. cæſo. 198. 19. *à f.* inexplebilis. 199. 14. *à f.* *deſipient*. 4. *à f.* *ædificatum* 200. 10. *Patætvro*. 11. *à f.* poſt *faciam* lege *in*. 201. 24. *Chelbon*. 20. *à f.* *Raama*. 19. *à f.* poſt *pretioſo* lege *quæ*. 202. 19. *à f.* *Sebobam*. item, *Sapphir*. item, *Baricat*. 205. 13. *magnus*. 207. 1. *Ægyptios*. 208. 12. *proſternebas*. 14. *ſagena*. 2. *à f.* *pes*. 2. 10. 14. munita. 212. 4. *reſiduum*. 5. tranſpone & lege poſt *evadent* ſcil. niſi ex vera clade & calamitate. 213. 22. dele *enim* 216. 10. *à f.* poſt *mea*. lege, quam. 1. *à f.* conſequentium. 219 2. dele *ad*. 222. 5. lubenter. 223. 1. *ut* 227. *in tit.* poſt *quod* lege *futurum*. 27. poſt *Babylon* pone, §. 4. 228. *in tit.* poſt *quod* lege *debuiſſe fieri*. 18. Nicanor. 230. 7. *à f.* *ante* 2. *pone* §. 231. 19. *redargutione*. 35. Habaccuci. 234. 25. *erigo*. 11. *à f.* *ſuam*. 235. 21. *erigo*. 243. 1. Eubœam. 2. Lacedæmonios. 244. 19. *à f.* *ſcienter*. 248. 17. *à f.* *pro* & *lege* ut 250. 14. 250. 12. *fructum*. 251. 12. c. 21. 10. 255. 7 *poſt* injuriæ *dele* &. 14. *dele* 9. 256. 19. *à f.* pro Græcia in *lege* Græciam. 258. 22. pepercit. 262. 3. *à f.* albos. 270. 14. poſt *Ægypti* adde Eſ. 10: 26. 272. 3. *crevit in decus*.

273. 3.

273. 3. *dele* Ut. 274. 29. Eſaiæ. 277. 5. à *ſ. dele* quia tamen tempore Antiochi includi poſſint. 279. 11. à *ſ. die.* 8. à *ſ.* 281. 4. 15. *arena.* 282. 8. à *ſ.* poſt *eſt* adde *in terrâ.* 283. 10. à *ſ. hæreditabunt.* 285. 29. Judæus. 287. 6. à *ſ.* Hyrcani. 289. *poſt* quaſi *adde* per, 290. 1. à *ſ.* Æmilius. 295. 17. pecunia. 300. 3. radiationem. 303. 25. Potuit. 8. à *ſ. manuum.* 304. 15. ſub. 18. dominio. 305. 3. à *ſ.* exiſtente. 1. à *ſ. dele* indoli. 308. 11. *enarravi.* 313. 1. *Unctus.* 316. 17. erratum. 317. 20. *nationum.* 16. à *ſ.* refer. 321. 12. ſidera. 5. à *ſ.* dele, Vide i. e. veni &c. *uſque ad* Pſal. 119: 153. 1. à *ſ.* illum. 324. 26. protegeret. 328. 12. à *ſ.* & œconomicas. 329. 19. ſequentia loca. 330. 7. id eſt primò. 333. 10. *tenebricoſis.* 334. 18. hunc. 336. 5. puta. 10. à *ſ.* Rachelis 337. in titulo *mutat.* 337. 12. *poſt* expirarunt *adde* Conf. Per. V. Art. XLIV. 22. Ἀεχ. 338. 18. Pſ. 50. 8. à *ſ.* Dan. 9: 27. 339. 9. erat. 340. 10. à *ſ.* non ſine. 341. 14. *Virent.* 344. 1. *poſt* imagine *adde* Hagg. 2: 23. *pro* & *ſcribe* ut. 2. poſt *ejus* adde Zach. 3: 9. 345. 18. à *ſ.* Eſſe. 346. 3. à *ſ. ante* eſſet *ſcribe* non. 347. 15. *poſt* Divinæ *ſcribe* voluntatis. 10. à *ſ.* geſtaris. 348. 8. à *ſ. pro* fiat *ſcribe* fidei. 350. 26. Pſal. 45: 3. 9. à *ſ.* ſuſcepti. 351. 19. jacturis. 20. *poſt* Eſaias *adde* c. 21. v. 12. 352. 8. *ſint.* 354. 16. cap. 5: 16. 32. pretium. 355. 1. à *ſ.* falſos ſenſus. 362. 1. onerabunt. 11. felicitatem. 12. *dele* alia. 365. 4. Lege. 367. 17. teſtæ. 369. 13. *ante* Jeremiæ *pone* §. 71. 370. 5. à *ſ.* 3. 4. 8. 9. 372. 6. à *ſ.* attinet. 374. 8. *pro* 8. 10. *ſcribe* §. 80. 7. à *ſ.* in quo 376. 23. Hedad. 13. à *ſ.* condolentia, ... ira. 377. 23. *metuent.* 24. *ante* Eſaiæ *pone* §. 91. 28. eam. 381. 5. à *ſ. dele* autem. 383. 6. à *ſ. pro* Sunt *ſcribe* Sicut. 385. 12. *pro* numerum *ſcribe* nummum. 388. 17. pro *eruiſti* ſcribe *imbuiſti.* 390. 1. acquievit. 21. ex quâcunque 392. 3. à *ſ.* hominis. 393. 10. à *ſ.* blaſphemaret. 395. 19. vitam. 4. à *ſ.* Coloſſ. 396. 15. à *ſ.* ſanctificabit vos. 1. à *ſ.* Spiritus S. 397. 14. à *ſ.* illuminabit. 399. 10. à *ſ.* Stat in. 400. 6. & quantus. 404. 2. à *ſ. erudirentur.* 408. 6. *ſiſtunt.* 414. 14. res templi. 10. à *ſ.* poſt *ipſo* adde Hab. 2: 4. 417. 1. minutum. 11. à *ſ.* poſt *curremus* adde Cant. 1: 3. *ante* Chriſtus *pone* § 6. 9. à *ſ.* & *externath.* 418. 6. à *ſ.* Quippe. 1. à *ſ.* hîc. 423. 24. peccant. 10. à *ſ.* ſubmergor &. 425. 9. a *ſ.* 427. 3. Pſ. 118. v. 5. 428. 16. poſt *Jehovæ* adde Mal. 1: 13. 18. הַגּוֹיִם 2. à *ſ.* propinqui. 429. 1. pro *fratris* ſcribe *matris.* 430. 2. *poſt* regno *adde* Zeph. 3: 8. 431. 18. à *ſ.* conjecit. 434. 15. à *ſ.* Zach. 12: 11 — 14. 436. 6. poſt *meridie* adde Amoſ. 8: 9: 437. 10. à *ſ. liber.* 439. 16. à *ſ.* cruribus prius. 442. 4. matutinum. 7. ſumas. 443. 6. externam. 20. *pro* ductor *ſcribe* auctor. 8. à *ſ.* dicto. 445. 10. adumbratum. 19. repudiationi. 446. 8. Eſ. 63: 8. 447. 20. *adſpergebat ſe.* 449. 4 à *ſ.* verſ. 6. 450. 10. à *ſ.* Gen. 3: 20. 7. à *ſ.* Gen. 9: 26 27. 456. 7. *poſt* tempus *adde* Pſ. 21: 5. *Ibid.* ſe aſſumptum. 11. *poſt* eſt *adde* Eſai. 53: 8. 14. poſt *perpetuitatem* adde, Zeph. 3: 8. 461. 11. à *ſ. poſt* recreabo *adde* Am. 9: 11. 462 4. à *ſ.* poſt *Salvator* add. Eſai. 45: 15. 463. 2. æſtate. 465. 15. demonſtratum. 468. 11. à *ſ.* Pſalm. 21: 4. 469. 15. Pſ. 69: 30. 470. 15. Pſal. 96: 4. 471. 8. meditor. 472. 19 à *ſ. Sapphir.* 474. 12. §. 23. 19. pactus. 7. à *ſ.* colerent. 476. 10. *poſt* Davide *adde* Pſ 2. 478. 11. præcipuum. 23. Eſai. 16: 5. 8. à *ſ. poſt* Thren. 4: 7. *dele* Eſai. 54: 1. Atque 7. à *ſ.* pro *eſt* ſcribe *ex.* 480. 10. à *ſ.* aſſignatam. 481. 27. Ut Apoſtolus. 485. 9. voluntarium. 10. à *ſ.* irreſiſtibile. 8. à *ſ.* Eſai. 11: 4. 487. 18. Eſ. 9: 5. 489. 3. à *ſ.* vite. 490. 7. à *ſ. nubes.* 493. 1. *pro* dolere *ſcribe* decere. 498: 12. 24. 26. 499. 12. à *ſ.* Teſtamenti. 501. 6. à *ſ.* redegit. 502. 12. liberabimini. 503: 17. Gen. 49: 18. 505. 1. atque. 506. 4. poſt *manſueti* dele deſcribitur. Pſal. 22: 30. 27. pertinent. 509. 14. pro *Quia* ſcribe *Qui* 30.

ſine. 5. Gen. 17: 8. 5. à *ſ. accedent*. 512. 14. à *ſ.* nullo. 513. 26. verè. 515. 2. à *ſ.* *poſt illa*. 519. 21. *ante* ſublationem *ſcribe* non modò. 520. 9. *dele* in unum. 521. 21. mentem. 2. à *ſ.* publicabit. 522. *poſt* producam *pone* Pſalm. 78: 2. 526. 4. à *ſ.* prioris ſæculi. 530. 24. creantis. 532. 14. *pro* quod *ſcribe* quo. 5. à *ſ.* Thren. 4: 22. 533. 28. in terrâ. 535. 8. à *ſ. pro* probari *ſcribe* exprobrari. 548. 7. à *ſ.* elegerunt. 553. 13. à *ſ. dele* animum. 554. 20. à *ſ.* cooperentur. 555. 12. à *ſ.* ſolvet. 556. 8. à *ſ.* ſilicem 559. 11. *poſt* gentium *adde* Eſ. 9: 6. 4. à *ſ.* pro *&* ſcribe *ut*. 560. 9. *pro* quod *ſcribe* quo. 17. à *ſ. Dilata*. 561. 9. Regni promiſſi. 30. *antemurali tuo*. 562. 1. *pro* inſervientium *ſcribe* miniſtrantium. Ibid. in tit. *adjuvant* 563. *in tit.* poſt *Ezechielem* adde *Quid Scriptura generaliter* 566. in tit. *appellantur*. 20. à *ſ.* deſiderabunt. 567. 18. ſtaturam. 11. à *ſ.* נכון / 568. 14. gemmam. 569. 3. pro *ex* ſcribe *eos* 574. 13. à *ſ.* *dele* f. 576. 17. *pro* & *ſcribe* eſt. 577. *in tit.* pro *Vetus* ſcribe *Teſt. Iſraëlis*. poſt *Novum* adde *ab eoque diverſum*. 2. vive. 579. 3. *poſſeſſionem*. 581. 13. ante *ſtatutis* ſcribe *in* 582. 1. *ante* præeminentia *ſcribe* ac. 22. à *ſ. Etenim*. 584. 9. à *ſ. Extulit*. 2. à *ſ.* omni.

F I N I S.

VA1
1529152

163
B
17